XV
E
122

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
E
22
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAECLARISSIMORUM JURISPRUDENTUM

RESPONSA
DE EPISCOPATU,

AC PRINCIPATU LEODIENSIUM,

QUEM

JOSEPHO-CLEMENTI
BAVARO

COLONIENSI ELECTORI

Leodienſe Capitulum ſuffragatus eſt;

EMMANUEL-THEODOSIUS

AUTEM

CARDINALIS BULLIONIUS

Ejuſdem Praepoſitus: aliique oppugnarunt,

IN QUIBUS

De Epiſcoporum, aliorumque electione, de Canonum, Legumque Jure, de Eccleſiaſtica Hiſtoria, de Re Civili, maximè de Summorum Principum Pacis, Belliqueque tempore juribus exercendis, ſcitu digniſſima, continentur.

COLONIAE AGRIPPINAE, Typis Petri Martelli, cIↄIↄccxII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Tom. II.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELL.MO PRAECLARISSIMOQUE ADOLESCENTI,

VICTORIO-HYACINTHO-

LUDOVICO DE VALPERGA,

Ex Comitibus Valpergae, Dorſani, Maſini, &c.

BLASIUS MAJOLI DE AVITABILE
S. P. D.

CUm è literariis typis hoc ſit jam prodi- turum Volumen, quod juris diſceptationem complectitur, de Leodienſis Capituli ſuffragatione, qua Celſiſſimus Joſeph-Clemens, Bavariae Princeps, & Colonienſis Elector in Leodienſem Epiſcopum, Principemque Summum electus eſt; cumque in eo ſumma argumenti gravitas, & praeclariſſima Perſonarum amplitudo verſetur; cui id dicarem, ſive harum rerum ſtudio, ſive dignitate Viri, Te, Excellentiſſime Adoleſcens, digniſſimum judicavi. Quam enim

Digitized by Google

feliciter ad hujuſmodi ſtudia animum appuleris, ab iſta ipſa adoleſcenti, qua viges, aetate ſatis ſuperque docuiſti. Itaque opportunum fuerit, dum à *Franciſco-Hyacintho* de Valperga, ex Maſini Comitibus, Sancti Johannis Morianenſis in Sabaudia Epiſcopo Sanctiſſimo, patruele tuo, Viro & ſacra doctrina, & Chriſtianis moribus ſpectatiſſimo ſapientiſſimè in re Eccleſiaſtica inſtitueris, & Sacris Canonibus, Eccleſiaſticaeque hiſtoriae ſedulam, ſeriamque operam navas, hujus libri lectione ejuſmodi rebus quamplurimis ſcitu digniſſimis mentem inſtruas, & exornes. At verò ſi quis tuam ſpectaverit dignitatem, generoſus Tibi certè animus ſuper inſitam natura indolem excitabitur, ubi talem, tantamque diſceptari legeris cauſſam, in qua magnus Germaniae Princeps, Ampliſſimus Imperii Germanici Elector in Epiſcopum una, & ſummum Leodienſium Principem electus eſt, ac tandem à Pont. Max. nominis nunquam interituri, Innocentio XII. confirmatus. Decet enim Te ex genere Europae nobiliſſimo ortum, magnorum Europae Principum Controverſias, & jura noſſe. Tam enim praeclara, ac illuſtris Tibi *Valperga* Marchionum Ivreae origo eſt, ut non ſolùm ab antiquiſſima *Valpergae* ditione in Cannabenſi Pedemontis Provincia nomen cum re praeclariſſimè obtineas; ſed ab ea ſtirpe, ex qua & Imperatores, & maximi Reges proveniunt, tuum Stemma per ſummam nobilitatis laudem deducas. *Arduinus* enim *Berengarii Nepos*, antequam Italiae Regnum iniret, *Valpergae* Comes, & Ivreae Marchio eſt appellatus; Cumque is anno cIↄxviii. ſupremum obiiſſet diem, tribus ſuperſtitibus Liberis, *Guido* natu maximus *Valpergae* Comes, & Ivreae

Ivreae Marchio patrios obtinuit titulos, ac totius Cannabenſis Provinciae ſummum Imperium habuit : à quo perpetua ſerie, tribus tamen ſtemmatibus diductis, tres ampliſſimae Familiae *Valpergae*, ac *Maſini* una, *Sancti Martini* alia, & *Caſtellamontis* Comitum tertia provenere: quibus oppidis in *Cannabenſi* Provincia ſitis, Gentiles tui, ut ſignificarent ampliſſimam ejus Provinciae ditionem habere, Cannabem ipſius Provinciae univerſae ſignum, ſuum gentilicium inſigne praeſeferre. (1) Itaque cum Princeps *Valpergenſium* Familia *Maſiniana* ſit, eaque ad *Deſiderium Langobardorum Regem* revocetur, Gentiles tui cum Cuſtulonenſibus, Aragoniis, ac deinceps Neapolitanis, Siculiſque Regibus, qui ab *Deſiderio* quoque originem repetunt, ſtirpem habent planè communem. (2) Sed tua Familia ex Regia ſtirpe, Regiarum quoque familiarum ſtirps fuit. Ex ea enim in Italia Montisferrati Marchiones, ex quibus materno ſtemmate Regia Sabaudica, & Celſiſſima Mantuana Domus ducitur, prodiere: ex ea vetuſti Pedemontanorum Marchiones, qui & ipſi Caevae, Ponſonenſes, Orae Januenſis, Finalis, & Savonenſes Reguli prognati ſunt.

---

(1) *Auguſtinus ab Eccleſia, Sallutii Epiſcopus, in hiſtoria della Corona Regale di Savoja part. 2. pag. 449. & ſeqq. ad pag. 477. uſque; & narrat quoque Comes Theſaurus nella vita d'Ardoino Re d'Italia : idque ipſum ibi in additionibus Abbas Caſtellioneus confirmat.*

(2) *Praeclarus Geanologiſta Eques Wilhelmus Imhoffius in Italiae, & Hiſpaniae Regum Geanologìa, attitulata:* Stemma Deſiderianum ab ima radice cum ſuis ſtirpibus, ac ramis, unde Italiae, ac Hiſpaniae Reges, Proceresque pullularunt, *in tabula xi.* SanMartiniana, *pag.* 143. *pag.* 144. *pag.* 145. *ibi Guido Sator ſtirpis* Comitum Valpergae, & *pag. ſeq.*

ſunt. (3) Quare meritiſſimo jure praeclariſſimi Majores tui *Cannabenſium* Principes à Rerum geſtarum Scriptoribus appellantur. (4) At iſta quidem ſunt Regiae Fortunae decora; ſed nihilo minores Ampliſſimae tuae Gentis virtutum laudes: Cum *Valpergae* Comites, ac Ivreae Marchiones non ullo in oevo egregiam bello famam retulerint. Quin aliqui è *Sanctomartiniana* Familia progeniti ob victorias bello ſacro de Saracenis hoſtibus reportatas, de clypeo gentilicio *Cannabem* detraxerunt, & aureum ſcutum tribus faſciis ſumma caerulea, media, & ima purpurea revinxerunt, quod inſigne etiamnum praeſeferunt, idemque marmoreum, Stellis tamen conſertum, *Hieroſolymae* in Suburbano Sanctae Crucis Templo hodie quoque ſpectatur. (5) Anno autem cIↄccxlv. *Valpergenſes* Reguli, ditione latè potentes, ad *Philippum Auguſtum* ſexcentos Cataphractos ſuo ſtipendio conſcriptos auxilio miſere: qui eum Regem in celebri *Bovinenſi* proelio ſua praecipua ope juvarunt. Praeclarum verò in rerum geſtarum monumentis occupat locum *Guido Valpergae Comes*, & *Ivreae Marchio*, qui juſto exercitu ſui ductus imperiique Saracenos, ne per Murianam in Italiam irrumperent, per ſummam gloriam prohibuit: qui ipſe pro *Conrado* Imperatore in oppugnatione Mediolanenſi fortiſſimè occubuit. Nec *Arduinus* Minor minore extitit fama, qui in Si-

(3) *Ut prodit Epiſcopus Auguſtinus ab Eccleſia nella Corona Regale di Savoja part.1.pag.224.225.226.227.228.229.*
(4) *Ut habet Paradinus nelle Parentele di Francia.*
(5) *Ita narrante Auguſtino ab Eccleſia d. part.2. della Corona di Savoja pag.453.*

Sicilia praeclariſſimis rebus contra Saracenos ſuò, quem ductabat, exercitu geſtis, non ſolùm latinis, ſed graecis quoque hiſtoriarum Scriptoribus commendatur. Atqui ſilentio praetereundus non eſt *Johannes Valperga*, Eques Johannita, qui anno clɔcccxxxix. conſilio, & virtute Marcam Anconitanam, & Flaminiam omnem in Romani Pontificis obſequium redegit: quo merito à Pontifice & ejus Provinciae moderator juſſus, & Anconae Marchio appellatus eſt. (6) Sed quid vetuſta Tuorum geſta perſequor, quae nunquam ſatis cum laude commemorantur, praeſertim cum recentibus abundemus tam praeclaris, illuſtribuſque, ut ipſa laudum copia laboremus? Ex longo igitur eorum ordine poſtremos *Maſinenſes Comites*, Progenitores tuos recenſere licuerit: ex quibus Magnus *Amadeus*, ſub invicti *Emmanuelis*, Sabaudici Principis auſpiciis, in Belgio, & in Gallia tanta virtute Rempublicam bene geſſit, ut ab eo inſigni Divae Mariae Nunciatae militari torque donatus ſit. In quo decore militiae, uti & virtute *Amadei Thomas* Filius, ac deinceps *Giro* Nepos, tum *Carolus-Franciſcus* Pronepos ſucceſſere, ut Torques Militares Sabaudici in tua Familia, ac haereditate eſſe videantur. *Thomas* quidem non ſemel totius Sabaudicae ditionis procurationem habuit; non vulgare virtutis, juſtitiae, ſapientiaeque argumentum: *Giro* autem ſumma conſtantia, & fide Niciam ab ingenti Gallorum exercitu ſub Guiſii Ducis ductu

(6) *Quod omne poſt Benium, & Noſtradamum, memorat Auguſtinus ab Eccleſia, d. part. 2. pag. 450. & 486.*

ctu obſeſſam fortiſſimè propugnavit: *Carolus-Franciſcus* non dum legitimam ingreſſus aetatem in eum ampliſſimum Equitum ordinem allectus eſt, in quem vix nobiliſſimi Viri annis, meritiſque in Sabaudicam Remp. graves cooptantur. (7) Tam enim certa de Tuis magnorum facinorum ſpes eſt, ut praemia magnis facinoribus debita, complures ante annos praeſumant. Undique enim ſcatet Tua Domus maximis, graviſſimiſque ad virtutem exemplis, & quocumque Tui inciderint oculi, Viri ſe exhibent pacis, bellique artibus praeclariſſimi, qui ampliſſima munia obierunt, utriſque ſplendidiſſimè decorati. Quare non mirum, ſi continenti aetatum ſerie connubia cum Regiis Familiis, ut cum Andecavenſibus Comitibus, aliiſque & in Gallia, & in Germania Domibus, ſummum Imperium habentibus, agitarunt. Nec Parentum noſtrorum memoriam ſuperat *Petrus Valperga*, qui, Re Auſtriaca in Germania benè geſta, *Annam Maximiliani Imp.* legitimae filiae jure donatam uxorem duxit. (8) Quid autem lectiſſima Foemina *Anna-Franciſca* Mater Tua, *Johannis-Paulli Laſcaris*, Magni Johannitarum Magiſtri ex fratre Neptis, ex Imperiali *Laſcarum* Domo prodita, quae poſt Comnenam diu Orientis Imperio potita, quo à Michaële Paleologo impiè exuta, Niciam in Provinciam ſe recepit, ubi in imis Alpibus Vigintimilliae, Tendaeque Comitatum, ac Mari,

Prae-

(7) *Idqueomne memoriae mandatur in libro, cui titulus*: Relazione dello ſtato preſente del Piemonte, *edito Auguſtae Taurinorum anno ciↃlↃcxxxv.*

(8) *Ut memorat idem Auguſtinus ab Eccleſia, d. par. 2. pag. 486.*

Praelaeque obtinuit ditionem . (9) Ad tantorum igitur Majorum imagines conformatus, nobiliſſime Adoleſcens, confido, ut provectu aetatis ampliſſimos in Rep. Eccleſiaſtica gradus aſcendas: ad cujus rei inſtitutionem hunc librum non paullum conferre puto, quem Vir acutiſſimi ingenii, graviſſimique judicii, *Hyacinthus Fallettus, Roſae-Margaritae*, Foeminae ornatiſſimae, germanae Sororis tuae Vir digniſſimus, univerſae literariae Reip. utiliſſimum judicavit. Itaque quo ſub magni nominis lumine clareſcat magis, Tuo ampliſſimo nomini do, dedicoque. Dat. Neap. Kal. Aug. cIↄIↄccxlI.

---

(9) *Ut tradunt Comes Liſcbius in compend. hiſtor. part.2. pag.* 317. *in vita Imper.* Theodori Laſcaris. *Ducangius, Gueſnaeus, & complures alii, quos ſequitur Moretius nel Gran Dittioner Iſtorique pag.* 370. *tom.* 3.

BLASIUS MAJOLI
DE AVITABILE
NEAPOLITANUS J. C.
LECTORI.

CUm mea jurium collectio in celeberrima Controverſia inter Sereniſſimum Sabaudiae Ducem, & Apoſtolicam Datariam pluribus eximiis meis amicis voluptati fuerit, ac praeſertim doctiſſimo Joſepho-Mariae Perimetio, ex Familia Divi Franciſci à Paula, Rebellenſium, & Scalenſium Vigilantiſſimo Praeſuli, ac digniſſimo D. Conſtantino Grimaldo, Regio S. Clarae Conſiliario, itemque D. Johanni--Chryſoſtomo Scarfò, celebri Theologo Baſiliano, viro Graecis, Latinis, & Italis literis exculto, unico, & acerrimo meo propugnatori in pluribus contentionibus literariis, quamquam ſub nomine Cryſophani Cardiecleptì ſaepè larvatus legatur: cumque iiſdem meum conſilium ſignificaſſem de altera collectione, quam meditabar, Allegationum ab eximiis Juriſperitis conſcriptarum in alia celebri Controverſia de electione Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis ex Bavaria, Electoris Colonienſis in Epiſcopum, ac Principem Leodienſium, cui Eminentiſſimus Princeps Cardinalis à Bullione, Praepoſitus Capitulo, aliique acriter reſtiterunt: quae Allegationes ſimiliter diſſitae paucorum manus vix obibant, ut facilè perire poſſent, ni brevi collectae recuderentur: adeo graves fuerunt amicorum exhortationes ad opus perficiendum, ut poſthabitis caeteris meis ſtudiis, ei rei totus incubui, atque, ut in priori collectione feceram, ſummis, & locupletiſſimo rerum Indice adauxi, ne quidquam operi deeſſet, quod in ſimilibus de Epiſcoporum electione cauſſis ſtatim Lectori promeretur. Hac te altera collectione impertior, amice Lector; gratam precor habeas, gratumque ſimul habeas laborem, quem ſubii, ut tibi, Reique publicae prodeſſem: teque admoneo, allegationes omnes in hoc volumine collectas uſque ad pag. 304. eſſe pro Electore Coloniae, Epiſcopo electo, caeteras verò pro Cardinali

Bullionio. Atque hic praeterire non poſſum gratias, quas habeo nunquam ſatis commendato D. Hyacintho Falletti, Boſſii Marchioni, qui me ad hoc opus magnificè adjuvit. Ex Allegationum lectione noſces, mi Lector, Authorum praeſtantiam; admiraberis autem in primis noſtrum Petrum Fuſcum, & Jacobū Sardinum, Antoniumq; Vaillantium, celebrem ex Achademia Sorbonica Jureconſultum. Non eſt hic locus opportunus ſcribendi elogia tot illuſtribus viris; verùm de noſtri Petri Fuſci meritis ſatis tibi erit ejus vel poſt obitum fama; cum doctrina, & vita, quam ſemper ex vera Chriſti diſciplina egit, eum hic ad S. Clarae Concilium evexerit: atque proculdubio, ni mors intercepiſſet, ampliſsimos eſſet honores conſequutus. Equidem amore memoriae illius haec ſcribo, quum ſumma ejus benevolentia in me ſemper fuiſſet, praeſertim quum fuerim Romae anno cIↄIↄccIII. atque plura etiam de eo ſcriberem; verùm cuncta ejus praeconia opportuniori loco mihi ſervo, quum tranquilliorem vitam, ut ſpero, nactus, opera ejus juridica edi pluribus tomis diſtincta, tibi curabo, ut praecipuum illud noſtra aetate in jure ſcribendi genus cognoſcas. Nec tamen praetermittere id nunc volo, inter innumeros Patronos ſelectum eum fuiſſe pro hac cauſsa Sereniſſimi Electoris Coloniae tuenda, dum degeret Romae, miſſus ab hac Excellentiſſima Urbe Neapoli pro re maximi momenti de Sancto Officio Generali hic non conſtituendo, quam conſtantiſſimè, ſapientiſſimèq; propugnavit; & ſumma gloria, & univerſae Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationis plauſu, qui ad hanc Electoris cauſſam Judices à Summo Pontifice Innocentio XII. dati fuerant, inſignem victoriam de ea retulit; atque à Sereniſſima Bavariae Domo ſummo in honore habitus fuit. Interim, Lector, de tanto viro inſpicias quod egregiè ſcripſit D. Hyacinthus Gimma, Canonicus Cathedralis Barienſis, Author meae Societatis Incurioſorum Roxani in prima parte ſuorum eruditiſsimorum Elogiorum pag. 162. De Jacobo autem Sardino ſatis tibi ſit, eum ob doctrinam hactenus inter Advocatos Conciſtoriales Romae enumerari: atque ut ſciant quidam ſeverioris ingenii optimè ſacra Minervae ſtudia cum Fori tritura convenire, immo verò cum ſolidioribus Matheſeos, & Philoſophiae doctrinis, tibi, amice Lector, affirmo, adeo Muſarum vireta Sardinum excoluiſſe, ut praeſtantiſsimus Jo: Marius Creſcimbeni, Divae Mariae in Coſmedin Romae Canonicus, Cuſtos noſtrae feliciſsimae Achademiae Archadicae, eum inter centum Archades viventes Poetas in ſua Hiſtoria Italicae Poeſis adnumerarit vol.2.part.2.pag.371. itemque vol.3.pag.357. Vive felix, mi Lector, & utere: & ſi quem in his collectionibus errorem offendas, typographo parcas.

IN-

INDEX
TITULORUM.

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Allegatio Juris*, *&* *Facti* ſuper puncto electionis. pag. 1

A. JACOMETTI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto electionis. 6

FRANCISCI STANCHI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto electionis. 9

PEREGRINI MASERII, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto electionis. 14

OCTAVII DE JANDIS, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto electionis. 20

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Allegatio Juris*, *&* *Facti* ſuper puncto eligibilitatis. 28

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Allegatio* ſuper puncto eligibilitatis. 31

A. JACOMETTI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto eligibilitatis. 44

FRANCISCI STANCHI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto eligibilitatis. 47

OCTAVII DE JANDIS, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto eligibilitatis. 51

PEREGRINI MASERII, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto eligibilitatis. 58

A. JACOMETTI, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper eligibilitate. 64

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Allegatio Juris*, *&* *Facti* ſuper puncto foraneitatis Eminentiſſimi Domini Card. de Bullione. 68

A. JACOMETTI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper puncto foraneitatis. 72

GEOR-

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Memoriale* ſuper tota cauſa. 76

EJUSDEM *Allegatio Juris*, & *Facti* ſuper oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſſimi Domini Cardinalis Bullionii. 85

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Allegatio* ſuper oppoſitionibus Eminentiſs. D. Card. Bullionii. 97

FRANCISCI STANCHI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſſimi Bullionii. 111

OCTAVII DE JANDIS, Advocati Romani *Allegatio* ſuper oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſs. D. Card. Bullionii. 118

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Allegatio* ſuper proteſtatione, & appellatione Eminentiſs. Domini Card. Bullionii, aliiſque dilatoriis oppoſitionibus, quæ jactantur. 135

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Reſponſio* contra dilationes, & Compulſorias. 145

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Allegatio* ſuper reſolutione motivorum.
Cuncta, quæ pro Eminentiſſimo Domino Cardinali Bullionio, motiva excitata ſunt, ut tanquam Canonicus, & Præpoſitus Major Eccleſiæ Leodienſis vocari debuiſſet ad Epiſcopi electionem, atque ita contemptus cenſeatur, ad duo capita reducuntur. 148

J. C. *Reſponſum pro veritate.* 165
§. 1. In quo validitas electionis oſtenditur. ibidem.
§. 2. In quo diluitur ineligibilitatis objectum. 167
§. 3. In quo fallacia ſuppoſiti contemptus detegitur. 172

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Reſponſio Juris*, & *Facti* ſuper puncto contemptus. 179

ALOYSII MANSI, ET HIERONYMI PALMA NEPOTIS, Advocatorum, ac Patriciorum Lucenſium *Allegatio* ſuper puncto contemptus prætenſi ab Eminentiſſimo Domino de Bullione. 183

A. JACOMETTI, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper puncto contemptus. 191

OCTAVII DE JANDIS, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper puncto contemptus. 194

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Allegatio nova Juris, & Facti* ſuper contemptu. 201

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Allegatio nova* ſuper puncto contemptus. 215

FRANCISCI STANCHI, Advocati Romani *Allegatio nova* ſuper contemptu. 233

OCTAVII DE JANDIS, Advocati Romani *Allegatio nova* ſuper contemptu. 241

GEORGII DE FIRMANIS, Advocati Romani *Reſponſio Juris, & Facti* ſuper contemptu. 254
Pro Sereniſſimo Principe electo. 260

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Reſponſio Juris* ſuper contemptu. 267

FRANCISCI STANCHI, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper contemptu. 278

OCTAVII DE JANDIS, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper contemptu. 283

PETRI DE FUSCO, Advocati Neapolitani, ac Regii Conſiliarii *Reſponſio Juris* ſuper foraneitate. 297

JOANN. BAPTISTÆ SANUTI PELLIGANI J. U. D. Collegiati, in Patrio Bononien. Archigymn. Practicæ Criminalis publici Lectoris, SS. Inquiſitionis Promotoris Fiſcalis, & in Curia Legationis Pauperum Carceratorum Advocati, *Allegatio* ſuper puncto contemptus prætenſi ab Eminentiſſimo Domino de Bullione. 300

ANTONII VAILLANT, Advocati Galli *Memoriale* ſuper eligibilitate S. P. Clem. de Bav. & nullitatibus intrinſecis. 305

JACOBI SARDINI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper electione, & eligibilitate. 318

ANTONII VAILLANT, Advocati Galli *Solutio objectorum* ſuper ineligibilitate. 325

GASPARIS TURCHI, Advocati Romani *Allegatio Juris, & Facti* ſuper contemptu. 331

GABRIELIS PHILIPPUCCII Advocati Romani *Allegatio* ſuper contemptu. 341. PE-

PETRI CORRADINI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper contemptu. 351

ANTONII VAILLANT, Advocati Galli *Memoriale Juris* ſuper contemptu, & attentatis, & ſolutione objectorum. 361
Objectiones Adverſatiorum diluuntur. 371
De Attentatis in præjudicium appellationis. 381

EJUSDEM *Reſponſum Juris* ad noviter adducta. 383

EJUSDEM *Solutio* noviter objectorum. 410

JO BAPTISTÆ DE CURTIS, Advocati Romani *Reſponſio Facti* ſuper contemptu Domini Comitis, & Canonici de Rekem. 417

JACOBI SARDINI, Advocati Romani *Allegatio* ſuper contemptu Comitis de Rekem. 419

JO: BAPTISTÆ DE CURTIS, Advocati Romani *Memoriale Juris, & Facti* pro Comite de Rekem. 423

GASPARIS TURCHI, Advocati Romani *Allegatio ſecunda Juris, & Facti* ſuper contemptu. 426

JACOBI SARDINI, Advocati Romani *Allegatio ſecunda* ſuper contẽptu. 437

GABRIELIS PHILIPPUCCII, Advocati Romani *Allegatio ſecunda* ſuper contemptu. 454

PETRI CORRADINI, Advocati Romani *Allegatio ſecunda* ſuper contemptu. 464

ANTONII-MARIÆ DE BECCHETTIS, Advocati Romani *Allegatio ſecunda* ſuper contemptu. 477

GASPARIS TURCHI, Advocati Romani *Reſponſio Juris, & Facti* ſuper contemptu. 488

JACOBI SARDINI, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper cõtemptu. 496

GABRIELIS PHILIPPUCCII, Advocati Romani *Reſponſio Juris* ſuper contemptu. 504

PETRI CORRADINI, Advocati Romani *Reſpõſio Juris* ſuper contẽptu. 509

JACOBI SARDINI, Advocati Romani *Replicatio Juris* ſuper cõtemptu. 514

CONGREGATIONIS *Sententia* pro Cauſæ deciſione. 519

Digitized by Google

JURIS RESPONSORUM,

Quæ hoc Volumine continentur, ſumma Capita.

ALLEGATIONIS JURIS, ET FACTI
Super puncto Electionis, *Georgii de Firmanis*, Romani Advocati. *pag.1.*

S U M M A.

F*Acti ſpecies narratur. Firmat, electionem Principis Clementis ex Bavariæ Ducibus in Leodienſem Epiſcopum eſſe jure ratam, quod, uti Statuta præſcribunt, univerſi Capituli ſuffragiis facta ſit. Perpendit jus in* cap. Cum nobis olim 19. de Electione. *Neque obſtare, quod aliqua Capituli pars ſeceſſionem fecerit, quod eo facto ſe ab ipſo Capitulo alienarit. Docet, omnem Capituli vim, & poteſtatem contrahi in iis, qui in Capitulo manent, idque adeò ſi major pars maneat; Confert* DD. & Rotæ deciſiones. *Adverſæ Partis argumenta confutat. An non adeſſe Sacro, quod Spiritui-Sancto ante electionem fieri ſolet, nullam faciat electionem. Cum aliis quamplurimis obſervationibus in Electionis argumento, quæ ex fori uſu maximi æſtimantur.*

ALLEGATIONIS
Super eodem Electionis puncto, *A. Jacometti*, Advocati Romani. *pag.6.*

S U M M A.

P*Robat, Bavari Principis Electionem jure valere. Affert* jura, & Rotæ deciſiones apud Coccinum. *Refellit edicta, ſeù, ut vulgò ajunt, Proteſtationes factas à Capitularibus, qui ſeceſſionem fecerunt, quod re ipſa factæ ſunt, ut Electioni necterent moras. Electionem juſtam, ſeù, ut ajunt, canonicam docet, quod à majori parte facta ſit; cum nonnullis aliis in argumento Electionis ſcitu proficuis.*

ALLEGATIONIS
Franciſci Stanchi, Advocati Romani ſuper eodem puncto Electionis. *pag.9.*

S U M M A.

S*Olemnitates omnes, quæ caventur in* cap. Quia propter 42. de Election. *in propoſita ſpecie Bavarici Principis in Leodienſem Epiſcopum electi, ſervatas docet;*

Ac proindè confirmari oportere; Idque maximè ex Nicolai V. cum Friderico Cæſare pactis conventis, vulgò Concordatis, quæ ſuper Eccleſiis, Principibuſque Germaniæ inita ſunt. Adverſariorum objecta diſturbat, cum aliis peculiaribus obſervationibus.

ALLEGATIONIS

Peregrini Maſerii, Advocati Romani ſuper puncto Electionis. *pag.* 14.

SUMMA.

S*ereniſſimi Electoris Colonienſis canonicam eſſe electionem confirmat, quòd ſolemnitates omnes, quæ à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III.* in cap. Quia propter de Electione, *referuntur, ibidemque à Canoniſtis* Barboſa, Fagnano, Pirhing, *notantur, & à Germania quoque Concordatis agnoſcuntur, ſervatæ ſunt: Ac proindè confirmandam docet ex Reſcripto Gregorii III.* in cap. Poſtquam 3. de Electione, *& ex ipſiſmet inter Nicolaum V. & Germaniæ nationem Concordatis. Sacrum Spiritus Sancti ſi non fiat, non idcircò nulla electio eſt, cum id Comitiorum ſolemne ſit, non neceſſarium, per* DD. *ibi relatos. Ecquid per Baſilæenſe Concilium ſuper hac re damnatum. Objecta, &* Lotterii lib.2.q.17.n.7. *opinionem reprehendit.*

ALLEGATIONIS

Octavii de Jandis, Advocati Romani ſuper eodem Electionis puncto. *pag.* 20.

SUMMA.

E*lectionem, quæ de agitur, rectè, ritèque factam docet: quapropter eam ex Epiſtola Divi Gregorii Magni ad Anthemium, relata in* cap. Poſtquam 3. de Election. *neceſſariò confirmari oportere: cum Comitia Epiſcopalia, ritè, & ordine indicta ſint, certa, ad quam convenirent, præſtituta die; quamquam aliqua Canonicorum pars fecerit ſeceſſionem. Cleri, Populique Leodienſis conſenſum in Bavari Principis Electionem ſummis ſtudiis declaratam narrat. Quod aliquot Canonici ſeceſſerint, id non officere Electioni probat ex circumſtantiis, ac rei ipſius ſtatu. Contrariis argumentis reſpondet.*

AL-

Digitized by Google

ALLEGATIONIS JURIS; ET FACTI

Georgii de Firmanis, Advocati Romani ſuper puncto Eligibilitatis. *pag.*28.

S U M M A.

JUs Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis Bavari, ut eligeretur, quod vulgò Eligibilitatem dicunt, in Leodienſem Epiſcopum, indubium eſſe, & incontroverſum docet; quanquam Colonienſis Archiepiſcopus creatus, Friſingenſem, ac Ratiſbonenſem Eccleſiam non dimiſerit. Ubi plura de jure, quo Beneficia Eccleſiaſtica ſunt alterum alterius impatiens, quam vulgò incompatibilitatem appellant. Ponderat verba, quibus Pontificii Codicilli, ſeù Breve Innocentii XI. conceptum eſt.

ALLEGATIONIS

Petri de Fuſco, Advocati Neapolitani, Regiique Conſiliarii ſuper puncto Eligibilitatis. *p.*31.

S U M M A.

JUſtam, ac legitimam Bavarici Principis Electionem docet, quamquam Friſingenſem, ac Ratiſbonenſem Eccleſiam retineret; neque ex Incompatibilitatis jure Electionem nullam cenſeri, ex cap. Dudum 54. de Elect. cap. De multa 28. de Præbendis, & Dignitatibus. *Plures, quæ id ipſum conficiunt, affert rationes. Reſpondet ad illud, quod eo ſtylo Romana Curia utatur, ut ante Electi conſecrationem, ejuſdem Beneficia, tanquam vacantia conferantur: de quo ſtylo* Burſatus, Garzia, *aliique. Affert Lugdunenſe Concilium ſub Gregorio X. habitum, ejuſque verba perpendit. Adverſæ Partis Argumenta confutat.*

ALLEGATIONIS

Super puncto Eligibilitatis *A. Jacometti,* Advocati Romani. *pag.*44.

S U M M A.

SUper hac re conſiderat ſolutiones legum, vulgò Diſpenſationes, tam ſuper ætate, quàm ſuper incompatibilium Beneficiorum retentione. Quid circa hanc Beneficiorum retentionem Sacri Canones caverint; ecquid de Germaniæ Conſuetudine obſervetur. Ponderat quod Bavaro Principi & ſuper ipſius ætate, & ſuper

Digitized by Google

Ratisbonenſi, ac Friſingenſi Eccleſia indultum ſit; Adverſæ Partis amolitur objecta.

ALLEGATIONIS

Franciſci Stanchi, Advocati Romani ſuper eodem Articulo. *pag.* 47.

SUMMA.

INdulti ab Innocentio XI. & Alexandro VIII. Bavari Principis ad Leodienſem Epiſcopatum provecti gratia emiſſi verba perpendit; ejuſque vi conditiones in facto non extitiſſe, ſivè, ut vulgò ajunt, purificatas non eſſe demonſtrat. In quanam re Epiſcopatus natura contineatur. Ex bona fide Electi, qui neque in judicio, neque extra judicium, ad deſerendas Ratisbonæ, ac Friſingæ Eccleſias interpellatus unquam eſt, ejuſdem Electi jus conficit.

ALLEGATIONIS

Octavii de Jandis, Advocati Romani ſuper eodem Puncto. *pag.* 51.

SUMMA.

ELectionem Bavari Principis ad Leodienſem Eccleſiam ratam eſſe contendit; & ab iis, quæ objiciuntur, ex Inſtrumento, Actiſque Capitularibus protutatur. Jus in cap. Poſtquam 3. de Electione, *ubi Canoniſtæ, enucleat. Pontificios Codicillos Innocentii XI, & Alexandri VIII. jure optimo, ſeu, ut ajunt, in ampla forma Bavaro Principi ſuper Friſingenſi, ac Ratisbonenſi Eccleſiis retinendis datum, expendit. Affert jus* in cap. Cum in cunctis, §. cum verò de Electione, *& alia quamplurima notatu digna.*

ALLEGATIONIS

Super eodem Eligibilitatis puncto Advocati Romani *Peregrini Maſerii. pag.* 58.

SUMMA.

QUando Beneficiorum alterum ſit alterius impatiens. Factum ordine narrat, Verba Indultorum ponderat; neque conditiones iis adjectas extitiſſe, docet. Breve ab Alexandro VIII. anno 1689. *xix. Novembris relatum commemorat; ubi plura ad Rem Beneficiariam appoſitè.*

RE-

RESPONSIONIS JURIS

Super Eligibilitate *A. Jacometti*, Advoc. Rom. *p*.64.

S U M M A.

E*X ipſis Indulti Innocentiani verbis objecta confutat: idque gravius facit ex altero Alexandri VIII. Privilegio, quo Bavarum Principem ætatis lege ſolvit, eique jus tribuit, ut ad Eccleſias ibi cautas eligi poſſit. Adverſantes diſſolvit rationes.*

ALLEGATIONIS JURIS, ET FACTI

Super puncto Foraneitatis Eminentiſſimi Cardinalis de Bullione Advoc. Rom. *Georgii de Firmanis*. *p*.68.

S U M M A.

E*X ipſis rationibus, quæ ab Eminentiſſimo Cardinali Bullionio opponuntur, Celſiſſimi Clementis Bavari in Leodienſem Epiſcopum Electionem non infirmari, ſed confirmari oportere, contendit, ex pluribus Canonici Juris argumentis. De ſuis cujuſque Eccleſiæ Statutis ab ipſis Canonicis ſanctè ſervandis. De Privilegiis, quo S.R.E. Cardinales Reſidentiæ jure eximuntur, quæ ex* cap. Dilectus de Cleric. non reſident, *depromuntur; & ex* Gonſalelio ad Regul. 8. Cancellar. gloſ. 42. *Affert rationem, quare is Cardinalis Ampliſſimus ad Comitia vocandus non eſſet. Jus in* cap. Quia propter de Elect. *animadvertit*.

A L L E G A T I O N I S

Super puncto Foraneitatis *A. Jacometti* Advocati Romani. *pag*.72.

S U M M A.

P*Roponit ex eo, quod de aliquo in Comitiis ratio non habetur, Electionem injuſtam quidem eſſe, non autem nullam ex* Abb. in cap. in Geneſi n. 10. de Elect. Fagnan. in cap. Quia propter n. 38. & 39. eod. tit. *aliiſque primæ notæ* DD. *Neque Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ad petitionem admitti oportere, quod contra Capituli Statuta jurejurando firmata non ſe exhibuerit, ſeù, ut vulgò dicunt, præſentaverit: idque maximè cum ſtatuta antiquiſſima, in eoque ſemper ſervata ſint. Neque quicquam officere Diſpenſationem Apoſtolicam, qua Adverſa Pars nititur, ubi ea de re plura: neque Beneficium communis juris deſumptum* ex cap. Cum Dilectus de Cleric. non reſident, *cum ea juris venia Cardinalibus*

libus non ex ipſorum perſona, ſeù, ut vulgò ajunt, privilegiativè, ſed ex cauſa, ſeù cauſativè, ut vulgò item ajunt, tribuatur. Cauſa autem ea eſt, quia adeſſe, ſeù, ut ajunt, reſidere in Curia Summi Pontificis obſequiis, & Apoſtolicæ Sedis miniſterio obligantur. ex Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 53. *Objecta diruit.*

M E M O R I A L I S

Super tota Cauſa Advocati Romani *Georgii de Firmanis. pag.76.*

S U M M A.

D*Ocet, Electo fuiſſe jus, ut eligeretur, electionemque jure probari, nihil quicquam obſtantibus iis, quæ à Canonicis, qui ſeceſſionem fecerant, & ab Ampliſſimo Cardinali Bullionio objecta ſunt. Minorem Capituli partem ſeceſſiſſe proteſtatam; partem verò majorem porrò celebraſſe Comitia; & ritè, ac ordine ſummo omnium XXIV. Suffragatorum conſenſu Celſiſſimum Principem Joſephum-Clementem è Bavariæ Ducibus elegiſſe. Quod autem Cardinalis Bullionius uti Prapoſitus, & Canonicus Leodienſis ſtata, ſolemnique Divi Ægidii die ex Statutorum præſcripto, in quæ juraverat, non ſe exhibuerit, eum alienum, ſeù, ut vulgò dicunt, foraneum eo anno cenſeri, nec jus habere ferendi ſuffragii demonſtrat. Eligibilitatem, ſeù jus, ut is Princeps eligeretur, conficit ex eo, quod eidem Romani Pontifices indulſerunt. Nam Innocentius XI. ei jus tribuit, ut ſi fortè Eccleſiæ Colonienſis, Hildeſimenſis, ac Leodienſis Epiſcopo vacarent, ad eaſdem, & eaſdem quamlibet eligi in Epiſcopum poſſet. Et Alexander VIII. eidem Epiſcopo Colonienſi creato ad reliquas duas Eccleſias integrum jus confirmavit. Eam Diſpenſationem id ſignificare, quouſque Bavarus Princeps Colonienſis Eccleſiæ regimen habeat ſivè poſſeſſionis, ſeù quaſi poſſeſſionis jure. Miſerrimum Colonienſis Eccleſiæ ſtatum deſcribit. Adverſantes rationes diſſolvit, & ſeceſſionem à minori Capituli parte factam inutilem Electionem non facere. Temerè natum rumorem, quod à Barone de Surlet minore, ſeù juniore, ut dicunt, Suffragium vi expreſſum ſit. Cardinalem Bullionium fruſtra quæri, quod in Comitiis de ſe ratio habita non ſit. Capitulum in hac Electione pleniſſima libertate uſum eſſe.*

ALLEGATIONIS JURIS, ET FACTI

Super oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſs. Domini Cardinalis Bullionii, ejuſdem *Georgii de Firmanis. pag. 85.*

S U M M A.

A*It, Leodienſem Eccleſiam antiquis Statutis, iiſque à Sancta Sede probatis, regi: eaque Canonicos ſub ipſis reſidentiæ initiis planè noſſe oportere. Quid iis cautum*

tum ſit de pœna, ex qua Canonicus ab ipſo Capitulo alienatur, quam Foraneitatem vulgò dicunt. De Juramento, quod de eorundem obſervantia concipitur. Cardinalem Bullionium ad Primam Leodienſis Eccleſiæ Dignitatem, nempè ad ejuſdem Præpoſituram electum quidem à Capitulo eſſe, ſed Præpoſituram ſtrictioribus Capituli Statutis teneri. Quid Cardinalis Bullionius à Clemente X. ſuper Reſidentia indultum retulerit. An Foraneus cenſendus ſit. Objecta disjicit, cum aliis notatu dignis.

ALLEGATIONIS

Petri de Fuſco, Advocati Neapol. Regiique Conſiliarii, ſuper oppoſitionibus Eminentiſs. Cardin. Bullionii. *pag.* 97.

SUMMA.

P*Rincipio, quæ ab Ampliſſimo Bullionio opponuntur, reprehendit. Tum docet, ut Electio conſiſtat, non neceſſe ut abſentes vocentur: ex forma Electionis, quam Lateranenſe Concilium induxit in* cap. Eccleſia 57. de Election. *Deindè quærit, An ratio non habita de aliquo, ſeù contemptus ex Conſuetudine, vel Statuto cenſendus ſit. Ad hæc proponit an mulctatus officio, vel jure ferendi ſuffragii vocari oporteat. Memorat Leodienſis Eccleſiæ Statuta, in quæ Eminentiſſimus Bullionius Cardinalis juraverat: atque ex iis conficit ipſum pro Foraneo habendum eſſe. Poſtremò Diſpenſationem à Clemente X. relatam ponderat; quæ omnia certis, eruditiſque obſervationibus aſpergit.*

ALLEGATIONIS

Franciſci Stanchi, Advocati Romani ſuper oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſſimi Bullionii. *pag.* 111.

SUMMA.

D*Ocet Privilegium non reſidendi tunc Cardinalibus prodeſſe, quum apud Summum Pontificem in Curia Romana verſantur, vel alibi aliquod munus obeunt, quod ad Sedis Apoſtolicæ ſpectat dignitatem: non item ubi nulla neceſſitate, nullo munere, nullo colore abſint; ubi plura ex* Gonſalesio ad Regul. 8. Cancellariæ gloſ. 24. Mandoſio, Geminiano, Ancharano, Capyciolatr. dec. 102. num. 8. *An Cardinalis privatìm Privilegio, quod Univerſo Cardinalium Collegio conceſſum eſt, renunciare poſſit? Dicit, Eminentiſſimum Bullionium contemptorem potius eſſe, quam contemptum. Nec liquere, à quonam gravamine ſit appellatum; & hanc appellationem extra judicium editam; ac proindè Electionem ſuſpendere non poſſe.*

AL-

ALLEGATIONIS

Octavii de Jandis, Advocati Romani ſuper eodem Articulo. *pag.*118.

SUMMA.

AIt, libertatem in Electionibus per Sacros Canones exigi, ex cap. Ubi periculum 3.§.cæterum de Elect. in 6. *Nec quenquam ex Electoribus contemni oportere, ex præſcripto jure in* cap. Quod ſicut 28. cod. tit. *Reprehendit rationes, quæ per Eminentiſſimum Bullionium afferuntur: & an ei, quod à Clemente X. Indultum retulerat, quicquam profit? De Cardinalium Reſidentia quædam accommodatè: & quando iis permittatur abeſſe. Affert ſtatutum Innocentii III. in Concilio Lateranenſi, &* cap. Quia propter 42. de Elect. *&* cap. Quod ſicut 28.§.verum cod. tit. *& alia ex Eccleſiaſtica Hiſtoria opportunè interſpergit.*

ALLEGATIONIS

Petri de Fuſco, Advocati Neapolitani, Regiique Conſiliarii ſuper proteſtatione, & appellatione Eminentiſs. Bullionii, aliiſque dilatoriis oppoſitionibus. *pag.*135.

SUMMA.

E*Dicta, ſivè, ut ajunt, Proteſtationes, & Appellationes Ampliſſimi Cardinalis Bullionii, proponit, & diluit. Facultatem ei à Clemente X. Apoſtolicis Codicillis factam perpendit. Docet quænam Privilegia ad Cardinalium ſpectant dignitatem. Nequicquam obſtare cautum in* cap. fin. de Elect. in 6. *& an interturbet Electionem, ſi minor Canonicorum pars ſeceſſionem à congregato Capitulo fecerit. Et alia quamplurima legalis doctrinæ erudita componit.*

RESPONSIONIS

Contra Dilationes, & Compulſorias Advocati Romani *Georgii de Firmanis. pag.*145.

SUMMA.

O*Ppoſitis ab Eminentiſſimo Bullionio Cardinali fit ſatis. Neque ei prodeſſe cautum in* cap. Cum Dilecti filii, de Dolo, & Contumacia; *&* cap. final. de Elect. in 6. *cum aliis notatu dignis.*

AL.

ALLEGATIONIS

Petri de Fuſco Advocati Neap. & Regii Conſiliarii ſuper Reſolutione Motivorum. *pag.* 148.

SUMMA.

Memorat Eccleſiæ Leodienſis Statuta, ex quibus Capituli Decretum juſtum eſſe conſicitur: quod ex iis Cardinalis Bullionius pro alieno, ſivè, ut ajunt, Foraneo habeatur, ac proindè ex iiſdem jus ſuffragii in Electionibus non habere. Dominantia eorum verba Statutorum recitat, quæ in Eminentiſſimum Bullionium directa ſunt, eumque Foraneum faciunt. Particula Alioqui *quid eleganter ſignificet: & ut* Doctores, *quos inter* Dufreſne in Gloſſar. Foraneitatem *accipiunt de Canonico, qui abſit. Ejus generis Statuta neque odioſa, neque exorbitantia eſſe, quæ in Electionibus Canonicum mulctant ſuffragii ferendi jure, quod Beneficio, ſeù Præbenda inhæret, & titulo, ſeù Canonicali dignitati annexum eſt. Adverſis Eminentiſſimi Cardinalis rationibus obviam fit: & quomodò accipi debeat, quod is à Clemente X. Indultum reportavit: & an id ei prodeſſe poſſit uti Canonico, ad cujus perſonam refertur jus ferendi ſuffragii in Electionibus. Cum quamplurimis aliis obſervatione digniſſimis.*

RESPONSI

Pro Veritate *J. C: pag.* 165.

SUMMA.

Electionem Bavari Principis ab Eminentiſſimo Cardinali Bullionio controverſam, rejectis hujus oppoſitionibus, confirmandam proponit. Exponit rationes Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. illatas in cap. Quia propter 42. de Elect. *An Decani, & aliquot Collegarum ſeceſſio, eorundemque appellationes, ac proteſtationes eam Electionem irritam fecerint. An ritè congregato Capitulo, & tempus ad eligendum præſtitutum nondum prӕterierit, minor pars, invita majori, poſſit impedire Electionem, prætextu eam in aliam diem differendi. Affert jus omninò in hanc rem directum in* cap. Cum nobis olim 19. eodem tit. *ubi* DD. *Exponit Indulti Clementini verba. Ecquid Alexander VIII. ex eo Indulto confirmarit, & ampliarit? Ecquid, Innocentio XII. probante, Sacra Congregatio Conſiſtorialis decreverit? Quid* Extravag. Execrabilis, §. quæ tamen, & §. qui verò, de Præbendis *ſit cautum? An Eminentiſſimus Bullionius ſui rationem non habitam jure queratur. An verò Jura in* cap. Quod ſicut 28. cap. Venerabilem 34. cap. Bonæ memoriæ 36. de Elect. & cap. Cum in Eccleſiis 33. de Præbendis in 6. *ei quicquam proſint? An eidem commodet quicquam Clementis X. Indultum? A quibusnam Statutis, ac legibus Ampliſſimi S. R. E. Cardinales eximantur? & de eorumdem Reſidentia plura ſcitu digna: ecquid ea de re antiqua Romana Synodus decreverit? An autem Eminentiſſimus Bullionius con-*

Digitized by Google

temptus ex vero dici poſſit? Cum nonnullis aliis obſervationibus ſcitu utiliſſimis.

RESPONSIONIS JURIS, ET FACTI

Super puncto contemptus Advocati Romani *Georgii de Firmanis. pag.179.*

S U M M A.

Docet, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium tum jure Statuti ſua Eccleſia, cujus erat Canonicus, tum ratione incommodi, ac periculi ejuſdem, contemptum dici non poſſe. Neque id Statutum juri communi adverſari, ſed id in conſequentiam producere, quod Eccleſiæ ſervitio faveat. An autem Procurationis mandatum admitti potuerit? & an per eum ſteterit, quominus mitterat Procuratorem?

ALLEGATIONIS

Aloyſii Manſi, & Hieronymi Palma Nepotis, ſuper puncto Contemptus prætenſi ab Eminentiſs. Card. Bullione. *pag.*183.

S U M M A.

Firmant, Appellationem per Eminentiſſimum Bullionium à Celſiſſimi Bavari Principis Electione propoſitam, ejus confirmationem remorari non poſſe, non obſtante eo, quod Canonum jure indubium alioqui videtur, in Electionis argumento plus unius contemptum, quam multorum contradictionem obeſſe. ex cap. Quod ſicut 28. & cap. Bonæ memoriæ 36. de Election. *& iis, quæ ibi per Juris Canonici Interpretes ſcribuntur. Eandem alienum, ſivè Foraneum, ſivè Extraneum ex Leodienſis Eccleſiæ Statuto factum, ac proindè jus ſuffragii ferendi etiam in Epiſcopi Electione non habere. An appellatio in ejus generis cauſſis ſuſpendat Electionem? & confirmandam eſſe Electionem concludunt.*

RESPONSIONIS JURIS

A.Jacometti, Advocati Romani ſuper puncto Contemptus. *pag.*191.

S U M M A.

Canonicus alienus factus jus ſuffragii non habet. Nihil prodeſt Eminentiſſimo Bullionio Privilegium non reſidendi, neque quod commodè adeſſe non potuerit.

rit. Hinc eum contemptum non eſſe, conficit. Id firmat jure cap. Quia propter, *ubi* Fagnan. num. 41. de Elect. *quod paſſim Juris Canonici Interpretes tradunt. Neque eum quicquam juvare gratiam juris, ſeù, ut ajunt, Diſpenſationem præſumptam, cum aliis quamplurimis, quæ notari merentur.*

RESPONSIONIS JURIS

Octavii de Jandis, Advocati Romani ſuper puncto Contemptus. *pag.* 194.

S. U. M. M. A.

IN *eodem argumento verſatur. Expendit jura in* cap. Quia propter 42. *&* cap. Quod ſicut 28. de Elect. *An ex eo, quod vocatus non ſit Eminentiſs. Cardinalis Bullionius contemptus jure dicatur; atque Electio proinde ad irriti cauſam recidat? Quis ſit contemptus injurioſus proprius, ac vilipendens, quem Sacri Canones damnant? Invocatus ob juſtam cauſam contemptus dici non poteſt. Abſentes, & juſtâ de cauſa ordine moti, an omnia ordinis jura amittant, & omnis vis, ac poteſtas præſentibus, fas ſit dicere, accreſcat? Affert* Bartol. in l. Omnes populi ſub num. 17. ff. de Juſtit. & Jur.

ALLEGATIONIS JURIS, ET FACTI

Super Contemptu Advocati Romani *Georgii de Firmanis. pag.* 202.

S U M M A.

IN *eadem cauſſa immoratur. Memorat Statuta Leodienſis Eccleſiæ compoſita, ſeù, ut vulgò dicunt, compilata anno* 1560. *Et quid Sanfelicius Archiepiſcopus Conſentinus Pontificis Romani Nuncius in inferiorem Germaniam, miſſus ab Alexandro VII. Civitatem, & Diœceſim Leodienſem viſitare juſſus, de ejus Eccleſiæ Statutis compererit? & an in Viſitationis Acta retulerit? An Cardinales Capituli legem loci peculiarem, ſeù, ut ajunt, Statutariam ferendi Poteſtati ſubjaceant. Et an Eminentiſſimus Bullionius ex eo Statutorum jure ſit Alienus? Similes cauſſas de aliis Canonicis confert, uti Canonici de Merode anno* 1652. *qui, quia in Divi Ægidii feſto die non affuit, alienus eſt judicatus. An jure, factoque impeditus diei poſſit, quin ſe exhibeat, ſeù, ut vulgò dicunt, ſe repræſentet. Præterquamquod is alienus eſt, incommoda, periculaque contemptus querelæ locum non faciunt. An ei proſit Clementis X. Indultum ſuper Præpoſitura reportatum: & alia quæ in jure notare juvat.*

Digitized by Google

ALLEGATIONIS

Petri de Fuſco, Advocati Neapolitani, Regiique Conſiliarii ſuper puncto Contemptus. *p.*215.

SUMMA.

QVarelas Eminentiſſimi Bullionii pravertit; & injuſtas ait, quod Electores eum juſtis de cauſis excluſerint, nempè quia alienus erat, & bellum, & hoſtilia agitabantur. Electio irrita non eſt, quod abſens vocatus non ſit; quia abſentium convocatio neceſſaria non eſt, ex forma praſcripta à Lateranenſi Concilio in cap. Eccleſia 57. de Elect. *Solvit Adverſariorum objectiones. De Diſpenſatione Reſidentia quamplurima ex penitiori Canonici Juris Prudentia.*

ALLEGATIONIS

Franciſci Stanchi, Advocati Romani ſuper Contemptu. *pag.*233.

SUMMA.

EXpendit jus in cap. In Geneſi De Elect. *& an Eminentiſſimus Bullionius jure, factoque impeditus dicendus ſit? An Cardinales aquo Statutorum jure cum cæteris Canonicis teneantur? Cur contemptus non ſit? Et an Clemens X. Indulto ſuo ei quicquam ſubveniat?*

ALLEGATIONIS

Octavii de Jandis, Advocati Romani ſuper Contemptu. *pag.*241.

SUMMA.

ELectiones, ſi qui abſentes non convocentur, non protinus ſunt inutiles. An Eminentiſſimus Bullionius contemptus dici merito poſſit? An probibitus ſit venire, & ſuum jus poſtulare? An autem per ipſum ſteterit, quominus ſuum Procuratorem inſtitueret? An præſumptum Clementini Indulti Jus ei obſit? cum aliis notatu dignis.

RE.

RESPONSIONIS JURIS, ET FACTI

Super Contemptu Advocati Romani *Georgii de Firmanis. pag.254.*

S U M M A.

JUre Statutorum obtinente, eorumdem mentem, ſivè, ut vulgò ajunt, intelligentiam ſcrutatur. An Codicilli Clementini Eminentiſſimo Bullionio quicquam proſint? Affert quaſdam ejuſdem Cardinalis Epiſtolas, ex quibus conficit, non eſſe contemptum. Cum aliis notatu profectò dignis.

RESPONSIONIS

Petri de Fuſco, Advocati Neapol. ac Regii Conſiliarii, ſuper Contemptu. *pag.267.*

S U M M A.

REcitat verba Statuti Eccleſiæ Leodienſis ſub Capite de Secunda Reſidentia, juxta collectionem, ſeù, ut vulgò ajunt, compilationem ann. 1560. receptam, & adprobatam. De perpetua eorundem obſervantia. Reſidentia non eſt ἀδιαφορὴ, *ſeù, ut vulgò ajunt, actus indifferens, ſed à virtutibus Religione, & Obedientia imperatur, ex Cōcilio Agathenſi* Can.64.cap.Relatum 4.cap.Cum ſint 16.de Cleric.non reſident. *An Canonicus, qui ſuæ Prabendæ nolit fructus percipere, adeſſe Eccleſiæ teneatur? Affert jus in* cap.fin.de Reſcriptis in 6. Trid. Concilium ſeſſ.24. cap.12.de Reform. & ſeſſ.22. cap.4. ibidem. *Quid obſervarint alii Cardinales Ampliſſimi Leodienſis Eccleſiæ Canonici? Quid faciat, ne contemptui ſit locus? an ſit ſatis, quod non vocetur? Adverſariorum demolitur objecta. Quare luculentiſſimè conficit, nullum ei locum eſſe, ut ſe contemptum eſſe queratur.*

RESPONSIONIS

Super Contemptu Adv.Rom.*Franciſci Stanchi.* p.278.

S U M M A.

DIluit quædam objecta à Dom. de Vaillant, Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii Advocato. Præciſa Statutorum Leodienſis Eccleſiæ verba, & ad rem propoſitam appoſitiſſima circa jus alieni, ſeù Forancitatem expendit: & qui ſpreti appellentur, ex jure in cap.Quia propter in fin.de Elect.? *Docet exempla per Dominum Vaillant allata cum hac cauſſa non conſtare: cum aliis ad quæſtionem accommodatis.*

RE-

R E S P O N S I O N I S

Octavii de Jandis, Advocati Romani ſuper Contemptu: *pag.*283.

S U M M A.

Quæſtionem proponit, an Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius contemptus ex eo cenſeatur, quod vocatus non ſit? Plures ejuſdem Epiſtolas affert. Quæ ſunt ab hac cauſſa aliena exagitat. Quædam de ejuſdem impedimentis, ac periculis enucleat. Exceptiones objectas diluit.

R E S P O N S I O N I S

Petri de Fuſco, Advocati Neapolitani, & Regii Conſiliarii ſuper Foraneitate. *pag.*297.

S. U. M M A.

Noviter objectis per Eminentiſſimum Card. Bullionium ſit obviam. An Leodienſis Eccleſiæ Statuta ab Apoſtolica Sede ſint confirmata? Docet ea centum perpetuos annos, & plus eo ſervata eſſe. Nec quicquam turbare Otthoboni deciſ.202. *cujus alia prorſus eſt cauſſa: neque aptum eſſe, ſeù, ut vulgò ajunt, valere argumentum de* Jure *præſentandi, vel eligendi, quod proprium, & uti vulgò loquuntur, uti principalis quis habeat. Hæc, & alia nonnulla confutat.*

A L L E G A T I O N I S

Joannis Baptiſtæ Sanuti Pelligani ſuper puncto Contemptus prætenſi ab Eminentiſsimo de Bullione. *pag.*300.

S U M M A.

Facti ſpecies proponitur. Docet ex Statuto Leodienſis Eccleſiæ, in quod Eminentiſſimus Bullionius juraverat, ipſum pro alieno cenſeri; cum neque ipſe, neque per Procuratorem in feſto Divi Ægidii ſeſe exhibuerit. Ponderat vim Indulti Clementini: & argumentis Adverſæ Partis ſatisfacit. Confirmari oportere Bavari Principis electionem, utpotè factam à majori, & ſaniori parte Capituli. An Eminentiſſimus Bullionius iis Comitiis commodè adeſſe potuerit? Ubi plura ex doctrina civili ad cauſſam appoſita, ex Schrader. de Feudis, *aliiſque primæ notæ* DD.

ME-

M E M O R I A L I S

Antonii Vaillant, Advoc. Galli ſuper Eligibilitate Sereniſs. Principis Clementis de Bav., & nullitatibus intrinſecis. *pag.* 305.

S U M M A.

Contendit, Electionem Celſiſſimi Principis Bavari infirmari oportere, quod contra eam Eminentiſſimus Bullionius ſit proteſtatus, ab eaque appellarit. Nullitates in re inſitas, ſeù, ut dicunt, intrinſecas docet: & in Epiſcopum eligi non poſſe, qui plures Eccleſiaſticas Dignitates inconciliabiles, ſine ulla Sedis Apoſtolicæ venia obtinet. ex cap. Dudum 54. de Elect. & Electi poteſt. Extravag. Execrabilis de Præbend. & Dignitat. *Neque ex vi Codicillorum Innocentii XI. & Alexandri VIII. quæ ſubtiliter excutit, eligi potuiſſe. Argumenta contraria ſatis abundè reprehendit. Alias inſitas nullitates proponit, quas in ipſa Electione contineri, ac proindè præcipuas, & de rei, qua de agitur, ſubſtantia eſſe diſſerit. Narrat Bavari Electionem omninò liberam non fuiſſe, & vi, metuque, maliſque artibus facta, tranſacta omnia. Docet Capitulares omnes ante Electionem ſuffragia palàm tuliſſe, ac proindè inutilem fuiſſe Electionem. Affert Concilium Lugdunenſe in* cap. Ubi periculum De Elect. in 6. *in quo genus, ſeù forma Electionum deſcribitur. In hac Electione XXII. Canonicos contemptos queritur; eoſque negat ab Electione alienatos, ſed tantum urgere inſtare ut juſtum, ſeù, ut vulgò dicunt, competens tempus ipſis daretur, quo Brevium Bavaro Principi datorum, quibus ei facultas, ut eligeretur facta eſt, maturiùs vim, ac poteſtatem aſſequi poſſent. Ineptè afferri jus in* cap. Cum nobis 19. de Elect. & Electi poteſt. *ubi elegantem* Gloſ. *ſuper hoc* cap. *animadverſionem, & aliam doctiſſimi* Fagnani *in* cap. Quia propter De Elect. num. 40. *acutiſſimè confert.*

A L L E G A T I O N I S

Super Electione, & Eligibilitate Advocati Conciſtorialis Romani *Jacobi Sardini*. *pag.* 318.

S U M M A.

Ait, Electionem Bavari Principis improbari oportere. Ponderat verba cap. Quia propter De Electione. *Bavaro Principi majorem Capituli partem eſſe refragatam. Affert dictum notatu dignum* Innocentii in cap. In Geneſi 55. de Elect. *De plena ſuffragiorum collatione in Electionibus neceſſaria. De Jure, quo plures Eccleſiæ obtineri non poſſunt, plura non indigna obſervatu. Codicillos Innocentii XI. Bavaro datos, eorumque verba perpendit.*

Digitized by Google

SOLUTIONIS OBJECTORUM

Super Ineligibilitate *Antonii Vaillant* Advocati Galli. *pag.*325.

S U M M A.

P*Rincipio Jus, ut eligeretur, in electo conſiderat: deindè Electorum ſuffragia, & quæ in electione evenerunt, notat. Intereà de eo, qui ad Eccleſiaſtica Munia, & præcipuè ad Epiſcopalē Dignitatem provebitur, plura ex Sacris* Canonibus, *& Antiqua Eccleſiæ Diſciplina. Ad hæc Argumentis Adverſæ Partis potiſſimum ab Innocentii XI. & Alexandri VIII. venia deſumptis reſpondet: atque hic verba Indultorum expendit. Præterea de ambitu, ſeù, ut vulgò dicunt, de Voti captatione nonnulla. Poſtremò quæ in electionibus ſanior pars cenſeatur, & alia, quæ notari merentur.*

ALLEGATIONIS JURIS, ET FACTI

Super Contemptú Adv.Rom.*Gaſparis Turchi.* *p.*331.

S U M M A.

F*Acti ſeriem exponit. Ait, Eminentiſſimum Bullionium eſſe contemptum. Ejuſdem epiſtolas ad Leodienſe Capitulum profert, quibus Celſiſſimi Principis Bavari inutilem eſſe Electionem confirmat. Quid opus ſit, ut quis ex Electoribus ſuffragii jure mulctetur, ex* Barboſa, Paſſerino, Card. de Luca, *cæteriſque primæ notæ Auctoribus? Eminentiſſimum Bullionium protinus, ſeù, ut vulgò dicunt, ſucceſſivè ab Electione pluries appellaſſe, eamque irritam edixiſſe, demonſtrat. An is ſuæ Eccleſiæ Statuta ſervarit? An jure alienus factus ſit, neque auditus, neque appellatus? De Reſidentia S.R.E.Cardinalium in Romana Curia ad Univerſæ Eccleſiæ regimen, exemptis iis, qui Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis præſunt. Venia impetrata per eum à Clemente X. ſuper Præpoſitura Leodienſis Eccleſiæ, an ei uti Canonico proſit, ac proindè reſidendi officio liberet? Objecta Adverſæ Partis effringit.*

A L L E G A T I O N I S

Gabrielis Philippuccii, Advocati Romani ſuper Contemptu. *pag.*341.

S U M M A.

I*Mprobandam Bavari Principis Electionem contendit, quod ad eam quotquot jus habebant ſuffragii, & de Capitulo erant, ad Comitia Epiſcopalia convocari neceſſe eſſet.* cap.Coram 35. *&* cap.Quia propter De Elect. *idque maximè, ſi commodè*

con-

convocari potuiſſent, utpotè qui in Diœceſi agant, & ad duodecim, aut ſummum quindecim milliaria intra Provinciam, ut in hac cauſſa Eminentiſſimus Bullionius agebat, qui uti Præpoſitus, Cuſtos major, & Canonicus, ac proindè de Capitulo erat, & in loco Comitiis proximo morabatur, cum vocatus non ſit, contemptum dici neceſſe eſt; itaque nullam jure, & lege improbatam Electionem concludit. Jus edit ad id præcipuum ex cap. Bonæ Memoriæ 36. in fin. de Elect. *In Electionum argumento non appellare appellandum, id eſſe ei injuriam facere: idq; adeò in hac cauſſa, in qua Cardinalis Ampliſſimi dignitas ſpreta, ſivè rectiùs dicas, contẽpta eſt. Suffragii mulctam eſſe graviſſimam, & uti odioſam preſsè, ſtrictèque irrogandam, itaut ut verba legis in factum, quo de agitur, diſertiſſimè dirigantur. Vim, & poteſtatem Statutorum Leodienſis Eccleſiæ tentat. Satisfacit Adverſariorum Objectionibus. Privilegium à Clemente X. optimo jure, ſeù, ut ajunt, ampliſſimè, Eminentiſſimo Bullionio, uti Præpoſito datum, eidem uti Canonico prodeſſe. Statuta Communi juri non conformari. Rejicit* Gloſ. in cap. Cum inter 18. de Elect. *Nec officere, quod Eminentiſſimus Bullionius Statuta, in quæ juraverat, violaverit: quod in Statuta nulla juraverat.* Rota coram Alex. VIII. deciſ. 202. num. 9. & 10. *De Privilegiis Cardinalium nonnulla.*

ALLEGATIONIS

Petri Corradini, Advoc. Rom. ſuper Contemptu. *p.* 351.

SUMMA.

NUllam accuſat Bavari Principis Electionem, utpotè factam contemptã, ſpretaq; appellatione, quam adverſus eam Eminentiſſimus Bullionius pluries juſtè propoſuerat, & Leodienſis Eccleſiæ Capitulo ritè ſignificarat, ac proindè Electionem impediebat, ex jure in cap. Conſideravimus De Elect. Rot. apud Alexandrum VIII. deciſ. 29. num. 53. & 54. *Idque maximè quia in Epiſcopi electione verſabatur, in qua cauſſa appellatio etiam extra judicium emiſſa ex probabili ratione Electionem remoratur.* cap. Si poſtquam De Elect. in 6. Lancellott. de Attentat. p. 2. cap. 12. *Quæ ipſius Eminentiſſimi Cardinalis appellatio, & quæ de cauſa ab eo edita ſit? An autem in ea Appellatione ſervatæ ſint ſolemnitates, quas exigit* cap. Ut circa De Elect. in 6. *Auctarii loco eam Electionem probat compluribus* Canonum *locis, & præcipuè* cap. Cum Eccleſia Sutrina, & cap. Cum in Geneſi De Elect. *Contrariis Argumentis occurrit. Ponderat quod à Clemente X. Eminentiſſimo Bullionio indultum eſt, & potiſſimum rationem, quæ Pont. Max. ad eam indulgentiam impertiendam impulerit, cum aliis haud ſanè contemnendis.*

MEMORIALIS

Super Contemptu, & Attentatis, & Objectorum ſolutione *Antonii Vaillant*, Advoc. Galli. *p.* 361.

SUMMA.

ELectionem Celſiſſimi Principis Bavari infirmandam contendit, tum à contemptu Eminentiſſimi Bullionii, tum ab attentatis contra Summi Pontificis Authorita-

 tem,

Digitized by Google

tem, quas, aliasque nullitates nullum admittere temperamentum, ſeù, ut vulgò ajunt, inſanabiles urget. Edit Decretum Leodienſis Capituli die 27. Februarii anno 1694., quo Eminentiſſimus Bullionius eſt ab eo alienatus: & contra id ipſum invehitur. De poteſtate Statutorum ejuſdem Eccleſiæ. Suffragii mulctam niſi à Judice, & judiciali ordine irrogari non poſſe: Aſſert Clem. Paſtoralis De ſentent. & re judic. *Perpendit jura in* cap. Quia propter, cap. Quod ſi, cap. Coram, cap. Bonæ memoriæ il 2. cap. Scriptum eſt, cap. In Geneſi De Elect. *Argumentis Adverſæ Partis occurrit. De Attentatis, quæ Appellationi nocent; cum aliis quampluribus dignis ſanè, quæ notentur.*

RESPONSI

Ejuſdem *Antonii Vaillant*, Advoc. Galli, ad noviter adducta. *pag.* 383.

SUMMA.

AB Appellatione per Eminentiſſimum Bullioniū edita adverſus Capituli Decretum, & ab ejuſdem contemptu, Electionem ex ſeſe nullam eſſe reſpondet. An is jure Foraneus ſit? Memorat Statuta Eccleſiæ Leodienſis anno 1563., quæ Adverſarii dicunt exoleviſſe. Jus commune, nedum Statutorum Eminentiſſimo Bullionio adeſſe. Quænam ſit ſecunda Reſidentia, quam Statuta præcipiunt? & neceſſaria ne ſit, an utilis Canonicis, qui uberiores ſuæ Præbendæ fructus lucrari volunt? Ponderat Statutum ſub Tit. De Secunda Reſidentia, & aliud ſub Tit. De Capitulis ordinariis, & ſpecialibus. Adverſariorum, & potiſſimum Petri Fulci *objecta amolitur. Ad probandum uſum, actus perpetuos, ſeù, ut ajunt, continuos, non interruptos probari oportet. Epiſtolas & Capituli, & Cardinalis profert. Complura* Canonum *jura inducit in argumento Electionis planè notanda. An quis ſine injuria, & citra dolum contemni poſſit?*

SOLUTIONIS

Noviter Objectorum *Ejuſdem. pag.* 410.

SUMMA.

STatuta Eccleſiæ Leodienſis ab Adverſariis inducta labefactata fidei arguit. Neque ex ipſis confieri, Canonicum, qui feſto Divi Ægidii non adſit, eſſe alienum. Quibus Argumentis per Adverſarios denuò objectis occurrit. In ipſis Statutis aliquas cauſas eximi à pœna, qua quis ſit alienus, neque limitatè caveri: Quare alias cauſas boni viri arbitrio ſuppleri, & ab ea pœna eximi quoque poſſe concludit. Ponderat jus in cap. Ex parte tua De Appellat. *quo quis venire in Judicium etiam apud Sedis Apoſtolicæ Judicem Delegatum bello, vel peſtilentia excuſatur. Cumulat jus reſcriptum ab Honorio III. Juriſperitiſſimo in* cap. Cum dilectus De Cleric. non reſid. *Fruſtra jactari ſententiam, ſeù, ut vulgò ajunt, Votum Uni-*

Univerſitatis Lovanienſis, conſultata ſuper cauſſa, an Eminentiſſimus Bullionius eſſet alienus: quod ei Univerſitati manca, mutilaque Statuta edita ſint. Hac cum aliis ſedula obſervatione profectò dignis.

RESPONSIONIS FACTI

Super Contemptu Domini Comitis, & Canonici de Rekem, Advocati Romani *Joannis Baptiſtæ de Curtis. pag.* 417.

S U M M A.

DOm. de Rekem Leodienſem Canonicum, Sacris initiatum, & in loco Diœceſis degentem, colore quod Divi Ægidii feſto non ſe exhibuerit, à Capitulo alienatum, re autem ipſa contemptum queritur: & tum hac de cauſa, tum quod de hac injuria Summum Pontificem appellaverit, nullam Electionem accuſat. Et Adverſæ Partis objecta diſcutit.

ALLEGATIONIS

Super Contemptu Comitis de Rekem *Jacobi Sardini* Advocati Conciſt. Romani. *pag.* 419.

S U M M A.

FActi narratio. Ait Dom. de Rekem manifeſto contemptum, quod in Huyenſi Urbe, ac proindè in Leodienſi Diœceſi agens vocatus non ſit, contra definitionem illam Juris, quod omnes in Provincia agentes ſint ad Electionem convocandi. cap. Quia propter De Elect. Rot. apud Mantic. deciſ. 288. num. 1. & ſeqq. Cauſam, quod is eſſet alienus reprehendit. Perpendit Titulum de Reſidentia in Eccleſia Leodienſis Statutis. Legem pœnalem neque de cauſſa ad cauſſam, neque de perſona in perſonam produci. Nova Acta, & Capitularium Inſtitutorum Codicem, à quo edita ſunt, levis ad fidem momenti eſſe. Contraria argumenta reſolvit, Illegitimam Electionem aſſerit, quod ei major Capituli pars ſit refragata.

M E M O R I A L I S

Pro Comite de Rekem *Joannis Baptiſtæ de Curtis* Advocati Romani. *pag.*423.

S U M M A.

Q Uod Comes de Rekem à Capituli Sententia, qua injuria eſt alienatus, & à futura electione attentata ad Summum Pontificem appellarit, electionem infirmari oportere affirmat jure cap. Quod ſicut 29. de Elect. *Oppoſitionibus nihil ſolidi ſubeſſe, demonſtrat. Et quod Comes non ſit à Republica Germanica nominatim proſcriptus, eamque Proſcriptionem Adverſarios comminiſci, ut impedimentum ex cauſa belli firmare videantur. Sed eſto verè proſcriptus; tamen per Procuratorem ſuffragium ferre potuiſſe, alioqui rem hanc ſemper in contemptus cauſam recidere. Prætereà cum Rekemius die* 18. *Aprilis ad Summum Pontificem appellaverit, & Electio die* 20. *ejuſdem menſis ſecuta ſit, rem in manifeſta nullitate, apertiſque attentatis verſari.* cap. Cum nobis olim 19. de Elect. Rot. decif. 29. num. 51. & ſeqq. apud Otthob. Fagnani *ſententiam explicat de ratione ſuffragiorum putanda: aliiſque contrariis argumentis, uti momenti levioris illudit.*

ALLEGATIONIS JURIS, ET FACTI

Gaſparis Turchi, Adv. Rom. ſuper Contemptu. *p.*426.

S U M M A.

C Ontemptum ejus, qui jus habet ſuffragii, etiam citra dolum, injuriamve, interturbare Electionem ait, jure cap. Quod ſicut 28. de Elect. *quod verbatim expendit.* Barboſ. de Jur. Eccleſ. Univerſ. *Addit nullo juris ordine Eminentiſſimum Bullionium excluſum, & ſuffragii jure mulctatum. Confirmat nullam fuiſſe Electionem à circumſtantiis. Bullionium, ubi ſe reſcivit à Capitulo alienatum, illicò ab ea ſententia ad Summum Pontificem appellaſſe. Genuinum Statutorum Eccleſiæ Leodienſis Codicem editum non eſſe, docet. Nec officere Interpretationem Adverſæ Partis ſuper Statuto de Reſidentia. Diluit argumenta contraria. Conſiderat veniam à Clemente X. Ampliſſimo Cardinali factam, qua ei Reſidentiæ officium remittit. Ponderat jus in* cap. Quia propter 42. §. Illud autem De Elect. *De ſuffragio per Procuratorem ferendo.*

A L L E G A T I O N I S

Jacobi Sardini, Advocati Conciſtor. Romani ſuper Contemptu. *pag.*437.

S U M M A.

C Ardinalem Bullionium ſuffragii jure mulctari non potuiſſe commonſtrat. Eleganter expendit jus in cap. Conſideravimus 10. de Elect. *ubi Juris Canonici In-*

Interpretes de meliore nota, & præcipuè Bellamera num.9. Butrius n.2.3.& 5. Abbas, *aliique. An cauſa, qua Bullionius alienus eſt judicatus, ſubſiſtat. Affert Epiſtolas à Capitulo Leodienſe ad Cardinalem ſcriptas, & Cardinalis ad Capitulum reſcriptas, eaſque perpendit. Adverſæ Partis objectionibus, & impenſiùs illis* Petri Fuſci *reſiſtit. Parum proficere Statutorum obſervantiam, & an ea in Conſuetudinem legitimè præſcriptam abierit. Neque jure ſuffragii, quo à Summo Pontifice quiſquam donatus eſt, ab Inferiori Poteſtate mulctari poſſe, maximè à Statuto vago, & Communi, quod ea mulcta in factum certum, &, ut vulgò ajunt, particulare, quod in judicium veniat, diſertè dirigi debeat: ut optimè* Paſſerin. de Elect.cap.31.num.16.in fin. *Ceterum nihil agere, quod Capitulares contemnendi animum non habuerint, cum re ipſa Suffragator contemptus ſit, Vir Ampliſſimæ Dignitatis, uti eſt S.R.E. Cardinalis. Has, & alias Adverſariorum rationes infirmat.*

ALLEGATIONIS

Gabrielis Philippuccii, Advocati Romani ſuper Contemptu. *pag.*454.

SUMMA.

C*Ontemptum Ampliſſimi Bullionii ſatis liquere ait, & confutatione argumentorum Adverſæ Partis evincit. Mulctam ſuffragii ipſo facto irrogari non poſſe. Ponderat jus* cap.Ex parte 8.de Cleric.non reſident. *Sed ipſum Suffragatorem coràm, &, uti vulgò ajunt, de perſona appellari; quod ſi ejus copia non fiat, ter per Edictum citari, eoque ſex minimum menſes ceſſantes per ſententiam ſuffragii jure mulctari debere.* cap.Ex parte *paullò ſupra inducto,* cap.Ex tuæ 11.de Cleric.non reſident. *Et ex* Concilio Trident.ſeſſ.24.cap.12. De Reform. *Prius enim media fructuum parte, deindè, ſi contumax quoque ceſſet, alium poſt annum Canonia, omnibuſque ei annexis mulctari, idque jus obtinere, etiam ſi quis decennium univerſum, & plus eo non reſederit. Idque diſertè caveri eodem* cap. Ex parte De Cleric.non reſident. *Solvit rationes adverſas. De obſervantia, ſivè quæ jus interpretetur, ſivè quæ jus præſcribat quampluria digna, quæ notentur.*

ALLEGATIONIS

Petri Corradini, Advocati Romani ſuper Contemptu. *pag.*464.

SUMMA.

E*Lectionem, Eminentiſſimo Bullionio contempto, infirmari poſtulat. Eleganter inducit* cap. Bonæ memoriæ il 2.circa fin.De Elect. *ubi quamvis perſona lau-*

laudabilis, & valdè digna, ut Pontifex ibi te latur, tamen quia unus Suffragatorum contemptus fuerat, Electio eſt infirmata. Id quoque docet Gloſ. in cap. Quod ſicut 28. eod. tit. *plurima ſanè notanda cumulat deprompta ab* Ant. de Butrio, Abb. Bald. Barboſ. Card. Zabarell. Paſſerin. Hoſtienſ. *aliiſque primæ notæ* DD. *quæ quidem omnia in Electionis argumento ſcitu adprimè neceſſaria ſunt. Statum quæſtionis exponit. Contraria argumenta confutat. Verba Statutorum exequitur. Teſtimonia Partis Adverſæ diſcutit. An dolo, vel fraude contemni quis Suffragatorum debeat, ut improbetur Electio? Perpendit* Can. Cum Hadrianus diſt. 63. *& alia ſtylo planè erudito.*

ALLEGATIONIS

Advocati Romani *Antonii Mariæ de Becchettis* ſuper Contemptu. *pag.* 477.

SUMMA.

D*Ocet Eminentiſſimum Bullionium contemptum, quod cum commodè vocari poſſet, ut in Comitia iret, vocatus non ſit; appoſitè ad* cap. Coràm 35. de Elect. *ex* Gloſ. in cap. Cum in Eccleſiis 33. *verbo* Si commodè De Præbend. in *6.* Gonzalez in cap. Cum inter univerſas 18. n. 8. & ſeqq. De Elect. Paſſerin. *aliosque. Contemptus exaggeratur ex eo, quod Bullionius pluries perhumaniter petiit ad Comitia admitti, & apertè à Capitulo excluſus eſt; hinc majorem factam arguit injuriam: atque ex eo infirmandam Electionem concludit: quam ad rem multa* jura, *&* DD. *confert. Neque in hac cauſſa contemptum contumelioſum ſpectari. Mulctam ſuffragii liquidò parere neceſſum eſſe. Sententiam* Gregorii IX. in cap. In Geneſi 55. de Elect. *adornat. Contrarias Canoniſtarum authoritates ſupplantat. Ex Epiſtolis Eminentiſſimi Bullionii omnia conficit. An meritò jure dicatur Foraneus? Amolitur exaggeratum impedimentum ex acerrimo, quod tunc vigebat, bello inter Imperium Germanicum, & Galliæ Regem, & quod ſubeſſet metus diſſentionum, & ſchiſmatum, ſi Bullionius Comitiis intereſſet: cum per Procuratorem admitti potuiſſet. Neque dici poſſe, quod nemo id mandatum ſuſcepiſſet, quod pars Adverſa non docet; & eſto docuiſſet, factus eſſet locus juri in* cap. Si quis tuto 46. de Elect. in *6. cum aliis ſanè notandis.*

RESPONSIONIS JURIS, ET FACTI

Gaſparis Turchi, Advocati Romani ſuper Contemptu. *pag.* 488.

SUMMA.

R*Ecenſet Statuta ann.* 1560., *quæ qui eſt à Capituli Secretis in uſu eſſe teſtatur. Illud verò de Secunda Reſidentia, & aliud de Capitulis ordinariis, & ſpecia-*

cialibus, dicit eſse Statutorum fragmenta, neque autem integra, ut in Judicio fidem faciant, De uſu Adverſæ parti commodo non liquere, liquere autem de contrario, cum Eminentiſſimus Bullionius quinque perpetuos annos die Divi Ægidii non ſe exhibuerit, & tamen Foraneus judicatus non eſt. Veniam non reſidendi ei à Clemente X. factam, memorat. Pontificii ad Cæſarem Nuncii Epiſtolam edit: atq; ex his omnibus Electionem improbandam concludit. Cum aliis bonæ frugis.

RESPONSIONIS

Jacobi Sardini, Advocati Conciſtorialis Romani ſuper Contemptu. *pag.496.*

SUMMA.

E*Lectionem infirmandam reſpondet ex jure, quod diſertè cavetur in* cap. Conſideravimus De Elect. *quod vitium contraxerit in re, quæ eſt de ſubſtantia Electionis. Neque Capitulum privata authoritate, & nullo juris ordine potuiſſe Eminentiſſimum Bullionium ſuffragio mulctare: Neque Adverſariis ipſorum argumenta prodeſſe, quæ diſſolvit. Perpendit Statuta ſuper pæna, qua fit alienus, qui Canonicus Divi Ægidii die non affuerit. Docet hanc facti ſpeciem à Statutis omiſſam: & Adverſæ Partis Interpretationem, Juris Principiis, quæ affert, repugnare. De Obſervantia Statutorum.*

RESPONSIONIS

Advocati Romani *Gabrielis Philippuccii* ſuper Contemptu. *pag.504.*

SUMMA.

B*Onum Eminentiſſimi Bullionii jus conficit indè, quod ſit contemptus. Neque dolum, neque injuriam neceſſariam eſſe, ut in Electionis argumento quis contemptus dicatur. Adeſſe Divi Ægidii die liberum eſt, & magis, quam neceſſarium, utile iis, qui fructus percipere volunt. Id ſibi velle illa Statuti verba* Quicumque volet reſidere, &c. *&*, quicumque ſe ad Secundam Reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit. *Quæ verba eo recidunt, ut quis ſine fraude abeſſe poſſit. Affert* Bartol. in l. 1. ff. de condit. & demonſtrat. *Diſſerit de Statutis, & an iis fides habenda ſit. ad* Regulas Cancellariæ 27. & 52. *Gratia ſola ne Signatura perficiatur, an antequam de ea literæ datæ ſint? uti ſtatuitur* Regula XXVII. Cancellariæ? *Quædam de obſervantia Statutorum: & ea interpretaturne jus, an condat? Argumenta contraria reprehendit. Qualitas alieni præſumpta an ſit efficax? cum aliis notandis.*

RE-

RESPONSIONIS

Petri Corradini, Advoc. Rom. ſuper Contemptu. *p.509.*

SUMMA.

OMnem hanc Controverſiam eo redire, An Eminentiſſimus Bullionius ſit alienus? & an impedimento belli per Procuratorem ſuffragari potuerit? Sed argumentis Adverſariorum nequicquam obſtantibus, Bullionii jus læſum docet, nec permitti debere, ut tranſeat in exemplum; & contra Sacros Canones, qui uno Suffragatore contempto, irritam jubent Electionem ratam haberi. Leodienſis Eccleſiæ Statuta perpendit; nec ea unquam de hac cauſſa cogitaſſe jus condere. Adverſis argumentis ſit ſatis.

REPLICATIONIS

Advocati Conciſtor. Romani *Jacobi Sardini* ſuper Contemptu. *pag. 514.*

SUMMA.

CAput cauſsæ eſſe, an Bullionius ſit Alienus. Quod niſi ſit, manifeſto paret, eum eſſe contemptum, ac proindè eidem illatam injuriam, atque ex eo optimo jure appellaſſe. Accuſat ſtatuta non ritè exſcripta: ea ipſa ponderat eleganter, & ad cauſſam appoſitè. Hanc facti ſpeciem iis omiſſam: ac proindè omninò ad hanc cauſſam non dirigi jus cap. De illis De condit. appoſitis, *&* cap. Romana 1. De cenſibus in 6. *Cum aliis in argumento Electionis perutilibus, ac neceſſariis.*

A Sacra Congregatione ſpeciatim à Pont. Max. conſtituta communi Patrum calculo decretum eſt: *Electionem Sereniſſimi, & Reverendiſſimi Joſephi-Clementis ex Ducibus Bavariæ, Electoris Colonienſis à Capitulo, & Canonicis Leodienſis Eccleſiæ factam, confirmari oportere.* Et Relatione habita, Summum Pontificem Congregationis ſententiam benignè adprobaſſe. Romæ die 18. Septembris 1694. *pag. 519.*

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO JURIS, ET FACTI

Super puncto Electionis.

1\. VIduata Eccleſia Leodienſi, Decanus, & Capitulum, uſque de menſe Februarii, pro Paſtoris electione ſtatuerunt diem vigeſimam Aprilis cum continuatione ſequentium, quatenus opus. *Summ.num.1.lit.B.*

2\. Dicta die 20. Decanus, & Capitulares in numero Suffragiorum quadragintaſex, poſt Miſſam de Spiritu Sancto, congregati ſunt in Capitulo. *d. Summ. num.1. lit.A.* ibique lectis Brevibus Apoſtolicis eligibilitatis Sereniſſimorum Principum Joſephi-Clementis, & Magni-Magiſtri Ordinis Theutonici. *lit.E.* lectiſque, & admiſſis legitimè impeditorum procurationis mandatis. *lit.F.* Decanus hortatoriam orationem habuit ſuper electione, ac très eligendi vias Capitulo propoſuit. *lit.G.*

3\. Præelecta per Capitulum via ſcrutinii ad formam *cap. Quia propter De electione.lit.H.* deventum eſt ad ſubſtantialia functionis, eligendo tres in Scrutatores, nempè Joannem-Erneſtum de Surlet Archidiaconum Arduennæ, Cornelium Faes Vicarium Generalem, & Matthiam Clerx Scholaſticum. *lit.I.*

4\. In iiſdem ſubſtantialibus progrediendo Capitulum deputavit eundem Scholaſticum, ut electione concluſa, illam communi nomine pronunciaret. *lit.M.*

5\. De hac deputatione non contentus Decanus, ex quo, fortaſſe, ſuis finibus non conducebat, ipſe, & alii viginti contra illam proteſtati ſunt, ſub prætextu, quòd publicandi munus pertineret ad ſeniorem ex Scrutatoribus, & non ad eum, quem Capitulum maluiſſet. *lit.N. & O.*

6\. Sed fortè conſiderato prætextu hoc nimis debili, idem Decanus addidit differendam electionem ad aliam diem, ut priùs ſubſiſtētia Brevis Principis Clementis examinaretur. *lit. Q.* Replicante verò majori parte Capituli, Breve jam eſſe per votorum recollectionem, & pluralitatem admiſſum pro valido, & examen pertinere ad Sanctam Sedem, non ad Capitulum. *lit.R.* Decanus, cum iiſ-

Digitized by Google

dem viginti, de quibus ſupra. *lit. N.* ipſi adhærentibus, proteſtati ſunt de nullitate gerendorum, niſi Breve examinaretur, & egredi voluerunt à Capitulo, adjuncto ipſis alio Capitulari, qui tamen declaravit non proteſtari *lit.S.* fruſtra rogati ad permanendum. *lit.V.*

7. Pars major, nempè vigintiquatuor, qui remanſere. *lit.T.* continuando Capitulum, accuſata egreſſorum contumacia, & ſubrogato tertio Scrutatore in locum Baronis de Surlet, qui abiverat. *lit. X.* proceſſit ſervatis ſervandis ad explendam electionem, ut *lit.T. & ſeqq.*

8. Compertoque, quòd omnium, & ſingulorum vota collimaverant in Principem Clementem. *lit.AA.* illum Scholaſticus communi nomine elegit in Epiſcopum. *lit.BB.* electoque acceptante. *lit.CC.* publicataque electione in Eccleſia, *EE.* iidem Electores tamquam totum Capitulum electionem, & Electum S.Sedi præſentant, & pro confirmatione ſupplicant. *lit.GG.*

9. Et quoniam electio eſt valida, utpotè facta plenis votis à toto Capitulo, & ſervatis ſervandis, ut patet ex lectura Inſtrumenti electionis. *d.Summ. nu.* 1. quo ſtante omnia in eo contenta cenſentur plenè probata, ut firmavit *Rota deciſ.* 156. *num.* 6. *par.* 12. *recent.* ſperamus petitam confirmationem abſque difficultate concedendam, juxta *tex.in cap.poſtquam, De elect.* cum *Rota coram Gregor. deciſ.* 240. *num.* 12.

10. Quòd autem electio dicenda ſit facta à toto Capitulo, *Textus* eſt punctualis *in cap. cum nobis olim* 19. *de electione*, ubi juxta collectionem *Gonzalez Tellez*, caſus eſt noſtro caſui parificatus de minori parte prætextu frivolo recedente à Capitulo, & de majori remanente, & validè eligente, recedentibus amplius non expectatis.

11. Etenim quotieſcumque Capitulum eſt legitimè congregatum, præſertìm cum die ſtatuta in Capitulo antecedenti, prout erat in caſu noſtro. *d.Summ. num.* 1. *lit. A. & B.* pars illa, quæ recedit, ſe facit alienam à Capitulo, ut dicit *Baldus in d.cap.cum nobis, num.* 2. ibi: *Exeuntes de Choro, & non redeuntes, tam ab electione, quàm à contradictione ſe fecerunt alienos*: & firmant alii relati per *Paſſerinum De elect.cap.* 11. *qu.* 11. *num.* 92.

12. Ac tali caſu tota potentia totius Capituli conſolidatur in iis, qui remanent in Capitulo, præſertim quando remanet major pars. *Butrius in d.cap.cum nobis olim, num.* 7. *Panormitanus num.* 10. *Rota coram Mellino deciſ.* 410. *nu.* 2. *&* 420. *num.* 1. mirabiliter ad caſum noſtrum per hæc verba: *Quia, quamvis aliqui Canonici receſſerint de Capitulo; Tamen cùm omnes fuiſſent capitulariter congregati ad effectũ faciendi electionem, facultas eligendi remanſit penès eos, qui elegerunt, &c. & conſequenter electio fuit valida: Et hoc eò magis, quia computatis etiam votis eorum, qui diſceſſerunt, fuit electus à majori parte*; prout etiam verificatur in caſu noſtro, ubi Sereniſſimus Clemens electus fuit cum vigintiquatuor ſuffragiis, ut *d.Summ.num.* 1. *lit.AA.* ac tali modo à majori parte Capituli, computatis etiam vigintiduobus, qui diſceſſerunt. *d.Summ.num.* 2. *lit.S.*

13. Nihil relevat, quòd dies vigeſima Aprilis non eſſet peremptoria, & quòd ſupererant alii dies habiles ad eligendum, quoniam hoc quidem ſuffragaretur, quando pars remanens in Capitulo eſſet minor; At verò, quando remanet major pars, prout erat in caſu noſtro. *d. Summ. num.* 1. *lit. T.* tali caſu pars, quæ remanet procedere poteſt ad electionem, non obſtante, quòd dies non ſit peremptoria, ut firmavit *Paſſerin.d.cap.* 11. *quæſt.* 11. *num.* 101.

14. Et

14. Et meritò, quia venientibus, & congregatis, tam vigore determinationis Capitularis factæ ſub die 26. Februarii, ſtatuentis pro electione diem vigeſimam Aprilis, quàm vigore ipſius congreſſus jam inchoati, quæſitum eſt jus majori parti ad eligendum tali die; Et ideò minor pars Capituli per ſuum receſſum non poteſt præjudicare juri determinationis Capituli antecedentis, & majoris partis Capituli nunc congregati, ut benè ad propoſitum ratiocinatur *Romanus conſ.352.num.15.& 16.*

15. Imò fortiùs in caſu noſtro, in quo habemus vota vigintiquatuor pro Sereniſſimo Electo; ſicuti vigintiduo, ſi perſtitiſſent in Capitulo, & votaſſent in contrarium, non potuiſſent præjudicare electioni, multò minus præjudicare potuerunt recedendo à Capitulo.

16. Non obſtat prætenſio, quòd major pars non ſufficiat, quòdque requirantur duæ tertiæ, quia Doctores requirentes duas tertias loquuntur in caſu, quo Capitulum non fuerit jam congregatum, & non adſit ſuperior, qui congreget, quoniam tunc conſiderando Capitulum, prout eſt in congregando, ſunt neceſſariæ duæ tertiæ partes, ad effectum convocandi, & conſtituendi in mora aliam tertiam partem, ad hoc, ut non poſſit agere de contemptu, ut erat caſus *Zabarellæ conſ.150.num.9. verſ. Quintò quæro*, & videre eſt poſt *Butrium in d.cap.cum nobis num.33. circa medium*, & poſt *Panormit. num.* 10. At verò quando Capitulum eſt jam congregatum, ſufficit ſola major pars abſque neceſſitate duplicis tertiæ, prout ſupra firmavimus.

17. Et licèt *Panormitanus* in caſu diei non peremptoriæ, moveat dubium pro duabus tertiis: nihilominus declarat ſe reſidere in opinione, quæ contentatur de majori parte dumtaxat, ut *in d. cap.cum nobis d.nu.* 10. ibi: *Mihi placet præcedens dictum, quia ex quo omnes erant in Collegio, ſtandum eſt judicio majoris partis, quatenus intendit terminum non revocare, ſed ad ulteriora procedere.*

18. Hinc non turbat auctoritas *Lottherii De Beneſic. lib.2. qu.17. num.7.* aſſerentis requiri duas tertias, quia dum ſe fundat in *Panormitano, Romano, & Rota coram Mellino*, intelligendus eſt juxta doctrinas, quas allegat; cùmque hæ loquantur in contrarium ejus, quod aſſerit, ipſe etiam intelligendus in contrarium, & excuſandus Vir, cæteroquì doctus, quia in hoc puncto deceptus videtur ab *Amanuenſi*.

19. Neque dicatur, quòd ſaltem major pars remanens in Capitulo debebat citare alienatos ad redeundum, ut eos conſtitueret in contumacia; quia, dum exeuntes rogati fuerunt ad permanendum. *d. Summ. num.1.lit.V.* hoc ſolùm ſufficiebat. *Ancharanus* in puncto *in d.cap. cum nobis num.1.* per hæc verba: *Tertiò nota, quòd viva voce poteſt moneri qui eſt in Capitulo ne recedat, & recedendo non poteſt agere de contemptu; & valet electio illo tali ulterius non citato, ſive monito, quod eſt verum, quando in Choro remanet major pars*, prout remanſit in caſu noſtro.

20. Minus obſtant proteſtationes de pertinentia muneris eligendi ad ſeniorem ex Scrutatoribus. *d.Summ.num.1.lit.H.* & de prius examinando Brevi Sereniſs. Electi *lit.Q.& S.*

21. Siquidem: In eo, quod pertinet ad poteſtatem datam Scholaſtico pro electione facienda communi nomine, controverti non poteſt libertas Capituli deputandi magis unum, quàm alterum, ut reſolvit *Gloſſ. in cap. ſicut, De elect. in 6.*

in 6.verbo per unum. ibi: *Et quod dicit* Unum, *ſi quæratur* Per quem *? dic, per eum, qui habet primam vocem, vel eum, cui Capitulum commiſerit;*prout etiam voluit *Gemin. ibidem num.* 4. Unde cùm jus non coarctet, neque adſit ſtatutum, ſeu conſuetudo in contrarium; imò cùm in ultima immediata electione deputatus fuerit etiam Scholaſticus tunc exiſtens, qui, neque erat ſenior inter Scrutatores, meritò nunc etiam Capitulum deputare potuit, quem voluit.

22. In eo verò, quod reſpicit petitum tempus ad examinandum Breve, optima fuit reſponſio Capituli, quòd Breve jam fuerat capitulariter admiſſum, quòdque pertinebat ad S.Sedem, prout *in dicto Summario num.*1. *litt. R.* ut de jure egregiè ad rem noſtram firmat *Paſſerinus cap.*14.*quæſt.*8.*num.*56. ibi: *Unde nullus Capituli electionis Præſes, aut Capitulum habet, ut poſſit ſimpliciter examinare litteras Apoſtolicas an validæ ſint, vel non validæ.* Ideoque petitio dilationis erat prorſus inutilis, dum etiam conceſſa nihil profuiſſet, ex quo ad eos non pertinebat.

23. Fortiùs, quia Brevia hujuſmodi eligibilitatis non exhibentur in Capitulo, neque in forma judicii, neque ut de iis judicetur, ſed tantùm ad inducendam in Capitulo notitiam, quatenus regulare poſſit animum ſuum, ut ſciat, quòd perſonæ concurrenti ad electionem non obſtant impedimenta ætatis, & aliorum Epiſcopatuum, quatenus exiſtimet expedire illum eligere, ut conſiderat *Card.de Luca de Canonicis, & Capitulo diſcurſ.*27.*num.*24.

24. Ac demùm ex actu attentatæ electionis ſub die ſequenti factæ ab exeuntibus, declaratur à poſteriori, & concludenter, quòd inſtantia examinandi Breve erat frivola excuſatio, quòdque aliud habebant in animo.

25. Unde prætextus examinandi Breve, de quo nec erat judicandum, nec ad ipſos pertinebat judicare, non erat ſufficiens fundamentum pro receſſu à Capitulo; ac propterea proteſtatio frivola, & receſſus irrationabilis, & ex propria recedentium voluntate, non poterat impedire maiorem partem remanentem, quo minus procederet ad electionem. *Gonzal.Tellez in dicto cap.Cum nobis,De elect.num.*13.

26. Et multò minùs, quando electio erat jam inchoata, & adeo progreſſa fuerat, ut deventum eſſet ad eſſentialia electionis, prout erat deputatio Scrutatorum; Unde prætenſio, quæ neque in præliminaribus admitti debuiſſet, multò minùs admittenda erat in medio ſubſtantialium electionis.

27. Etenim, aut Breve eligibilitatis ſubſiſtebat, & non debebant recedere, aut erat inſubſiſtens, & eò magis debebant perſiſtere in Capitulo, dum recedendo laborabant contra proprium commodum, ex quo tali caſu, quatenus major pars elegiſſet incapacem, ipſi perſiſtentes, facillimè, & in minori numero, potuiſſent eligere, quem maluiſſent, per *Textum in cap.Congregato* 53. *de elect.*

28. Attento igitur, quòd proteſtationibus præfatis non obſtantibus procedi potuit ad electionem, quòdque ex parte digniſſimi Electi, & Electorum electio eſt valida, meritò ſperatur petita confirmatio. *dict. cap.Poſtquam* 3. *de elect.*

29. Fortius in præſenti, dum ultra legitimam convocationem, locum, diem, & horam, omnia, & ſingula, eaque debito cum ordine, requiſita ſubſtantialia recenſita per *Doctores*, & præſertim *Fagnan.in cap.Quia propter, De elect. à num.*37. *ad* 66. fuerunt adamuſſim adimpleta, ut patet ex lectura inſtrumenti electionis. *dict.Summar. num.*1. nempè congregatio in unum. *litt. A. & T.* depu-

deputatio trium Scrutatorum per Capitulum, & de illius gremio. *litt.I.* & *X.* illique ſingulorum, & ſingulatim vota Scrutati ſunt ſecretè, & redegerunt in ſcriptis. *litt.Z.* illaque Scholaſticus publicavit in communi. *litt.AA.*& electionem fecit communi nomine. *litt.BB.* & prout erat de juſtitia, Clero, & Populo ſolemniter annunciavit. *litt.EE.*

30. Neque integritati,legitimitati,& plenitudini votorum noſtrę electionis quicquam detrahit extrajudicialis obmurmuratio, quòd nonnulli ex Capitularibus non interfuerint Miſſæ de Spiritu Sancto, quòdque junior Baro de Surlet malitiosè, & per vim inductus fuerit ad votandum, & retentus in Capitulo.

31. Etenim non aſſiſtentia Miſſæ non inficit facultatem ſuffragandi, quia ſicuti omiſſio totalis non vitiat electionem, multo minus omiſſio aliquorum. *Paſſerin.cap.15.quæſt.1.num.1.ac* 3.Et ſicuti ad electionem admittendi ſunt qui non venerunt ad præliminaria, & ad aliquos actus jam celebratos, ex *Paſſerino cap.11.quæſt.11, num.*91. Fortius admittendi ſunt qui ſolùm à Miſſa de Spiritu Sancto abfuerunt.

32. Reſpectu verò Baronis de Surlet,idem Baro in pleno Capitulo,præſente Patruo, expreſsè declaravit ſe eſſe liberum, & liberè ſuffragaturum, in quem dictaret conſcientia: & iterum poſt electionem pariter in Capitulo, ut per extractum ex actis Capitularibus, *Summ.num.*2. & rurſus in loco libero poſt electionem de ſua pleniſſima libertate teſtatus eſt per Inſtrumentum. *Summ. n.*3.

33. Et convincitur irrefragabiliter ex ipſo facto, quoniam ſi non remanſiſſet voluntariè in Capitulo, profectò, dùm receſſerunt alii in tanto numero, inter quos duo ejus Patrui. *dict.Summ.num.*1.*lit.S.* abſque ulla difficultate potuiſſet ipſe etiam exire cum aliis, ut palàm profitetur in dicto Inſtrumento. *d. Summ.num.*3.*litt.C.*

34. Cùm itaque Sereniſſimus Electus ſit digniſſimus, & eligibilis: Capitulum legitimè congregatum, totaque poteſtas Capitularis conſolidata eſſet in vigintiquatuor,qui remanſerunt; Vota omnia fuerunt legitima, & libera,& forma *cap.Quia propter* adamuſſim ſervata, abſque dubio electio fuit valida, & cum votorum plenitudine omnibus numeris undequaque abſoluta à parte Electi, Eligentium, ac Formæ eligendi; Proindeque locus eſt diſpoſitioni *cap. Poſtquam*, *De elect.* ibi: *Confirmationem petentium deſideria, ſi nihil eſt, quod electum impediat, impleantur.*

A. JA-

Digitized by Google

A. JACOMETTI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super puncto Electionis.

1\. INſtat Sereniſſimus D. Elector Colonienſis pro Confirmatione ſuæ Electionis in Epiſcopum Leodienſem: & annuendum videtur, quia conſtat fuiſſe ſervata omnia neceſſaria in electione per ſcrutinium ad Eccleſiam Cathedralem, juxta diſpoſita *in cap. quia propter, De elect.* de quibus latè *Barboſa in eodem cap. per totum, Tamburrin. de jure Abbat. tom. 1. diſput. 5. quæſt. 6. nu. 1. cum omnibus ſeqq.* & paſſim apud alios.

2\. Non obſtat, quòd ex quadragintaſex Capitularibus, vigintiduo receſſerint, nec voluerint intereſſe electioni, itaut ea celebrata fuerit cum vigintiquatuor dumtaxat ſuffragiis; quoniam cùm hæc conſtituant majorem partem Capituli, electio reputatur legitima; major enim pars in propoſito ea dicitur, quæ medietatem excedit. *Felin. in cap. cum omnes num. 20. De conſtit. Abbas conſ. 25. num. 4. lib. 2. Tholoſan. de elect. cap. 16. ex num. 13. Samuel tract. eodem, diſput. 7. tract. 1. controv. 1. concl. 9. num. 7. Tamburrin. de jure Abbat. diſputat. 5. d. quæſt. 6. num. 25. & 26. Fagnan. in cap. quia propter num. 40. De elect. Rota apud eundem Tamburrin. deciſ. 18. num. 2. quæ eſt deciſ. 225. coram Buratto, & deciſ. 206. nu. 9. & 10. coram Dunoz. jun.*

3\. Et ſine difficultate, cùm vota eorum, qui receſſerunt numerari non debent, & propterea electio in caſu noſtro facta dici debeat à toto Capitulo, cùm de iis, qui permanſerunt in loco, nemo electioni diſſenſerit, ut eſt *Text. in cap. cum nobis, De elect. ubi Abbas num. 3.* & firmavit *Rota coram Coccin. deciſ. 1431. num. 2. cum ſeqq.*

4\. Neque urgent proteſtationes factæ à Capitularibus, qui receſſerunt. Siquidem cùm eſſent penitùs irrelevantes, & unicè tenderent ad differendam electionem, meritò fuerunt rejectæ: & eorum receſſu non obſtante, canonica fuit electio facta à majori parte, quæ remanſit in loco electionis, juxta egregiam theoricam, quam tradit *Abbas in d. cap. cum nobis, De elect. num. 10.* ubi relatis antiquiorum opinionibus, concludit, quòd ſi recedit major pars, electio facta à minori, non ſubſtinetur, niſi in caſu, quo inſtet terminus juris, ideſt labatur tempus datum ad eligendum; ſi verò receſſit pars minor, & dicto caſu major pars poteſt ad electionem procedere, etiamſi terminus juris non inſtet; quia tunc non dicitur terminum abbreviare, ſed in termino ad ulteriora procedere: neque eſſe neceſſarium inquit, quòd iſta major pars conſiſtat in duobus ex tribus partibus, nam id procederet Capitulo adhuc non congregato, ſecùs poſtquam illud jam congregatum eſt; quia tunc legitimè devenitur ad electionem à ma-

jori

Digitized by Google

jori parte ultra medietatem:neque minor citari, aut moneri ulterius debet,quia ex ipſo receſſu à loco electionis conſtituitur in contumacia, cum *Abbate* videntur tranſire *Felin.in cap. cum omnes num.*34. *propè finem, De conſtit.& Fagnan.in d.cap.quia propter,num.*41.*De elect.*& iterum id confirmat idem *Abbas in cap.in cauſis num.9.verſ.aut non labebatur tempus,eodem tit.*& conferunt firmata per *Rotam d.deciſ.*1431.*num.3.coram Coccino.*

5. Proteſtationes verò pro differenda electione minimè debebant attendi, quia, ut præmiſſimus, fuerunt cavilloſæ, & irrelevantes;nam quòd Scrutatores eligi deberent de ſenioribus, nullam habet ſubſiſtentiam,nam *in d.cap.quia propter*,non cavetur, niſi, quòd ſint de Collegio Eligentium, undè quod lex non dicit, neque nos dicere debemus; hinc nullus Doctor reperitur, qui hanc qualitatem Senioritatis requirat in Scrutatoribus,ut videre eſt in deciſionibus emanatis coram *Coccino in Treveren.Abbatię Sancti Maximini,inter ejus impreſ. deciſ.*1539. *& deciſ.* 1552. in quibus licèt rigoroſè diſcuſſæ fuerint qualitates in ſcrutationibus neceſſariæ, nullibi tamen de aſſerta qualitate Senioritatis legitur facta mentio.

6. Minus erat attendenda altera proteſtatio emiſſa exadverſò pro deferenda electione, ſub prætextu ſcrutandi Brevia diſpenſationum Sereniſſimi Domini noſtri Electoris Colonienſis; quoniam cùm dicta proteſtatio tenderet ad finem, ut electio eſſet canonica, meritò dicta proteſtatio contempta videtur, dum diſpenſationes ſuffragari hæc Sacra Congregatio exiſtimabit, argumento *Text.in d.cap.cum nobis, De elect.* ubi, quòd appellatio extrajudicialis interpoſita per nonnullos de Capitulo à futura minus canonica electione, nec electionem vitiat, neque facit attentatum, ſi deindè compertum ſit electionem fuiſſe canonicam, & notant ibidem *Abbas in fine principii, & Barboſa num.*1. ubi, quòd ſi taliter proteſtantes, & appellantes recedant, ut in caſu noſtro, & qui remanent eos invitent, & electioni intereſſe rogent, & iidem recuſent, & abeant, ſi fiat electio eſt bona, maximè cùm à majori parte Brevia reputata fuerint ſufficientia, undè quæſtio, quæ ſuper eorum intelligentia emergere potuiſſet non videbatur potuiſſe decidi à Capitulo, cùm ſpectaret ad Papam concedentem, ſuper quo etiam, qui receſſerunt admoniti ſunt; hinc *Hoſtienſis*, cui adhæret *Fagnanus in cap. publicato num.* 44. putat ſub prætextu ineligibilitatis perſonæ non eſſe differendam electionem,ſed poſtquam ea fuerit ſecuta, Oppoſitores debent coram Superiore juſſum proſequi, niſi vitium conſiſtat in facto, de quo incontinenti dari valeat probatio.

7. Minùs relevat, quòd nonnulli Capitulares non acceſſerint ad locum electionis, niſi poſt Miſſam Spiritus Sancti, quia, ut inquit *Innocentius in cap. in cauſis*, quem ſequitur *Abbas ibidem num.* 7. *de elect.* Miſſa Spiritus Sancti non eſt de ſubſtantia electionis, ſed tantùm de ſolemnitate, & propterea, qui accedunt ad eligendum poſt Miſſam, dicuntur accedere re adhuc integra, itaut etiamſi Electores Miſſæ non interſint, Electio ſubſtinetur, ad *Text. in cap.cum terra, De elect.idem Abbas in cap.cum Eccleſia Sutrina num.*1. *De cauſ.poſſ. & propriet. Sigiſmundus à Bononia De elect.& poteſt.Prælati Regul.dub.*19.*nu.*5. *Tabien.in verbo Electio* §.1.*nu.*20. *in fine*: optimè *Tamburrin.de jure Abbatum tom.*1.*diſput.*5.*quæſt.*6.*num.*34.

8. Quo demum ad electionem non liberam reſpectu perſonæ D. Baronis de Surlet, nullo modo probatur, & plenè excluditur ex illius confeſſione emiſſa

in

Digitized by Google

in plena libertate per Inſtrumentum publicum, ut in fortioribus terminis, quòd omnis ſuſpicio metus ceſſat ex non ſecuta reclamatione poſtquam ille, qui dicitur metum paſſus conſtitutus eſt in plena libertate, tradunt *Abbas in cap. 1. De his, qui vi metus, ac cauſa, Covarr. ſuper* 4. *Decretalium part.2. cap.3.* §.5.*num.1 Seraphin.deciſ.771.num.*8.*& deciſ.*863.*num.*1. *&* 2. *cum ſequentib. & in recentior.deciſ.643.num.4.part.*1. quæ auctoritates, licèt loquantur de matrimonio, vel profeſſione ſuſpectis de metu, optimè tamen applicantur etiam ad caſum Electionis; cùm valeat argumentum à matrimonio, & profeſſione, ad electionem quoad voluntatis libertatem, ut in puncto advertit *Samuel De elect. tractat. 2. controverſ. 8. concluſ.* 13. ubi in fine advertit hanc obſervationem *num.*1.

FRAN-

FRANCISCI STANCHI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super puncto Electionis.

1. QUotieſcumque conſtat de Electione canonicè ſecuta, cum requiſitis, ſcilicet, vulgati *cap. quia propter 42. De elect.* nunquam denegari, ſed ſemper concedi conſuevit confirmationis Apoſtolicæ munimen; nam tale caſu, potiùs ex neceſſitate juſtitiæ, quàm ex gratia confirmantis ea impartiri dicitur, ut ait *Rota coram Gregor. deciſ. 240. num. 12. Lotter. de re benefic. lib. 1. quæſt. 27. num. 1. & 2. Paſſerin. de elect. cap. 33. n. 55. cum ſeqq. Cardinalis de Luca de Regular. diſc. 13. num. 7. tom. 14. Pignatell. conſult. Canon. 118. num. 2. tom. 1. Adden. ad Pamphil. deciſ. 517. num. 8. & 9. Sperell. deciſ. Eccleſ. 182. in fin. Rot. coram Merlin. deciſ. 473. num. 13. & in recent. deciſ. 167. num. 2. cum ſequentib. par. 16.* & tradunt communiter *Doctor. in cap. poſtquam 3. De elect.*

2. Faciliùs quia Nicolaus V. in concordatis cum Federico Cæſare profeſſus fuit pro Sede Apoſtolica omnibus Eccleſiis, Principibuſque Nationis Germaniæ, dictam confirmationem concedendam, ut in *Conſtitutione prima* ejuſdem Pontificis §. 3. *Bullar. nov. tom. 1.* quæ ſic fuit declarata *in deciſ. 1552. ſub num. 42. & 50. coram Coccin.* & in *Leodien. Canonicatus* del 1606. *coram Marcomontio impreſſ. penès Nicolaum ad concordat. Germaniæ tit. 1. dub. 8. §. 7.* & nuperrimè *in Olomucen. Canonicatus 29. Martii currentis anni* 1694. §. *Quod autem, &* §. *Quibus prababitis, utrobique erga fin. coram R. P. D. Muto.*

3. Quòd in præſenti hypotheſi canonica fuit Electio, patet nedum ex inſtrumento Electionis, ubi omnia requiſita præfati *cap. quia propter* obſervata leguntur, à quo proinde inſtrumento, faciente probationem probatam, derivat indubitata electionis validitas. in terminis *Innocent. in cap. innotuit num. 3. De elect.* ibique *Joan. Andr. & Bellam. utrobique num. 20. Burſatt. conſ. 159. nu. 15. lib. 2. Lavor. variar. lucubrat. tit. 4. cap. 21. num. 148. Rota deciſ. 574. num. 64. par. 4. tom. 3. recent. & dec. 156. num. 6. par. 12.*

4. Verùm etiam ex irrelevantia objectorum, quæ contra Electionem opponuntur, & quorum relevantia probanda foret ab opponentibus, concludenter juris ordine ſervato, quia Electio ſufficit oſtendere electionem, abſque onere probandi fuiſſe canonicam, cùm talis præſumatur, ut benè concludunt *Lap. in cap. licet Epiſcopus num. 3. & in Geminian. num. 12. De præben. in 6. Sperell. dicta deciſ. 182. num. 33.* plenè *Rot. deciſ. 289. ex num. 25. par. 6. recent. & deciſ. 244. ex n. 34. par. 8. & dec. 400. nu. 1. par. 16. & deciſ. 58. nu. 3. coram Card. Celſo.*

5. Primum igitur objectum innixum ſuper eo, quòd nonnulli ex Capitularibus non interfuerint celebrationi Miſſæ de Spiritu Sancto, quando etiam

facti, nullam tamen juris haberet ſubſiſtentiam; etenim forma,& virtus electionis nequaquam conſiſtit in præambulis, & præliminariis, ut ſunt Miſſa Spiritus Sancti, aliaque hujuſmodi, quæ dicuntur cæremonialia, & quorum propterea, nec totalis omiſſio vitiat electionem, ut notant *Pignattell. conſult.canon.*1. *num.*4. *Tamburin.de jur.Abbat. diſput.*5. *quæſt.*6. *num.* 34. *& quæſt.* 7. *num.* 8. *tom.*1. cæterique apud *Paſſer. de elect.cap.*11.*quæſt.*11.*nu.*91.*& cap.*15.*quæſt.*1. *num.*1. *&* 3. *Lezan.tom.*1. *cap.*15.*num.*89.

6. Secundum, quòd Baro junior de Surlet invitus, fuerit in Capitulo retentus, & coactè inductus ad votandum, nullatenus erat excitandum, ſtante ipſius declaratione in pleno Capitulo, Patruo etiam præſente emiſſa, circa ſuam libertatem, tum intereſſendi, vel exeundi, tum ſuffragandi, ubi conſcientia dictaret. *Surd.conſ.*481. *num.* 13. *Rot.deciſ.*163.*num.* 4. *&* 8. ubi quòd magis ſtatur expreſſæ declarationi, quàm factis contrarium indicantibus, *coram Gregor. & deciſ.*65.*num.*14. *cum ſeqq.par.*12. *ac deciſ.*172.*num.*8.*par.*15. Certiùs quia dictam declarationem, ſecuta electione, & diſceſſu è Capitulo, ratificavit publico inſtrumento, itaut etiam ſi aliqua coactionis umbra interceſſiſſet, equidem evanuiſſet, ex ſubſecuta libera ratificatione. optimè *Rot.deciſ.*271. *num.*4. *par.* 18. & punctualiter *Butr. in cap.quod ſicut num.*25. *De elect.Tambur. de variar. Abb. diſputat.* 5. *num.*3. *to.*1. *Barboſ.de Jur. Eccleſ. univerſ. cap.* 19. *num.*113. *Sperell. dicta deciſ.*182.*num.*42.*&* 43. Verumtamen voluntariè remanſiſſe in Capitulo ab initio, colligitur ad evidentiam, reflectendo, quòd ipſe quoque recedere poterat, quando tot alii, una cum ejus Patruo, & fratre receſſerunt; unde ex factis, & verbis conſtat de libera dicti Surlet voluntate. *Riminald. jun. conſ.*280. *ex num.*54.*lib.*3.*Card.Cerr.deciſ.*337. *ex num.*8. & in *Toletana Juriſdictionis* 2.*Decembris* 1686.*§.Quinimmò coram bo.mem.Rondinino.*

7. Cæterùm ut creſcat oratio additur ex abundanti, quòd ſuppoſito etiam contra præmiſſa, vota dicti Surlet, atque eorum, qui Miſſæ de Spiritu Sancto non interveniſſe vociferatur, nequaquam eſſe computanda: adhuc tamen longè plus quàm ſufficientia militarent favore noſtri Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis ſuffragia, nam ex 46. receſſerunt à Capitulo 22. quorum alter non proteſtari declaravit, reliqui verò 24. perſiſtentes confirmarunt unanimes in dictum Principem Joſephum-Clementem, quando tamen 13. ſatis fuiſſent, juxta veriſſimam ſententiam, quòd major pars comparativè ad ſolos remanſos attenditur, non autem ad totum Capitulum, ut in *cap.* 3. *De elect. in* 6. & in concordantibus relat. per *Paſſerin.cap.*19.*quæſt.*4.*num.*11.*De Luc. de canon.& capitul. diſcurſ.*28.*ſub num.*9.*tom.*12. *Caſtellin.de elect. cap.*5. *num.*4. *Sperell.dicta dec.* 182. *num.*44. *Coccin. deciſ.*1431. *num.* 2.3.*ac* 12. *& dec.*2021.*erg.fin.* ubi ampliatur, quando quis detegitur electus à majori parte, reſpectu eorum etiam qui receſſerant,& ſic totius Capituli, prout evenit in caſu iſto, quam ampliationem firmaverat priùs eadem *Rota coram Card.Millino deciſ.*410. *& deciſ.*420. cujus verba referuntur in facto *num.* 12.

8. Atque hinc patet, funditùs corruere tertium objectum, nimirum, quòd dies 20. Aprilis peremptoria non eſſet, differri poterat electio ad alios dies ſequentes; Quoniam firmato, quòd recedentes habentur pro renunciantibus, & extraneis à Capitulo, prout confirmant *Bald. in cap. cum nobis olim num.*2. *De elect. Roman. conſ.*352. *num.*15. *&* 16. *Paſser. cap.*11.*quæſt.*11. *num.*92. *De Luc. de Regular. diſcurſ.*11. *num.*8. præſertim ubi major pars, ut hic remanſit.

Butr.

*Butr.in eodem cap.cum nobis olim num.7.& Panormit.num.*10. Sequitur pernecesſè, quòd ſicuti remanendo, & votando nequiviſſent impedire concluſionem electionis, ità multò minùs poterant impedire petendo dilationem, & proteſtando de nullitate, contra majorem partem, quæ perſiſtens in congregato Capitulo electionem ſtatuta die, licèt non peremptoria, complere voluit, & potuit. *Paſſerin.eodem cap.*11*.eademque q.*11*.num.*101*.Fran.dec.*2*.num.*34.

9. Ratio eſt quia, licèt præſcripta ſuerit dies non abſolutè, ſed cum continuatione ſequentium, non indè tamen reſtricta fuit libertas Capituli deveniendi ad electionem, ipſa die; nam continuatio ſequentium adjicitur ampliativè, ideòque potuit major pars complere electionem, non obſtante dicta proteſtatione minoris, nam quidquid agit major pars, omnes agere videntur, ut omiſſis generalibus in ſpecie *Franc.dicta deciſ.*2*.num.*1*.& ſub num.*7*.cum ſeqq. Rot.deciſ.*171*.per tot.par.*19.ubi quòd major pars, etiam in dubio, ſaniorem electionem feciſſe cenſetur.

10. Quinimò nedum ſtatuto tempore, verùm quoque breviori fieri poſſe electionem à majori parte, quando minor contradicit abſque legitima cauſa, firmant *Abb.in cap.cum inter univerſas* 13. *num.*30. *& cap.Eccleſiam* 57. *num.*2. *De elect. Barboſ.vot.deciſ.*47. *ex num.*17. *lib.* 2. *Caſtellin.de elect. cap.*6. *num.*6. *Paſſerin. eodem tract. cap.*13. *num.*34. *Rota deciſ.*388*.num.*1*.cum ſeqq.par.*19.

11. Quòd autem abſque cauſa legitima minor pars contradixerit, evidenter apparet ex ipſis proteſtationibus, ſeù ut meliùs dicam, prætextibus; Primus enim fuit, quòd munus publicandi electionem ſpectaret ad ſeniorem ex Scrutatoribus, & non ad eum, cui Capitulum dictum munus commiſerat, ſed nimis perperam, dum nemo unquam revocavit in dubio, libertatem Capituli deputandi ad libitum quemcumque ſibi benè viſum de eodem Capitulo, cùm nullo jure coarctata reperiatur dicta libertas, ut explicat *Gloſſ. in cap. ſicut De elect. in* 6. *& Geminian. ibidem num.* 4. *Tamburin. de jur. Abbat. diſput.*5*.quæſt.*6*. num.*22. *Adden. ad deciſ.*27*. ex num.*44*. par.*3*. recent.* ubi quòd Capituli poteſtas defluit in unum, vel plures, pro diverſitate munerum. *Lavor. variar. lucubrat.cap.* 19. *num.* 97. ubi quòd publicatio fit ſemper ab uno, nomine totius Capituli, & ſic à quocumque deputato, dummodò de Gremio: & de facto per idem Capitulum in ultima præcedenti electione deputatus fuit, ut in iſta, Scholaſticus; ſignum evidens validæ deputationis, ex obſervantia ſimilis actus proximi reſultans, ut in *deciſ.*360. *num.* 6. *par.*14. *recent. De Luc. de Regular. diſcurſ.*54. *num.*5.

12. Immò in fortioribus, quandò etiam publicatio electionis aliquo morbo laborat, ac per conſequens electo non competit confirmatio, adhuc quia publicatus ſuffragiis, ampliùs variari non licet, competit jus ad implorandum Officium ſuperioris, ut dictum defectum ſupplere dignetur. *Novar.conſil.*3*.num.*3*. in antiq.edit. & in nov.conſ.*7*. Samuel. de elect. tract.*1*. diſput.*7*. concluſ.*2*. ſub num.*5*.& ſeqq. fol.mihi* 202. *De Luc.de Regular. diſc.*1*. num.*94*. diſc.*3*.num.*5*. & diſc.*11*.num.*12*. idem in adnot.ad Sacr. Concil. diſc.*37*. num.* 9.

13. Alter prætextus fuit, quòd priùs ſubſiſtentia Brevis Sereniſſimi Principalis noſtri examinari oportebat; Verùm optima fuit reſponſio, ſcilicet quòd dictum examen pertinebat ad Sedem Apoſtolicam, quòdve interim ſatis erat Breve fuiſſe capitulariter admiſſum, atque receptum, cùm exhibitio non propter aliud requiratur, niſi ad effectum, ut Capitulares, ſciendo remotiones obſtaculorum,

lorum, poſſint eorum animum regulare, & diſpenſatum eligere, quatenus dignum exiſtiment.in puncto *De Luc.de canon.& Capitul. diſc.*27. *num.*24. nam de cætero judicare de validitate Brevis ad ipſum tantùm Pontificem pertinet. *Clement.*2. *de elect. Suarez de Relig. tom.*4. *tract.* 8. *lib.*2. *cap.*5. *num.*19. quia ejus eſt interpretare, cujus eſt condere, ad tradit. per *Doctor. in l.fin. ff.de legib. & in cap. cùm veniſſent De judic.* nulluſque inferior ſe intromittere poteſt circa id, quod factum eſt à Superiore, neque per viam declarationis, aut interpretationis. *Bald. in cap.ea quæ, num.*1.*de re judic. Surd.conſ.*558.*num.*2.*cum ſeqq.* ubi exornat, ſicut etiam *Card.Tuſch.concluſ.*119.*num.*10. *& concluſ.*120.*nu.*1. *litt.I.Rot.dec.*125. *num.*12. *par.*7. *recent. & deciſ.*147. *num.*14. *coram Alexandro VIII.*

14. Ex quibus excluſa legitimitate cauſæ proteſtandi, intrat indubitata concluſio, quòd voluntarius, & irrationabilis receſſus à Capitulo, nullum præſtat impedimentum remanentibus (præcipuè in majori numero) procedendi ad electionem, ut firmavi *ſub numer.* 7. *& ſeqq.* Alioquin quiſque proteſtando, ſeu exeundo privare poſſet cõgregatum Capitulum jure eligendi, quo nihil abſurdius. *Abb.in c.in geneſi ſub num.*9.*De elect. Gonzal.Tellez.in cap.cum nobis olim num.*13.*tit.eodem, Lavor.tit.*4.*cap.*17.*nu.*25. *Rota in Leodien.Electionis* 6. *Aprilis* 1674. *§.Irrationabilis,& in Firmana Cappellaniæ* 26. *Martii* 1677.*ſub §.Habet enim,coram Rondinino, & dec.*49.*in fin.par.*19.*recent.*

15. Maximè ubi, prout hic, proteſtatio emanavit poſtquam progreſſum fuerat ad eſſentialia electionis, nempè ad Scrutatorum deputationem, quo caſu pro diſſolvendo Capitulo, & differendo electionem, magis certa, & undique rationabilis eſſe debet cauſa proteſtationis, quia dicitur jus quæſitum coadunato, & incæpto Capitulo, quod tolli non poteſt à proteſtantibus, cùm ab eorum voluntate amplius non pendeat. *Seraphin. deciſ.* 754. *num.* 2. & comprobant præallegati in *§.Quinimò.*

16. Hæc per ſe clara, clariora redduntur ex inevitabili dilemmate, videlicet, aut Breve validum reputabatur, ſicuti etiam in dubio reputari debet, ad latè tradita per *Menoch.præſumpt.*4. *lib.*6. & quidem proteſtatio remanſit inepta, ac indecens receſſus, quia exceptio turbida nullatenùs Brevis executionem retardat. *Ancaran.conſ.*297.*num.*8.*Rot.deciſ.*44.*num.*19.*par.*8.*recent.* Aut exiſtimabatur invalidum, & ſanè permanere oportebat, quia facta electione incapacis à majori parte, devolvebatur jus eligendi in minorem, ut per *Text. in cap. congregato* 53. *de elect. & cap.* 2. *tit. eodem in* 6. tradunt *Piringh.in jus canonic.lib.*1.*tit.*5.*de poſtulat.§.*5.*num.*29.*& tit.*6.*de elect.ſect.*1.*§.*7.*nu.*56. *& §.*8. *ex num.*58.*Roman.conſ.*483.*ſub num.*9.*Lotter.de re benefic.lib.*3.*quæſt.*17.*nu.*244. *Bellon.de jur.accreſc.cap.*6.*quæſt.*54.*num.*4.*& ſeqq.Caſtellin.de elect.cap.*5.*num.* 67.*verſ.ſolum,Paſſerin.eodem tract.cap.*31.*num.*2.*in fin.cum ſeqq.*

17. Quartum denique objectum, quòd duæ tertiæ partes ſint neceſſariæ, nec proindè ſufficiat ſimplex major pars, cæteris eſt debilius; quoniam æquè tuta, ac certa eſt diſtinctio, quòd duæ tertiæ partes requiruntur in actu convocandi, & congregandi Capitulum, ad cujus univerſale Corpus pertinet electio, & quæ univerſitas non conficitur, abſque duabus ex tribus partibus. *l.*2. *&* 4. *ff.quod cujuſque univerſit.nomin.Bolond.conſ.*90.*lib.*1. ſecùs verò poſt convocatum, & congregatum totum Capitulum; tunc enim, quia non accedentes, ſive diſcedentes abſque legitima cauſa, habentur pro extraneis, etiamſi dies electio-

nis

nis peremptoria non fuerit, ex allegat. in ſuperiori, *numer.* 9. *& ſeqq.* major pars reſpectu unius tantùm voti ſufficit ad validæ electionis proſecutionem. punctualiter *Tambur.de jur.Abbat.diſput.*5.*quæſt.*3.*ex num.*28. *Butr. in dict.c. cum nobis n.*33.*circa med. & Panormit. nu.*10. cui, tanquam benè examinanti materiam,ſe referunt allegati per *Lotter.de re beneſic.lib.*2.*q.*17.*n.*7.ut videre eſt apud *Franciſc. Marc. dec.*924.*nu.*6.*deciſ.*1326.*n.*2. *& dec.*1327. *in fin.*& apud *Millin.deciſionibus* 410.*&* 420.qui proinde *Lotterius,juxta Panormit.*alioſque per eum citatos intelligendus eſt, licèt videatur loqui in contrarium,aliàs enim remaneret, abſque auctoritate, ut inquit *Spad.conſ.*132.*num.*9.*tom.*1. *& tom.*3. *conſ.*95.*num.*8.*ac conſ.*276.*num.*26.*Rot.deciſ.*45.*num.*22.*par.*8.*& deciſ.*407.*nu.*45.*par.*9. imò loqueretur contra communem ſententiam, & ſic non admittendus. *Gratian.diſcept.*305.*num.*11.

18. Quatenùs autem dicatur, quòd major pars remanens citare debebat egreſſos ad redeundum, ut illos conſtitueret in contumacia, reſpondetur ſufficere primam comparitionem, vigore præcedentis legitimæ convocationis ſecutam, ideoque abundare fuiſſe rogatos etiam in actu diſceſſus ad permanendum; contumax enim dicitur quicumque comparet, & non permanet. *Rot.deciſ.*16. *de dol. & contumac.* & contemptus non dicitur, ſed contemptor, qui rogatus contradicit. *Tamburin.de Jur.Abb.diſput.*5.*quæſt.*3.*ex num.* 23. *de Luca De Canon.& Capit.diſcurſ.*27.*num.*9. 10.*&* 15.*Ancharan. in cap.cum nobis num.*1. *de elect.* cujus verba refert D. *de Firmanis* Cauſæ Patronus in *n.*19.

19. Hactenùs recenſita,tanquam vindicata à quocumque objecto,clariſſima apparent: & nihilominùs quando etiam remaneret aliquod dubium, adhuc in dubio confirmatio deneganda non eſſet. *Coccin.deciſ.*2082.*ex num.*1.*de Luc.de Regular.diſcurſ.*11.*num.*11.*Rot.deciſ.*289.*num.*25.*par.*6. quia omnis poſſibilis interpretatio ſumi debet favore electionis jam factæ. *Priol.deciſ.*205.*nu.*29.

PERE-

Digitized by Google

PEREGRINI MASERII

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super puncto Electionis.

1. ELectio Sereniſſimi Electoris Colonienſis apparet undique Canonica, ſervatis omnibus requiſitis Concilii Lateranen. ſub Innocentio III. relatis *in cap. quia propter 42. de elect.* ut patet combinato Inſtrumento Electionis. *Summar. num. 1. cum eodem Text. in d. cap. quia propter*, ibidemque notatis à Canoniſtis, & præſertim à *Barboſ. à n. 9. uſque ad fin. & ab R.P.D. Fagnan. à num. 37. uſque ad 66. de election. Pirbing. in Jus Canonic. lib. 1. titul. 6. ſect. 3. & ſeqq. Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 6. Lavor. var. elucubration. Canonic. tit. 4. de election. cap. 19. num. 127. & per tot. Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. à num. 163. uſque ad fin. & per Matt. in concordat. German. num. 60.* ubi habetur per extenſum Inſtrumentum Canonicæ Electionis juxtà concordata Germaniæ, ſumque magiſtrales *Sac. Rot.* reſolutiones coram *Coccin. deciſ. 1539. & deciſ. 1552. & deciſ. 2021.*

2. Qua ſtante valida electione, dubium non eſt confirmationem deberi; non ſolùm ex reſcripto Gregorii III. *in cap. poſtquam 3. De election.* ſed ex ipſis concordatis inter Nicolaum V. & Nationem Germanam, inter ejuſdem Nicolai V. *conſtitut. 1. §. 3. Bullar. tom. 1.*

3. Quia verò Gregorius III. *in dict. cap. poſtquam 3. de election.* profitetur, confirmandas eſſe electiones, ſi nihil eſt, quod electum impediat, atque Nicolaus V. probans concordata cum Natione Germana *dict. conſt. 1. §. 3. Bullar. to. 1.* promittit confirmationem, ſi electiones Canonicæ fuerint: diſtinctè probare conabor, nihil objectum fuiſſe, quod reddiderit minus Canonicam Electionem, vel Electum impedire potuerit, proſequendo ordinem Inſtrumenti electionis.

4. In eo nempè electionis inſtrumento, poſt mortem Celſiſſimi, & Reverendiſſimi Jo: Ludovici Epiſcopi Leodienſis, ejuſque corpore Catholicæ Sepulturæ tradito, congregati quadraginta ſex Canonici in loco Capitulari. *Summ. num. 1. litt. A.* die 20. Aprilis currentis anni 1694. legitimè antea ſtatuta, cum continuatione ſequentium, quatenus opus fuiſſet, præmiſſa fuit de more in his Sacris Comitiis Miſſa S. Spiritus. *litt. B.* adverſus quam formam inutiliter objectum fuit, ortam fuiſſe extrajudicialem obmurmurationem, quòd nonnulli ex Capitularibus non interfuerint eidem Miſſæ; quia non ſolùm non intereſſentia aliquorum, ſed ipſa totalis omiſſio hujus Miſſæ non vitiat electionem, dum inducta non fuit pro forma ſubſtantiali, ſed pro ſimplici ſolemnitate Comitiorum, adeoùt Innocentius III. in *cap. cum Terra 14. & in cap. cum inter 18. De election.* ſufficere dixerit præmittere ſolam invocationem Spiritus Sancti, ut de vera ſententia teſtantes *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. num. 181. verſ. Alias enim. Samuel. de election. tract. 1. diſput. 2. controverſ. 20. num. 4. verſic. Attamen*

de

de Jure communi. Lavor.var.elucubration.titul.4.de electión.cap.19. n.43. verſ. ſed videtur Miſſa de Spiritu Sancto non eſſe de eſſentia. Tamburin.de Jur.Abb. tom.1.diſput.5.quæſit.6. nu.34.Paſſerin.de electión.capit.15.num.3.Donat.quæſt. Regul.par.3.tract.1.qu.18.nu.8.

5. Cui ſententiæ perneceſſe adhærendum eſt,non ſolùm quia veræ,& communi, ſed etiam, quia contraria. ut Miſſa de Spiritu Sancto ſit de ſubſtantia Electionis fundatur in *Pragmatica ſanctione*, unde ortis notis diſſidiis,Eccleſia obligata fuit ad Concilium Lateranenſe ſub Julio II. & Leone X.tranſcripto in ea *Pragmatica* Concilio Baſileenſi, ut pro reprobatione cõtrarium opinantium rectè advertit *Paſſerin.de electión. eod. capit.5. ſub num.3.* quam Pragmaticam ſanctionem non ſolùm reprobavit ipſe Ludovicus XI. Rex Galliæ, ut habetur in memorato Concilio Lateranenſi *ſeſſion.4.*ſub Julio II.ſed eam damnavit cum Concilio Baſileenſi in ea tranſlato Leo X.in dicto Concilio Lateranenſi *ſeſſion.* 11. poſtquam, nempè Baſileenſe Concilium tranſlatum fuit Ferrariam, & deindè Florentiam ab Eugenio IV. *Conſtit.11.Bullar. tom.1.* irritatis poſtea geſtis Baſileæ, & abſolutis eis, qui eidem effecto pſeudo-Concilio adhæſerant, & ad ejuſdem Pontificis obedientiam poſtea redierant, ut in ejuſdem Eugenii IV. *Conſtitution.29.Bullar.eodem tom.1.* & eruditè proſequitur ex his teſtimoniis, & Pii II.olim celebris Æneæ Silvii,cujus dignitatem vindicat ipſa *Rota coram Coccino dict.deciſ.1552.num.48.& ſeqq.*

6. Convocatoriis inde Capituli relatis, earumque executione perlecta, abſentiumque contumacia accuſata. *Summ.eod.num.1.lit.C.& D.* lecta fuerunt Brevia ſanctæ mem. Innocentii XI. & Alexandri VIII. pro eligibilitate Sereniſſimi Clementis in ſumma concordia, & nemine diſcrepante.*litt.E.* agnoſcente Decano cum ſuis Aſſeclis Eligibilitatem ejuſdem Sereniſſimi ex illis inſurgentem. Quia verò occaſione electionis trium Scrutatorum de Collegio, ad formam ejuſdem Concilii Lateranenſis in *dict.cap.quia propter De elect.lit.I.*Decanus cum ſuis Aſſeclis non probavit perſonam unius ex illis, nempè Matthiæ Clercx Scholaſtici, ſub prætextu, quòd Scrutator deberet eſſe ſenior, qui publicaret Electionem, dum Scholaſtico commiſſa fuerat hæc facultas.*lit.M.*atque in commemoratione Votorum ſibi adhærentium, ei tunc conſtitit non habere pro ſe majorem partem, ſed ſolùm viginti duo.*litt. N. & O.* bello ex Templo indicto cœpit revocare in dubium Brevia Eligibilitatis, contra quæ priùs verbum non protulerat, ſed in ſumma concordia probata fuerunt, ex controverſia publicandæ Electionis certior factus ſui voti compotem ampliùs non evaſurum, ut ſperabat, nodumque proinde in ſcirpo quærens,propoſuit deinde, ſunt verba inſtrumenti, *ut dilata electione pro ea die, Breve Eligibilitatis prædicti Sereniſſimi examinaretur, quia adhuc decem dies pro electione ſupererant. litt.Q.* Sed quemadmodum injuſta fuerat prima prætenſio, ac ideò neglecta, ut publicatio Electionis ſpectaret ad ſeniorem de Capitulo Scrutatorem,dum hæc publicatio ſpectat ad Scrutatorem, cui Capitulum eam commiſerit, tam ex praxi, ut in dicto inſtrumento electionis apud *Matta in concordat.German. eodem num.60.*ibi: *Statimque primus Scrutator nomine ipſius Capituli ad hoc deputatus,ita pronunciavit, pag.42.* quàm per *Gloſſam in cap. ſicut verbo per unum De electión.in 6. ibi: Et quod dicit per unum, ſi quæratur per quem? Dic per eum, qui habet primam vocem, vel eum, cui Capitulum commiſerit: ibidemque Gemian.num.4.Abbas Panormitan.in d.cap. quia propter num.10. de electión. Tamburin.de Jur.Abbat.to.1.diſput.5.quæſit.6.n.22.*

7. Ita

7. Ita pariter calumnioſa fuit petitio, ut examinaretur Breve Eligibilitatis Sereniſſimi Colonienſis, ut inquit Decanus in inſtrumento electionis *eodem num.* 1. *lit. Q.* quod Breve non erat niſi illud Alexandri VIII. quod inſertum habebat confirmatum, & ampliatum aliud Innocentii XI. quæ lecta prius fuerant, & probata ſine ulla contradictione.*lit.E.* quod enixè ſupplico animadverti, dum de decreto ejuſdem Innocentii XI. cùm confirmavit electionem Sereniſsimi Colonienſis, ut à die aſſecutæ pacificæ poſſeſsionis majoris partis bonorum vacarent Eccleſiæ Friſingenſis, & Ratisbonenſis, nec verbum habitum fuit, & quatenus habitum fuiſſet, non minus prætextus fuiſſet cavilloſus, & inſubſiſtens, ac ineptus ad retardandam electionem; cùm attento hoc decreto Innocentii XI. adhuc eſſet evidenter eligibilis, ut probavi in alio ſcripto ſuper Eligibilitate ejuſdem Sereniſsimi; ſtando itaque in terminis Brevis Alexandri VIII. quod inſertum habebat illud Innocentii XI. de quo Brevi in ſingulari unicè loquitur reclamatio Decani, ex gratia ponderanda. *litt. Q. juncta lit. E.* calumnia differendæ electionis fuit nimis evidens, quia iſtud Breve Alexandri VIII. quod inſertum habebat, confirmatum, & ampliatum illud Innocentii XI. nimis erat literale pro eligibilitate, neque ulla quæſtio moveri poterat, nec etiam cæcutientibus oculis, ut patet ex ejuſdem Brevis lectura, quod damus in *Summ.alterius dubii ſuper eligibilitate num.* 1.neque alio modo tegi poterat calumnia dilationis, niſi quærendo de poteſtate Pontificia, dum quæſivit Decanus, ut examinaretur *num Breve ſubſiſteret*, ut ſunt præciſa verba. *litt.Q.* majorque pars Capituli optimè reſpondit: *copias Brevis fuiſſe impreſſas, & diſtributas, ut ab omnibus legi poſſet, fuiſſeque habitum pro valido, cùm prius lectum fuit ſine ulla reclamatione in eiſdem Comitiis: quòdque ipſorum non erat cognoſcere de validitate Brevis à Sancta Sede emanati*, ut ſunt præciſa verba. *litt. R.* quia nempè prima Sedes à nemine judicatur, ut pœnitenti Marcellino reſpondit Concilium Sinveſſanum, de quo *Baron. in Annal. anno Chriſti* 303. *Cabaſſut.in notit.Eccleſiaſtic. eodem anno* 303. *ad idem Concilium Sinveſſanum num.*5. & alii communiter, quia inferior Superiorem ſolvere nequit, nec ligare, inquit Gregorius IX. Archiepiſcopo Colocenſi reſcribens in *cap. cum inferior De majoritat. & obedient.* cum aliis notiſsimis, *Rota in his terminis coram Millin.d.deciſ.*420. *num.* 9. ubi objecta fuerat interpretatio Indulti Pontificii: Rotaque reſpondit ſatis fuiſſe, ut mens Sanctitatis Suæ ſignificata fuiſſet Capitulo, quod non poterat ampliùs opponere de interpretatione, & multò minùs de ſubſiſtentia Brevis, ut in caſu, & *Cardinalis de Luca De Canonicat. diſcurſu* 27.*num.*24. ubi quòd in Germania hæc Brevia Pontificia exhibentur pro ſola notitia Capituli, non profectò, ut Judicem ſe conſtituat an ſubſiſtant.

8. Quibus tribus rationibus à majori parte Capituli juſtiſsimè redditis, tantùm abeſt, ut Decanus cum ſuis Aſſeclis acquieverint, prout debebant, ut potiùs proteſtantes irrationabiliter de nullitate electionis, non examinato priùs Brevi Pontificio, ut ſuprà, nempè an ſubſiſteret arrogata ſibi ipſis poteſtate inquirendi ſuper ſubſiſtentia Brevis Pontificis, omnes viginti duo receſſerunt à Capitulo.*lit.S.*non pro examinando Brevi ſuper ejus ſubſiſtentia, quam poteſtatem non habere agnoſcebant, ſed pro facienda alia electione, ut notum eſt, atque ideò ſicuti antecedenter cùm priùs lectum fuit utrumque Breve nihil oppoſuerunt. *lit.E.* ità cùm receſſerunt, non ex juſto motivo examinis illius ſubſiſtentiæ, quod non aderat, ſed pro facienda nova electione, oſtende-

runt

Digitized by Google

runt eorum intentionem ſolam fuiſſe non requirendi ſuper Eligibilitate eligendi, vel ſuper forma electionis rectè ſervanda, ſed peragendi Electionem proprio Marte, quia animus ſic declaratur, tam ab antecedentibus, quàm à ſubſequentibus, inquit *Gloſſa in l.ille à quo, §.ſi de Teſtamento verb. fideicommiſſi, ff. ad Trebellian. Mantic. de conjectur. lib.6.tit.13.num.1.& ſeq. Rota poſt Merlin.de legitim.decif.137.num.12.& 13.& coram Bich.dec.214. & dec.373. utrobique num.*10. & me ſcribente *in Forolivien.Donationis* 28.*Junii* 1690. *§.evidentior in fine coram R.P.D.Caprara.*

9. Cùm itaque nulla adeſſet cauſa exeundi à Capitulo, ſic exeuntes fecerunt ſe ipſos alienos ab electione, totaque poteſtas eligendi conſolidata fuit in Canonicis remanentibus, qui conſtituebant etiam majorem partem Capituli, dum viginti duo receſſerunt, & viginti quatuor remanſerunt, qui ideò validè elegerunt eumdem Sereniſsimum, poſtquam in vanum curarunt ſollicitè revocare exeuntes ad unitatem.*lit.V.*Caſus eſt expreſſus in reſcripto Innocentii III. ad Archiepiſcopum, & Capitulum Capuanum *in cap.cum nobis* 19.*De electon.* ibi: *Item cùm poſt appellationem emiſſam Archidiaconus cum ſuis ſautoribus Chorum exiiſſet, & vos illos, ut intereſſent electioni faciendæ vobiſcum curaſſetis ſolliciter revocare; quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos ſe feciſſe videntur, propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de jure non poſſe contradicere videbantur*, ibidemque Canoniſtæ omnes, & præſertìm *Bald.num.2.Roman.conſil.*352.*num.*15. *Paſſerin.de electon.cap.*11. *n.*92. *Pirbin.in Jus Canonic.lib.*1.*tit.*6.*ſect.*3.*& num.*135. *Rota coram Millino deciſ.* 410.*num.*2.*& dec.*420.*num.*1.*& coram Coccino deciſ.*1431.*num.*3.*& dec.*2021. *num.*41.*& ſeq.& deciſ.*2082. *num.*4. *& in Colonien. Abbatiſſatus in recentior. part.*19.*dec.*313. *num.*13. *&* 12.*Junii* 1679.*&* 19. *Februarii* 1680.*coràm bon. memor. Paulutio.*

10. Majori cum ratione in hac hypotheſi, in qua computatis etiam votis eorum, qui receſſerunt à Capitulo in numero viginti duorum, major pars remanſit in numero Canonicorum vigintiquatuor, ut pro evidentia ſuperabundante validæ Electionis conſiderant *Abbas Panormitan. in d.cap. cum nobis num.* 10.*Butr.num.*7. *Rota coram Millino d.dec.*410. *num.*2.*verſ. & hoc eò magis ex d.deciſ.*420.*num.*1.*verſ.ultrà quod, & coram Coccin.d.deciſ.*2021.*num.*42. *& d. dec.*2082.*num.*6.

11. Neque hìc poteſt eſſe locus opinioni *Lotterii De re benefic.lib.*2.*q.*17. *num.*7. ut recedentibus Canonicis à Capitulo tunc poſſit peragi Electio, quando duæ tertiæ partes ſaltem remanent reſpectu totius Capituli congregati, ſi non imminet ultima dies peremptoria Electionis, prout non imminebat in hoc caſu, cùm electio fuiſſet indicta pro hac die 20. Aprilis cum aliis immediatè ſequentibus, quatenùs opus eſſet, ut in eodem inſtrumento electionis.*Summ. num.*1. *lit. B.* atque Decanus reclamans dixerit *ſupereſſe decem dies.lit.Q.* ſecùs verò ſi inſtet lapſus termini Juris, vel Hominis, quia tunc, ſive duæ tertiæ partes, ſive minima remaneat, inquit ſuſtineri electionem. Etenim huic diſtinctioni *Lotterii* reſiſtunt omnes auctoritates ab eo adductæ, nempè *Panormitanus in eodem cap.cum nobis* 19.*num.*10.*De electon.* qui licèt ponat diſtinctionem *Lotterii*, concludit tamen, quòd poteſt eligere major pars, licèt non remaneant duæ tertiæ. ibi: *Mihi placet præcedens dictum, quia ex quo omnes erant in Collegio, ſtandum eſt judicio majoris partis, quatenus intendit terminum non revocare, ſed ad ulteriora procedere*, cum quo remiſſivè tranſit *Felin. in cap. cum* omnes

omnes 6. num.34.poſt princip.verſ.Add.Dominum Abbatem de conſtitut. & Pet. de Baiſ.in director.Election.par.3.cap.6.num. 10. *tractat.magn.tom.* 15. *par.* 1.qui in antecedentibus numeris, in quibus à *Lotterio* adducitur, loquitur de abbreviatione termini ad eligendum.

12. *Boich.in d.cap. cum nobis num.* 3. *De election.* ibi: *Aut vocati venerunt ad verum terminum aſſignatum, ſed recedunt antequam eſſet facta electio, vel ad alium terminum prorogata, & tales non ſunt ulteriùs vocandi, nec expectandi,* loquiturque connexè ad antecedentem concluſionem ab eo poſitam, ſive ſint plures, ſive pauciores.

13. *Roman.verò conſ.*352. *num.*15. licèt errore Impreſſoris in meo Codice aliter à *Lotterio* referatur, admittit expreſsè minorem partem etiam attendi, & obligare majorem contumacem quales dicit rennentes accedere ad Concilium Baſileenſe in ſtatu, in quo Eugenius IV. in dicto Florentino, adhuc illud pſeudo-Concilium non declaraverat.

14. *Franciſcus Marcus* in duobus locis adductis à *Lotterio dec.*924. *nu.*6. *part.* 1.in caſu recuſationis cõvocatorum admittit minorem partem obligare majorem, atque expreſsè in eadem hypotheſi *deciſ.*1336.*nu.*2. *eadem par.*1. rejicit ſententiam illorum, qui volunt requiri duas ex tribus partibus; In hypotheſi verò noſtra, cùm omnes ſunt congregati, & aliqui exeunt de Capitulo, etiam non appropinquante fine termini, concludit ſufficere majorem partem remanentem, licèt non conſtituat duas.*deciſ.*1337. *per tot. ead.part.* 1. ibi: *Si verò ſolùm remanſerit major pars, tunc adhuc poteſt explere actum Capituli.*

15. Ultimæ allegationes *Lotterii* ſint deciſiones in Tridentina Juriſpatronatus coram *Millino*, quas ſuperius adduxi, expreſsè reſiſtentes ejuſdem ſententiæ, dum ſupponunt ſufficere majorem partem, licèt duæ tertiæ non remaneant, & ſolùm augumentativè dicunt ex abundanti remanſiſſe in eo caſu, ut in noſtro majorem partem comparativè ad recedentes à Capitulo, ut coram *Millin.d.dec.*410.*num.*2.*& ſeq.& deciſ.*420.*num.* 1.*& ſeq.*

16. Et non ſolùm reſiſtunt *Lotterio* auctoritates ab eo adductæ, ſed univerſa Schola Canoniſtarum, & Scriptorum, atque incognita hucuſque fuit Sacræ Congregationi Conſiſtoriali, & Sacræ Rotæ hæc ſubdiſtinctio remanentium duarum partium, quæ propriè tractata fuit à Canoniſtis antiquioribus quando ageretur de revocando termino Juris, vel Hominis ſtatuto ad eligendum, ſecùs verò quando remanentes non intendunt hunc terminum revocare, ſed ad ulteriora procedere, ut in caſu: neque agitur de contemptu non vocatorum ad illum actum, juxtà *Conſilium Oldradi* 122. vel de convocatione ab initio, quo caſu duas tertias partes requiri ritè dicit, licèt malè applicet in duabus partibus Cardinalium pro congregando Concilio Oecumenico, renuente Pontifice illud congregare, ad quem ſolum unicè id ſpectat.*Zabarell. conſ.*150. *num.*9.*verſ. Quintò quæro.* Secluſis enim his caſibus, ſufficit major pars in Capitulo remanens, licèt non conſtituat duas ex tribus partibus, ut egregiè explicat *Abbas Panormitanus*, quem omnes ſequuntur in *d.cap. cum nobis* 19. *nu.*10. *verſ.mibi placet præcedens dictum, De election.ibidemque Adden.litt.F.Paſſerin.* ex gratia viden. *de election. cap.* 11. *nu.* 101. *verſ. vel pars*, quæ remanet, licèt non ſint duæ partes eſt tamen major. optimè *Pirhin.in Jus canonic.tom.*1.*lib.*1. *tit.*6.*ſect.*3.*num.* 137. Et *Sacra Rota* nunquam duas tertias partes remanere debere dixit, ſed abſolutè ſemper cenſuit conſolidari totum Capitulum in remanentibus, ut coram *Millino dicta deciſ.*410.*num.*2.*& deciſ.*420.*num.*1.*& coram*

Coc-

*Coccino deciſ.*1431.*num.*3.*& deciſ.*2021.*num.*41.*& ſeq.& deciſ.*2082.*num.*4.*& in Colonien.Abbatiſſatus in recent.par.*19.*deciſ.*313.*num.*13.*&*-12.*Junii* 1679. *&* 19.*Februarii* 1680.*coram bon.mem.Paulutio.*

17. Cùm autem occaſione receſſus prædictorum viginti duorum Canonicorum,adeſſet inter eos unus ex tribus Scrutatoribus,remanentibus duobus ex eiſdem Scrutatoribus inter viginti quatuor. *Summ.eodem num.*1.*lit.T*.poſtquam rogaverunt exeuntes , ut perſiſterent in Capitulo , & concorditer Eccleſia non ſciſſa inchoatam Electionem abſolverent. *lit. V.* accuſata eorum contumacia, ſubrogarunt Comitem de Berlò in tertium Scrutatorem loco Archidiaconi Surlet,qui abiverat.*lit.X.*ſcrutatiſque votis,eiſque inſimul collatis,aliiſque ſervatis de jure , Scholaſticus Scrutator , cui publicatio Electionis commiſſa fuerat, ut dixi ab initio , ſuo, & Capituli nomine, ut par erat , elegit Sereniſſimum Joſephum-Clemẽtem in Epiſcopum Leodienſem. *lit.Z.AA.& BB.*quamvis in hac electione unanimi rigoroſa collatio non requireretur , conſolidato toto Capitulo in remanentibus,juxtà *deciſ.* 2021. *num.*35. *coram Coccino*,cùm dubium non ſit, Scrutatore aliquo diſcedente à Capitulo, vel ſcrutinium deſerente , poſſe alium ſubſtitui,inquit *Innocent.in cap.quia propter num.*5. *De electio n.*ubi *Abb.Panormitan.in §.vel ſaltem num.*1. dicit etiam voluntariè à Capitulo id fieri poſſe, re non integra; quia , ſi Scrutator contradiceret , oſtenderet ſe magis ſuſpectum.*Pirhing.in Jus Canonic.lib.*1.*tit.*6.*ſect.*4.*num.*165.

18. Neque ex votis Capitularibus demendum eſt illud Baronis de Surlet, qui dicitur dolo, & vi inductus ad ſuffragium , & in Capitulo retentus. Etenim hic additur prætextus prætextui , quia libertas iſtius ſuffragii eſt evidens ante Electionem, in electione , & poſt eam . Ante electionem enim declaravit Baro de Surlet ſe omninò liberum,& cum omni libertate ſuffragaturum in perſonam ſibi beneviſam, & in ipſa electione. *Summ. num.*2. *litt.A.& B.* & duobus diebus poſt electionem , nempè die 22. Aprilis idem in pleno Capitulo ſolemniter affirmavit. *lit.C.* & die 24. ejuſdem menſis , & anni 1694. veritati novum robur adjiciens,per publicum Inſtrumentum id ipſum declaravit, redditis rationibus, quibus coram Deo , & hominibus judicavit ſuffragium conferre in eundem Sereniſſimum ad compeſcendos falſos rumores. *Summ. num.*3. Quibus declarationibus , præſertim tam ſolemnibus , & repetitis,omninò ſtandum eſt, ut tradunt Canoniſtæ *in cap.cauſam De offic.delegat.Rota coram Buratt.deciſ.*628. *& recent.par.*15.*deciſ.*172.*ubique num.*8.

19. Cæterùm dum adeſt conſenſus naturalis Eligentium,quatenus in apice literæ dubitari poſſet de aliqua ſolemnitate Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. in *d.cap.quia propter* 43.*De electio n.* cùm Joannes Andreas Gloſſator decretalium dixerit aliquando in praxi ſe facilè erraturum, dum omnes ſolemnitates ſervatæ apparent ; notus eſt ſtylus Sacræ Congregationis Conſiſtorialis confirmandi electionem cum clauſula *ſupplente defectus etiam ſubſtantiales*, me ſcribente pro eodem Sereniſſimo Principe Electo ad Archiepiſcopatum Coloniæ in *Colonien. Electionis* 15. *Septembris* 1688. probante ſan. mem. Innocentio XI. in ſuo diplomate , & Sacræ Congregationis Epiſcoporum , & Regularium , ut nuper me ſcribente in *Quiten. Confirmationis Capituli* 21. *Auguſti* 1693. *& Sac.Rotæ coram Coccino d.deciſ.*2021.*nu.*29.*& deciſ.*2082.*nu.*2.*& ſeqq.& in Colonien.Abbatiſſatus* 19.*Februarii* 1680.*§.ea quidem probata,coram bo.me.Paulutio*,deſumpta praxi Urbis *ex cap. quod ſicut* 28.ubi Canoniſtæ omnes *De electio n.*

OCTAVII DE JANDIS

ADVOCATI ROMANI

A L L E G A T I O

Super puncto Electionis:

1. HAud dubiè indulgenda petita confirmatio Electionis ad Epiſcopatum Leodien. Sereniſſ. Principis Joſephi-Clementis ex Ducibus Bavariæ Electoris Colonien. Quoniam cùm illa ritè, legitimèque proceſſerit, & quidem à toto Capitulo ſervatis omnibus à Sac. Canonibus in ſimilibus Electionibus ſervari demandatis, ac ſignanter forma *ab Innoc. III.* in Lateranen. Concilio præſcripta, & relata *in cap. Quia propter* 42. *De elect.* Confirmatio de neceſſitate debetur, ut ex Epiſtola S. Gregorii Magni *ad Anthemium Subdiaconum, relata in cap. Poſtquam* 3. *De elect.* unanimiter ibi ſtatuunt ſcribentes, & ſignanter *Abbas nu.* 1. qui ponderat verbum imperativum *textus*. ibi: *impleantur*: inducens neceſſitatem, & ſequitur *Dec. ibid. nu.* 1. *Butr. nu.* 5. *Jo: Andr. num.* 15. *Barboſ. num.* 1. *Gonz. nu.* 8. *& alii cumulati per Sigiſmun. à Bonon. de elect. dub.* 45. *num.* 1. *Caſtellin. eod. tract. cap.* 14. *num.* 15. *Lavor. var. lucubr. tit.* 4. *cap.* 25. *&* 42. *Pyring. in method. Jur. Pontific. l.* 1. *tit.* 6. *ſect.* 7. *§.* 3. *num.* 304. *Tamburin de Jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *num.* 85. *Lother. de re beneſ. lib.* 1. *quæſt.* 27. *num.* 2. *Murg. ad conſtit. Benedict. Hiſpan. ad conſt.* 6. *ſivè Alex.* 2. *num.* 749. *Camerat. reſp. deciſ.* 15. *num.* 38. *&* 39. *to.* 1. *Rota coram Gregor. deciſ.* 240. *num.* 12. Confirmatio enim eſt actus puræ Juſtitiæ diſtributivæ, & adnotat *Portell. reſponſ. moral. caſu* 4. *num.* 5. *in fin. Barboſ. vot. deciſ.* 36. *ſub num.* 4. Et proindè Electus pro ea inſtando, nullam videtur petere gratiam, ſed pleno ſui Juri innixus, meram juſtitiam, teſte *Peyrin. de Prælat. & reg. tit. de ſubdit. cap.* 3. *§.* 6. *in fine, Garz. in politic. regular. tom.* 2. *tract.* 9. *diffic.* 6. *dub.* 2. *num.* 4. *in med. Rot. coram Rembold. deciſ.* 591. *num.* 9.

2. Prælecta ſiquidem via Scrutinii, conſtat à Capitulo Leodien. legitimè ad hanc electionem congregato, ſtatuta die, in loco ſolito, omnia ſervata fuiſſe tàm circa præliminares ſolemnitates, & ritus, quàm circa alios immediatè ſequentes actus, nempè deputationes ſcrutatorum, juramenta, votorum receptionem, & ſcrutinia, nominationem, electionem, publicationem, cæteraque ſingula in eodem Canone ſancita, latiùſque expenſa *à Fagnano ibid. num.* 37. *& à Rot. coram Coccin. dec.* 1326. *à num.* 9. Quemadmodum juſtificatum apparet ex Inſtrumento publico actorum electionis, quod in hac materia conſtituere deſuper pleniſſimam probationem docet *Innoc. in cap. innotuit num.* 3. *De elect. ibique Jo: Andr. num.* 20. *Zabar. nu.* 7. *verſ. Sextò, §. Quæro De electione*, & tradunt etiam *DD. in cap. Eccleſia veſtra il* 2. *eodem tit. Mandag. de elect. cap.* 2. *Franc. Marc. dec.* 1857. *per tot. Rot. in rec. deciſ.* 156. *nu.* 6. *par.* 12.

3. Electionem verò Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis proceſſiſſe à toto Capitulo, probat evidenter ſeries in facto relata; nam licet congregato jam Capitulo, omnibuſque præliminaribus expletis, electiſque Scrutatoribus, in actu ipſo imminentis ſcrutinii, & electionis ſubſtituto, & inſubſiſtenti prætextu, aliqui Capitulares, conſtituentes minorem partem, diſceſſerint, & à Capitulo abiverint, proteſtando, & appellando: deventum nihilominùs fuit, omnium Capitularium remanentium votis, eorumque unanimi conſenſu, ad electionem ejuſdem Sereniſſimi Principis, quæ propterea undique valida, & ſubſiſtens emergit, nedum ut facta à majori, & ſaniori parte, ſed imò à toto, & integro Capitulo in ea remanente, legitimè conſtituto ob diſceſſum merè voluntarium, & frivolam proteſtationem aliorum, ut eſt caſus præciſus, & textualis *in cap. cum nobir olim* 19. *De elect.* deſumpto ab Epiſtola Innoc. III. 277. *lib.* 2. ubi fuit ex Concil. Lateranenſ. definitum frivolam minoris partis diſcedentis proteſtationem nullatenus irritare electionem factam à majori parte remanente, totumque eo caſu conſtituente legitimum Capitulum, & clariùs reſcripſerat idem Summ. Pontifex in altera Epiſtola Epiſcopo Baſilien. & duobus Abbatibus Ciſtercien. directa, quæ eſt prima *lib.* 14. *Epiſt.* juxta editionem *Baluzii, ſive Epiſt.* 1. *lib.* 2. *regiſt.* 14. *juxta edition. Boſquet.* ita notabiliter ſcribens: *propter appellationem etiam interpoſitam minimè videbatur confirmatio Epiſcopi revocanda; cùm id ei licere videretur ex eo, quòd à majori, & ſaniori parte Capituli eadem videbatur electio celebrata, cùm in Laterano Concilio inveniatur expreſſum, ut niſi à paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & oſtenſum, ſemper appellatione remota, prævaleat quod à majori, & ſaniori parte Capituli fuit conſtitutum.*

4. Quando namque Capitulum legitimè fuit indictum, & actu congregatum, ſtatuta ipſa electionis die, minor pars, quæ inſubſiſtenti, vanoque prætextu voluntario recedit, frivolè proteſtando, & appellando, ſe facit à Capitulo, & ab omni contradictione prorſùs alienam, ut inquit *Bald. in citato cap. cum nobis num.* 2. *Roman. conſ.* 352. *num.* 15. & tradunt *Petr. à Baiſ. in director. elect. par.* 3. *cap.* 13. *verſic. nam illo modo ſe faciunt alienos, inter tract. magn. to.* 15. *par.* 1. *fol.* 395. *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *quæſt.* 11. *num.* 115. *Car. de Luca De Canonic. diſc.* 27. *num.* 9. *Idem de Regul. diſc.* 53. *num.* 8. *Rota in recent. deciſ.* 313. *num.* 13. *par.* 19. & conſequenter habenda eſt pro vera, & voluntaria contumacia; cùm idem ſit contrahere contumaciam ex eo, quod Capitulares legitimè vocati non venerint, ac quod poſtquam ita venerunt, frivolo, vanoque prætextu receſſerint, neque in Capitulo perſtiterint; ex animadverſis per *Abb. in eodem cap. cum nobis num.* 10. & latè *Pyring. in cit. method. jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 6. *ſect.* 3. §. 2. *num.* 153. veluti pro alienis, & contumacibus habentur illi, qui tametſi actu in Capitulo præſentes, nolunt tamen votare, ita ſe formaliter alienos, & contumaces proprio facto, & voluntate ab electione reddendo, licèt ibi adſit præſentia materiali. *Gloſſ. in cap. quo circa, verbo quo facto, ante finem, verſ. & in rebus, De electione*, ibique *Vitalin. de elect. Anan. in d. cap. cum nobis num.* 2. *& Layman. nu.* 4. *idem in quæſt. Canonica De Prælat. Eccleſ. elect. cap.* 4. *nu.* 42. *impreſſ. poſt ejus opera theolog. moral. Fermoſin. de poteſt. cap. ſede vacan. tract.* 3. *quæſt.* 5. *num.* 15. *Coccin. deciſ.* 1431. *num.* 2. In iis quippè terminis tota poteſtas Capituli reſtringitur ad illos, qui in eo remanſerunt, & tamquam legitimè congregati, totum jus habent, non attentis aliis, qui receſſerunt, de quibus tamquam

alie-

Digitized by Google

alienis, & contumacibus nulla eſt habenda ratio, prout communiter firmant *DD.* in ſuprarelato *cap. cum nobis* 16. & ſignanter *Butr. num.* 7. *Abbas nu.*10. *Jo: Andr.num.*3.*Barboſ.num.*1.*idem Butrius in cap.bonæ num.*24. *Gonz.in cap. Eccleſ.univerſ.num.*5.*De elect.Roman.conſ.*352.*num.*15. *Fermoſ. in rubr. eodem tit.quæſt.*3.*num.*9. *pag.*128.*Paſſerin.de elect.cap.*11.*quæſt.*11.*num.*92.*Barboſ.de jur.Eccleſ.lib.*1.*cap.*19.*num.*225. *Adden. ad Buratt. deciſ.*809.*num.*12. *Rota coram Merlin.deciſ.*591.*num.*3.*Millin.deciſ.*410.*num.*1.*&* *deciſ.*420. *nu.*1. *&* 2 *Coccin.deciſ.*1431.*num.*3.*& in alia Leodien.deciſ.*2082.*num.*4.

5. Idque indubitanter procedit, non ſolùm quando pars, quæ remanet in Capitulo major eſt, ſed iſta eadem major pars plenis ſuffragiis, omniumque votis ad electionem devenit, quo caſu, prout accidit in hac Sereniſſimi Principis, extra omnem hæſitationem, nullatenus eſt attendendus receſſus, & proteſtatio frivola minoris partis, eo fundamento, quo minori ipſa parte etiam computata, & habita pro diſſentiente, majoris, ſenioris partis electio prævaluiſſet.ita in puncto comprobant *Abb.in citato cap.cum nobis olim num.*10. *& Butr. num.*7. *Rota coram Millin.deciſ.*410.*num.*2.*& deciſ.*420.*num.*1. *& in alia Leodien. coram Coccin.deciſ.*2082.*num.*6.

6. Proindè ſemper undique petita confirmatio debita emergit, utpotè, quæ juris neceſſitate, & pura juſtitia deberetur ex eo ſolo motivo, & reſpectu, quòd proceſſerit à majori, & ſaniori parte Capituli legitimè congregati, cujus electioni omni jure debita eſt confirmatio, prout ex *cap.dudum*, *De elect. cum concordant.* adnotat *Boſquet.in not.ad Innoc.III.epiſt.lib.*2.*regiſt.*24. *verb.ſi majori*: & paſſim *DD.* tenent, præcisè *Abb. in cap. coram num.* 3. *Butr. in cap. Eccleſia veſtra*, ibique *Fermoſ.num.*1. *Fagnan.in cap. quia propter num.*6.*De elect. Rota coram Dunoz.jun.deciſ.*206.*num.*10.*& coram Merlin. deciſ.*591. *num.*3. Electio ſiquidem facta à majori, & ſaniori parte Capituli legitimè congregati, canonica præſumitur, & pro electo eſt judican. ita poſt *Innocent.& Hoſtien.* ait *Jo:Andr. in cap.ſicut* 16.*num.*11.*De ſentent.& re judic.Gemin.in cap.licet Epiſc.num.*12. *in princ.verſ.nec tenetur,De præben.in* 6.*Rot.coram Dunoz.jun.dec.*43. *num.*10. *Coccin.deciſ.*1431.*num.*36.*& deciſ.*2088.*num.*27. *in recent. deciſ.*244.*num.*34. *par.*8.*& deciſ.*400.*num.*1.*par.*16.

7. Maximè, quia proceſſit electio Sereniſſimi Principis non tam à majori parte Capituli præponderante, & prævalente, ratione ſolius numeri, non attenta auctoritate, juxta *Gloſſ.in cap.obeuntibus* 35.*verbo nunc ergo diſtinct.*63. quã ad propoſitum expendit *Carol.de Mean.ad jus civile Leodienſe part.*3. *obſervat.* 279.*num.*15. quàm à ſaniori, & magis qualificata, cùm in ea comprehendantur ſex ex ſeptem Archidiaconis, Scholaſticus, & alii Dignitate, Laurea Doctorali, & Sacerdotali charactere inſigniti, quos conſtituere ſaniorem, & magis ſpectabilem Capituli partem, non eſſe ambigendum ſatis colligitur *ex cap. Eccleſia veſtra,De elect.cum Gloſs.ibi, & Jo: Andr.num.*30.*&* 34.*Butr.num.*24. *Zabarell.qu.*18.*&* 19.*de elect.Petr.à Bayſ.in director.election.par.*3.*cap.*35. *num.*8. *inter tract.magn.tom.*15.*par.*1.*pag.*397.*Franc.Florenſ.ad rub.de elect.tit.de forma elect.verbo ſanior autem intelligitur oper. tom.* 1.*pag.* 138. *juxta poſtremam editionem, & plenè Spada conſ.*116.*nu.*2.*lib.*3.qui præcisè ait, electionem tunc à ſeniori parte dici factam, quando habet pro ſe Dignitates, & Capitulares Laurea Doctorali, & Sacerdotali charactere inſignitos.

8. Eoque fortiùs, quia ſtatim, ac Electio Sereniſſimi Principis innotuit

pu-

Digitized by Google

publicata, acceptiſſima, & gratiſſima Populo fuit, ipſique Clero; Et illicò Nobilitas, Conſules, Senatores, Commiſſarii, & ſolemniter Clerus ipſe, cum Miniſtris, tùm Pacis, tùm Belli eumdem Sereniſſimum Principem reverenter adiverunt, cùmque in Paſtorem, & Principem, debito obſequio, ac fide præſtita, venerati recognoverunt, & exultanti gaudio acceptarunt, quibus attentis, eò magis pro ejus confirmatione reſponden. Certum namque eſt, quòd cùm de Summi Sacerdotis Electione tractatur, ille in omnibus præponendus venit, quem Cleri, Populique conſenſus poſtulaverit, etiamſi in diverſam perſonam Eligentium vota ſe diviſerint, ne Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & Electio fiat minùs religioſa, quàm convenit, veluti totidem ferè verbis reſpondit S. Leo Magnus ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicen. *Epiſt.* 12. *cap.* 3. *juxta edit. Quænnell.* relàta ex parte *in Can. ſi fortè* 36. *diſt.* 63. Et quod *Si in unum inclinaverit Eccleſiaſtici Ordinis Electio, ille ſit conſecrandus Epiſcopus, itaut, ſi fortè ſtudia cæperint eſſe diverſa, eorum, de quibus certamen emerſerit vincat ſententia plurimorum*, juxta id, quod definitum habetur in Synodo Romana prima ſub Symmaco Papa, cujus verba ad propoſitum refert *Thomaſin. de veter. & nov. Eccleſ. diſcipl. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *ſub nu.* 6. *verſ. ac verò prima Synodus Romana*, ubi animadvertit pro Eccleſiaſtico ordine per Synodum enunciato, intelligen. eſſe tàm de Clero, quàm de Populo.

9. Quòd autem vanus, & inſubſiſtens fuerit abſceſſionis prætextus, manifeſtiſſimè convincitur, eo ſedulò ponderato, tàm in ſui tenore, & ſubſtantia, quàm in ſtatu circumſtantiarum, & actorum ei præcedentium, dum poſt omnes actus præliminares expletos, & electionem ipſam in Capitulo legitimè congregato, in limine ſcrutinii imminentem, Decanus videns eam irreparabiliter ſucceſſuram in perſonam Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis, ad illam dumtaxat differendam, ſolam dilationem petiit, unicè proponendo, *ut dilata pro ea die electione, examinaretur, nùm Breve Eligibilitatis Sereniſſimi Principis ſubſiſteret*, qui certè prætextus in ſui tenore, & ſubſtantia frivolus, & emendicatus evidenter detegitur; Cùm etenim Breve, & Indultum præfatum emanaverit à Summo Pontifice in favorem Sereniſſimi Electi, neque directum fuerit Capitulo Leodien. nefas erat de ejus ſubſiſtentia dubitare, vel judicare, eo quia talis juriſdictio, & poteſtas, undique deficiebat, quemadmodum in terminis ſimilis objecti, ad ſubſtinendam electionem ponderat *Spad. cit. conſ.* 116. *nu.* 14. *verſ. quod Sereniſs. Ferdinandus, & num.* 15. *lib.* 3.

10. Præterea magis ineptus, & emendicatus hujuſmodi prætextus convincitur ex circumſtantiis, & ſtatu rei; fuerat namque primitùs hujuſmodi Indultum jam olim impreſſum, ſingulis Capitularibus traditum, & ab eis abſque ulla contradictione receptum: & quod maximè urget, initio ipſo actorum Electionis, & congregati Capituli, poſt præliminares, ſolemniter lectum, ab omnibus admiſſum de plano tranſivit, abſque ulla minima oppoſitione, vel contradictione: & rurſus poſteà fuit etiam ſuſceptis deſuper formaliter ſuffragiis iterum approbatum, *ut ex Inſtrumento Electionis lit. E.* quæ adeò replicata admiſſio ſuperabundavit; Cùm hujuſmodi Brevia, & Indulta non ſoleant, neque debeant judicialiter in forma contentioſa judicari, ſed merè allegari, ſeu exhiberi pro Inſtructione animi Eligentium, non pro examine, & diſcuſſione, teſte *Card. de Luca De Canon. diſc.* 27. *nu.* 24. *& ſeq. & Spada d. conſ.* 116. *nu.* 14. *lib.* 3. Unde in his terminis, eoque ſtatu, & circumſtantiis, nemo haud videt qualis, &

quantæ

quantæ vanitatis, & debilitatis prætextus memoratus convincatur, quàm juſta,proba, & ſubſiſtens fuerit reſponſio à Capitularibus Decano oppoſita;quòd *eorum Juriſdictionis non eſſet de validitate Brevis à Sancta Sede emanati cognoſcere*; quapropter, cùm jam Indultum fuiſſet acceptatum, à Capitulo admiſſum, ac rurſus etiam mediantibus ſuffragiis iterum approbatum, & electio jam inchoata, prætextus hujuſmodi, tamquam vanus, inſubſiſtens, & emendicatus ad ſimplicem dilationem pro impedienda parata electione, nullatenus erat attendendus, & omni jure ſperni, & contemni potuit, eo quia ſaltem debuiſſet à principio opponi, non autem poſtquam hæc omnia præceſſerunt,Electione jam inchoata, in limine, ſeu actu ſcrutinii, & Sereniſſimum Principem inter eligendos, & candidatos admiſſo, & acceptato: ex traditis in puncto ſimilis Electionis, & Indulti per *Spad. ſæpè cit.conſ.*116. *num.*17. *in fin.lib.*3. inquiens, quòd *approbatio, & plena ſcientia validitatis, clariſſimè comprobatur ex eo, quod univerſum Capitulum ipſum Sereniſſimum in ſuis ſchedulis inter alios Eligibiles connumeravit, quod in neceſſarium antecedens præſupponit approbationem, & ſcientiam habilitatis in omnibus Canonicis, nec in omnibus præſumatur delictum, & ignorantia craſſa.*

11. Et per conſeqnens prætextus ille examinandi Breve,de quo neque erat judicandum, neque ad ipſos pertinebat judicare, non fuit ſufficiens fundamentum Decani, & Sequacium pro receſſu à Capitulo, qui proindè, uti irrationabilis ex propoſito diſcedentium vano placito ſequutus, nullo jure valuit impedire maiorem partem remanentem, quominus ad electionem procederet, ut uteretur jure ſuo, prout proceſſit.*Gonz. in cit. cap.cum nobis num.* 13. *& ante ipſum Jo:Andr.num.*3.*Barboſ.num.*1.*Abbas num.*20.*Rom.conſ.*352.*nu.*15. *&* 16.

12. Et comprobatur vanitas iſtius prætextus ex facto immediato ipſiuſmet Decani, & Sequacium, qui non obſtante, quòd adeò ſolemniter proteſtati fuerint pro dilatione, & tempore, eo ſolo prætextu, & motivo, quòd examinaretur ſubſiſtentia Brevis Sereniſſimi Domini Principis; nihilominùs abſque aliquo ulteriori examine, & diſcuſſione, ſimilique objecto habito, ac ſi nunquam factum fuiſſet, citiſſimè devenerunt ad aliam tumultuariam, & præcipitem electionem, quæ immediata celera, & præceps electio, ſicuti demonſtrat, Breve illud nullatenus fuiſſe examinatum, ita quoque convincit prætextum examinandi fuiſſe merum inventum, & mendicatum ad differendam,& impediendam paratam electionem Sereniſſimi Principis, quam proindè talis prætextus, ſeu receſſus in nihilum obumbrare valet, neque juri eligentium reſiſtere, cùm proteſtatio debeat eſſe relevans, & magni momenti, ut recedentes poſſint electionem impedire, & talis, quòd convincat iſtam cauſam fuiſſe ſpretam, atque recedentes dolo ipſo contemptos.*Zabarell.conſ.*11.*de verbor.ſignificat. Grillenzon. conſ.*132.*num.*2.*Bord.var.reſol.tit.de elect.reſol.*61. *num.*8.

13. Ex his non relevat, quòd dies vigeſima electioni ſtatuta, non eſſet peremptoria,quòdque ſupereſſent alii decem dies pro electione,& petita dilatione habenda; Nam ultra quòd non ſimpliciter, ſed cum clauſula, quatenus opus eſſet, præfati decem dies præſcripti fuerunt: certi juris eſt, quòd, dum major pars Capituli legitimè congregati, etiam in die non peremptoria, procedit ad electionem, hæc undique valida, & ſubſiſtens remanet, neque minor pars ſub prætextu diei non peremptoriæ recedere valet, ſeu differre, aut impugnare electionem tempore deſignato completam, juxta notata per *Hoſtienſ. in cap. cum*

nobis

*nobis ſub nu.*17.*De elect.Paſſer.eodem tract.cit.q.*11.*cap.*11.*n.*101.Eo enim ipſo, quod Capitulum legitimè congregatum pro habenda electione, illam inchoavit, quæſitum fuit jus majori parte pro ea proſequenda, & complenda, cui pars minor recedendo, in hoc ſtatu præjudicare non valuit, ſic benè ad propoſitum arguit *Roman.conſ.*352.*num.*15.*&* 16. *Fermoſin.in rubr.de elect. quæſt.*3. *nu.*9. *Paſſer.de elect. quæſt.*11. *cap.*11. *num.* 92. Addito, quòd eſt etiam in poteſtate Capituli, & majoris partis ipſius legitimè congregati abbreviare terminum ipſi Electioni præſcriptum. *Abbas in cap.cum nobis ſub num.* 9. *De elect. Tabien. in ſumma eodem verbo num.* 11. *Bellamer. in cap. Eccleſia veſtra num.*6. *eodem tit. Rot.in recent.deciſ.* 388. *num.*3. *part.*19. Præſertim, ut hic, ex quo ob Bellum actualiter vigens in Principatu, & Diœceſi Leodien. Electio dilationem non patiebatur, ex periculis imminentibus: in quo ſtatu nemo dubitat, electionem poſſe validè fieri in termino etiam abbreviato, teſte *Sigiſmund. à Bonon.dub.*9. *num.*8.*Paſſer.eodem tract.cap.*11. *num.*33.*Lavor.cit.cap.*4.*tit.*17.*num.*11. *&* 12. *Rot.coram Ninott.deciſ.*82.*num.*5. *&* 6.

14. Minuſque valet prætenſio, quòd major pars non ſufficiat, ſed requirantur duæ tertiæ ex *Lotber. de re benefic.lib.*2. *quæſt.*17. *num.*7. Siquidem per errorem, vel Amanuenſis, aut impreſſoris hoc fuit ibi ſcriptum, ſive oſcitantur ab ipſo *Lotberio* dictum; Auctor enim iſte ſe fundat in Doctoribus, qui hanc opinionem non probant, ſed pleniſſimè tuentur contrarias, diſtinguendo, quòd duæ tertiæ partes requiruntur in caſu Capituli non congregati; tunc enim conſiderando Capitulum in congregando, duæ tertiæ partes requiruntur ad effectum convocandi, & conſtituendi in legitima mora minorem partem; ſed quando, prout accidit in caſu noſtro, Capitulum eſt legitimè congregatum, duæ partes non requiruntur, ſed major pars prævalet pro Electione, neque minor diſcedens poteſt dare de contemptu, ſeù alio defectu, dum ab eo completur Electio. ita in ſpecie probant Doctores ab eo allegati, nempè *Abbas in cap.cum nobis* 19.*nu.*10.*verſ.quandoque, & tertiò remanſit ſolùm major pars*, diſputando quæſtionem ad partes, tandem concludit ſibi placere præcedens dictum, quam ex quo Collegium erat congregatum, ſtandum eſt judicio majoris partis. *Felin.in cap.cum omnes* 6.*ſub num.* 34. *verſ. ad D. Abbatem.* refert, & ſequitur *Abbatem ubi ſupra, Roman. conſ.*352. *num.* 15. idem prorſùs confirmat *Petrus de Bays in director.elect.par.*3.*cap.*6.*num.*7. *inter tract.magn.tom.*15.*par.*1.*pag.*390. latè proſequitur eamdem diſtinctionem, firmans in congregando requiri duas tertias, ſed congregato Capitulo, majorem ſufficere, ſequens *Abbatem*, & *Felinum* in locis mox relatis, *Franciſcus Marc. deciſ.*1335. breviter ponens quæſtionem. Quando reliqui Canonici exeunt de Capitulo, an remanentes poſſint explere ea, quæ ſunt peragenda, & firmat ex *Panormit.* poſt *Innocent.* quòd ſic, ſi remanſerit major pars, & ſe remittit ad latiùs deducta per *Abbatem, Rota coram Millin.in Tridentina Canonicatus inter ſuas deciſ.* 410. *&* 420. Mirificè probat, quòd quando omnes ſunt capitulariter congregati, ſi aliqui recedant, poteſtas remanet penès ſuperſtites, & maximè ſi ſit major pars, quibus pro confirmatione iſtius diſtinctionis, addo *Gloſſ. in Clementina, quod certa, verbo quo facto, De election. Anan.in eodem cap.cum nobis nu.*2.*verſ. quod eſt verum, Layman.num.*4. *Fermoſin. de poteſtate capituli tract.*3. *ad cap. per te, aut cum Epiſcopo quæſt.*5.*num.*14. *&* 15. *De his, quæ fiunt à majori parte Capituli, Pyringh.in method.jur.Pontific.lib.*1.*tit.*6.*ſect.*3.*nu.*137.*Paſſerin. de elect.*

*quæſt.*11.*cap.*11.*ſub num.*115.*verſ.nam primo, & cap.*13.*ſub num.*34.*Pyerin.de Prælat.tit.de ſubdit.cap.*13. *num.*8.*&* 9.*Rota coram Coccin.deciſ.*2082. *num.*4. *&* 5. ubi, quòd ſufficit etiam electo habere majorem partem Capituli, quod remanſit. *Duran.deciſ.*232.*num.*4.

15. Nullius itidem ponderis eſt illa proteſtatio de pertinentia muneris eligendi, & publicandi electionem ad ſeniorem ex Scrutatoribus: Quandoquidem talis poteſtas optimo jure delegata fuit Scholaſtico, tum quia Scholaſticus hanc eandem poteſtatem conſequutus, exercuit actualiter in electione præcedenti, & ita attento eo ſtatu, ac ſolito, rursùs concedi valuit, *ut in cap.*3.*De cauſ. poſſeſs.& propr.& cap.*8.*De conſuetudinib.* quæ refert *Florenſ.ad rubr.& tit.de electtion.ſuper allegat.tit.de form.elect. oper.tom.*1.*fol.*137. *juxta poſtremam edit.* inquiens, quòd in hoc ſit attendendum ſolitum; Tum quia de jure conſtitutum eſt in libera facultate Capituli committere hoc munus, & poteſtatem cuilibet ex Scrutatoribus.benè *Gloſſ.in cap.ſicut,De electione in* 6.*verbo per unum,* inquiens: *& quod dicit unum, ſi quæratur per quem? dic per eum, qui habet primam vocem, vel eum cui Capitulum commiſerit*; quam ibi ſequuntur *Archidiacon.num.*1.*Geminian.num.*2.*&* 4. & latiùs exornat *Petrus à Bayſ. in cit. director.elect.par.*3.*cap.*33.*num.*4. qui firmat publicationem fieri per eum, cui à Capitulo fuerit commiſſa, ſive talis ſit de Capitulo, ſive non, ſubdendo *num.*5. ex dicto *Speculatoris* rationem, quòd quemadmodum electio totaliter committi poteſt extraneo, multò fortiùs eidem committi valet ſola publicatio, quod benè confirmat *Franciſcus Florenſ.in loco mox relato,§.excepta itaque fol.* 137. proindè multò magis potuit demandari Scholaſtico, juxta ſolitum, attenta illius Dignitate, quæ magna eſt inter Capitulares, adeout apud antiquos Patres inter majores habita fuerit etiam in committendis eiſdem omnibus Eccleſiaſticis functionibus in abſentia Epiſcopi, ex traditis per *Thomaſin.de veter. & nov.Eccleſ.diſciplin.par.*1.*cap.*20.*ſub num.*8.

16. Quemadmodum nec integritati, ac legitimitati votorum Electionis refragantur quædam extrajudiciales obmurmurationes, quòd nonnulli ex Capitularibus non interfuerint Miſſæ de Spiritu Sancto, quòdque junior Baro de Surlet malitiosè, & per vim inductus fuerit ad votandum, & retentus in Capitulo; quandoquidem iſte interventus Miſſæ præfatæ, non eſt de ſubſtantia, ſeu forma Electionis, de qua nec minus dici valet ipſa totalis omiſſio ejuſdem, neque ex ea irritari electionem, juxta communiorem, & magis receptam ſententiam probant *Abbas in cap.cum Eccleſiam* 3.*num.*1. *De cauſ.poſſeſſ. & propr. idem Barboſa ibidem num.*4. *Tabien. verb. Electio* 1. *num.*20.*& de jure Eccleſ. lib.*1.*cap.*19.*ſub num.*18.*Petrus à Bays in direct.elect.par.*1.*cap.*24. *Sigiſmund. à Bonon.eodem tract.part.*1.*cap.*2.*dub.*20.*nu.*5. *Samuel. de elect.tract.*1.*diſput.*2. *controverſ.*20.*num.*4. *Paſſerin.eodem tractat.cap.*15.*nu.*3.*Wamet.conſ.*16. *nu.*43. *de elect.lib.*1.*Tamburrin.de jure Abbat.tom.*1.*diſput.*5.*quæſt.*6.*nu.*34.*A Spiritu Sancto in Director.Regular.tractat.*5.*diſputat.*1.*ſectione* 3.*num.*55.*Lavorius variar.lucubrat.tit.*4.*cap.*19.*ſub num.*43.*Garzias in politic.regular.tom.*2.*tract.*9. *diffic.*2.*dub.*7.*num.*5.*fol.*45.*Donatus rerum regular.par.*3.*tract.*5.*quæſt.* 18.*nu.*6. Quinimo venientem inchoata jam electione eſſe admittendum in ſtatu, & terminis pluribus relatis firmat *Paſſerinus De elect.cap.*11.*quæſt.*11.*num.*91.*in fine.*

17. Quo verò ad præfatum Baronem, ceſſat quælibet violentia in facto ex publica illius proteſtatione ante ſcrutinium emiſſa in Capitulo, ſe in plena li-

ber-

bertate conſtitutum, ac liberrimè ſuffragaturum, repetita per actum publicum poſt ipſam electionem, alio itidem Inſtrumento ab eodem approbatam, quæ iteratæ declarationes, & actus ante, & poſt electionem plenam libertatem convincunt, ad tradita per *Doctores in cap.cauſam De offic.delegat.& in cap.conſultat.De ſponſal.* Et ad hunc effectum ſat eſſet, quòd idem Baro de hoc non conquereretur, cùm ſuffragium metu datum non annullet Electionem ipſo jure, ſed ex inſtantia ſuffragantis ſecundùm veriorem, & magis receptam ſententiam, quam latè tuetur *Paſſerin. de electione Canonic. cap.4. num.12.& ſeqq.* & ante eum *Stephanus Maleret.de elect. liber.pag.4. column.4.ac Samuel.tract. 2. controverſ.5.num.13.diſput.1.*

18. Denique pro confirmatione Sereniſſimi Principis electi animadverti rogamus, quòd altera minoris partis Electio nulla, & irrita hodiè per obitum electi defecit, adeoque electio majoris partis ſubſiſtit, & jus Sereniſſimi Electi firmius manet pro confirmatione; nam cùm Capitulum in partes diviſum ſe coarctaverit ad iſtos duos Electos, altero mortuo, ac ſi per ceſſionem juri ſuo renunciaſſet, debita eſt Coelecto, nedum confirmatio, ſed nova electio quatenus opus foret. *Dec.in cap.1.num.15.De elect.Abbas conſ.25.num.2.& 3.part.2. Garz.de benefic.part.2.cap.2.nu.221.Maſſobrius in prax. haben. concurſ.requiſit.4.dub.4.Rota coram clar.mem.Card. Cerro deciſ.26. num.43. cum ſeqq. deciſ. 106.num.50.& deciſ.131. à num.3.& in recent.deciſ.210.ſub num. 49.& 50. part.9.tom.1*

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO JURIS, ET FACTI

Super puncto Eligibilitatis.

1. SEreniſſimi Principis Joſephi-Clementis Eligibilitas ad Eccleſiam Leodien. controverti non poteſt, quamvis poſt adeptam Eccleſiam Colonien. non dimiſerit Eccleſias Friſingen. & Ratisbonen.

2. Etenim in facto verum quidem eſt, quòd Innocentius XI. eligibilitatem conceſſit ad Eccleſias *Colonien. Leodien. & Hildeſimen.* ſub ea lege, ut ſtatim, ac contingeret confirmari electiones, & illum præfici in Epiſcopum, & Paſtorem dictis Eccleſiis, vel etiam alteri earum, eo ipſo vacarent Eccleſiæ Ratiſbonen. & Friſingen. prout ex Brevi. *Summ. num.* 1. *litt. D.*

3. Sed etiam eſt verum, quòd idem Innocentius quando conceſſit confirmationem Colonien. ne per conſecutionem iſtius Eccleſiæ crederentur vacare aliæ per dictam clauſulam, declarativè ad illam conceſſit, etiam retentionem Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. *Summ. num.* 2. *litt. G.*

4. Et quamvis conceſſio retentionis non fuerit indefinita, & abſoluta, ſed reſtricta ad tempus, Donec, & quouſque aſſecutus eſſet pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque menſæ Epiſcopalis bonorum, ſeù majoris partis eorum. *dicto Summar. num.* 2. *litt. G.*

5. Nihilominùs conditiones appoſitæ, tàm in Brevi eligibilitatis. *d. Summ. num.* 1. *litt. D.* quàm in Brevi confirmationis Coloniæ. *d. Summ. num.* 2. *litt. G.* nondum ſunt purificatæ.

6. Siquidem reaſſumendo Breve eligibilitatis, ad purificandam conditionem ibi appoſitam, duo copulativè requiruntur, nempè quòd electio fuerit confirmata, quòdque ſit jàm Archiepiſcopus, & Paſtor, ut ex verbis Brevis, ibi: *Electionem, &c. confirmari; Teque in Archiepiſcopum, &c. & Paſtorem præfici contingerit. ut in d. Summ. num.* 1. *lit. C. & D.*

7. Jam verò juxtà ſtatum præſentem in ea parte, quæ reſpicit confirmationem electionis, conditio eſt purificata, ſed in altera parte, quæ copulativè requiritur, ut præfectus ſit in Archiepiſcopum, & Paſtorem, adhùc remanet purificanda, dum Innocentius XI. non præfecit in Archiepiſcopum, & Paſtorem, niſi poſtquam pervenerit ad ætatem legitimam, ut ex dicto Brevi confirmationis, ibi: *Ac ex nunc, prout ex tunc poſtquàm ad ætatem legitimam perveneris, de perſona tua præfatæ Eccleſiæ Colonienſi providemus, Teque illi in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem. d. Summ. num.* 2. *litt. D.*

8. Cùm itaque Sereniſſimus Princeps de præſenti ſolummodò ſit Adminiſtrator

ſtrator in temporalibus, & teneatur adhibere Coadminiſtratorem in Spiritualibus. *d.Summ.num.2.litt.B.* & ſit dumtaxat in vigeſimotertio ætatis, ut calculari poteſt ex Brevi.*d.Summ.num.1.litt.A.* nondum poteſt eſſe Archiepiſcopus, & Paſtor, quia nondum pervenit ad legitimam ætatem.

9. Alia etiam conditio appoſita in conceſſione retentionis, nec minùs eſt purificata, dum conditio concepta eſt per hæc verba: *Donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonien. &c. d. Summ. num. 2. litt. G.* Et idem Pontifex talem adminiſtrationem non concedit, niſi poſtquam pervenerit ad ætatem pro Archiepiſcopatu requiſitam, ut ex eodem Brevi Confirmationis. ibi: *Ac ex nunc, prout ex tunc poſtquam ad ætatem legitimam perveneris, &c. & deindè ætate legitima tibi ſuffragante, tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus ipſius Eccleſiæ Colonien. curam, regimen, & adminiſtrationem tibi ſoli plenariè committendo. dict. Summ.num.2.litt.D.& litt.F.*

10. Undè cùm Sereniſſimus noſter nondùm verè habeat curam, regimen, & Adminiſtrationem Eccleſiæ Colonien. ex quo nondùm pervenit ad ætatem legitimam: necdùm expiravit conditio retinendi Eccleſias Friſingen. & Ratiſbonen. quæ conceſſa eſt *donec adeptus fuerit poſſeſſionem Regiminis, & Adminiſtrationis. d.Summ. num.2.litt.G.*

11. Hinc eſt certum, quòd noſter Sereniſſimus non incurrit in pœnam ineligibilitatis inflictam *in c. Dudum 54. de Elect.* ſeù potiùs non amiſit eligibilitatem conceſſam à Summo Pontifice ex duplici demonſtratione, tàm facti, quàm juris.

12. In facto ad hoc, ut eſſet retentio conceſſa, requiritur poſſeſſio *regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis. d.Summario num.2.litt.G.* In facto pariter Sereniſſimus noſter non poteſt eſſe in poſſeſſione *regiminis, & adminiſtrationis*, niſi perveniat ad ætatem legitimam pro Archiepiſcopatu. *d. Summario num.2.litt.F.* In facto nondum pervenit ad hanc ætatem, ut eſt notorium; ergo in facto nondum ceſſavit retentio, ergo non amiſit eligibilitatem conceſſam, atque ergo, dum noſter Sereniſſimus retinuit Epiſcopatus durante adhùc diſpenſatione Apoſtolica, nequaquàm incurrit in pœnam *cap. Dudum* punientis retentorem non habentem diſpenſationem Apoſtolicam.

13. Neque prætendi poteſt, quòd Pontifex concedendo retentionem donec eſſet in poſſeſſione Archiepiſcopatus Colonienſis, intellexit de poſſeſſione ſimplicis adminiſtrationis, quam tunc concedebat, quia talis prætenſio, ſeù interpretatio repugnat manifeſtè tàm verbis, quàm menti diplomatis Pontificii.

14. Conſiderato diplomate, Pontifex concedendo adminiſtrationem præſentem, loquitur diſcretivè à modo loquendi, quo utitur in conceſſione retentionis, & in qualificanda durabilitate retentionis, non utitur illa phraſi, qua uſus fuerat in conceſſione adminiſtrationis præſentis, ſed illamet quam adhibuerat pro ſtatu, ac tempore legitimæ ætatis; undè durabilitas retentionis explicata cum iiſdem terminis verificabilibus dumtaxat de tempore legitimæ ætatis, & quibus explicata fuit qualitas conceſſionis in ſtatu ætatis legitimæ, intelligendà erit juxtà talem ſtatum, & non juxtà ſtatum adminiſtrationis ante ætatem, in quo aliis formulis uſus eſt.

15. Pro ſtatu præſenti loquitur Pontifex: *Te Adminiſtratorem, Henricum in Coadminiſtratorem in ſpiritualibus. dicto Summario num. 2. littera B. & C.*

Digitized by Google

Pro tempore verò ætatis legitimæ, verba ſunt hæc: *Regimen, & adminiſtrationem tibi ſoli plenariè committendo. dicto Summario num. 2. litt. F.* Deveniendo deindè ad conceſſionem retentionis, non dicit ſolummodo, uſque ad poſſeſſionem adminiſtrationis, & coadminiſtrationis, quæ ſignificarent ſtatum præſentem, ſed utitur iiſdem verbis poſſeſſionis plenariæ. ibi: *Poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis. d. Summario num. 2. litt. G.* Undè cùm adhibuerit verba pertinentia ad tempus legitimæ ætatis, & quæ pro tali caſu adhibuerat, nempè regiminis, & adminiſtrationis: retentio uſque ad talem ſtatum conceſſa, non poteſt reſtringi ad ſtatum præſentem in eo quo ſumus in ſimplici *adminiſtratione, & coadminiſtratione, non in regimine.*

16. Imò ſi retentio regulanda fuiſſet ad terminos poſſeſſionis ſimplicis adminiſtrationis, & coadminiſtrationis, retentio fuiſſet momentanea, & contra mentem concedentis, qui intendebat inclytæ Domui Bavaricæ favere, non detrahere.

17. In jure etiam clariùs excluditur diſpoſitio *capit. Dudum* 54. *De Elect.* ex quo, antequàm Sereniſſimus perveniat ad ætatem legitimam abſque ullo dubio nos ſumus in caſu adminiſtrationis, & quidem temporaneæ, & non perpetuæ; undè remanet prorſus excluſa incompatibilitas, quæ provenit dumtaxat ex multiplicitate titulorum per ea, quæ refert *Garz. de Benef. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 181.

18. Et in hac ipſa legali intelligētia perſtiterunt Capitula, quæ cæteroqui, ſi aliter fuiſſet intelligendum, non omiſiſſent eligere novos Epiſcopos, & perſiſtit, ac perſiſtit noſter Sereniſſimus, qui, ſi vel minimùm de hoc dubitaſſet, non neglexiſſet recurrere ad benignitatem Apoſtolicam.

19. Et quatenus hæc intelligentia non ſubſiſteret, quod non credimus, attenta bona fide, capienda eſt ſemper interpretatio magis benigna, & favorabilis Electo, ut ex *Compoſtellano*, *Butrius in d. cap. Dudum num.* 18. Ideòque non incurrit in pœnam amittendæ eligibilitatis.

20. Ac demum figurato omni pejori caſu, attento quòd non agitur de incompatibilitate ratione multiplicitatis titulorū, reſultante ex diſpoſitione Juris, ſed ad ſummum de incompatibilitate proveniente ex Decreto Pontificis, potuit quidem vacare Epiſcopatus juxtà Decretum, ſed non induci inelegibilitas, quæ non inducitur ex dicto Decreto.

PETRI

Digitized by Google

PETRI DE FUSCO

ADVOCATI NEAPOLITANI,

Ac Regii Conſiliarii

ALLEGATIO

Super puncto Eligibilitatis.

1. ADverſùs electionem Sereniſs. Principis Clementis è Bavariæ Ducibus in Epiſcopum, & Principem Leodienſem, oppoſitũ eſt, quòd tempore ejus electionis factæ à Perilluſtri Leodienſi Capitulo, præfatus Princeps non poſſet cum Eccleſia Metropolitana Colonienſi retinere etiàm Eccleſias Friſingenſem, & Ratisbonenſem; undè ineligibilis redderetur ad Leodienſem Eccleſiam, atque ità ratione plurium incompatibilium, electio nulla judicanda ſit, *ex cap. dudum 54. De electione, cap. de multa 28. De Præbendis, & Dignitatibus, cap. ſi tibi conceſſo De Præbendis, & Dignitatibus in ſexto, Clementina ſi plures 3. De Præbendis, & Dignitatibus, Extravagant. execrabilis eodem tit. Concil. Tridentin. ſeſſ. 7. cap. 4. De Reformatione, & ſeſſ. 24. cap. 17. De Reformat.*

2. Sed inſpectis Apoſtolicis diſpenſationibus, iſthæc oppoſitio undique frivola, & vana cenſenda eſt. Idque, ut lucidiùs pateat, præmittendum eſt, quòd cùm Sereniſſimus Princeps Clemens, nec tempore, quo fuit electus ad Eccleſiam Colonienſem, neque impreſentiarum ad ætatem legitimam pervenerit, qua uti Paſtor prædictis Eccleſiis præfici potuiſſet. *Summ. num. 1. litt. A.* conceſſum ei fuit per Breve Apoſtolicum divæ memoriæ Innocentii XI. ſub die 19. Junii 1688. quòd non obſtante ætatis defectu, ac etiàm quòd memoratis Eccleſiis Ratisbonenſi, & Friſingenſi præeſſet, valuiſſet elegi in Archiepiſcopum, & Epiſcopum reſpectivè, & Paſtorem Eccleſiarum Metropolitanæ Colonienſis, Hildeſimenſis, & Leodienſis, ac illarum cujuslibet, quandocumque per Sereniſſimi Principis Maximiliani-Henrici tùnc Archiepiſcopi Colonienſis, ac Sacri Romani Imperii Electoris ceſſum, vel deceſſum vacaverint. *Summ. nu. 1. lit. B.* Ità tamèn, ut ſtatim, atque idem Princeps Clemens electus, confirmatuſque eiſdem Eccleſiis Metropolitanæ Colonienſi, Hildeſimenſi, & Leodienſi, vel etiàm earum alteri dumtaxàt in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum reſpectivè, & Paſtorem præfici contigerit, Eccleſiæ ſupradictæ Ratisbonenſis, & Friſingenſis vacent, & vacare eo ipſo cenſeantur. *Summ. num. 1. litt. D.*

3. Cùmque ſecuto obitu Sereniſſimi Principis Maximiliani Archiepiſcopi Colonienſis, fuiſſet Princeps Clemens electus ad Colonienſem Eccleſiam, & confirmatus ab Apoſtolica Sede, cùm adhùc minor ea ætate eſſet, in Brevi Apoſtolico electionis confirmatorio felicis recordationis Innocentii XI. ſub die 20. Septembris 1688. non fuit eodem tempore confirmationis conceſſus ei titulus

Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopalis Eccleſiæ Colonienſis,ſed poſtquàm ad ætatem legitimam perveniſſet. *Summ.num.2.litt.B.* ac poſt tempus perfectæ ætatis, & non antè fuit ei data facultas conſecrationis munus recipiendi. *Summ.num.2.litt.D.& F.* Interim verò quouſque legitimæ fuerit ætatis,ei ſoli cõceſſa fuit in temporalibus adminiſtratio; in ſpiritualibus verò, & ab eis dependentibus conjunctim cum Joanne-Henrico Epiſcopo Hieropolytano, Suffraganeo, & Canonico ejuſdem Colonienſis Eccleſiæ. *Summ.num.2.litt.E.* Demùm ex Brevi Apoſtolico fælicis recordationis Alexandri VIII. ſub die 19. Novembris 1689. fuit Principi Clementi conceſſum, quòd præfatæ litteræ Apoſtolicæ ſanctæ memoriæ Innocentii XI. ſuffragarentur eidem Principi, ut eligi poſſet ad Eccleſias Leodienſem, & Hildeſimenſem, etiàm ſi Eccleſias prædictas, vel illarum alteram vacare contigerit per ceſſum, vel deceſſum modernorum, vel pro tempore exiſtentium Eccleſiarum præfatarum Epiſcoporum. *Summ.nu.1.litt.H.* His præmiſſis, refellitur oppoſitio, ex pluribus.

4. Primò, quia conditio illa in primo Brevi Apoſtolico Innocentii XI. appoſita: *Si Principem Clementem in Archiepiſcopum,& Paſtorem Eccleſiæ Colonienſis præfici contigerit*, ſub qua vacaturæ erant Eccleſiæ Ratisbonenſis,& Friſingenſis: impoſſibile eſt dici, quòd verificetur,& adimpleatur antequàm Princeps Clemens ad ætatem legitimam pervenerit; quia expreſſiſſimè in ſecundo Brevi confirmatorio electionis Colonienſis antè legitimam ætatem non fuit datus ei titulus Archiepiſcopalis Colonienſis, ſed poſtquàm ad ætatem legitimam pervenerit, ut manifeſtiſſimè patet ex illis verbis: *Ac ex nunc, prout ex tunc, poſtquàm ad ætatem legitimam hujuſmodi perveneris, de perſona tua præfatæ Eccleſiæ Colonienſi eadem auctoritate providemus, Teque illi in Archiepiſcopum præficimus,& Paſtorem, Tibique ex nùnc in temporalibus ſoli, in ſpiritualibus verò, & ab eis dependentibus, quouſque legitimæ ætatis fueris, conjunctim cum dicto Joanne-Henrico Epiſcopo, vel aliis Tibi per nos,& Sedem prædictam pro tempore deputandi Coadminiſtratoribus, & deindè, ætate legitima Tibi Suffragante, tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus ipſius Eccleſiæ Colonienſis curam, regimen, & adminiſtrationem Tibi ſoli plenariè committendo. Summ.num.2. à litt.D.ad G.* Et rurſus ex aliis verbis: *Tibi ex nunc adminiſtrationis, & deindè ætate legitima Tibi ſuccedente Curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari. Summ.num.2.*

5. Cùm itaque Sereniſſimus Princeps nondùm ad ætatem legitimam pervenerit, certè non eſt verificata conditio vacationis Eccleſiarum Friſingenſis,& Ratisbonenſis, atque ità eaſdem Eccleſias non de facto, ſed licito jure retinet, quia ut vacare debuiſſent prædictæ Eccleſiæ, & alia Beneficia curata, non ſufficiebat, quòd Princeps Clemens fuiſſet electus, & confirmatus in Archiepiſcopum Colonienſem, ſed requirebatur etiam complementum legitimæ ætatis, ante quam legitimam ætatem nòn fuit Eccleſiæ Colonienſi Archiepiſcopus,& Paſtor præfectus, nec fuit conceſſa facultas muneris conſecrationis recipiendi, ſicuti hæc omnia definivit *Alexander III. in Concilio Lateranenſi* relato in *cap. cum in cunctis 7.§.cùm verò, De electione*,his verbis: *Cùm verò electus fuerit,& confirmationem electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrandis Epiſcopis à Canonibus diffinito, Is, ad quem ſpectant Beneficia, quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.* concordat *Text.in cap.cum noſtris 6. de conceſſione præbendæ.*

6. Atque

6. Atque ità, ut vacent priora beneficia, ultrà electionem, & confirmationem Epiſcopi, requiritur etiam conſecratio, vel quòd ſit lapſum tempus ad conſecrandum, ut notat *Gloſſ. in cap. ſi gratiosè 5. litt. A. & eſt ſecunda Gloſſ. De Reſcriptis, eadem Gloſſ. in cap. De multa 28. in verbo poſt receptionem De Præbend. & Dignitatibus*, cum aliis adductis per *Geminian. conſ. 82. & 125. Burſat. conſ. 351. num. 15. Wameſ. Jur. Canonic. conſ. 27. & 28.* Quia antè conſecrationem non eſt conſummatum ſpirituale fœdus conjugii intèr Epiſcopum, & Eccleſiam, cùm in electione dicatur ſolummodò initiatum, & in confirmatione ratum dumtaxàt cenſeatur, in conſecratione verò conſummatum ſpirituale iſtud connubium intelligatur, ut elegantèr inquit *Innocentius III. in cap. licèt 4. De translatione Epiſcopi*. Et in Archiepiſcopo ultrà conſecrationem requiritur etiàm Pallii ſuſceptio, quia in Pallio Pontificalis officii plenitudò cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur, ut inquit *Innocentius III. in cap. niſi 3. de auctoritate, & uſu Pallii*, ubi *Gloſſ. in verb. nominis*, ſubdit hæc verba: *Et ità licèt ſit conſecratus in Epiſcopum, non eſt appellandus Archiepiſcopus antè Pallii receptionem.*

7. Nec obſtat Curiæ Romanæ ſtylus, quo etiam antè conſecrationem beneficia ejus, qui proviſus, vel electus, confirmatuſque eſt Epiſcopus, conferuntur aliis tamquam vacantia, de quo ſtylo teſtantur *Burſat. in conſ. 351. n. 15. Garzia De benefic. part. 11. cap. 6. à nu. 6. Azor. Inſtitut. moral. lib. 7. cap. 16. qu. 12. Caſtropal. tract. 13. de benefic. Eccleſiaſt. diſput. 6. punct. 2. §. 5. nu. 1. fol. 475. tom. 2.*

8. Etenim reſpondetur, ex eo ſtylo, ſivè conſuetudine non aliud inferri poſſe, quàm quòd Epiſcopus proviſus, ſivè electus, & confirmatus ante conſecrationem, & durante trimeſtri tempore ad conſecrandum, nequeat impedire, quin beneficia, quæ habet, aliis conferantur, ſicuti loquuntur *Burſat. Garzia, Azor. & Caſtropal. in locis ſuprà allegatis*; non tamen ex eo ſtylo prohibetur retentio beneficiorum, donec aliis fuerint collata. Atque ità licitè retinentur per Epiſcopum electum, & confirmatum, antequam ſit conſecratus, nec lapſa ſint tempora de conſecrandis Epiſcopis à canonibus præſtituta: Et ratio eſt, quia ante conſecrationem non dicitur habere Eccleſiam plenò jure; undè nulla incompatibilitas reſultare poteſt, quæ impediat retentionem aliorum beneficiorum. *Gloſſ. in d. cap. cùm in cunctis, §. cùm verò, De electione, in verb. ad quem ſpectat, Abbas ibidem num. 3. Jo: Wameſ. de jur. Pontific. conſ. 27. num. 2.*

9. Inſuper ille ſtylus, ſivè conſuetudo Romanæ Curiæ inducta eſt ex facili, expeditaque facultate ſuſcipiendi muneris conſecrationis in Romana Urbe ſtatim poſt proviſionem, ſivè confirmationem Epiſcopi electi; undè beneficia, quæ habet, ſtatim poſt proviſionem, ſivè electionis confirmationem, aliis conferuntur; Ideò non poteſt hic ſtylus, ſeù conſuetudo porrigi ad illum caſum, quo conſecrationis munus nequeat ſuſcipi, niſi poſt longum tempus, ſcilicèt poſt legitimam ætatem, ſicuti in ſecundo Brevi Apoſtolico confirmatorio electionis præfinitum fuit; Et eſt caſus ſpecialis, quo electum, & confirmatum non niſi poſt certum tempus in Epiſcopum conſecrari mandatur, commiſſa ei interim Eccleſiæ adminiſtratione, qui caſus habetur *in cap. cùm olim 7. in fine, De dolo, & contumacia*: Atque ità ſtylus, obſervantia, ſeù conſuetudo non ſufficit, quòd probetur generalitèr, ſed probanda eſt ſpecialitèr in caſu, de quo agitur. *Cravett. conſ. 96. num. 4. Riminald. jun. in conſ. 269. num. 102. poſt Oldrad. in conſ. 237. num. 3. & 4.*

10. Rurſùs ille ſtylus Curiæ, ſeù conſuetudo, non alia ratione recepta eſt, niſi quia Summus Pontifex, cùm aliquem providet de Epiſcopatu, ſivè confirmat Epiſcopum electum, ſolet in proviſione, ſeù in confirmatione decernere, beneficia habita ab illo puncto vacare, & virtute hujus decreti vacabunt, provideri que poterunt, ut declarat *Garzia De benefic.par.11.cap.6.à num.6. Azor. Inſtitut.moral.lib.7.cap.16.quæſt.12. Caſtropal.tract.13.diſputat.6. punct.2.§.5. num.1.fol.475. tom.2.* Atqui in Brevi confirmatorio electionis Colonienſis nedùm non eſt dictum, quòd ex puncto confirmationis vacarent Eccleſiæ Ratiſbonenſis, & Friſingenſis, imò totum contrarium expreſſum eſt; quia cùm in primo Brevi Apoſtolico Innocentii XI. ſub die 19. Junii 1688. vacationi Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis appoſita fuiſſet conditio: *Si Principem Clementem in Archiepiſcopum, & Paſtorem Eccleſiæ Colonienſi, præfici contigerit*: poſteà in ſecundo Brevi ejuſdem Innocentii XI. ſub die 20. Septembris ejuſdem anni confirmatorio electionis Colonienſis, prædictus Princeps Clemens non ex puncto confirmationis, ſed poſtquàm ad ætatem legitimam perveniſſet, fuit Eccleſiæ Colonienſi Archiepiſcopus, & Paſtor præfectus, ac de ejus perſona poſt legitimam ætatem Eccleſiæ Colonienſi proviſum. *Summ. num.2. lit. D.* Quarè vacatio Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis minimè referri poteſt ad punctum confirmationis Colonienſis, quo tempore Princeps Clemens non præficiebatur in Archiepiſcopum, & Paſtorem Eccleſiæ Colonienſi, ſed poſt completam legitimam ætatem, qua etiam ſuccedente, munus recipiendi conſecrationem ei injunctum fuit; Neque enim ſola adminiſtratio conceſſa per tempus minoris ætatis, ſed titulus Archiepiſcopalis Eccleſiæ Colonienſis, qui nonniſi poſt legitimam ætatem collatus fuit, inducit incompatibilitatem, ac legitima ſuccedente ætate, impedit retentionem aliarum Eccleſiarum curatarum, juxta *Text.in cap.dudum 54.De elect.* in illis verbis: *Niſi unam intitulatam, alteram commendatam haberet, &c. cap.ſi plures 71.quæſt.1.Gloſſ.in d.cap.dudum 54.in verb.intitulatam, De electione.* Idque certiſſimè procedit in noſtro caſu, quo antè legitimam ætatem adminiſtratio in Spiritualibus re ipſa, & effectu, tota commiſſa fuit Coadminiſtratori, qui re vera ſolus Prælatus cenſendus eſt, juxtà *Gloſſ.in cap.De rectoribus 3.in verb.curam Animarum, De Clerico ægrotante, vel debilitato*; Quare ceſſat hic quæſtio de plurium Commendarum incompatibilitate.

11. Idque expreſsè declaratum eſt ex eodem Brevi confirmatorio electionis Colonienſis in illis verbis: *Volumus inſuper, ut donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſseſſionem Regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſivè majoris partis eorum, aſsecutus fueris, Eccleſias ſupradictas Ratisbonenſem, & Friſingenſem, quibus (ut præfertur) prææs, ſimiliter retinere liberè, & licitè poſſis, & valeas*; Dictiones enim illæ *donec, & quouſque*, ſunt repetitivæ præcedentium, juxtà doctrinam *Caſtrenſ.in conſ.86.num.9.vol.1.* atque ità repetunt omnes qualitates antecedentes, & ſupra expreſſas, nempè plenariam adminiſtrationem, etiam in Spiritualibus Eccleſiæ Colonienſis, ejuſque regimen, & curam Paſtoralem, quæ illi ſoli, legitima ætate ſuffragante, commiſſa fuit, tamquam poſt ætatem legitimam præfecto Colonienſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum, & Paſtorem, injuncto tunc munere ſuſcipiendi conſecrationem; Undè clauſula immediatè ſequens de vacatione Eccleſiarum Friſingenſis, & Ratisbonenſis, concepta ſub illis ver-

bis: *Quæ tamen cùm primum pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem præſatas (ſicut præmittitur) adeptus fueris, vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo*, certiſſimè importat eandem quaſi poſſeſſionem plenariæ adminiſtrationis, etiam in Spiritualibus Eccleſiæ Colonienſis, ejuſque Regiminis, & Curæ Paſtoralis, quæ poſt ætatem legitimam ei ſoli commiſſa fuit tamquam tunc præfecto eidem Eccleſiæ in Archiepiſcopum, & Paſtorem, cum receptione muneris conſecrationis; Nam in ea clauſula fuerunt etiam appoſitæ dictiones relativæ, & repetitivæ. ibi: *Poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem præſatas*, & rursùs: *ſicut præmittitur*, quæ repetunt omnes qualitates antecedentes, ut poſt *Bart. in l. ſi cui, §. 1. ff. de legat. 1. Alexand. in l. finali, verſ. ſed adverte, C. de hæredibus inſtituendis, ex text. in §. & quoniam ſcimus, verſ. & ità, Auth. de teſt.* probat *Riminald. Jun. conſ. 542. num. 27. & 69. & in conſ. 491. num. 62.* Et adeſt dictio adverſativa *tamen*, quæ etiam repetit omnes antecedentes qualitates. *Bald. in l. omnes populi num. 72. ff. de juſtitia, & jure. Rota Romana deciſ. 168. num. 3. recent. par. 6. Caſtrenſ. conſ. 122. vol. 2. Alexand. conſ. 99. num. 9. vol. 7. & in conſ. 9. num. 4. vol. 7.*

12. Inſuper conditio vacationis Eccleſiarum Friſingenſis, & Ratisbonenſis, concepta ſub illis verbis: *Cùm primum pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem adminiſtrationis, & Regiminis Eccleſiæ Colonienſis adeptus fueris*, quamvis non haberet dictiones relativas, & repetitivas præcedentium qualitatum, nihilominùs ſub ejus ſimplici appellatione continetur propriè ea tantùm adminiſtratio, quæ ſoli Principi Clementi in ſpiritualibus commiſſa fuerit. *cap. commiſſa 35. De electione in ſexto, juncta Gloſs. ibidem in verb. pacificam, cap. is cui procuratio 42. De electione in ſexto*. Nec poteſt ſola adminiſtratio intelligi, quæ per tempus minoris ætatis fuit ei data conjunctìm cum alio, nempè cum Joanne-Henrico Epiſcopo Hieropolytano Coadminiſtratore; quia ſub appellatione adminiſtrationis unius nominati, intelligitur verè, & propriè ea tantùm adminiſtratio, quam ille nominatus ſolus habet, non autem illa, quam habet communem, & conjunctìm cum alio, ut elegantèr probat *Caſtrenſ. in conſ. 148. num. 2. vol. 1. Ludovic. Bellus conſ. 165. à num. 8.* vel ſi communis comprehenderetur, non poſſet excludi, ſed contineretur etiam adminiſtratio propria, quam ſolus habet, ità ut utrumque principium tam communis, quàm propriæ adminiſtrationis pacificæ poſſeſſionis requireretur, juxtà *l. cum ſuæ 71. l. eadem 72. cum ſeqq. l. ſi quis ſuos 74. ff. de legat. 3. l. ſi alimenta 16. §. qui ſocietatem, ff. de alimentis legatis*, cum aliis adductis per *Caſtrenſ. in d. conſ. 148. nu. 2. & 3. vol. 1.*

13. Sed neque dici poteſt, quòd adminiſtrationem in Spiritualibus habeat communem cum alio, durante ejus minori ætate, niſi nudo nomine, & honoris gratia; nam propter Coadminiſtratorem adjunctùm, re ipſa, & effectu, tota in Spiritualibus adminiſtratio videtur Coadminiſtratori commiſſa, itaut re vera ille ſolus Prælatus cenſeatur. *Gloſs. in cap. de Rectoribus 3. in verb. curam Animarum, De Clerico ægrotante, vel debil.* Atque ità neceſſariò referenda eſt conditio ad tempus poſt legitimam ætatem Principis Clementis, cùm tunc ſolus habebit plenarium Regimen, & adminiſtrationem in Spiritualibus Eccleſiæ Colonienſis, & ſolus exercere poterit omnia, quæ juriſdictionis Epiſcopalis exiſtunt, & poſt conſecrationem ea, quæ ſunt ordinis. *cap. is cui procuratio 42. De electione in 6. ubi Gloſs. in princip. & in verb. confirmatus.*

cap. tranſmiſsam, & *cap. quod ſicut*, §. *prætereà*, *De electione.*

14. Quare Sereniſſimus Princeps Clemens juſtè, & licitè retinet Eccleſias Ratisbonenſem, & Friſingenſem ex diſpenſatione Apoſtolica, illaſque retinere poterit uſquequo plenum Regimen Eccleſiæ Colonienſis obtinuerit poſt legitimam ætatem, quamvis anteà poſſeſſionem majoris partis bonorum pacificam habuiſſet (quod neque verum eſt, ut demonſtrabimus infrà) quia liberum exercitium curæ Animarum, in quo verſatur Eccleſiæ Regimen, eſt pars principalis, & dignior, juxtà *text. in cap. commiſſa* 35. *De electione in* 6. in illis verbis: *A tempore illo incæpit, quo ipſius Eccleſiæ regimen commiſſum tibi extitit*, juncta *Gloſſ. ibidem verb. Pacificam, in verſ. quòd ſi liberum habet exercitium curæ Animarum, tenetur hac conſtitutione, licèt tantùm minorem partem poſſeſſionis habeat, quia cura pars principalis eſt, & dignior; ſecùs ſi non habeat liberum curæ exercitium, licèt poſſeſſionem etiam majoris partis bonorum haberet.* Et cùm ex verbis ſupra relatis, ut vacare debeant Eccleſiæ Ratisbonenſis, & Friſingenſis, & ne ſit locus illarum retentioni, utrumque requiratur, poſſeſſio ſcilicèt pàcifica majoris partis bonorum, & quaſi poſſeſſio plenarii, ac liberi Eccleſiæ regiminis, ideò non ſit locus quæſtioni, an alterutrum ſufficiat, ut patet ex *Geminian. in d. cap. commiſsa, & in conſ.* 125. *num.* 8. *& conſ.* 82. *num.* 1. *Archidiac. in cap. nomine Domini* 23. *diſtinct. Abb. in cap. cùm in cunctis*, §. 1. *num.* 4. *De elect. Philipp. Franco, Philipp. Probo in d. cap. commiſsa, Rota Romana deciſ.* 61. *aliàs eſt* 3. *ſub tit. de præbendis in novis*, ex eo præſertìm, quòd in diſpenſatione Apoſtolica fuit æqualitèr reſpectus habitus, tàm ad Statum Sereniſſimi Principis, juxtà natalium ſuorum amplitudinem, quàm ad dignitatis Archiepiſcopalis Colonienſis decus, & exigentiam. *Summ. num.* 1.

15. Secundò reſpondetur, in eodem Brevi Apoſtolico divæ memoriæ Innocentii XI. confirmatorio electionis Colonienſis fuiſſe expreſsè declaratum, quòd obſtaculum, & impedimentum retentionis cæterorum beneficiorum curatorum eſſet pacifica quaſi poſſeſſio adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeù majoris partis eorum eidèm Sereniſſimo Principi Clementi ut ſuprà, conceſſa, una ſimul cùm receptione muneris conſecrationis poſt legitimam ætatem: cui obſtaculo, & impedimento derogatur ad effectum, ut Sereniſſimus Princeps cum adminiſtratione Eccleſiæ Colonienſis etiam poſt legitimam ætatem, & receptionem muneris conſecrationis, omnia alia Beneficia, & Dignitates cum cura, vel ſine cura retinere valuiſſet, ut patet ex illis verbis: *Prætereà ut Statum tuum, juxtà natalium tuorum amplitudinem, & Pontificalis Dignitatis exigentiam, decentiùs tenere valeas, tecum, ut etiam poſtquam pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeù majoris partis eorum aſsecutus fueris, & deindè, ætate legitima tibi ſuffragante, munus Conſecrationis prædictum ſuſceperis, una cum eadem Eccleſia Colonienſi quandiù illi præfueris, illiuſque adminiſtratione tibi, ut præfertur, conceſsa, Monaſterium Præpoſitura nuncupatum Sancti Petri Berehteſgadenſe Ordinis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium, Nullius, ſeù Salisburgenſis Diœceſis, & alia quæcumque beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſinè cura, &c. & Dignitates, ſeù generales adminiſtrationes, & aliàs quocumque nomine nuncupata, & qualitercumque qualificata fuerint, &c. ut prius quoad vixeris retinere liberè, & licitè poſſis, & valeas, ut in Brevi Colonien. dato per extenſum.*

16. Un-

16. Undè cùm ab hac regula generali, qua permittitur retentio omnium Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & Dignitatum cum cura, vel ſinè cura poſt legitimam ætatem, & receptionem muneris conſecrationis, immediatè poſteà excipiantur Eccleſiæ Ratisbonenſis, & Friſingenſis: certè iſta exceptio intelligitur, retentis eiſdem terminis regulæ, nempè poſt majorem ætatem, & receptionem muneris conſecrationis, quia exceptio debet eſſe de regula, & ſecundùm regulam intelligitur. *Zaſius in l.in iis num.4. ff. de legibus*, poſt *Bartol.& alios in l.ſi quis legaverit, ff.de legat.1. Riminald.Jun. conſ.581. num.26. & 27.& in conſ.564.num.45.* Præſertim quia (ut ſuprà diximus) in dicta exceptione appoſitæ ſunt dictiones, & clauſulæ relativæ ad antecedentia, atque ità repetunt qualitatem legitimæ ætatis, & receptionis muneris conſecrationis, in regula expreſſarum.

17. Tertiò reſpondetur, Sereniſſimum Principem Clementem non poſſe dici habuiſſe pacificam, & fructiferam poſſeſſionem majoris, nec minoris partis bonorum Eccleſiæ Colonienſis; Nam & ex illis versùs ſiniſtram partem Rheni, quæ tempore Brevis Apoſtolici ſanctæ memoriæ Innocentii XI. confirmatorii electionis Colonienſis, occupabantur ab Eminentiſſimo Domino Cardinali de Furſtembergh, ex prætenſa ejus poſtulatione ad eamdem Eccleſiam Colonienſem, quæ tamen poſtulatio ab Apoſtolica Sede repulſa fuit. *d.Brevi confirmatorio*. Et ex aliis cæteris bonis ejuſdem Colonienſis Eccleſiæ, ob hoſtilitatem, & bellum incontinenti, & immediatè poſt confirmationem illarum à Rege Chriſtianiſſimo, ex quo omnia fuerunt devaſtata, & continuò devaſtantur, non fuit permiſſum, nec permittitur Principi Clementi aliquos fructus percipere, ut notorium eſt; Propterea, quamvis admitteremus (quod non concedimus, & contrarium fuit ſupra demonſtratum) conditionem vacationis Eccleſiarum Friſingenſis, & Ratisbonenſis, referendam eſſe non ad tempus legitimæ ætatis Sereniſſimi Principis Clementis, ſed ſolummodò ad tempus, quo idem Princeps confirmatus pacificam poſſeſſionem adminiſtrationis in temporalibus Eccleſiæ Colonienſis, & in Spiritualibus conjunctìm cum dicto Joanne-Henrico aſſecutus fuiſſet: nihilominùs dicendum omninò eſt, eamdem conditionem non extitiſſe, nec fuiſſe verificatam, atque ità Eccleſias Ratisbonenſem, & Friſingenſem non vacaſſe, nec vacare, ſed eas canonicè potuiſſe, & poſſe retineri; Ut enim poſſeſſio Eccleſiæ Colonienſis induceret vacationem dictarum aliarum Eccleſiarum, deberet illa eſſe fructifera, ità quòd Princeps Clemens ex bonis Eccleſiæ Colonienſis fructus percepiſſet, & perciperet. *Text. eſt expreſſus in cap. ſi tibi conceſſo 26. de Præbendis, & Dignitatibus in ſexto*, in illis verbis: *Æquum eſt, ut quamdiù ipſius fructus perceperis, primum non debet reputari vacare. Gloſs. in d.cap.ſi tibi conceſſo 26.in verb. vacare*, ubi aſſignat rationem his verbis: *Quia non eſt adhuc adeptus plenè, qui licèt beneficium habeat, fructus non habeat, Abb. ibidem num.16.Caſſador.deciſ.9.num.2. de cauſa poſſeſſ.& proprietat.Azor.Inſtitut.moral.part.2. lib.7.cap.16. quæſt.9. Garzia De benefic.par.11. cap.5.nu.23. Caſtropal.tract.13.de benefic.Eccleſ. diſputat.6. punct.2.§.4.num.21.fol.474.Oieda De incompatibilitat. Benefic.cap.13.num.48. & 80.Roxas De incompatibilitat.par.7.cap.4. nu.37.*

18. Et nè poſſeſſio dicatur pacifica, ſufficit controverſia, etiam facti extrajudicialis. *Paul. de Leazariis in Clementina Gravi, De reſcriptis, Guid. Pap. deciſ.85. num.3.Wameſ. in conſil. canonic.215.nu.4. vol.1.* Pro quo facto extra-

judi-

judiciali ſufficit intervenire moleſtiam turbativam fructuum, aut poſſeſſionis, *ex l.cùm nemo, C.de acquirend.poſſeſſ.Bald.in l.ordinarii, C.de reivindicat. Wameſ.dict.conſ.215.num.4.Gomes ad regul.de annali poſſeſſione quæſt.45.* Et in terminis, quòd quamvis ex neceſſitate reſidentiæ, vel ex pacifica poſſeſſione bonorum unius Eccleſiæ curatæ reſultet incompatibilitas cum alia Eccleſia etiàm curata, nihilominus ea incompatibilitas omninò ceſſat, ſi ex cauſa hoſtilitatis, vel belli non potuerint percipi fructus bonorum unius Eccleſiæ, vel non potuerit in ea reſideri, adeò quod inutilis ea Eccleſia cenſenda eſt, nec operatur vitium aliquod intruſionis, atque ità non impedit, quin acceptari valeat alterius Eccleſiæ collatio, probat egregiè *Jo:Wameſ.de Jur.Pontific. tit. de Præbendis, & Dignitatibus, conſ.243.nu.8.vol.1.fol.436.*

19. Quod verò ex Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. ſtatutum eſt, eum, qui aſſumitur ad Eccleſiæ Regimen, debere ad ſacros Ordines promoveri intrà annum à ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ut in *cap. Licet canon.14.De electione in 6.*ſcilicèt à tempore habitæ pacificæ poſſeſſionis regiminis, ſive exercitii curæ Animarum, & adminiſtrationis in ſpiritualibus, non attento, an habuerit pacificam poſſeſſionem majoris partis bonorum, & adminiſtrationem in temporalibus, ut declarat *Gloſſ. in cap. Commiſſa 35. in verb. Pacificam, De electione in 6.* adeò quod etſi dos Eccleſiæ chaſmate, vel alluvione periiſſet, currit tamen annale tempus, ex quo habet liberam adminiſtrationem in ſpiritualibus, ut tradit *Gloſſ.in cap.Si tibi conceſſo 26.in verb.Vacare, De Præbendis, & Dignitatibus in 6.* certè procedit ſolummodò ad finem, ut currat annus ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, non autem ad finem, ut vacet primum beneficium; Ad hunc enim finem requiritur, quòd cum adminiſtratione in ſpiritualibus habita etiàm ſit poſſeſſio bonorum ſecundi beneficii, ſive majoris eorum partis, quæ debeat eſſe libera, & utilis, & cum fructuum perceptione, nè Clerici mendicare cogantur, ut benè declarat eadem *Gloſſ. in d.cap. Si tibi conceſſo 26. in verb.Vacare*, & eſt communis, & recepta concluſio, ut patet ex *Geminian.in cap.commiſſa 35.De electione in 6.& conſil.82.num.1.Archidiac.in cap. Nomine Domin.23.diſtinct.Abb.in cap.cùm in cunctis, §.1.nu.4. De electione, Franchus, & Probus in dict.cap.Commiſſa, Rota Romana deciſ.61. aliàs eſt 3.ſub tit.de Præbendis in novis, Wameſ.conſil.canon.27.nu.3.*

20. Idque indubitatum eſt in ſpecie, de qua agimus, ex Brevi Apoſtolico ſanctæ memoriæ Innocentii XI. confirmatorio electionis Colonienſis, nedùm in ea parte, qua fuit conceſſa retentio Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis, donec cum effectu, & utilitate haberetur Eccleſiæ Colonienſis poſſeſſio. ibi: *Volumus inſuper, ut donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeu majoris partis eorum aſſecutus fueris, Eccleſias ſupradictas Ratisbonenſem, & Friſingenſem, quibus (ut præfertur) præes, ſimiliter retinere liberè, & licitè poſſis, & valeas. Summ.num.2.* Sed etiam ex cauſa finali diſpenſationis pluralitatis Eccleſiarum in præfatione poſita, quæ principaliter reſpicit ipſius Sereniſſimi Principis Clementis ſubſtentationem pro dignitate ejus natalium, & Eccleſiæ Colonienſis decore. ibi: *Præterea, ut ſtatum tuum juxtà natalium tuorum amplitudinem, & Pontificalis Dignitatis exigentiam tenere valeas, ut in d.Brevi per extenſum:* & maxima ratione in antecedentibus verbis fuerunt etiam commemorata ejuſdem Principis Clementis Ma-

jorum

Digitized by Google

jorum merita, & ſpecialiter Sereniſſimi Maximiliani-Emanuelis utriuſque Bavariæ Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, ejuſque Fratris Germani novis in dies clariſſimis decoribus cumulatiora ſemper in Catholicam Religionem, & Apoſtolicam Sedem, eximia illius pietas, egregiæque virtutes, quæ multum utilitatis præfatæ Eccleſiæ Colonienſi eſſent allatura. *dict. Brevi per extenſum*, utpotè cujus ope poſſet eamdem Eccleſiam tueri adverſus finitimos Principes, qui viciniores Eccleſias pro majori parte occupaverunt, &(ut vulgò dicitur) ſecularizaverunt; quæ quidem cauſæ cenſentur eſſe ſimiles, tùm quia fuerunt appoſitæ in præfatione, tùm quia reſpiciunt qualitates perſonarum, utilitatem Eccleſiæ Colonienſis, & Catholicæ Religionis bonum. *Theſaur. jun. qq. forenſ. lib. 1. quæſt. 1. Bald. in l. Cùm veterani, primo notabil. per Text ibidem, C. de donationibus antè nuptias, Tiraquell. in tract. ceſſante cauſa, &c. limitat. 1. nu. 51. Azeved. conſ. 1. nu. 14. Burſatt. conſ. 345. nu. 6. & 8.*

21. Undè ſi fieret interpretatio, quòd Princeps Clemens non poſſet cum Eccleſia Colonienſi retinere Eccleſias Ratisbonenſem, & Friſingenſem, nec per tempus minoris ætatis, nec per tempus, quo duraverit bellum, ob quod ferè nullam utilitatem percepit, nec percipit ex Eccleſia Colonienſi, certè fieret fraus menti Summorum Pontificum Innocentii XI. & Alexandri VIII. qui litteras Apoſtolicas Innocentii XI. ejus Prædeceſſoris confirmavit, quæ mens apertiſſimè declarata fuit per expreſſionem dictarum cauſarum. Ratio enim, ſive cauſa finalis, quæ movit diſponentem, ampliat, & declarat diſpoſitionem, & tamquam mens, & anima diſpoſitionis, præſertur verbis, ſicut anima corpori, & continet caſus omiſſos, ut genus ſpecies. *Dionyſ. Gothofred. ad l. Cùm mater 77. §. Dulciſſimis, ff. de legatis 2. Cravett. conſ. 460. n. 7. Jul. Clar. ſentent. lib. 3. §. Teſtamentum, quæſt. 76. nu. 1.* Itemque Sereniſſimus Bavariæ Dux, qui ſe, ſuaque profudit in expeditionem belli adverſus Infideles, nec valeret illam opem præſtare, imò & retraheretur ab illis obſequiis præſtandis, quæ fuerunt in mente prædictorum Pontificum, pro publica utilitate, & Catholicæ Religionis bono; Quare non eſt facienda ea interpretatio, quæ contra mentem dictorum Pontificum à talibus obſequiis eum retraheret, ut monet *Cravett. in conſ. 178. num. 11. argumento l. 2. ibi: Perſpiciendum eſt enim, &c. C. de bonis, quæ liberis, & l. Si conſtante. ibi: Nõ cùm negetur, C. de donation. antè nupt.*

22. Quartò, hæc omnia fuerunt habita uti veriſſima, & abſoluta, ac virtualiter declarata à felicis recordationis Alexandro VIII. qui tempore dictarum diſpenſationum ab Innocentio XI. conceſſarum erat unus ex Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus Sacr. Congregationis Conciſtorialis, in qua præfatæ diſpenſationes fuerunt propoſitæ, ac diſcuſſæ; undè conſcius erat mentis, & intentionis Summi Pontificis Innocentii XI. ſui Prædeceſſoris; itaque Alexander VIII. in ſuo Brevi Apoſtolico ſub die 19. Novembris 1689. denuò perſpectis, & cognitis omnibus, nempè litteris Apoſtolicis in forma Brevis Prædeceſſoris ſui Innocentii XI. ſub die 19. Junii 1688. quarum tenor totus inſeritur, ac etiam ſecundo Brevi ejuſdem Innocentii XI. ſub die 20. Septembris 1688. confirmatorio electionis Colonienſis, & omnibus in eo contentis, cum clauſula, quòd eorum tenor habeatur pro inſerto: atque expreſſo etiam defectu ætatis ejuſdem Principis Clementis, & quòd præeſſet præfatis Eccleſiis Friſingenſi, & Ratisbonenſi, nihilominùs conceſſit, & decrevit, quòd præfatæ litteræ Apoſtolicæ divæ memoriæ Innocentii XI. ſuffragatentur eidem Principi, ut eligi va-

valeret ad Eccleſias Leodienſem, & Hildeſimenſem, etiamſi Eccleſias prædictas, vel illarum alteram vacare contigerit per ceſſum, vel deceſſum moderniorum, vel pro tempore exiſtentium Eccleſiarum Epiſcoporum. *Summ. num. 1.* Si enim tunc Princeps Clemens nequiviſſet cum Eccleſia Colonienſi retinere etiam Eccleſias Ratisbonenſem,& Friſingenſem,certè non valuiſſet eligi ad Eccleſiam Leodienſem, ſuccedente ejus vacatione; quia ob intruſionem remanſiſſet inhabilis ad Ordines, & ad omnia alia Beneficia acquirenda, ex *Conſtitutione Joannis XXII. Execrabilis,§.Quæ tamen, & §.Qui verò, De præbendis, Gloſſ.in Clementina Si plures 3.in verbo Vacare lit.B.in fine, De præbendis, & dignitatibus*. Et tamen in dicto Brevi Apoſtolico felicis recordationis Alexandri VIII. expreſsè conceditur, & mandatur, quòd valeat eligi ad dictam Eccleſiam Leodienſem; Igitur neceſſariò videtur conceſſum, & declaratum, quòd cum Eccleſia Colonienſi potuiſſent retineri etiam Eccleſiæ Ratisbonenſis,& Friſingenſis, vel quia donec Sereniſſimus Princeps Clemens ad ætatem legitimam pervenerit, vel durante bello, quo ei non permittitur uti, & frui liberè bonis Eccleſiæ Colonienſis, licitè retinere poteſt Eccleſias Ratisbonenſem, & Friſingenſem; Regula enim, quòd *qui vult conſequens, videtur velle neceſſarium antecedens*, procedit in omni materia, etiam ſtricta, veluti in diſpenſatione, ſtatuto, & decreto. *Decius conſ.77.num.6.Bald.in conſ.472.num.2. vol.2. Cravett.conſ.79.à num.4.& in conſ.341. num.8. Riminald.jun.conſ.783.nu.9.&* 10. ſed in noſtro caſu potiùs agitur de indulgentia, ſive gratia conceſſa ad bonum Chriſtianæ Reipublicæ, ac remunerationem inſignium meritorum ſpecialiter commemoratorum in Catholicam Religionem, & Apoſtolicam Sedem; ideò tanquam favorabilis recipit latiſſimam interpretationem. *cap. in his 30. De privilegiis, ubi Gloſſ.in verb.nimis ſtrictè, & in verb. ex indulgentia, cap.olim 16. De verbor.ſignificat.l.ultima,ff.de conſtitutionibus Principum.*

23. Cui concluſioni non obſtat *Text. in cap. non poteſt 21.§. fin. De præbend. & dignitatib. in 6.* ubi reſpondit Summus Pontifex, per conceſſionem ſecundi Beneficii factam ei, quem noſcebatur aliud Beneficium habere, non cenſeri ſuper retentione primi cum ſecundo Beneficio diſpenſatum; Hoc enim ſolùm præfata operatur expreſſio, quòd gratia nequeat ſubreptitia nuncupari; Nam reſpondetur, *Textum* illum ad rem noſtram non facere, dum nulla alia diſpenſatione opus fuit pro retentione Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis cum Eccleſia Colonienſi, quæ retentio ſufficienter videtur conceſſa Domino Principi Clementi per literas Apoſtolicas Innocentii XI. donec ad ætatem legitimam perveniſſet, vel durante bello, quo ei non permittitur uti, & frui liberè bonis Eccleſiæ Colonienſis, ut evidenter fuit ſupra demonſtratum; Quod quidem ſi non eſſet clarum, prout eſt, ſed ambiguum, tunc operaretur Breve Apoſtolicum Alexandri VIII. non per modum novæ diſpenſationis, ſed per viam declarationis præcedentis diſpenſationis contentæ in literis Apoſtolicis Innocentii XI. ejus Prædeceſſoris; quia unum privilegium declaratur per aliud. *Bald.in cap. auditis col.1.in fine, verſ.in text.* ibi: *Si per illa, &c.de præſcript.Alexand.conſ.69.num.3.vol.6.Cravett.conſ.663.nu.8.Alba conſ.64.nu.33.*

24. Præterea in ſpecie, de qua agitur *Text.in d.cap.non poteſt 21.§.fin.* collatio ſecundi Beneficii facta ei, quem Papa ſciebat alterum Beneficium habere, non eſt inutilis,nec omninò fruſtratoria; quia proviſus poſt collationem ſecundi Beneficii poterat acceptare ſecundum Beneficium, & dimittere primum.

Gloſſ.

Gloſſ.in cap.ordinarii 3.in verbo nullius De officio ordinarii in 6. eadem Gloſſ.in Clementina ſi plures 3.de præben. & dignitatibus, in verb. vacare, verſ.puto tamen, &c. lit.Q. non ſic eveniret in terminis Brevis Apoſtolici Alexandri VIII. quod eſſet omninò inutile, & fruſtratorium; quia dum habet relationem ad futurum tempus vacationis Eccleſiarum Leodienſis, & Hildeſimenſis, per mortem earumdem Eccleſiarum pro tempore Epiſcoporum, minimè poſſent habere effectum verba ejuſdem Brevis Apoſtolici, quòd Princeps Clemens valeret eligi ad dictas Eccleſias, ſuccedente illarum vacatione, quando tempore ejuſdem Brevis, & anteà Princeps Clemens retinuiſſet Eccleſias Ratisbonenſem, & Friſingenſem cum vitio intruſionis, quod eum inhabilem, & ineligibilem reddidiſſet, itaut ei non prodeſſet, quòd medio tempore, vel poſt electionem ad Leodienſem, prædictas Eccleſias Friſingenſem, & Ratisbonenſem dimittere voluiſſet. *Extravag.Execrabilis, §.quæ tamen, & §.qui verè, Gloſſ.in cap. dudum 54.in verb. electionis tempore, De electione, eadem Gloſſ. in Clementina ſi plures 3.in verbo vacare, verſ.puto tamen, lit.Q. & in verb.vacaret in lit. B. de præben.& dignitat.* Atque ita non eſt facienda ea interpretatio, qua Breve Apoſtolicum Alexandri VIII. fruſtratorium, & omninò inutile redderetur. *l.ſi Prætor, ff.de judic.l.Titia 34.§.1.ubi Bartol.& Dioniſ.Gothofred.ff.de legat.2. l.fundus 24.cum l.ſeq. ff. de fundo inſtructo*: Idque procedit in omni materia, etiam ſtricti juris, qualis eſt privilegium, & diſpenſatio. *cap. ſi Papa 10. §. ſi autem, verſ.cùm enim jure communi, De privileg.in 6.Gloſſ.in cap.in his, in verb.ex indulgentia, De privilegiis, Burſat.in conſ.410.nu.45.Riminald Jun. in conſ.590. num.16.& 17.*

25. Rursùs id, quod reſpondit Summus Pontifex *in d. cap. non poteſt 21. §.finali*, ſcilicet per conceſſionem ſecundi Beneficii factam ei, quem noſcebatur aliud Beneficium habere, non videri diſpenſatum ſuper retentione primi cum ſecundo Beneficio, ea quidem ratione procedit, quia Papa conferens credidit, primum Beneficium non ſufficere ad congruam Proviſi ſubſtentationem, cùm de facto illud ſufficiens eſſet; undè non videtur diſpenſatum ſuper illius retentione, secùs ſi verè, & de facto illud inſufficiens fuiſſet, nam tunc benè cenſeretur ſuper retentione diſpenſatum, ut egregiè declarat *Caſtropal.tract.13.de Benefic.Eccleſiaſt.diſput.6.punct.2.§.4.num.27.fol.475. tom.2.* Quarè ceſſat ſcrupulus omnis in noſtro caſu, quo verè, & de facto Eccleſia Colonienſis inſufficiens erat ob illius bonorum devaſtationem ex cauſa hoſtilitatis, & belli Regis Chriſtianiſſimi: Idque nec ignotum erat Summo Pontifici Alexandro VIII. imò notorium in Romana Curia.

26. Verùm hæc omnia ad exuberantiam dicta ſunt; Non enim impræſentiarum principaliter quæritur, an retentio Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis Canonica ſit, an verò præfatæ Eccleſiæ vacent ad effectum, ut illis præficiendus ſit alius Epiſcopus, & Paſtor, ſed ad id ſolùm an per earum retentionem cum Eccleſia Colonienſi Sereniſſimus Princeps Clemens redderetur inhabilis, & ineligibilis ad Eccleſiam Leodienſem, quæ quidem cognitio eſt omninò diverſa, ut notat *Jo: Wames De jure Pontific.tit.de præben. & dignitatib.conſ.243.num.8.in fine vol.1.fol.436.* Nam & ad incidendum in eam pœnam ineligibilitatis, vel inhabilitatis ad alias Eccleſias, vel Beneficia ex retentione plurium incompatibilium, non ſufficit ſola retentio, ſed requiritur etiam mala fides ejus, qui recepit, & ſimul retinet, itaut nulla probabili cauſa excuſari

poſſit; Siquidem Sacri Canones, qui hanc inhabilitatis, & ineligibilitatis ſtatuunt pœnam, loquuntur non adverſus eum,qui ſimpliciter receperit,& ſimul retinuerit, ſed contra illum, qui recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit. ita *ConciliumLateranenſe in cap.de multa* 28.*De præben.& dignitat.*in illis verbis: *Habere præſumat, Gregor.IX. in d.cap. dudum* 54. *De electione.* ibi: *Retinere præſumpſit, cap.conſuetudinem,De conſuetud. in* 6. ibi: *Quòd ſi à quoquam ſecùs præſumptum fuerit,Jo:XXII. in Conſtit.Extravag. Execrabilis, De præben.& dignitatibus.* ibi: *Vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem attentare præſumpſerit,&c.Concilium Trid.ſeſſ.7.cap.4.de reform.* in illis verbis: *Quicumque de cætero plura Beneficia curata, aut aliàs incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica contra formam Sacrorum Canonum, & præſertim Conſtitutionem Innocentii III. quæ incipit De multa, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit, &c.* Certiſſimum autem eſt, verbum illud *præſumpſerit* ſignificare malam fidem,ob manifeſtam inſufficientiamApoſtolicarum diſpenſationum,ac certam ſcientiam, quòd retinere non poſſit, ſive latam culpam, quæ dolo æquiparatur. *Gloſſ. in cap.ſcriptum* 40.*in verb. præſumptione, De electione, Felin.in cap.Judæi nu.*8. *de teſtibus*, cum aliis collectis per *Auguſtin.Barboſ.de dictionibus in verbo præſumere,dictione* 278. *Garzia De Benefic.par.*11.*cap.*4.*num.*194.*&* 195. *Caſtropal.tract.*13.*de Benefic.Eccleſiaſt.diſput.*6.*punct.*2.*§.*6.*num.*4.*fol.*472.*tom.*2.

27. Quarè ſolùm excuſationes frivolæ rejiciuntur à *Gregorio IX.in cap. dudum* 54.*De electione*, in illis verbis: *Nos igitur dictam excuſationem, utpotè frivolam,nullatenùs admittimus*: & talis quidem erat in ea ſpecie, dum producebatur diſpenſatio pluralitatis Beneficiorum Curatorum conceſſa ab Archiepiſcopo, qui non habebat diſpenſandi poteſtatem poſt Concilium Lateranenſe, quo ea diſpenſatio fuit Apoſtolicæ Sedi reſervata, ut advertit *Gloſſ.in cap. dudum* 54. *in verb.per conceſſionem lit.A.* & alia diſpenſatio Sedis Apoſtolicæ, quæ exhibebatur, aperto vitio ſubreptionis, & obreptionis, laborabat: & ſic excuſationis cauſa erat manifeſtè fatua, & improbabilis, ut clarè innuit *Tex.in cap.dudum*, in illis verbis: *retinere præſumpſit*;ſecus verò ſi fuiſſet probabilis,ut notat *Gloſſ.marginalis in d.cap. dudum*, quæ monet de *Text.*videndo *in l.liberto,§.finali,ff.de negot. geſt.* ubi cauſa probabilis admittitur. *Gloſſ. optima in cap ordinarii* 3.*in verb.dubitetur, De officio ordinarii, Rota Romana deciſ.*484.*n.*3. *par.*1.*diverſorum.*

28. Propterea pœnam ex retentione plurium incompatibilium evitat ille, qui habuit diſpenſationem Apoſtolicam, quamvis nullam, & vitioſam, dummodò vitium non ſit apertum, & manifeſtum. *Gomes ad regul. de triennal. poſſeſſ.quæſt.*10.*num.*17.*& num.*21.*&* 22. quia ad bonam fidem,& ad cauſam præſcribendi non requiritur, quòd titulus ſit juſtus, ſed ſufficit aliqualis titulus. *cap.*1. *de præſcription. in* 6. *juncta Gloſſ.ibidem,verb.cauſam tribuat,&c.* Idque etiam procedit, ſi dubitetur, an ea diſpenſatio ſit ſufficiens pro retentione plurium Beneficiorum Curatorum. *Text.eſt expreſſus in cap. ordinarii* 3. *De offic. ordinarii in* 6. in illis verbis: *Si verò de diſpenſationis exhibitæ ſufficientiâ dubitetur, ſuper hoc erit ad Sedem Apoſtolicam recurrendum, cujus eſt æſtimare, quem modum ſui Beneficii eſſe velit.*

29. Atqui in retentione dictarum Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis cum Eccleſia Colonienſi, nulla poteſt conſiderari mala fides Sereniſſimi Principis Clementis, nec ulla certa ejus ſcientia, quòd Apoſtolicæ diſpenſatio-

nes

nes prò illarum retentione non eſſent ſufficientes, donec ad ætatem legitimam perveniſſet, vel durante bello, quo ei non permittitur uti liberè, & frui bonis Colonienſis Eccleſiæ: Nec latæ culpæ argui poteſt, dum de ſufficientia Apoſtolicarum diſpenſationum, neque fuit dubitatum à Capitulis præfatarum Eccleſiarum Friſingenſis, & Ratisbonenſis; quia aliàs debuiſſet unumquodque Capitulum ad electionem Epiſcopi dictarum reſpectivè Eccleſiarum, tamquam vacantium, procedere intra tres menſes, quibus elapſis, debuiſſet Sedes Apoſtolica eiſdem Eccleſiis de Epiſcopo providere, *juxtà cap. ne pro defectu* 41. *De electione*, præſertim ubi ageretur de evidenti animarum periculo, & detrimento, quando ille, qui eis præeſſet, non potuiſſet canonicè, ſive bona fide prædictas Eccleſias retinere, ut conſiderat *Gregorius IX. in d. cap. dudum*, in illis verbis: *In ſuæ quoque ſalutis, & multarum animarum diſpendium prædictas Parochiales Eccleſias retinebat*; *cùm earum cura, quæ jam privatus fuerat ipſo jure, ad eum nullatenùs pertinebat*: *& ſic per ipſum eædem animæ damnabiliter ſunt deceptæ.*

30. Denique bona fides Sereniſſimi Principis Clementis confirmatur etiam authoritate Sac. Congregationis Conciſtorialis, quæ nuperrimè ſub die 24. Martii 1694. in decreto confirmationis Coadjutoriæ ad Eccleſiam Hildeſimenſem pro eodem Sereniſſimo Principe, ſolùm reſervavit inſpectionem de prorogatione retentionis Eccleſiarum Ratisbonenſis, & Friſingenſis in futurum poſtquam factus fuerit locus dictæ Coadjutoriæ, & neque tunc, neque unquam in Sac. Congregatione dubitatum fuit de legitimitate retentionis hactenùs continuatæ; Undè cùm neque ipſa Sac. Congregatio, & S. Sedes dubitaverit, neque Sereniſſimus Princeps poterat dubitare, aut ullam malam fidem contrahere, imò juſtam retinendi cauſam habere cenſendus eſt. *l. juſtè, ff. de acquir. poſſeſſ. l. & generaliter* 28. *in fine, ff. de noxal. action.*

31. Cùm itaque Sereniſſimus Princeps Clemens donec ad legitimam ætatem pervenerit, vel durante bello, canonicè retineat Eccleſias Ratisbonenſem, & Friſingenſem, & in caſu dubii ſuffragaretur ei bona fides, jure meritò erat eligibilis ad Eccleſiam Leodienſem: eoque magis, quòd Romani Pontifices ſemper ad id reſpexerunt, ut tres Eccleſiæ, ſcilicèt Colonienſis, Hildeſimenſis, & Leodienſis unitim regerentur ab uno, eodemque Archiepiſcopo Colonienſi; cui annexum eſt munus S. Romani Imperii Electoris, ut ſic unita fortior eſſet ejus virtus, & potentia contra finitimos Acatolicos: idque patet etiam ex ſtylo Brevium Apoſtolicorum eligibilitatis unius Principis ad iſtas tres Eccleſias, ex quo ſatis apertè declaratur eorumdem Pontificum mens, & intentio. *l. ſi ſervus* 50. *§. ſi numerus ſervorum, ff. de legatis* 1. *l. nummis* 75. *ff. de legatis* 3. *l. cùm ſervus, ff. de condit. & demonſtr. Liparul. ad Andr. in cap. Imperialem num.* 71. *lit. M. de probibit. feudor. alienat. per Frideric. de Franchis in deciſ.* 509. *num.* 2.

32. Proindè oppoſitionem ineligibilitatis undique vanam, & frivolam eſſe, ac electionem, tamquam de perſona eligibili, canonicè factam, confirmari debere. Et ita Juris eſſe exiſtimamus. ſub cenſura. Romæ die 1. Julii 1694.

A. JACOMETTI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super puncto Eligibilitatis.

1. NOn ad inſtantiam oppoſitorum, quibus non tenetur Electus reſpondere circa ſuam eligibilitatem, ſed ut Sanctiſſimus Dominus Noſter valeat muneri ſuo ſatisfacere, dum ex officio tenetur inquirere de qualitatibus,& impedimentis Electi, etiam nemine opponente, ubi agitur de illius confirmatione, ad *Tex. in cap.cùm nobis olim De elect.* ibique communiter ſcribentes, & ſignantèr *Abbas in princ.* cum aliis collectis per *Barboſ. num.* 1. Exhibentur in præſenti indulta diſpenſationum tam ſuper ætate,quàm ſuper retentione incõpatibilium.

2. Ad evitandas verò ſiniſtras interpretationes, quas contra verum ſenſum hujuſmodi diſpenſationum Contradictores obmurmurant,dignari debent Eminentiſſimi Patres ad memoriam revocare quid circa retentionem incompatibilium diſponant Sac. Canones, & quid ſervatur de conſuetudine Germaniæ; ex his enim benè intellectis facilè erit veritatem à ſingulis objectionibus vindicare.

3. Incipiendo autem à conſuetudine Germaniæ, ibidem ex cauſa nedum rationabili, verùm etiam neceſſaria introductum eſt, ut quis plures Epiſcopatus ex Apoſtolica diſpenſatione retineat,ut teſtatur *Fagnan.in cap.dudum De elect. num.*28.& 29. ubi quòd ſuo tempore Elector Colonienſis ultrà Archiepiſcopatum Coloniæ,retinebat etiam Epiſcopatus Leodienſem, Monaſterienſem, Paderbonenſem,& Hildeſimenſem.

4. Sacri verò Canones non decernunt vacationem incompatibilium, neque eorum retentionem prohibent promotis ad Epiſcopatum, niſi poſtquam fuerint conſecrati, aut ſaltèm poſtquam fuerunt in mora petendi conſecrationem, ut communiter tradunt Scribentes in *cap.cùm in cunctis*, *§.cùm verò De elect. Gonzal.ad reg.* 8. *Cancell.gloſſ.* 15. *num.*53. *Maſſobr. in praxi habendi concurſum,regula* 1. *dub.* 2. *num.*14. *Germòn. de Indulto Cardin.* *§. Si verò ex nu.* 20. *Azor. Inſtit. moral.par.*2. *lib.*7. *cap.*16. *quæſt.*12. *Barboſ. in dict. cap.cùm in cunctis,cit. §.cùm verò in princ. & in cap.de multa De præbend. num.* 20. *& De offic.& poteſt.Epiſc. allegat.*57. *num.*67. & 68. ubi licèt ſubdat, quòd in Curia ſervatur, ut Beneficia vacent à die promotionis, non expectata conſecratione, benè ſe tamen explicat *in d. cap.cùm in cunctis ſub num.* 29. aſſerens hunc ſtylum invaluiſſe, ex quo Papa Conſiſtorialiter decernit ea vacare à die promotionis, quòd ſi hujuſmodi decretum non interveniret, ſervanda eſſet diſpoſitio Canonum.

5. His præcognitis, aſſumendo nunc diſcuſſionem Indulti noſtro Sereniſ-

ſimo

ſimo Principi conceſſi, hoc duplex eſt, alterum emanatum die 19. Junii 1688. alterum verò die 20. Septembris ejuſdem anni; in primo igitur diſpenſatur D. Princeps quo ad ætatem, ac decernitur, ut ſtatim atque ipſe obtinuerit confirmari ſuam electionem, ac præfici in Archiepiſcopum, & reſpectivè Epiſcopum, & Paſtorem alterius ex Eccleſiis ibi nominatis, eò ipſo vacent, & vacare cenſeantur Eccleſiæ Ratisbonen. & Friſingen. quas de tempore Indulti dictus Sereniſſimus Princeps obtinebat; ex hoc itaque decreto Papa non derogavit diſpoſitioni Canonum, quia non mandavit, ut dictæ Eccleſiæ vacarent ſimpliciter à die Electionis, & Confirmationis, ſed copulativè quando ex Electione, & Confirmatione contingeret Electum præfici in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, & conſequenter à die Conſecrationis, antequam quis non dicitur Epiſcopus, & notabiliter inquit *Dec. in ſæpè cit. cap. cùm in cunctis, §. Cùm verò num. 5. juncto num. 10. de elect.*

6. Quod clariùs evincitur ex ſecundo Indulto, ubi poſt confirmatam electionem Sereniſſimi Principis ad Eccleſiam Colonien. Summus Pontifex eidem indulget adminiſtrationem in temporalibus, cum facultate diſponendi de redditibus dictæ Eccleſiæ, donec ad ætatem legitimam pervenerit; in ſpiritualibus verò, & dependentibus ab eis decernit Coadminiſtratorem, & nonniſi poſt legitimam ætatem eundem præficit dictæ Eccleſiæ pleno jure; undè patet, quòd hoc medio tempore Papa eum non habuerit pro Epiſcopo, ſed pro ſimplici Adminiſtratore, & dumtaxat à die, quo legitimam ætatem compleverit, & fuerit capax Conſecrationis, verè Archiepiſcopum dici poſſe; cùm à dicta tantùm die plenariè jura Archiepiſcopatus ſit conſecuturus, ut proſequitur *Dec. d. §. Cùm verò, num. 11.*

7. Nec repugnat, quòd fuerit conſtitutus Coadminiſtrator in ſpiritualibus; nam dicta Coadminiſtratio intelligitur quoad ea, quæ ſunt juriſdictionis, non autem quoad alia, quæ ſunt Ordinis, & quæ antè conſecrationem exerceri non valent, ut benè explicat *Barboſa in d. §. cùm verò num. 23. & 24.* & propterea non dicitur habere Epiſcopatum pleno jure, & conſequenter non dicitur Epiſcopus, ex juribus mox allegatis.

8. Minus obſtat decretum vacationis ſubſequenter appoſitum: eo ipſo, quo pacificam poſſeſſionem, ſaltèm majoris partis bonorum, fuerit adeptus, quoniam id commodè intelligi poteſt, & debet, ſingula ſingulis congruè referendo, nempè quando poſt legitimam ætatem pleno jure Archiepiſcopatum obtinuerit; aliàs inducta ad augumentum operarentur diminutionem, & tollerent Beneficium juris communis retinendi incompatibilia, uſque ad conſecrationem, quod non eſt dicendum de gratia conceſſa *motu proprio*, & propterea latiſſimè interpretanda. optimè *Dec. in dicto §. Cùm verò, num. 14.*

9. Accedit præmiſſis obſervantia; nam licèt paulò poſt dictum Indultum Sereniſſ. Princeps ferè omnium bonorum Archiepiſcopatus poſſeſſionem adeptus fuerit, nihilominus nec Capitulum dictarum Eccleſiarum, nec Sedes Apoſtolica intellexerunt eaſdem Eccleſias vacare, dum nec eadem Capitula devenerunt ad aliquam electionem novi Paſtoris, neque Sedes Apoſtolica contulit jure devoluto; Nihil autem eſt, quod magis interpretetur Conſtitutiones Apoſtolicas, quàm ipſa obſervantia, ut de hujuſmodi Conſtitutionibus *Epiſcopus Rocca diſputat. jur. lib. 1. cap. 88. num. 17. Rota in Ariminen. Exemptionis 5. Maji 1688. coram R.P.D. Caprara.*

10. Tan-

10. Tantò magis, cùm retentio incompatibilium in præſenti exadverſo adducatur non ad inducendam eorum vacationem, ſed ad pœnam, quæ ex dicta retentione inducta prætenditur, ad terminos *cap. Dudum*, *De elect.* & propterea, ubi adeſt bona fides cauſata ex diſpenſatione Apoſtolica, dato, & non conceſſo, quòd in ſenſu rigoroſo aliter ea eſſet intelligenda, quàm ſuperiùs fuit interpretata: adhuc ſola dubietas ad excuſandam pœnam ſufficeret, quæ regulariter non incurritur ſine dolo, ideoque ibi *Text. in verſ. Nos igitur*, rejicit tantùm excuſationem frivolam, ex quo diſpenſatio emanaverat à non habente poteſtatem, quam porrò non rejeciſſet ſi emanaſſet à Papa, ut in præſenti, & optimè advertit *Bellamera in eodem Text. in princip. verſic. Excuſationem.*

11. Creſcit autem bona fides, ſtante dicta Germaniæ conſuetudine, & qualitate ſublimiori perſonæ, cui dictum Indultum fuit conceſſum; dum enim ipſe vidit ſuos Anteceſſores contra Canones diſpenſatos ſuper retentione plurium Epiſcopatuum, eò faciliùs credere potuit ſibi antè conſecrationem, & ſecundùm Canones Indultam fuiſſe retentionem poſt adeptum alium Archiepiſcopatum quoad ſimplicem adminiſtrationem, ut de ſe patet.

12. Hinc, quæ ſuperiùs diximus de Indulto retinendi præfatas Eccleſias Friſingæ, & Ratisbonæ, ſufficit Sereniſs. Principi, quòd ſibi ſuffragentur ad hoc, ut evadat pœnas comminatas *in dicto cap. Dudum*, cùm cæteroquin, etiam in caſu, quo idem Indultum eidem verè pro retentione ſuffragari valeat, adhuc paratus eſt eas dimittere, & juri ſuo cedere in obſequium Sanctitatis Suæ, quatenùs ipſe ità jubere dignabitur.

FRAN-

FRANCISCI STANCHI

ADVOCATI ROMANI

A L L E G A T I O

Super puncto Eligibilitatis.

1\. FIrmata ex deductis in altera Electionis validitate, revocatur in dubium capacitas Electi, ſub eo ſuppoſito, quòd Indulta ſa: me: Innocentii XI. & Alexandri VIII. ampliùs ſuffragari non poſſint, ob purificatas conditiones, ſub quibus noſtro fuerunt conceſſa Sereniſſimo Principi Joſepho-Clementi nuper Electo ad Leodienſem Epiſcopatum.

2\. Verùm corruente fundamento talis ſuppoſiti, corruere perneceſſe oportet omne ſuperædificatum. *l.egi tecum, ff.de except. rei judic.& cap.cùm Paulus* 1. *quæſt.* 1. latèque exornat *Gonzalez ad Regul.Cancell. gloſſ.* 31*.ex num.*30.& quamvis ſuppoſitum, cui Pars Adverſa innititur, ſit ab ea concludenter probandum per extrinſecas demonſtrationes. in ſpecie *Riminald.jun. conſ.*67*.num.*53*.lib.*1*. Altograd.conſ.*95*.num.*66*.lib.*1. & in ſpecie conditionis, *Bichius deciſ.*631*.num.*4*.Manzaned.deciſ.*556*.in fin.*itaùt Actore non probante ſuppoſitum, ſive purificationem conditionis, Reus ſit in tuto, etiamſi nihil in contrarium deducat.*cap.ultimo,§.ſanè de jur.jur.& l.qui accuſare, C.de eden. Mantica deciſ.*251*.num.*7.

3\. Attamen conditiones adhuc purificatas non eſſe, conſtare dicimus ex ipſa Indultorum lectura, quorum verba referuntur, & egregiè ponderantur in facto; Licèt autem Electio ad Eccleſiam Colonienſem confirmata jam ſit, ac per conſequens prima conditio purificata extet, nihilominùs ſufficit aliàs conditiones adhùc pendere, nec totaliter eſſe adimpletas, ut virtus Indultorum expirata nequaquam dicatur, ad tradita per *Doctores in cap.ex parte De reſcript. Gratian.diſcept.*70*.num.*42*. Surdus deciſ.*228*.num.*3*.Fontanell.deciſ.*45*. n.*13. Conditione enim aliqua pendente nihil geſtum cenſetur, ut in terminis Bullæ Apoſtolicæ, *Rota deciſ.*213*.num.*7*.par.*19*.recen.* cùm ejus virtus ſit ſuſpendere. *l.cedere diem, ff.de verborum ſignific.* in terminis pariter Brevis Pontificii, *Coccin.deciſ.*1856*.num.*6.

4\. Quòd purificata non ſit altera conditio, videlicet, ut dictus Sereniſſimus ſit præfectus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, patet ex illis verbis: *Ac ex nunc, prout ex tunc poſtquam ad ætatem legitimam perveneris, de perſona tua præfatæ Eccleſiæ Colonienſi providemus, Teque illi in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem*; Undè cùm ad talem ætatem legitimam nondum pervenerit, dum hodie vigeſimum tertium annum tantùm attigit, & triginta completi requiruntur ad Epiſcopatus culmen aſſequendum.*ca.cùm in cunctis De Election. Barboſ.de offic.& poteſt.Epiſc.allegation.*1*.num.*26*.&* 28*.par.*2.Utique dicta altera conditio copulativè adjecta, purificanda remanet, nec proinde ſufficit puri-

rifi-

rificatio ſolius primæ, ut Breve tanquàm expiratum non ampliùs ſuffragetur, *ex præallegat.* & benè *Riminald.jun.conſ.*208.*num.*37. *cum ſeqq.tom.*2.*Menoch. conſil.*35.*ex num.*4.& *conſil.*679.*num.*2.

5. Similiter neque purificata eſt tertia conditio appoſita in conceſſione retentionis, videlicet pacifica poſſeſſio regiminis,& adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis, quippe hujuſmodi quoque regiminis, & adminiſtrationis conceſſio legitur facta: *Poſtquam ad ætatem legitimam perveneris,&c.* & *deinde ætate legitima tibi ſuffragante tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus ipſius Eccleſiæ Colonien. curam, regimen,* & *adminiſtrationem tibi ſoli plenariè committendo,* &c. Quapropter obſtat purificationi conditionis idem defectus legitimæ ætatis, quæ donec ſuperveniat, non expirat diſpenſatio: & conſequenter amiſſa nullatenus dici poteſt conceſſa retentio, ejuſque vigore Eligibilitas: nec intrat *cap.dudum* 54.*De Elect.* quia habilitatus per diſpenſationem, perinde habetur, ac ſi eſſet habilis de jure communi. *Oldrad.conſ.*215.*num.*5. *Lotter.de re beneſ. lib.*1.*quæſt.*40.*num.*164.& *pluribus ſeqq.Sperell.deciſ.*111.*num.*27.& 28.*Rota deciſ.*12.*num.*13.*par.*5.*recent.*& *deciſ.* 187.*num.*11. & 12. *coram ſan. mem. Alexandro VIII.*

6. Nec dicatur, quòd Pontifex concedendo retentionem uſque ad tempus quo diſpenſatus eſſet in poſſeſſione Archiepiſcopatus Colonienſis, intellexerit de poſſeſſione ſimplicis adminiſtrationis, quam tunc concedebat; etenim talis intellectus directè repugnat,tam verbis Indulti, quàm menti Indulgentis; Verbis quidem, quia explicata legitur durabilitas retentionis ejuſdem terminis, cum quibus explicata eſt qualitas conceſſionis. Undè ſicuti durare debet conceſſio uſque ad ſtatum legitimæ ætatis, ita etiam durare debet adminiſtratio. *vulgat.l.jam hoc jure, ff.de vulgar.*& *pupill.Bich.deciſ.*138.*num.*19.& 20. *cum aliis in recent.deciſ.*150.*nu.*15. *par.*11. Certius, quia una pars Brevis aliam declarat. in puncto *Ludoviſ.deciſ.*87.*num.*10.*Dunozet.jun.deciſ.*830. *nu.*5.

7. Menti, quia ſi ad terminos nudæ adminiſtrationis tunc conceſſæ, eſſet reſtricta retentio, utique gratia momentanea fuiſſet,ac diſpenſatio cum ipſo Indulto diſpenſante evanuiſſet,quod nullatenus eſt credendum,tum quia prorſus inveriſimile.*Gabriel De reg.jur.concluſ.*10.*per tot.* & punctualiter *num.*13. *cum ſeqq. lib.*9. Tum quia induceret ſubitaneam correctionem, ac ſi Papa una manu conceſſiſſet, atque altera abſtuliſſet, ut ait *Gonzalez ad regul. Cancell. gloſſ.*11.*num.*72.*Cravett.conſ.*70.*num.*5. ubi quòd ea ſemper eſt ſumenda interpretatio, quæ tollit contrarietatem, etiam impropriando verba, & *num.*8. ubi quòd per ſubauditos intellectus nunquam poteſt induci correctio diſpoſitionis. latè *Card.Tuſch.concluſ.*330. *num.*10.22.30.33. & 54.*litt.I.tom.*4.optimè, & punctualiter *Rota deciſ.*385.*num.*34. *par.*19.*rec.*

8. Verùm, ut rei non dubiæ illuſtriores accedant probationes, ſupplicamus adverti, quòd Epiſcopatus eſſentia non conſiſtit in poſſeſſione, ſeu adminiſtratione Bonorum Menſæ, quod reſpicit temporalia, ſed in regimine, & gubernio ſpirituali. *Pignatell.conſult.Canonic.*86.*num.*2.*tom* 1. *Barboſ.de Jur.Eccleſ.Univerſ.par.*1.*cap.*6.*ſub num.*2.ibi: *Non tamen per Epiſcopatum, in quo licèt ſpiritualis poteſtas ſuſcipiatur,*& *num.* 4. ibi: *Quia Epiſcopalis Ordo, quoad ſpiritualem poteſtatem unus tantum eſt,* & latiùs *in tract. de offic.Epiſcop. tit.*1. *cap.*2.*per tot.De Luca in Miſcellan.Eccleſ.diſcurſ.*7. *nu.*18. Undè cùm ſpirituale gubernium Coadminiſtratori conceſſum fuerit, donec ad ætatem legitimam

Sere-

Digitized by Google

Sereniſſimus Princeps pervenerit;equidem nunquam dici poterit verè Epiſcopus idem Princeps, quouſque ſpiritualia exercere valeat, ideòque impoſſibile redditur, quòd Papa intellexerit de ſimplici adminiſtratione temporali; nam ſi adminiſtratio temporalium efficeret Epiſcopos, nunquam talis fuiſſet Petrus, qui argentum, & aurum non habebat: & viceverſa quilibet Oeconomus appoſitus ad adminiſtrandum loco abſentis Epiſcopi, dici poſſet Epiſcopus, quod ineptiſſimum apparet.

9. Rurſus reflecti ſupplicamus ad obſervantiam, tum ex parte Pontificis, tum ex parte Capitularium Friſingen. & Ratisbonen. quæ obſervantia Regina nuncupatur Interpretationum, præcipuè in materia Indultorum Apoſtolicorum pro aſſequenda germana eorum intelligentia, quatenus etiam dubia, & ex unico ſolùm actu derivans, ut per *Text. in l.ſi de interpretatione, ff.de legib.* alioſque concordantes, in terminis *Rota deciſ.316.num.11. cum ſeqq. par.9. recent.deciſ.140.num.8.par.14.deciſ.385.num.35.par.19.& in deciſ.7. num.6. coram Card.Celſo, & deciſ.244.num.37.coram Bichio.*

10. Ex parte Pontificis, quia ſi præfati Epiſcopatus pro vacatis habiti eſſent, profectò eorum collatio, & proviſio neglecta non fuiſſet à Sede Apoſtolica, dum poſt tres menſes, juxtà concordata inter Nicolaum V. & Federicum Cæſarem, jus eligendi devolvitur ad dictam Sedem. Ex parte Capitularium, quia ob eandem rationem evitandi amiſſionem tanti juris, non prætermiſiſſent ad novas devenire electiones. *Cravett.conſ.75.num.17. &* 18. *Gratian. diſcept. 278.num.25.Coccin.deciſ.1773.num.7.& in recent.deciſ.154.num.43.par.* 8.

11. Tertio loco ponderari ſupplicamus bonam fidem Sereniſſimi Principalis, qui nullatenus unquam, nec judicialiter, neque extrajudicialiter fuit interpellatus ad dictas Eccleſias deferendas, prout opus fuiſſet. *De Luca de Judic. diſc.21.num.*16.*Bich.deciſ.263.num.6.* non obſtante clauſula illa *vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo*; quoniam talis clauſula tunc ſupplet defectum interpellationis, quando clarum eſt Indultum, & per conſequens certa vacatio, ſecus verò ubi eſt dubia, immo inſubſiſtens, juxtà præmiſſas rationes; nam tali caſu bona fides, quæ dicitur adeſſe etiam in dubitante. *Celſi deciſ.* 101. *ſub num.4. Bich.deciſ.199.num.30.& in recent.deciſ.265.num.7.cum ſeqq.par.*17. excludit virtutem prædictæ clauſulæ, donec ſententia declaratoria accedat, ut poſt *Gloſ.in cap.quam ſit,verb.eo ipſo De Elect.in* 6.declarant *Felin.in cap.Rodulphus num.35.& ſeqq.de reſcript.Tiraquell.in l.ſi unquam, verb. revertatur nu.* 398. *uſque ad* 404.*C.de revoc.donat.Gonzalez ad regul.Cancell.gloſ.56.nu.*126.*uſque ad* 132. *Sanchez in præcept.Decalog.lib.2.cap.202.num.*20. *Roſa de execut. litt. Apoſtolic.cap.5.num.234.Dunozett.jun.deciſ.705.num.7. &* 8. *ac deciſ.308. nu. 7.cum ſeqq.par.*12. ubi reprobatur *Garzias De Benefic.*cõtrarium ſentiens cum aliis punctualiter *in Romana Penſionis 12.Februarii 1685.§.Ponderarunt enim abundare ſemper bonam fidem, & §§.ſeqq.* ſignanter *ultimo, coram Paulutio.*

12. Dictaque bona fides evaſit optima poſtquam Sacr. Congregatio Conciſtorialis deputavit menſe Octobris 1691.(approbante deputationem Sanctiſſimo D. N.) Præpoſitum Zeller in Coadminiſtratorem Epiſcopatus Friſingen. loco defuncti Canonici Kal, quo tempore Sereniſſimus Principalis reperiebatur à duobus annis, & ultra in poſſeſſione bonorum Eccleſiæ Colonienſis: ſignum evidens, quòd dictus Epiſcopatus Friſingen.non vacabat,quia Indultum poſt legitimam dumtaxat ætatem, & utramque adminiſtrationem ſpiritualium

non minùs, quàm temporalium, vacationem induxerat.argumento *text. in l. ſed Julianus, §.Proinde, ff.ad Macedon.& l.quadam,ff.de rebus dub.Roman.conſ.* 291.*num.2. ibique Adden.lit.A.Mande tacit.lib.2.tit.1.num.4.cum ſeqq. Rota deciſ.*114.*num.4.par.*16.*recent.*

13.° Quarto denum loco conſiderari ſupplicamus, quòd quando etiam recenſita dictio *eo ipſo*,vacationem potuiſſet inducere ipſo jure abſque ulla interpellatione, quia clarus eſſet Indulti tenor, nec ullus actus, & nulla obſervantia adverſaretur, prout adverſari conſtat ex præmiſſis: adhuc hoc unum abundaret, quòd illi quorum favore eadem dictio militabat, nempè Pontifex, & Capitulares, ea uti nolle declararunt tacendo, nec ad novam Electionem deveniendo, nam ſubintelligitur conditio, ſi pars uti velit, ut in individuo concludit, ac pluribus ornat exemplis, *Gonzalez ad regul.Cancell.d.gloſ.56.ex num.* 48. ſignanter *num.65.& 79. & 106. Rota deciſ.422.num.4.verſ.Et licet par.4.rec.& deciſ.8.num.2.coram Puteo lib.2.* meliùs *deciſ.*1810.*ex num.*10. *coram Coccino.*

14. Demùm notandum eſt, quòd Eligibilitas ab Innocentio XI. & Alexandro VIII. conceſſa non fuit generaliter ad quaſcumque,ſicuti concedi ſolet, quo caſu conceſſio reſolvitur per unicam Electionem, juxtà declarationes Sac. Congreg. Conciſtorialis, ſed ſpecialiter, & cumulativè ad tres Eccleſias Colonien.Leodien. & Hildeſimen. demonſtratio evidentiſſima, quòd dd. Pontifices intellexerunt dictas Eccleſias unire,& unitas remanere ſubjectas totali, ſingularique Dominio unius Principis Eccleſiaſtici,prout unitæ fuerunt ſpatio pluſquam centum annorum ſub Sereniſſimis Erneſto-Ferdinando, & Maximiliano-Henrico Bavaris, quorum Auguſta Domus fuit, & eſt columen, præſidium, ac decus Catholicæ Religionis, eaſdemque Eccleſias ſic unitas ab Acatholicorum inſultibus, quod aliter facere nequiſſent, propriis, & hæreditariis viribus vindicare potuerunt. Hanc autem fuiſſe conceſſionis potiſſimam Cauſam,nedum veriſimilem, ſed neceſſariam, patet, & inſimul cum tot aliis recenſitis reflexionibus indubiam reddunt talem veritatem. *l.rationes, C.de probat. Bald. conſ.3. num.4. lib.3.Bich.deciſ.30.num.33.*

15. Cæterum, quatenus etiam Mundus rueret, ut dici ſolet, atque omnia laberentur excitata motiva,non indè tamen Eligibilitas caderet, ſed ſolùm pendentium Eccleſiarum retentio evaneſceret;ac penderet ab arbitrio Electi dimittere antiquas,& aſſequi novas. *Oldrad.conſ.*165.*Ancharan.conſ.*59. *in fin.* Interim verò nulla adeſſet vacatio, quia incompatibilitas non oritur ab Electione, imo neque ab aſſequutione, ſed à pacifica omnium retentione per duos menſes,*juxt.cap.de multa,De præben.& cap.commiſſa De Elect.in 6.Hojed.de incompatibil.benef.par.1.cap.13.num.48. & 80. Cavaler.deciſ.450.nu.6.Dunozet.jun. deciſ.*811.*num.1.& in rec.deciſ.*131.*nu.8.par.*11.*cum aliis in Bononien. Canonicatus 4.Aprilis* 1672.*§.ult.coram Rondinino.*

OCTA-

OCTAVII DE JANDIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super puncto Eligibilitatis.

1. Comprobata plenè fuit in alia validitas Electionis Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis ad Eccleſiam Leodien. vindicata etiam ab objectis ex Inſtrumento, actiſque Capitularibus eductis; Nunc autem cùm de ejus ineligibilitate contingat obmurmurari, eo quòd Friſingen.& Ratisbonen. Eccleſias poſt adeptam Colonienſem retinuerit, indebitè juxtà terminos *Text. in cap. Dudum* 54. *De election.* taliſque retentio nullam valuerit ineligibilitatem inducere, concedenda eſt debita confirmatio, ex hac frivola exceptione, utpotè nihil impediente, nullatenus retardanda, ut ait *Text.in cap. Poſtquam* 3.*De election.* & tradunt ibi communiter Canoniſtæ.

2. Omnis quippè ineligibilitas excluditur ab Indultis Apoſtolicis, quibus à ſanct. memor. Innocentio XI. & Alexandro VIII. fuit in ampla forma habilitatus, & effectus eligibilis præciſè ad Leodienſem Eccleſiam cum retentione Friſingen. & Ratisbonen. quibus munitus de ineligibilitate redargui non poteſt, quemadmodum probat idem *Text. in præcitato cap. Dudum* 54. *De elect. una cum Gloſſ.& Scribentibus,Speculat. lib.*1. *tit.de diſpenſat. part.* 1. *in princ. Caſtellin. de elect. cap.*4. *num.*39. *Tholoſan.in Paranbil.Jur.Canonic. eod. tit.cap.*9.*num.*3. *par.*2.

3. In præfatis Indultis fuit conceſſa retentio prædictarum Eccleſiarum, earumque vacatio ſolùm decreta, quando Sereniſſimum Principem in Archiepiſcopum, & Paſtorem præfici contingerit.ibi: *Statim ac contingerit Te in Archiepiſcopum,& Paſtorem præfici*, quod adhuc non eſt purificatum; nam Sereniſſimus Princeps infra triginta annos exiſtens, & adhuc non conſecratus, non eſt Eccleſiæ Colonienſis Paſtor, & Archiepiſcopus, cùm tunc electus in Archiepiſcopum, & Paſtorem præficiatur, quando actualiter conſecratur, & ex ipſa conſecratione,tanquam forma,recipit eſſe Paſtoris, & Archiepiſcopi, veluti colligitur ex *cap.Sicut viri diſtinct.*40.& probat *Gloſſ.in cap.*1.*verb. dedicanda De Relig.dom.& in Clem.*1. *verb.Pontificem De pœn. Abb.in cap.cùm ex illo nu.*4. *de translat. Epiſcop.*;& ibi latè *adden.* ac alii cumulati per *Moſcon. de majeſt. militan. Eccleſ. par.*1.*cap.*8.*in princ. verſ. His generaliter pag. mihi* 138. *Puoron.ad Bull. Cœnæ Domini cap.*11. *ſub num.*52. *verſ. rigoroſè quippè loquendo, Hallier.de Sacr.Election.titul.de tempor.conſecrat.Epiſcop.art.*3.§.5. *num.*13.*pagina mihi* 928. Undè *Goffred.Vindonicienſis in opuſc.*2.*de ordinat.Epiſc.*inquit: *In primis firmiter credere nos oportet, & nullatenus dubitare, ut quemadmodum Baptiſmus Chriſtianum facit, ita electio, & conſecratio facit Epiſcopum;*

& ſicut impoſſibile eſt ſine baptiſmate Chriſtianum fieri, ità eſt impoſſibile Epiſcopum ſine electione, & conſecratione creari. in ordinatione Epiſcopi electio, & conſecratio ſic eſt utraque neceſſaria, quòd conſecratio ſine electione, & ſine conſecratione Electio, Epiſcopum facere ſola non ſufficit; nam ſicut in baptiſmate aqua, & invocatio Spiritus Sancti ſunt neceſſaria, quæ faciunt Chriſtianum, ita in ordinando Epiſcopo electio, & conſecratio ſunt neceſſitate conjuncta, quæ creant Epiſcopum. Et ſicut aqua ſola, aut ſola invocatione Sancti Spiritus, nec baptiſmus fieri poteſt, nec Homo eſſe Chriſtianus, ita ſola electione, aut ſola conſecratione nemo ordinari, vel fieri valeat Epiſcopus.

4. Hinc Electus tam, etſi confirmatus, ante conſecrationem ſolùm Prælatus, & Electus nuncupatur, non autem Epiſcopus, quo animo tantùm appellatur poſt conſecrationem. *capit. Tam litt. De Teſtibus, capit. nuper De his, quæ fiunt à Prælatis ſin.conſ.capit.& clariùs ex Pontificali Romano*, intantum quod uti ſimpliciter Electo non uti Epiſcopo, & Fratri Pontifices, proùt adhuc reſcribunt Sereniſſimo Principi, juxtà ea, quæ tradit eadem *Gloſ.in capit.1.verb. declinan.de Religioſis domibus, Hallier.de Sac.Elect.tit.de temp.conſecrat. Epiſcoporum allegat. §.5. ſub eodem num.13. Tholoſan. in Proœm.decretal. num.15.* Et meritò, quia cùm Invitus conſecrari nequeat. *capit.final.de poſtulat. Prælat.* & præciſè *Abbat num.11.* Jo: *Andr.n.2. Prob.ad Monac.in cap. Generali num.40. de elect. in 6. Fagnan. in cap. Quanto num.3. De tranſlat.Epiſcop.* Electus etiam confirmatus valet ad ſeculum redire, & etiam uxorem ducere, prout punctualiter firmat *Petr. de Ledeſma in tract. de matrimon. in addit. ad tertiam partem quæſt.53. art.3.in dubio, quod movet circa ſolutionem ad tertium Concil. 1.& 3. pag.mihi 376. col.2. in fin.verſ.Nihilominus*, ubi dicit, quòd oppoſitum non invenitur in Jure ſancitum, quem ſequuntur *Sanchez De matrim.lib.7. diſput. 28.num.13.* ubi *in fin.* præciſè dicit, quòd Epiſcopo confirmato, nondum tamen ad Sacrum Ordinem promoto, & per conſequens nec conſecrato, nullo Jure interdicitur reſilire, & ad nuptias tranſire. *Tancred.de matrimon.lib.7.diſput.28. ſub num.4. verſ. Quod verum eſt*, quemadmodum nuper deciſum, & practicatum vidimus in Curia, non deficientibus antiquis exemplis relatis ab *Ughell.in Ital. Sac.tom.1. pag.1017.num.53. tom.3.pag.845. num.46. & tom.9.pag.449.n.49.*

5. Comprobat ſupradicta ipſamet confirmatio Electionis Colonienſis, in qua litteraliter non præficitur Sereniſſimus Princeps in Archiepiſcopum, & Paſtorem, niſi poſtquam completa ætate talis effici potuerit per conſecrationem in illis claris verbis: *Ex nunc prout ex tunc, poſtquam ad ætatem legitimam pervenerit, de perſona tua præfatam Eccleſiam providemus, Teque illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem præficimus*: quæ verba apertè denotant Sereniſſimum Principem in ipſa confirmatione non fuiſſe præfectum in Paſtorem, & Archiepiſcopum, niſi poſtquam ad ætatem legitimam pervenerit, nec illa clauſula *ex nunc prout ex tunc*, valet aliquid operari in his terminis, ex *tradit.per Rotam in rec. deciſ.456.num.1.par.1.*

6. Hoc ipſum ſequitur ex diſpoſitione Juris, qua cautum eſt priores Dignitates, Beneficia Eccleſias in adminiſtratione conceſſas, non vacare per electionem, & confirmationem, imò neque poſſeſſionem, ſed ultra hæc omnia requiri conſecrationem, cùm hæc quatuor requirantur, Electio, confirmatio, poſſeſſio, & conſecratio, ea ratione, quia conſecratio dat titulum incompatibilem: & ulterius, ſicuti ante conſecrationem Electus poteſt arceri, vel renunciare, æquum

ita

Digitized by Google

ita non eſt, ut dimiſſis antea prioribus Dignitatibus, exponatur periculo amittendi omnia. *Decius in cap. Cùm in cunctis, §. cùm verò De electtion. num. 1. Abb. num. 6. & alii, Bellamer. in cap. in noſtro num. 15. de reſcript.* ubi quòd ante conſecrationem gratia non eſt conſumpta. latiùs *Barbat. ibidem num. 92. Oldrad. conſ. 14. à num. 4.* ubi animadvertit hoc eſſe in Epiſcopis ſpeciale. *Hored. de incompatibilit. Benefic. par. 1. cap. 3. tit. de incompatibil. Epiſcopat. num. 11. Benger. de pluralitate Benef. c. 3. num. 6. Barboſ. de Epiſcop. allegat. 57. num. 67. Adden. ad Rot. in nov. titul. de offic. legat. addition. 17. num. 3. Rota coram Put. deciſ. 114. num. 1. lib. 2. Seraphin. deciſ. 110. eodem num. & inter diverſ. deciſ. 163. num. 7. par. 4.*

7. Et quamvis *Text. in dicto capit. cùm in cunctis, §. cùm verò* incompatibilitatem, & vacationem inducat, elapſis etiam temporibus conſecrationi de Jure præfinitis: Attamen ultra quod hoc procedit dumtaxat quemadmodum in ipſo Textu dicitur data negligentia, & culpa Electi in differenda conſecratione, ut benè explicant ibidem Interpretes, & ſignanter *Compoſtellani num. 9. uſque ad fin. Anton. de Butr. num. 3. Abb. num. 5. & Decius num. 12. & 13.* Quæ negligentia haud conſiderari valet in Sereniſſimo Principe, qui non niſi poſt legitimam ætatem in Archiepiſcopum, & Paſtorem præfectus fuit ex dictis, ceſſat quælibet difficultas ex Indultis Pontificiis, quorum vigore dilata eſt ejus conſecratio, & tempus illius prorogatum, & conſequenter indulta, & conceſſa etiam retentio aliarum Eccleſiarum. *Butr. in citato cap. cùm in cunctis num. 3. Abb. nu. 9. Dec. num. 13. de electtion. Felin. in cap. Poſtulaſti De reſcript. verſ. Tamen ſequenda eſt opinio Abbatis*, ubi quòd Beneficia vacant ex conſecratione, aut ex lapſu temporis propter negligentiam, & culpam ex ipſo lapſu, ſed ex quo eſt diſpenſatum, cùm nulla ſit negligentia nulla eſt pœna, & privatio non cadit ubi ceſſat cauſa privationis. *Rebuff. in prax. Benefic. titul. de diſpenſat. ad plur. benefic. num. 74. Gambar. de authorit. Legat. lib. 10. à num. 249. ad 25[illegible]. Everard. loco 79. à ratione legis larga ſub num. 36. verſ. Quòd ſi Elect.* & pluribus aliis relatis egregiè à *Sanchez De matrim. lib. 8. diſput. 1. num. 24. verſ. At dicendum eſt*, ubi quòd vacatio Beneficiorum inſeparabiliter ſequitur culpabilem dilationem conſecrationis; quare eo ipſo, quod dilatio culpa vacat ratione diſpenſationis, iſta ſecum fert etiam licitam retentionem Beneficiorum tamquam connexum inſeparabile, & excludit omnem incompatibilitatem, & adducit caſum Textualem *in cap. cùm ex eo De electione in 6.* ubi Parochus diſpenſatus ne infra tempora promoveatur, non amittit priora Beneficia uſque ad actualem ordinationem.

8. Abſque ulla difficultate quando diſpenſatio proceſſit ex publica utilitate, quo caſu omnes concordant ſecum ferre licitam retentionem Beneficiorum, ut individualiter docent *Anton. de Butr. dicto cap. Cùm in cunctis eodem §. Cùm verò num. 14. verſic. Secus ſi conceſſa ad utilitatem publicam, Joann. Andr. num. . . . Felin. citato cap. Poſtulaſti num. 13. verſic. Limita ſextò, Hoſtien. in ſumma titul. de electione, §. Quo tempore, verſic. Conſecrato, & ſequentib. Pirr. Corrad. in prax. diſpenſat. lib. 1. cap. 5. num. 30.* ex publica autem utilitate fuiſſe Indulta præfata Sereniſſimo Principi conceſſa, patet ex eorum lectura, in quibus præter generis ſplendorem, Majorum, ac præcipuè Sereniſſimi, & Invictiſſimi Fratris Maximiliani-Emanuelis utriuſque Bavariæ Ducis S. R. I. Principis Electoris, Chriſtianæ Fidei Aſſertorio Eximii, exprimuntur in Catho-

tholicam Religionem, & Sanctam Sedem merita, & incrementa, quæ in dies majora, Domino benedicente, ab eodem, & à Sereniſſimo Principe Joſepho-Clemente, ideò ſperantur in Unione iſtarum Eccleſiarum, earumque defenſione adverſus finitimas Acatholicorum Vires, & uſurpationes, ratione cujus publicæ utilitàtis ſolent in Germania Epiſcopatus uniri, & unita abſque ulla incompatibilitate concedi, teſte *Fagnan. in cap. Dudum num.* 29. *De election. & Cardin. Pallavicin. in Hiſtor. Sacr. Concil. Trident. lib.*24. *cap.*12. *nu.*11. *in fine.*

9. Accedit rurſus, quòd retentio iſtarum Eccleſiarum ex alio Capite non eſt de Jure incompatibilis, quandoquidem omnes retinentur in adminiſtrationem temporalium, & quælibet Eccleſia habet in ſpiritualibus Epiſcopum adminiſtratorem cum cõſuctis facultatibus Ordinariæ juriſdictionis, qui illarum reſpectu verè Ordinarius cenſetur, ut ſpecificè animadvertunt *Pariſ. de reſignat. lib.*7. *quæſt.*24. *num.* 23. *& Joannes de Laur. de ætat. ad benefic. requiſit. tract.* 1. *cap.* 7. §. *Hac noſtra verò ætate, circa med. ſol,* 60. *in fin. &* 61. *in princip.* Undè cùm in eis ceſſet cumulatio titulorum, nulla reſultat incompatibilitas ex his adminiſtrationibus conjunctis, cùm ſimiles adminiſtrationes meram procuram inducant. *cap. Qui plures* 3. *quæſt.* 1. *cap. Cum nobis* 19. *in fine, & in ipſo cap. Dudum* 54. *de election. cap. De multa, De præben. Gemin. cap.* 8. *num.*42. *eodem titulo, Oldrad. conſil.*217. *num.* 5. *Hojed. de incompatib. Benefic. par.*1. *cap.*3. *num.*1. *Garz. de Beneſ. part.*4. *cap.*5. *num.*47. *Adden. ad Buratt. deciſ.*19. *num.*22. *& Rota in Seguntina Theſaurariæ coram Orano, apud Garz. de Benefic. par.*11. *cap.*5. *num.*181. *Put. deciſ.*114. *num.*3. *lib.*2.

10. Neque refragatur, quòd in confirmatione Electionis ad Eccleſiam Colonienſem fuerit conceſſa retentio Friſingen. & Ratisbonen. donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ, illiuſque bonorum, ſeu majoris partis eorum Sereniſſimus Princeps aſſequeretur; Etenim cùm ex antecedenti Indulto uſque ad conſecrationem, & legitimam ætatem conſtet retentionem fuiſſe conceſſam, ſi aliàs hæc confirmatio foret intelligenda, deſtrueret præcedens Indultum, quod ubique dici non debet in iſtis gratiis, & privilegiis favore ejuſdem Perſonæ à Sancta Sede conceſſis, quæ ad invicem nec revocantur, nec confunduntur, dum præſertim non adſunt, ut hìc, clauſulæ revocatoriæ. *Butr. in cap.* 1. *gloſs.*1. *de offic. Legati, Abb. in cap. Cùm olim il* 1. *num.*17. *de privileg. Ripa in cap.*1. *num.* 48. *de præſcript. Rota coram Verallo deciſ.*309. *num.*2. *par.*1. *Coccin. deciſ.*1628. *num.*18.

11. Verùm prædicta verba *Regiminis, & Adminiſtrationis*, præferunt regimen, & adminiſtrationem Archiepiſcopalem conſequendam poſt legitimam ætatem, & poſtquam Archiepiſcopus, & Paſtor effectus ſit per conſecrationem, & uſque ad hæc tempora confirmatio retentionem indulſit, & diſtulit Eccleſiarum vacationem: idque evidenter reſultat à ſequentibus ejuſdem confirmationis partibus, & præcipuè ab ea, in qua Pontifex nonniſi tempore legitimæ ætatis declarat committere Sereniſſimo Principi Regimen, & Adminiſtrationem Eccleſiæ Colonienſis. ibi: *Et deindè ætate legitima Tibi ſuffragante, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ipſius Eccleſiæ Colonienſis, curam, regimen, & adminiſtrationem Tibi ſoli plenariè committendo.* Ex his enim importantibus Regimen, & Adminiſtrationem Epiſcopalem, antecedentia verba declarantur, ob regulam vulgarem, quòd una pars Indulti aliam decla-

rat,

rat, de qua *Rota in recent. deciſione 287. num. 22. part. 18.*

12. Præterea Pontifex concedendo adminiſtrationem Colonienſis Eccleſiæ uſque ad legitimam ætatem, diverſo modo loquitur ab eo, quo in conceſſione retentionis Eccleſiarum uſus eſt; Ubi enim concedit adminiſtrationem, nullam facit mentionem de Regimine, contentus exprimere puram adminiſtrationem. ibi: *Teque ex nunc, donec ad ætatem legitimam perveneris, eidem Eccleſiæ adminiſtratorem, & præfatum Joannem, &c. Coadminiſtratorem tuum in ſpiritualibus, &c. Conſtituimus*; & ibi: *Adminiſtratione hujuſmodi durante*, & in aliis, quæ nullum Adminiſtratorem, & ſolam adminiſtrationem præfertur; Ex oppoſito autem, ubi concedit retentionem Eccleſiarum, utitur verbis geminatis, & Epiſcopalem qualitatem præferentibus: & plenius procedendo loquitur per illa verba conjuncta *Regiminis, & adminiſtrationis*, quæ, ut ſuperius dictum eſt, important regimen, & adminiſtrationem poſt ætatem legitimam, in qua Papa eidem Sereniſſimo Principi committit Regimen, & adminiſtrationem Epiſcopalem. ibi: *Ætate legitima ſuffragante Tibi curam, Regimen, & adminiſtrationem, &c. committendo, &c.* quare conſtat diverſo modo Papam locutum in conceſſione adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis, & in conceſſione retentionis Eccleſiarum Friſingenſis, & Ratisbonenſis, nec unquam voluiſſe retentionem dictarum Eccleſiarum excluſas eſſe per ſimplicem adminiſtrationem Colonienſis, ſed ſolùm per adminiſtrationem, & Regimen Epiſcopale, maximè, quia illa *Regiminis, & adminiſtrationis*, nedum ſunt conjuncta, ſed etiam indefinita, itaut totale Regimen, & integram adminiſtrationem importent, cùm indefinito toto æquipolleat. *cap. Quo circa, De privileg.cap.Ut circa, De elect. lib.6.* Hoc Regimen indefinitum, & totum, integramque hanc, & indefinitam adminiſtrationem certè non habet Sereniſſimus Princeps, cui alter Coadminiſtrator datus fuit, neque poteſt tale regimen, & adminiſtratio indefinita intelligi de parte, quia Pontifex illam expreſſiſſet, prout in eodem Capitulo circa poſſeſſionem honorum partem expreſſit. ibi: *Pacificam poſſeſſionem bonorum, ſeu majoris partis eorum*; itaque dum ultra adminiſtrationem in conceſſione retentionis Regimen expreſſit, & quidem indefinitè, planum eſt retentioni iſtarum Eccleſiarum adminiſtrationem Colonienſis non obſtare, eaſque omnes, & in vim Indultorum, & ipſius confirmationis omni jure potuiſſet retineri, neque ullam ex hac retentione incompatibilitatem educi.

13. Additur, quòd poſt confirmationem electionis Colonienſis, & actualem ipſius poſſeſſionem, ſanctæ mem. Alexander VIII. novum conceſſit Indultum Eligibilitatis ad hanc Leodienſem, & Hildeſimenſem Eccleſiam, inſerto ad verbum illo ſan.mem.Innocentii XI. iterum indulgendo iſtarum retentionem, quæ ſicuti nunc poſſeſſæ, dimiſſæ nunquam fuerunt: quod Indultum, cùm ab eo tempore citra ſtatus Eccleſiæ Colonienſis non ſit mutatus, magis confirmat veritatem prædictorum, & de ſe ſolo perimit omne obſtaculum, & intelligibilitatem ad præſentem, & ultra ſuperius citatos, firmat *Hojed. de incompatibil. par.2.cap.12.tit.de incompatibil.Epiſc.num.2.*

14. Cæterum quocumque modo prædictis Indultis conſideratis ad eorum quemlibet extraneum tenorem, certum eſt, quòd uſque ad præſens non tenebatur, prout neque tenetur Sereniſſimus Princeps iſtas Eccleſias dimittere; omnia namque in hoc conveniunt, quòd ipſe illas valeat retinere, uſquequo paci-

Digitized by Google

pacificam poſſeſſionem Eccleſiæ Colonienſis, ejuſque bonorum, ſeu majoris partis aſſequatur. Quis autem dicet inter tot, undique ardentis belli, exercituumque in iis partibus dimicantium, continuatos conflictus, poſſeſſionem iſtius Eccleſiæ, ejuſque bonorum eſſe pacificam? multoque minus inter alias litium controverſias; Cùm tamen ad effectum excludendi pacificam poſſeſſionem, & incompatibilitatem ex quocumque decreto de dimittendo, omnis moleſtia etiam extrajudicialis, & de facto ſufficiat, & à dimiſſione, & incompatibilitate excuſet. benè *Gloſſa in cap. Commiſſa, ubi DD. de electión. in 6. Paulus de Elezari in Clement. Gratia*, ibique *Vitalin. num.* 50. *&* *Zabarell. quæſt.* 13. *de reſcript. Abbas in cap. de multa num.* 16. *De Præbep. Geminian. conſ.* 78. *ſub num.* 3. *Ricc. in prax. part.* 3. *reſolut.* 302. *per tot. Gonzal. ad regul.* 8. *gloſſ.* 15. *num.* 117. *de Mean. ad jus civil. Leodien. obſerv.* 277. *num.* 8. *Card. de Luca De Benef. diſc.* 57. *num.* 5. *&* 6. *Caſſador. deciſ.* 9. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet. Rota coram Seraphin. deciſ.* 1354. *num.* 1. *&* 2.

15, Agnoverunt hanc veritatem Capitula ipſa Friſingen. & Ratisbonen. Eccleſiarum, quæ, & ratione prædictorum Indultorum, & poſſeſſionis non pacificè adminiſtrationis Colonienſis nunquam, vel in minimam controverſiam vacationem, & incompatibilitatem Eccleſiarum poſuerunt, quamvis aliàs in eorum Juribus tutandis, & in hoc maximo diligentiſſima, & quod valdè urget Sedes ipſa Apoſtolica hanc Eccleſiarum retentionem non improbavit, quibus attentis, & quidem ſpatio conſiderabili multorum annorum, ſatis educitur Juridica interpretatio prædictorum Indultorum, excludens omnem vacationem, & incompatibilitatem, cùm pro interpretandis indultis totum operetur obſervantia, præſertim iſtorum Capitulorum, & Sedis Apoſtolicæ. *Vitalin. in Clement. ad compoſcendas num.* 48: *de ſequeſtr. poſſeſſ. propriet. Mandoſ. ad regul. primam quæſt.* 15. *num.* 7. *in fin. Simonett. de reſerv. quæſt.* 27. *pariter in fin. Rota coram Celſo deciſ.* 7. *num.* 5. *Bich. deciſ.* 244. *num.* 36. *& in recent. deciſ.* 385. *num.* 35. *par.* 19.

16. Denique tollitur quælibet ineligibilitas, ſaltem ex eo, quod Sereniſſimus Princeps fuit in bona fide retinendi prædictas Eccleſias, quæ non ſolùm ab eximia ejus qualitate, & ſumma Religione, ſatis, ſuperque probata eſt, ſed evidens, & clariſſima apparet ex tot, tantiſque ſuperiùs deductis, hanc retentionem undique licitam comprobantibus, vel ex primo Indulto Innocentii XI. illam concedentis, uſquequò in Paſtorem, & Archiepiſcopum: vel ex ipſa confirmatione Electionis Colonienſis de Regimine, & adminiſtratione Archiepiſcopali dumtaxat loquente, ambo etiam regulatis à diſpoſitione Juris, qua ante conſecrationem Priores Dignitates non vacant, maximè non conceſſæ in titulum: vel ex Indulto poſteriori Alexandri VIII. aut demum ex acquieſcentia Capitulorum, & tollerantia Sedis Apoſtolicæ, omnia ex ſe ſingulariter, & multo magis unita, ſecum ferunt omnem bonam fidem, & malam excludunt, & ſatis, ſuperque ſunt ad tollendam execrabilitatem ex incompatibilitate reſultantem, ad quem effectum quælibet cauſa admittitur, juxtà benè, & punctualiter tradita per *Gomez. in regul. de triennal. poſſeſſ. num.* 16. *in fin.* & latiùs per *Rotam in Tarraconen. Canonicatus* 8. *Novembris* 1596. *coram Orano impreſſ. apud Marcheſan. de commiſſion. par.* 1. *fol.* 363. *colum.* 2. *ante med. verſ. Hinc fit*, ubi quòd

ex-

excuſat cauſa etiam injuſta. Ut propterea multo magis debeat excuſare rationabilis credulitas ad pœnam privationis, ineligibilitatis incurrendam, contra quam capienda eſt omnis interpretatio; cùm aliàs electus ſemper habilis præſumatur, ut ſpecificè adnotat *Cardin. Tuſc. pract. concl. litt. H. concl. 424.*

17. Ex quibus omnibus ſemper magis, magiſque elicitur eligibilitas Sereniſſimi Principis, & quàm injuſtè etiam proceſſerit Dominus Decanus de Mean, præſumendo propter aſſertam hanc Cauſam, & inane prætextum ſolvere Capitulum jam in die decreta congregatum, & cum Sectatoribus ſuis ab eo recedere, ut propterea ii, qui remanſerunt, his omnibus ſpretis, nedum potuerint ad electionem procedere, ut punctualiter advertit *Rodrig. quæſt. regular. tom. 2. quæſt. 51. artic. 11. in fin. verſ. Ad tertium reſpondetur*, dicens quòd *ſi factum Præſidentis Capitulum nullum, vel injuſtum, nulla eſt obligatio obtemperandi ipſi, & poteſt major pars Capituli ad electionem procedere, etiamſi aliqui ipſiuſmet Congregationis contradicant; ſufficit enim, quòd ipſi ſint vocati, & congregati, qui ſi nolunt pro ſuo libitu ſuffragari, non impeditur aliorum electio*, ut ſunt ipſius verba, quæ etiam tranſcribunt, & ſequuntur *Caſtellin. de elect. cap. 13. num. 22. & Peyrin. oper. moral. tom. 1. de ſubdito par. 1. cap. 31. §. 10. verſ. Dico quando.* Sed cùm eadem electio ſibi laudabilis probaretur, eamdem omninò proſequi tenebantur, nec ab ea ſine animæ gravamine, & opinionis macula deviare, juxta ea, quæ in ſimili prorſus caſu Clero Eccleſiæ Salonitanæ reſcripſerat *Sanctus Gregor. Magn. epiſt. 46. lib. 2. indict. 12.*

PEREGRINI MASERII

ADVOCATI ROMANI

A L L E G A T I O

Super puncto Eligibilitatis:

1. ELigibilitas Sereniſſimi Principis Electoris Colonienſis ad Eccleſiam Leodienſem controverti non poteſt, licèt longè diſtet à trigeſimo anno ad Epiſcopalem Dignitatem requiſito ex Concilio Lateranenſi ſub *Alex.III.* relato *in cap.cùm in cunctis 7.De election.*& licèt Eccleſiis Friſingen & Ratisbonen. præeſſet in Epiſcopum, undè inſurgebat incompatibilitas, & inhabilitas,ut eligeretur in Paſtorem alterius Eccleſiæ, reſiſtente reſponſo *Gregor. IX. in cap. dudum* 54. *eod.tit.* Dum Epiſcopus in altera Eccleſia non poteſt eligi, ſed poſtulari, ut Capitulo Calaritano reſpondit *Honorius III. in cap. fin. De poſtulat.*quia ex Brevibus ſan. mem. Innocentii XI.& Alexandri VIII. ætate, & utrinſque Eccleſiæ ligamine expoſitis, fuit præcisè diſpenſatus à priore Pontifice, ut eligi poſſet ad hanc Leodienſem, Colonienſem, & Hildeſimenſem Eccleſiam, ſi per ceſſum, vel deceſſum Sereniſſimi Maximiliani ejus Patrui vacare contigiſſet. *Summ. num.*1. & à ſecundo Pontifice, cùm interim ad Eccleſiam Colonienſem aſſumptus fuiſſet, eidem conceſſam in adminiſtrationem,diſpenſatio pro tracta fuit quoad hanc Eccleſiam Leodienſem, & Hildeſimenſem ſive per ceſſum, ſive per deceſſum tunc exiſtentium Epiſcoporum, ſeu quorumcumque pro tempore vacarent. *Summ.eodem num.*1.*lit. H.* Undè ſublatus fuit quicumque defectus, & manſit clariſſima eligibilitas, dum ad Romanum Pontificem ſolum ſpectat ſuper ætate diſpenſare, ut Cantuarienſi Epiſcopo reſcribens ſupponit *Alex.III.in cap.*2.ubi *Gloſſ. V. ætatem, & Canoniſtæ omnes De ætat.& qualitat.* & ſuper ipſa incompatibilitate, ut in eodem reſcripto *Gregorii IX. in cap.dudum* 54. ubi pariter *Gloſſa, & Canoniſtæ De elect. cum concordant.*

2. Non attento, quòd ſan. mem. Innocentius XI. cùm confirmavit Electionem ejuſdem Sereniſſimi in Archiepiſcopum Colonienſem, conceſſa interim ipſi ea Eccleſia in Adminiſtrationem, uſquequò ad ætatem triginta annorum perveniſſet, legem adjecerit, ut aſſecuta ab eo poſſeſſione pacifica majoris partis bonorum ejuſdem Eccleſiæ, Ratisbonenſis Eccleſia, una cum Friſingenſi vacarent ipſo jure. *Summ. num.* 2. & præſertìm *lit.G. & H.* quas ideò adhuc retinens, poſtquam pacificam poſſeſſionem Eccleſiæ Colonienſis, & majoris partis bonorum ejuſdem eſt adeptus, dicatur retinere Eccleſias Epiſcopales incompatibiles, atque ideò fuerit ineligibilis, juxtà prædictum Decretum Gregorii IX. *in cap. dudum* 54.*De elect.*

3. Etenim ex retentione Eccleſiarum Friſingen. & Ratisbonen. una cum Eccleſia Colonienſi,nulla inducta fuit incompatibilitas ex natura rei,quia iſtam,

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam Colonienſem habuit in adminiſtrationem uſque ad trigeſimum annum, quemadmodum habebat Friſingenſem, & Ratisbonenſem, exemplo Innocentii III. qui Subdiaconum in Adminiſtrationem Eccleſiæ Capuanæ præfecit in *cap. cum nobis* 19. *in fin. De elect.* Ubi notat *Compoſtellanus* filios Regis Caſtellæ, Eccleſiæ Toletanæ, & Hiſpalenſis procuratione functos, & *Hoſtienſis* ibidem refert Guillelmo de Sabaudia, & poſteà Philippo Fratri traditam Procurationem Eccleſiæ Valentinæ, & Bonifacio alteri Fratri illam Eccleſiæ Bellicenſis: & Balduino Archiepiſcopo Trevirenſi commendatam adminiſtrationem Eccleſiæ Moguntinæ ex Chronico Tritemii oſtendit *Alteſerr. in Decretal. Innocentii III. in d. cap. cum nobis in fin. De elect.* atque longè prius, à temporibus nempè Gregorii Magni, & Leonis IV. hanc commendatam adminiſtrationem ad tempus reperio *in Canon. qui plures, cum duobus ſeqq.* 21. *quæſt.* 1. *correcto lapſu Gratiani in Canone Gregorii quoad nomen Eccleſiæ ab erudito Auguſtino De emendat. Gratian. lib.* 1. *dialog.* 4. *ad fin. verſ. at ea regiſtro, ubi Baluz. in not. num.* 13.

4. Etenim Eccleſiæ conceſſæ in adminiſtrationem, vel commendatæ ad tempus limitatum, ut hic, triginta annorum, nullam inducunt incompatibilitatem ex natura rei, ad quam requiritur titulus, juxta *Textum expreſſum in d. cap. cum nobis* 19. *in fin. & in d. cap. dudum* 54. *verſ. cùm nullus De elect. & in cap. de multa* 28. *verſ. nunquam autem reputamus De præben.* cum quibus concordat Jus antiquum in *Can. qui plures, & in Canon. relatio, & in Canon. illud* 21. *quæſt.* 1. Quidquid ſit in commenda perpetua, ſeù ad vitam, in qua jus noviſſimum *Concilii Tridentini ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 2. reſiſtentiam induxit, ut diſtinguendo caſum à caſu *R.P.D. Fagnan. in eodem cap. dudum num.* 40. *&* 41. *Garz. de Benefic. par.* 4. *cap.* 5. *num.* 47. *& par.* 11. *pariter cap.* 5. *num.* 181. *Adden. ad Buratt. deciſ.* 19. *num.* 20. *Rota coram Caſſador. deciſ.* 32. *num.* 7. *ſuper regul. & in Seguntina Theſaurariæ coram Orano apud Garz. de benef. part.* 11. *d. cap.* 5. *num.* 181. ex gratia viden.

5. Ex Decreto autem Innocentii XI. lex præſcripta habebat duas conditiones, quarum neutra eſt purificata, ut nempè vacarent Eccleſiæ Friſingen. & Ratisbonen. aſſecuta pacifica poſſeſſione majoris partis bonorum Eccleſiæ Colonienſis, cum ſuppoſito, ut hanc pacificam poſſeſſionem aſſequeretur, referendo verba ad ætatem triginta annorum, de qua ſuperiùs locutus fuerat cum verbis *regiminis, & curæ. Summario eodem num.* 2. *lit. G.* ibi: *Et deindè ætate legitima tibi ſuffragante tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus ipſius Eccleſiæ Colonien. curam, Regimen, & adminiſtrationem tibi ſoli plenariè committendo*: de quo plenario Regimine, nec verbum quidem ab initio habuit Pontifex, ſed ſolum de ſimplici adminiſtratione loquutus eſt, donec ad ætatem legitimam triginta annorum Sereniſſimus perveniſſet. *Summ. eodem num.* 2. *lit. B. & C.* ibi: *Teque ex nunc donec ad ætatem legitimam perveneris eidem Eccleſiæ Colonienſis Adminiſtratorem, & præfatum Jo: Henricum Epiſcopum Coadminiſtratorem tuum in ſpiritualibus, ac ab eis dependentibus conjunctìm; in temporalibus verò te ſolum, itaut adminiſtratione hujuſmodi durante liceat tibi de reſiduis illius redditibus diſponere.* Cùm itaque in Decreto vacationis Eccleſiarum Friſingen. & Ratisbonen. à die aſſecutæ pacificæ poſſeſſionis majoris partis bonorum Colonienſis, Pontifex loquatur cum verbo *Regiminis*, cum quo ſolùm loquutus eſt dum ſermonem habuit de perfecta ætate triginta annorum, ad

 hanc

hanc tantùm eſt referendum Decretum, cui ſolum congruit verbum *Regiminis*, non ad aliam partem, non adhuc legitimæ ætatis triginta annorum, à qua longè diſtat, & in qua parte ſolùm loquutus eſt Pontifex cum verbo *adminiſtrationis*, nunquam verò cum verbo *Regiminis*; cùm abſolutum ſit, relationem fieri ad illam partem diſpoſitionis,cui congruunt verba orationis ſubſequentis, non ad illam partem, cui non congruunt, & à qua diſcrepant, *juxta Textum ſingularem in l.Plautius,ff.de auro, & argent.legat.& in l.1.§. per Procuratorem,ff.de acquir.poſſeſs. & in l. fundus qui locatus,in fine*, ubi communiter *DD. ff.de fund.inſtruct.* optimè *Ruin.conſ.123.num.12. vol.3.* ubi quòd relatio fit ad id, cui probabilius verba aptantur. *Rota coram Gregor.XV. dec.384. num.2.& recent.par.10.deciſ.194.num.30.verſ.congruunt,& ſeq.& deciſ.195. num.8.& ſeq.& par.17.dec.119.num.3.verſ.præmiſſo,& ſeq.*

6. Et non ſine myſterio Innocentius XI. poſt triginta annos, & in Decreto de dimittendo loquutus eſt per verbum *Regiminis*, non autem loquutus eſt de adminiſtratione; Quia Adminiſtrator non regit Eccleſiam, ſed ſolus Epiſcopus intitulatus, cui dicitur commiſſum illius regimen, juxta *textum* ſingularem ad effectum dimiſſionis prioris Eccleſiæ,& incompatibilitatis ex gratia ponderan. *in cap.commiſſa 35.De elect.in 6.* ibi: *Annus autem incepit à tempore,quo Eccleſiæ Regimen commiſſum tibi extitit, & poſſeſſionem ejus habuiſti.*

7. Minuſque eſt verificata altera conditio pacificæ poſſeſſionis majoris partis bonorum Eccleſiæ Colonienſis, quia hæc poſſeſſio Sereniſſimi à nemine dici poterit pacifica inter tormenta bellica, & cùm notum ſit in initio Pontificatus ſan. mem. Alexandri VIII. tentatam fuiſſe reaſſumptionem Cauſæ Eminentiſſimi Poſtulati ad Eccleſiam Colonienſem, & in Curia degere Canonicos,opportunitatem expectantes pro illa reaſſumenda, dum id ſolum ſufficeret pro victoria cauſæ, cùm ad excludendam incompatibilitatem, undè prætendi poſſit ineligibilitas, ſufficiat quælibet moleſtia de facto, & extrajudicialis, ut communiter tradunt *Gloſſa,& Canoniſtæ in cap.commiſſa De elect.in 6. & in cap. licet Epiſcopus De præben.pariter in 6. Rebuff.in prax.tit.de pacif. poſſeſs. num.165. Hojeda De incompatibilitate Beneficiorum cap.13.nu.80.Gonzal. ad reg.8. Cancellariæ, gloſ.15.num.117.* ubi in præciſis terminis Decreti de dimittenda aſſecuta poſſeſſione, ut non procedat, ſi ſolùm appoſitum fuit *nihil tranſeat* in Dataria, vel generalia contra *Maſcard.de probat. concluſ.183. num.40. & ſeq.* ubi quòd ſufficit moveri quæſtionem, & laicum Magiſtratum habere infenſum, quando hic habetur Rex potentiſſimus, refertque hujus ſententiæ *Geminianum*, & *Gomeſium Adden. ad Burat.deciſ.10.num. 18. & ſeqq.* ubi de ſimili Decreto de dimittendo. *Rota coram Seraphin. deciſ.997. num.5. & 6.*ubi de facto Principis reſiſtentis, *& deciſ.1253.num.2.& recent.par.11.deciſ.131. num. 10. in fin.& coram Priol.deciſ.168.num.2.*

8. Sed quatenus Sereniſſimus aſſequutus fuiſſet poſſeſſionem majoris partis bonorum Eccleſiæ Colonienſis, atque iſta eſſet undique pacifica, neque hoc Decretum vacationis Eccleſiarum Friſingen.& Ratisbonen. intelligeretur, niſi poſt ætatem triginta annorum, atque de ſtricto Jure ſi aliquis opinari vellet inductam vacationem, non indè tamen dicere poſſet ex earum retentione, veluti incompatibilium, Sereniſſimum effectum fuiſſe inèligibilem, ad terminos *Textus in d.cap.dudum 54.De elect.*Quia diſpoſitio iſtius Textus non procedit, quando præſumi poteſt diſpenſatio Pontificis, licèt revera non adſit. Hæc eſt

ſin-

ſingularis,ſed vera concluſio, de qua in fortioribus terminis veræ incompatibilitatis ex natura rei ex ſola poſſeſſione decennali omnibus adminiculis deſtituta *Pariſ. de reſignat.lib.3.quæſt.6.num.74.& ſeqq.Barboſ.de Epiſcop.allegat.63. num.30.Rota coram Bichio deciſ.198.num.33.& recent.par.15.dec.341.num.6.*

9. Quod autem in hoc caſu veræ incompatibilitatis ex natura rei pugnantibus titulis Eccleſiarum operatur ſola poſſeſſio decennalis, in noſtro non habente reſiſtentiam titulorum ex natura rei, dùm Eccleſias habet commiſſas in temporalem adminiſtrationem, exuberanter operatur poſſeſſio quinquennalis tot rationibus juſtificata, itaut nullus fortaſſe dari poterit caſus præſumendæ diſpenſationis Apoſtolicæ ſimilis iſti non ſolùm ex duabus rationibus mox explicatis, quibus Sereniſſimus, & quicumque credere potuiſſet diſpenſationem Innocentii XI. adhuc durare, vel quia ad trigeſimum annum non perveniſſet, vel quia ſaltem poſſeſſio non eſſet pacifica,dumalioquin pietas Sereniſſimi Electoris Colonienſis, ejuſque Sereniſſimi Fratris Ducis, & Electoris Bavarici,qui proſequens ſuorum Avorum exempla, vitam, & opes obtulit Deo in Bello Ungarico contra Turcas: non neglexiſſent Romanis Pontificibus ſupplicare pro Innocentianæ diſpenſationis prorogatione, dum ad excludendam pœnam privationis quælibet cauſa etiam colorata ſufficit.*Felin.in cap.quoniam frequenter num.23.verſ.aut ſtatutum, ut lit.non conteſt. Valenzuel.conſ.4.num.33. vol.1.* & latè *Rota* in illa *Imolen.Canonicatus* coram bon.mem.*Rondinino in recen.par. 10.deciſ.420.num.13.& ſeq.* ubi quòd ſufficit quælibet aliqua probabilis credulitas, *& in Comen.Manſionariatus coram Card. Cerro deciſ.658.nu.4.* ubi quòd ſufficit ſola dubietas.

10. Sed fortiùs, quia Eccleſiæ Friſingenſis, & Ratisbonenſis, quæ ſequuta vacatione ſollicitæ fuiſſent de novis Paſtoribus eligendis, illum tolerarunt utriuſque Capitula Eccleſiæ, & multò magis ipſi Romani Pontifices id optimè agnoſcentes, & pluſquam conſcii Decreti Innocentiani, dum præſertìm ſan. mem. Alexander VIII. ejuſdem pars magna fuit tunc S.R.E. Cardinalis in Congregatione Conciſtoriali, dum à quinque annis habet eam poſſeſſionem bonorum Eccleſiæ Colonien. ut hodiè, atque ſufficeret pro inducenda diſpenſatione poſſeſſio per triennium, ſic præſertìm tolerata à Pontificibus cùm non adeſt reſiſtentia duorum titulorum, quo caſu requiritur decennalis, ut ſuperiùs probavi juxtà allegationem *Lapi* 89.& reſolutionem *Rotæ* antiquæ in *Placentina Canonicatus* apud *Adden.ad Rot.deciſ.2. num.8. de fil.Presbyter. in nov.Barboſ.de Epiſcop.allegat.45.nu.34.poſt princip.verſ. non probandam elapſo triennio diſpenſationem. Sperel.deciſ.173. num.49.& ſeq.* ubi quòd hæc eſt probatio probata, prout etiam inquit *Rota coram Caſſador. deciſ.4. num.5.de cauſ. poſſeſſ.& propriet.& coram Ludoviſ.deciſ.353.num.8.& ſequent.*

11. Advertendo etiam, quòd Alexander VIII. in ſuo Brevi expedito 19. Novembris 1689.*Summ.num.1.in fin.* Sereniſſimum diſpenſavit tamquam Friſingen. & Ratisbonen. Eccleſias retinentem, ut eſſet eligibilis ad hanc Leodien. & Hildeſimenſem,quocumque modo vacarent, quamvis eandem poſſeſſionem bonorum Eccleſiæ Colonienſis haberet, quam modò habet, eſſetque notum ipſi Alexandro VIII. Decretum Innocentii XI. in confirmatione Colonien. Eccleſiæ, & quod magis eſt, menſe Octobris 1691. Præpoſitus Zeller Coadminiſtrator Epiſcopatus Friſingen. ſubrogatus fuit à Sacra Congregatione Conciſtoriali,approbante SS.D.N.in locum defuncti Canonici Kal,ideoque, vel

vel diſpenſando, ut eſſet eligibilis ad has Eccleſias Leodien. & Hildeſimen. & ſubrogando Coadminiſtratorem ſuppoſuerunt habilitatem in aliis Eccleſiis Friſingen. & Ratisbonen. ab eo retentis, juxta *conſ. Cravett. 307. num. 2. & deciſ. 476. num. 12. coram Dunozet. jun.* vel ex integro uterque Pontifex diſpenſavit, quia ſola ſcientia impedimenti in Principe importat diſpenſationem, juxta communem ſententiam, de qua *Gabriel. commun. concluſ. lib. 1. tit. de præſumpt. concluſ. 8. num. 11. verſic. tenendo primam opinionem, Rebuff. in prax. tit. de diſpenſat. à num. 5. Suarez lib. 6. de legibus cap. 13. num. 23. & ſeqq. Salas eodem tract. diſput. 20. ſect. 2. nu. 8. Sanchez De matrim. lib. 7. diſput. 4. num. 2. & ſeqq.* dicens eſſe ſententiam univerſorum. latè *Sperell. deciſ. 115. num. 2. & ſeqq. Rota recent. par. 8. deciſ. 16. num. 8.*

12. Et tamen ſi vacatio Eccleſiarum inducta fuiſſet ipſo jure, neque etiam ſuffragaretur præſumpta diſpenſatio ex prædictis rationibus, illaque præſertim tolerantiæ Romani Pontificis, adhuc obteſtor EE. PP. per germana Canonicarum Sanctionum principia, quarum ipſi ſunt executores aſſidentes Romano Pontifici animadvertere, quòd retentio Eccleſiarum ex natura rei incompatibilium facit quem ineligibilem, non autem retentio Eccleſiarum proba ta à Romanis Pontificibus in temporalem adminiſtrationem conceſſa uſque ad ætatem triginta annorum, ut ſuperiùs probavi, eſt propoſitio indubitata. Et proindè ex Decreto ſan. mem. Innocentii XI. potuit quidem induci vacatio ipſo jure iſtarum Eccleſiarum Friſingen. & Ratisbonen. quæ hodiè habeantur pro vacantibus, ſed ex earum retentione non poteſt Sereniſſimus effici ineligibilis, quia aliud eſt, quòd vacent Eccleſiæ, & aliud eſt, quòd effectus fuerit ineligibilis, quia cùm Pontifex induxerit pœnam va:ationis à die aſſecutæ poſſeſſionis pacificæ contra jus majoris partis bonorum Eccleſiæ Colonienſis, & ſupra illud, cùm iſtud, ut probavi, permittat retentionem, neque adjecerit pœnam ineligibilitatis, ejus Decretum intelligi debet, prout de jure, ut iſta pœna non ſit adjecta, nec inferenda, quia de jure, ut probavi, retinens Eccleſiam Epiſcopalem in titulum cum alia in temporalem adminiſtrationem conceſſa, adhuc remanet eligibilis, dùm pœna non ſubintelligitur, niſi ſit expreſſa, neque in pœnalibus admittitur extenſio de caſu ad caſum, ex vulgata concluſione deſumpta ex *§. ſin autem, auth. de non eligen. ſecundo nuben.* quam in terminis privationis Beneficii deduxit *Rota coram Cerr. deciſ. 658. num. 3. & coram Penia deciſ. 403. num. 26. & ſeq. impreſ. Lugdun. & coram Dunoz. Jun. deciſ. 711. num. 6.*

13. Verùm neque ipſa vacatio Eccleſiarum Friſingen. & Ratisbonen. licèt ipſo jure inducta ex Decreto prædicto Innocentii XI. effectum ſortiri potuit, quia quæcumque privatio ipſo jure inducta, vel ipſo facto in Decretis Pontificiis, expectat declarationem hominis circa verificationem circumſtantiarum facti, an nempè ex illis dici debeat eſſe caſum comminatæ privationis, ſicut dicimus in anathemate inflicto ipſo jure, antequam ſententiam, ſeù declarationem hominis, ille adverſus quem comminata fuit privatio ipſo jure, remanet eligibilis, & habilis ad omnes actus Canonicos, non præcedente hac declaratione, quæ requiritur, etiamſi privatio ſit comminata ipſo jure, ut in ipſa hæreſi eſt *Text. in cap. cùm ſecundum 59. in fin. de hæret. in 6.* ibi: *Antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. Gonzalez ad regul. 8.*

Can-

Cancell.gloſ.56.num.26. & *ſeq. Gratian.diſcept.*809. *num.*13. *Menoch. de arbitr.cap.*220.*num.*7.*Tuſc.practic.concluſ.litt.E.concluſ.*238.*Magon. deciſ.Florent.* 10.*num.*70.*Caſtropal.oper.moral.tom.*1. *tract.*3. *tit. de leg.pœnal.* & *diſputat.* 2. *punct.*8. *nu.*8.& *ſeqq.* cum aliis per *Sabell.in ſumma diverſ.tract.* §.*Pœna,nu.*4. *Rota coram Coccin.dec.*2286.*num.*10.& *ſeqq.* & *coram Cardin. Cerro dec.*658. *nu.*5.& *coram Dunoz.jun.deciſ.*705.*num.*7.

14. Et hinc videmus excommunicatos à jure, vel ipſo jure, non tamen denunciatos per ſententiam, aut declarationem hominis, eligibiles remanere cùm ſunt tolerati, juxtà communem ſententiam, de qua *Barboſ. vot.deciſiv.*47. *ſub num.*183.*lib.*2.*Piringh.in jus canon.lib.*1.*tit.*6.*ſect.*2. *num.*103. *verſ. imò etiam electio*, ubi de ipſo verè excommunicato excommunicatione minori, ſi ſcienter electus non ſit, de quo etiam idem *Barboſ.de Jur.Eccleſ.lib.*1.*cap.*19.*num.*122. *verſ.contraria verò ſententia, Caſtellin.de election.ca.*5. *ſub num.*1. *Sperell. deciſ.*181.*num.*52.*Card.de Luca De canon.diſcurſ.*27.*nu.*20.*Paſſerin. de elect. cap.* 10.*num.*77.*in fin.*& *num.*86.*verſ.unde dato*.

15. Quæ omnia facilius procedunt, dùm omnis interpretatio magis benigna, & favorabilis Electo ſumenda eſt, ne incurrat ineligibilitatem. *Butr.in d. cap.Dudum num.*18.*de elect.Rota coram Dunoz. jun. dec.*376. *num.* 8. ubi quòd inhabilitatis pœna tollitur ex quacumque cauſa colorata.

A. JACO-

A. JACOMETTI

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super Eligibilitate.

1. ITerùm ſupplicamus prò confirmatione aliàs petita, & dilata ad præſentem Congregationem: & quia circa ſubſtantialia Electionis, & contemptus Eminentiſſimi Cardinalis de Bovillon ſatisfecimus in præteritis benignè reaſſumendis; Quibus nonnulla addenda ſunt in ſeparata informatione,quam in præſenti etiam damus: hic operæ pretium erit, dumtaxat removere nonnullas difficultates exadverſo inſinuatas circa eligibilitatem Sereniſſimi Electoris, & validitatem Electionis.

2. Opponitur itaque primò,quòd diſpenſatio contenta in Indulto Innocentii XI. conſumpta fuerit in electione ad Archiepiſcopatum Colonien. ita ut ſine nova diſpenſatione ad Epiſcopatum Leodien. eligi non potuerit. Secundò, repetitur antiquum objectum, quòd ex retentione Eccleſiarum Ratiſbonen.& Friſingen. contra formam ejuſdem indulti evaſerit ineligibilis. & tertiò demùm, quòd idem vitium ineligibilitatis contractum fuerit, ex quo Sereniſſimus Princeps ſtatim, ac ad legitimam ætatem pervenit non curaverit ſe promoveri ad ordinem Subdiaconatus, vel Diaconatus.

3. Sed quoad primum objectum, quod tamen Pars adverſa in hac propoſitione non proſequitur, facilis eſt reſponſio oriens ex lectura ejuſdem Indulti, & clariùs ex altero Alexandri VIII. Verba enim ſan. mem. Innocentii XI. diſpenſantis Sereniſſimum Principem ſuper defectu ætatis, eumque habilitantis ad electionem Eccleſiarum ibi expreſſarum, ita ſe habent: *Nihilominus in Archiepiſcopum, & Epiſcopum reſpectivè,& Paſtorem dictarum Eccleſiarum Metropolitanæ Colonien. Hildeſimen. & Leodien. ac aliarum cujuslibet ſervatis aliàs ſervandis eligi, & ſic Electus Electioni hujuſmodi conſenſum præſtare liberè, licitè, & validè poſſis, & valeas: itaut Electio de Perſona tua ad dictas Eccleſias, vel earum aliquas, ſeu aliquam, ut petitur, pro tempore facta, valida, & efficax exiſtat, ac Tibi ſuffragetur, ac ſuffragari debeat*. & rursùs ibi: *Teque ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ Colonien.Hildeſimen. & Leodien.vel etiam earum alteri dumtaxat in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum reſpectivè, & Paſtorem præfici contigerit*: Ex quibus ad evidentiam reſultat, quòd diſpenſatio facta eſt tàm collectivè, quàm diſtributivè ad omnes Eccleſias inibi expreſſas; Illa enim alternativa appoſita inter omnes Eccleſias expreſſas collectivè,& earum alteram diſtributivè, & inter unam, & plures. ibi: *aliquas, vel aliquam*, demonſtrat ad oculum, quòd ſicuti diſpenſatio conceſſa fuit ad unam, ita ſuffragari debeat etiam ad omnes, vel plures etiam ex Eccleſiis alternatim expreſſis;

cùm

cùm utrumque alternatìm æquè privilegialiter determinet, juxtà *Text. in l. ſi Stichum, aut Pamphilum in principio, ff. de verb. oblig. Mantic. de tacit. lib. 22. tit. 8. ſub num. 9. verſ. ſed adverte, Rota coram Buratt. deciſ. 334. num. 16. & coram Bich. deciſ. 468. num. 20.*

4. Hinc eſt, quòd cùm verba ſint ſatis generalia, ita ut repugnet, quòd reſtringent gratiam ad unam tantùm Eccleſiam, neceſſariò fatendum eſt, quòd habilitatio veniat intelligenda, tàm quoad unam, quàm quoad omnes: neque in primo actu ejus effectus dici valeat contemptus, quamvis agatur de incompatibilibus, ut in his terminis poſt *Archidiaconum*, & *Geminianum*, tradit *Dec. conſ. 168. nu. 1. verſ. ſed in caſu iſto*, ubi quòd diſpenſatio ad incompatibilia non conſumitur in primo actu, ſi verba ſint univerſalia, & reiterationem importent, ac ſequitur *Tiraquell. in l. Boves, §. hoc ſermone, ff. de verborum ſignif. limitat. 26. num. 1. & 2. Rota deciſ. 233. num. 3. par. 1. diverſ.* quidquid ſit deinde, an ex diſpenſatione obtinendi plures Eccleſias inferatur ad facultatem retinendi, ſuper quo articulo in præſenti non cadit quæſtio; cùm Sereniſſimus Princeps quoad retentionem plurium ſit paratus obſequi nutibus Sanctiſſimi D. N. non obſtante quòd poſſet contendere, diſpenſationem ad obtinendum plura, ſibi ſuffragari etiam ad retinen. ex deductis *d. deciſ. 233. nu. 29. par. 1. diverſ.*

5. Quod evidentiùs comprobatur ex Indulto Alexandri VIII. idem enim Pontifex, quamvis jam ſucceſſiſſet vacatio Eccleſiæ Colonien. per obitum Maximiliani-Henrici, & ad eam electus jam fuiſſet, & confirmatus Sereniſſimus noſter Princeps, adhuc eidem indulſit, ut ad reliquas in dicto Indulto Innocentiano expreſſas eligi, & præfigi poſſet, quamvis non eſſent vacaturæ per obitum dicti Maximiliani-Henrici; unde Papa ſuppoſuit Indultum Prædeceſſoris non fuiſſe conſumptum in electione ad ſolam Eccleſiam Colonien. ſed adhuc ejus habilitatem durare quoad reliquas, tollendo tantùm obſtaculum vacationis per obitum certæ perſonæ, ſicut expreſſum fuerat in dicto Indulto Innocentiano; hoc autem ſuppoſitum, cum quo emanavit dictum Indultum Alexandri VIII. non ſolùm declarat alind Indultum ſui Prædeceſſoris, ſed, quatenùs opus ſit, novam etiam Gratiam concedit, quia ubi quod ſupponitur ab habente facultatem concedendi, ſuppoſitio in diſpoſitionem convertitur, juxtà *Text. in l. cùm proponebatur 66. ibique gloſſ. magn. juncta gloſſ. marginal. ff. de leg. 2. Caſtill. contr. Juris lib. 2. cap. 26. num. 27. & ſeqq. & num. 77. pariter cum ſeqq. Oddo conſ. 64. n. 56. verſ. 2. principaliter, Rota deciſ. 360. n. 6. par. 17. rec.*

6. Quoad antiquum objectum deſumptum ex retentione Eccleſiarum Friſingen. & Ratisbonen. jam diximus de jure Canonum nullam induxiſſe ineligibilitatem; nam *Text. in cap. dudum De elect.* ubi eſt Sedes iſtius materiæ, evidentèr fundatur in retentione incompatibilium abſque diſpenſatione: & hæc incompatibilitas, ut diximus, non oritur niſi à die conſecrationis, aut à tempore, quo promotus fuit in mora ſe conſecrare faciendi; & propterea minor, qui obtinuit diſpenſationem ad obtinen. Cathedralem, ætate non obſtante, retinere valet incompatibilia, donec ad legitimam, & neceſſariam ætatem pro conſecratione pervenerit: & ultrà *Dec. in cap. cùm in cunctis, §. cùm verò n. 12. in præterita allegatum*, firmant ibidem *Abbas num. 7. de electione, Marcell. de Maur. alleg. 10. num. 9. Staphil. de grat. & expect. in rubric. de var. vacat. mod. nu. 48. & duobus ſeqq. Epiſcopus Rocca diſput. juris lib. 1. cap. 89. nu. 12. Rota dicta deciſ. 233. num. 1. par. 1. diverſ.*

7. Neque vis ulla fieri poteſt in decreto vacationis, appoſito tàm in Indulto diſpenſationis, quàm in altero confirmationis; quia dictum decretum loquitur per hæc verba. ibi : *Teque eiſdem Eccleſiis Metropolitanæ Colonien. Hildeſimen. & Leodien. aut etiam alteri, dumtaxat in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum reſpectivè, & Paſtorem præfigi contigerit, Eccleſiæ ſupradictæ Ratisbonen. Friſingen. vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo*. Ecce igitur, quòd Papa clariùs juxtà noſtrum intellectum loqui non potuit, dum decernit vacationem in tempore, quo Sereniſſimus Princeps præfici contigerit in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum ſupranominatarum Eccleſiarum, & conſequenter poſt conſecrationem, ut Canones diſponunt, cùm ante Electus non habeatur, nec dici valeat Epiſcopus, ut benè inquit *Dec. in d. cap. cùm in cunctis citat. §. cùm verò nu.* 11. *De elect.*

8. Neque iterùm objiciendum venit, quòd in altero indulto ſuper confirmatione electionis, Papa decreverit vacationem poſtquam poſſeſſionem omnium, vel majoris partis bonorum Eccleſiæ Electus obtinuerit; quia cùm id commodè intelligi valeat, juxtà diſpoſitionem Canonum, videlicèt, poſtquam conſecratus poſſeſſionem bonorum obtinuerit, nulla ratio ſuadet, quòd debeat idem decretum intelligi de poſſeſſione etiam ante conſecrationem adepta, ad correctionem juris communis; cùm ſemper fiat lata interpretatio in gratia favorabili, & quæ nos reducit ad diſpoſitionem juris communis, ut pluribus comprobat *Rota deciſ.* 240. *à num.* 12. *ad plures ſequentes*, & ſignanter *num.* 17. *par.* 1. *diverſ.*

9. Coadjuvantibus maximè eumdem intellectum obſervantia interpretativa, aut ſaltèm bona fide, ex quibus vel ponitur in altero, quòd Indultus non loquitur niſi de poſſeſſione obtenta poſt conſecrationem, vel ſaltèm excuſat à pœna ineligibilitatis cõminata in *d. cap. dudum De elect.* in quo dum ſupponitur, quòd privatio infligi debeat ex furto, quod dicitur committere retinens indebitè res Eccleſiaſticas, & furtum ſine dolo non committitur: inde ſequitur, quòd ubi exuberat bona fides, furtum, & conſequenter privatio, locum non habeant, ex allegatis in præterita ſuper puncto eligibilitatis.

10. Quòd denique Sereniſſimus Princeps non aſſumpſerit ordinem Subdiaconatus, ubi ad ætatem à dicto ordine requiſitam devenit, objectum non eſt legale, & conſequenter omitti poterat; quia *Text. in d. cap. dudum De elect.* non decernit, quòd ex dicto capite incurratur incapacitas eligibilitatis; alia autem jura pænitùs adverſantur, quæ non promotus ad ordines non privant Canonicatu, vel ejus voce activa, ſive paſſiva, ſed dumtaxat dimidio diſtributionum, ut eſt *Text. in Clement. at ii §. illi verò De ætate, qualit. & ordin. præficiendorum*, cujus diſpoſitionem innovatur per Concilium Tridentinum, ex notatis per *Barboſ. de Canonic. & Dignit. cap.* 16. *num.* 13. *& ſeq. Garz. de benefic. par.* 7. *cap.* 3. *num.* 26. & benè advertit *Rota in Placentina Canon.* 27. *Aprilis* 1682. *§. & ideò licet coram bo. me. Paulucciо.*

11. Additur noviſſimè exadverſo, quòd electio fuerit nulla, uti non facta à majori parte Capituli, ſub prætextu, quòd vota abſentium contemptorum veniant computanda, ac ſi eſſent præſentes, ex *Paſſerin. de elect. canon. cap.* 11. *qu.* 12. *num.* 112. in Facto allegatas; nam uſque in præſentem diem, qua hæc ſcribimus, quamvis ſimus in ante-vigilia Congregationis, informationes juris habere non potuimus; ſed quidquid dicat *Paſſerin.* contrariam ſententiam ſe-

quitur

Digitized by Google

quitur *Fagnan. in cap. quia propter De elect. num.* 40. ubi quòd abſentes, & contempti non numerantur, niſi ad effectum ut videatur, an Capitulum ſit legitimè congregatum, videlicet, quòd duæ ex tribus partibus ſint præſentes, quæ ſufficiunt ad repræſentandum Capitulum; ſed quoad validitatem electionis vota abſentium, vel contemptorum non numerantur, itaut electio ſit valida, ſi à majori parte præſentium facta ſit, & ponit exemplum, quòd ſi ex duodecim Vocalibus quatuor eſſent contempti, valeret electio facta à quinque ex octo præſentibus: & tamen, ſi juxtà ſenſum *Paſſerini*, habenda eſſet ratio de contemptis, itaut eorum ſuffragia eſſent numeranda, electio facta à quinque ex duodecim non ſubſtineretur.

12. Verùm in caſu noſtro ceſſat omnis altercatio ex duplici inconvincibili fundamento. Primò, quia exadverſo erratur in computo; nam numerantur ſuffragia eorum, qui receſſerunt à Capitulo, quæ de jure non ſunt numeranda, cùm fecerint ſe alienos ab electione, adeout totum jus eligendi conſolidatum fuerit in iis, qui permanſerunt in Capitulo, & electio ab iis facta, habetur pro facta à toto Capitulo, ut probant auctoritates cumulatæ in informatione data in præterita Congregatione ſuper puncto confirmationis; & propterea etiamſi exadverſo numerantur dicta duo vota contemptorum, adhuc evidentèr apparet electionem factam à 24. repræſentantibus totum Capitulum, eſſe factam à majori parte, cùm 22. qui receſſerunt, non ſint numerandi ex præmiſſis.

13. Secundò, quia objectum ſupponit id, quod eſt in quæſtione, nempè quòd prædicti duo Vocales fuerint contempti; cùm igitur ad partes demonſtrabitur nullum adeſſe contemptum, dictum objectum ceſſat, cùm jam numerari non debeant, & multò minus dicantur contempti, qui non debent, nec poſſunt commodè intervenire, ut proſequitur *Fagnan. in d. cap. quia propter num.* 41. *De elect.* & firmant omnes allegati in præterita informatione ſuper contemptu.

GEORGII DE FIRMANIS
ADVOCATI ROMANI
ALLEGATIO JURIS, ET FACTI
Super puncto Foraneitatis
Eminentiſſimi Domini Card. de Bullione.

1. PRopter oppoſitiones Eminentiſſimi Domini Cardinalis Bullionii, ElectioSereniſſimi Principis Clementis ad Epiſcopatum Leodienſem non eſt annullanda, neque retardanda petita à nobis confirmatio; quia Eminentiæ Suæ non competit Jus agendi de contemptu, ſtante ipſius Juramento, & Statutis Eccleſiæ, & quia ex aliis canonicis rationibus infra dicendis, non erat admiſſibilis.

2. In ordine ad Juramentum, & Statuta, præmittimus in facto, qualiter Statutis Eccleſiæ cavetur expreſsè, *Canonicum Foraneum* nullo modo poſſe negotiis Capitularibus intereſſe, aut ſuffragium ferre, etiamſi agatur de re quantumvis ardua, & de Electione Epiſcopi. *Summ.num.*1.

3. Juxta eadem Statuta Foraneus intelligitur, qui in Feſto B.Ægidii, qua die celebratur Capitulum generale, ſe non exhibet ad reſidentiam pro illo anno: vel perſonaliter, juxta rigorem Statuti. *Summ. num.*2. vel per Procuratorem, ſeu litteras, juxtà Statutum præcedentis mitigativum. *Summ. num.*3.

4. De Statutis hujuſmodi ſervandis Canonici nobiles in eorum receptione Juramentum præſtant, juxta formulam præſcriptam *in Summ.num.*4. prout juxta eam Eminentiſs. Bullionius ſe Statuta ſervaturum juravit 3. Aug. 1672. de tempore quo erat actu Cardinalis; Ac tali lege admiſſus fuit ad reſidentiam, & ad locum in Capitulo in qualitate Canonici. *Summ.num.*5.

5. Cùm itaque Eminentiſſimus in præterito Capitulo S. Ægidii ſe non repræſentaverit, nec perſonaliter, juxta rigorem. *d.Summ. num.*2. nec per Procuratorem, aut per litteras,juxta mitigationem. *d.Summ.num.*3. Hinc eſt,quòd Capitulum in qualificandis votis pro electione, tunc imminenti, inter cæteros Foraneos, declaravit etiam Foraneum Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Bullionium. *Summ.num.6.*

6. Neque ad effugiendam Foraneitatem ſuffragari poteſt Indultum præſervativum à Juramento, conceſſum à ſan. mem. Clem.X. de anno 1675. occaſione, qua Eminentiſs. D. electus a Capitulo in Præpoſitum, debebat emittere juramentum à Præpoſitis emitti ſolitum, prout ex Brevi exadverſo dando, & in *noſtro Summ. num.* 7. quia Breve hujuſmodi non applicatur ad caſum ex quatuor rationibus. Primò, quia Breve conceſſum eſt Eminentiſſimo in qualitate Præpoſiti, & reſpectu Præpoſituræ, ſecundùm quam non habet votum, & non in qualitate Canonici, ſeù reſpectu Canonicatus, à quo votum dependet. Secundò, quia Breve nullam facit mentionem de Capitulo S. Ægidii, neque de Foraneitate; undè ad ea,quæ non exprimit, non poteſt extendi, quia ſtrictè interpretandum. *cap.porrò de Privilegiis.* Tertiò, quia Breve præ-

fer-

ſervat à Juramento, quod erat præſtandum ratione Præpoſituræ augmentativè ad aliud præſtitum ratione Canonicatus, & non abſolvit à Juramento jam præſtito pro Canonicatu. *d.Summ.num.*4.*&* 5.dum majores obligationes habet Præpoſitus, quàm Canonicus; undè Eminentiſſimus, non obſtante d. Brevi, remanet adhuc vinculatus obligationi juramenti jam præſtiti in qualitate Canonici. *d.Summ.num.*4.*&* 5. Proindeque obnoxius Statuto Foraneitatis.Quartò, quia ratio, propter quam motus fuit Pontifex, conſiſtit in eo, quòd Eminentiſſimus ratione Cardinalatus non poterat adimplere obligationes incumbentes Præpoſituræ. ibi: *Tu verò ratione Cardinalitiæ Dignitatis præmiſſa ſervare nequeas*; Undè cùm tranſmittere mandatum Procuræ, vel Epiſtolam, quæ ſufficit. *d. Summ. num.* 3. non ſit obligatio inadimplebilis, & cum Cardinalatu incompatibilis: Eminentiſſimus, neque verbis, neque ratione Brevis eſt excuſabilis à Foraneitate.

7. Minus ſuffragari poteſt Privilegium deſumptum à jure in *cap. dilectus De Cler.non reſidentibus*,cum aliis cumulatis in quadam allegatione impreſſa in Partibus, inſcripta: *Memoriale quo oſtenditur S.R.E. Cardinales in inferioribus Beneficiis non teneri ad reſidentiam*, *&c.* Ex ea ratione, quia Cardinàles ſunt Conſiliarii, & Collaterales, ac Coadjutores Pontificis in Eccleſia Univerſali dirigenda.

8. Quia, omiſſa diſputatione, an, & quomodo iſta procedant, quando Cardinalis non reſidet in Romana Curia,dum iis extra Curiam exiſtentibus,etiamſi actu ſerviant Eccleſiæ in munere Legati, adhuc non gaudent quibuſdam privilegiis, quibus Romæ gauderent, ut videre eſt poſt *Gonzal. ad regul.* 8.*Cancell.gloſſ.*42.*num.*151.

9. Illud eſt certum, quòd nullum datur privilegium de Juramento non ſervando, quia promiſſio facta Deo obligat omnem animam viventem; Et ligaretur Eminentiſſimus etiam ſi juraſſet ante Cardinalatum,ût voluit *Butrius in cap.ſicut nobis num.*2.*De jurejurando*; Undè multò magis, dum juravit quando erat actu Cardinalis. *d.Summ.num.*5.

10. Neque tergiverſari poteſt obligatio ſub prætextu, quòd renunciari non poteſt privilegio conceſſo Ordini Cardinalitio,quia hìc non agitur de Privilegio conceſſo Ordini, ſed de jure votandi in Capitulo, quod competit Eminentiſſimo, non tamquam Cardinali, ſed tamquam Canonico, ideoque tamquam repræſentanti perſonam privatam: ac propterea per juramentum cedere potuit ſuo juri privato, ſeù obligare ſe ad non utendum tali jure,niſi ad formam Statutorum, illiſque ſervatis, quod nihil commune habet cum gradu Cardinalitio.

11. Ac tale juramentum valere, & ſub pœna perjurii obligare tàm Canonicum, quàm Capitulum activè, & paſſivè ad obſervantiam Statuti, & Juramenti,voluit *Baldus* in puncto *in cap.cùm omnes De conſtit.num.*50.

12. Atque hoc eſt adeò verum, ut ipſemet Eminentiſſimus agnoverit hanc veritatem, dùm, quando electus fuit ad Præpoſituram, ne ſe exponeret periculo tranſgrediendi religionem juramenti, quod præſtare debebat ratione Præpoſituræ; neceſſarium judicaverit recurrere ad ſupremam Pontificis authoritatem ad effectum non præſtandi juramentum. ibi: *Tibi,ut ad juramentum de ſervandis ſupra expreſſis articulis minimè tenearis*, *concedimus*, *&* *indulgemus.* *d. Summ. num.*7. Undè inſurgit duplex reflexio. *Prima*, quòd ergo, ſi juraſſet,

ipſe-

Digitized by Google

ipſemet Cardinalis fatebatur, quod tenebatur obſervare. *Secunda*, quòd ſi qualitas Cardinalitia fuiſſet ſufficientèr exemptiva à ſervando juramento, Fruſtraneum erat expediri indultum, & conceſſionem à S. Sede; Atque hinc emergit concluſio, quòd ergo per juramentum jam præſtitum in qualitate Canonici, & in ſtatu Cardinalitio potuit ſe obligare: ac dum ab eo non fuit abſolutus, ſervare tenetur, & ſe conformare juſtiſſimo decreto Capitulari, quo juxta Statuta jurata declaratus fuit *Foraneus.d.Summ.num.6.*

13. Abſque eo quod conqueri poſſit, declarationem hanc emanaſſe ipſo inaudito, tum quia Capitulum, ſe obtulit promptum ad examinanda motiva Eminentiæ Suæ, ſi dignata fuiſſet ſcripto tranſmittere, ut ex repetitis inter Eminentiam Suam, & Capitulum hinc inde litteris. *Summ. num.8.* Tùm quia Eminentiſſimus, jurando, ac deindè non tranſmittendo ad Capitulum S. Ægidii mandatum, facto proprio ſe fecerat Foraneum, abſque neceſſitate citandi Eminentiam Suam, quia Capitulum, nec proceſſit judicialiter, nec condemnavit, ſed tantùm declaravit factum notorium repræſentationis non factæ ab Eminentiſſimo in Capitulo S. Ægidii, quo poſito clarum Statutum, & Juramentum convincunt Eminentiſſimum eſſe Foraneum, & in qualificatione votorum, Capitulum per viam notorii de ſe ſolo poteſt declarare abſque obligatione citandi Canonicum ita incurſum in Statutum. *Paſſer. de elect. cap. 14. qu. 8. num. 52.*

14. Poſita autem foraneitate, clarum remanet, quòd Eminentiſſimus non poteſt agere de contemptu; quia contemptus intelligitur is, qui dum abſque ullo dubio erat Vocalis, non fuit admiſſus. At quando certum eſt Vocalem admitti petentem, non habere vocem in Capitulo, vel eſſe electorem dubium: Tali caſu non admiſſus, ſeu etiam expulſus, non poteſt agere de contemptu, prout egregiè concludit *Paſſer. in d. cap. 14. quæſt. 7. num. 48.* ibi: *Nam non eſt contemptus, ubi non eſt injuria, nec injuſtitia, nec neceſſitas admittendi aliquem ad electionem: & ibi Capitulum utens jure ſuo, & expellens modo debito, & legali quem non tenetur admittere, nullam ei facit injuriam, nec eſt in illum injuſtum; Igitur ille non habet, undè agat de contemptu contra Capitulum.*

15. Sed etiam poſito, & non conceſſo, quòd Eminentiſſimus Bullionius non fuiſſet Foraneus: Adhuc nihilominus non erat vocandus, neque admittendus, ex duplici fundamento facti: ratione propriæ Familiæ, & ratione generali bellorum præſentium.

16. Super hac duplici inſpectione, tria præmittimus in facto. Primum, quòd Eminentiſs. Dominus, tamquam Magnus Eleæmoſynarius Regis Chriſtianiſſimi, uſque ab anno 1671. obſtrictus eſt Majeſtati Suæ Juramento fidelitatis, ut eſt notorium, & legitur in libro inſcripto: *l'Eſtat de la France tom. 1. pag. 16.*

17. Secundum, quòd Ducatus Bullionii, detentus hodie à Germano Fratre Eminentiſſimi D. pertinet ad Eccleſiam Leodienſem, ut videre eſt ex relatis inter memorias tractatus pacis Neomagenſis, ex quo ſatis eſt excerpere reſtitutionem d. Ducatus factam Eccleſiæ de anno 1506. à tunc temporis occupatore, *ut in Summ. num. 9.* Et proteſtationes factas de anno 1679. à tunc temporis Principe Leodienſi, necnon à Capitulo adverſus articulum 28. Tractatus dictæ Pacis circa modernam detentionem ejuſdem Ducatus. *Summ. num. 10.*

18. Tertium, quòd Epiſcopatus Leodienſis eſt etiam Principatus, & membrum

brum Imperii; ac tali ratione alligatus eſt fœdere cum Imperatore, & Imperialis Dietæ proclamata admiſit, illiſque ſe adſtrinxit.

19. His ſtantibus, Eminentiſſimus non erat admiſſibilis ob ſummum, & maximum intereſſe inter Eccleſiam, & ejus familiam; nil ſuffragante, quòd in præcedenti Electione admiſſus fuerit. Tum quia non poteſt trahi in exemplum, factum, quod fieri non debuiſſet. Tum quia tunc pro Juribus Imperii, & Eccleſiæ non dum mota fuerat lis bellica, quæ de præſenti agitatur.

20. Et quamvis ceſſarent omnia motiva particularia, & particulare intereſſe: Adhuc Eminentiſſimus de Jure Canonico non erat admittendus, ex quo non poterat admitti *commodè*, *& ſine periculo* ad terminos *cap. quod ſicut*, *& cap. quia propter De elect.* conſiderato utrimque periculo tàm à parte Eccleſiæ, quàm à parte Eminentiſſimi.

21. A parte Eminentiſſimi non expediebat Eminentiæ Suæ Dignitatem in præſentis belli circumſtantiis exponere periculis, undè non erat vocandus, nec admittendus. *d. cap. quod ſicut De electione.*

22. A parte Capituli, attento fœdere, & fœderis conditionibus, gravia incommoda, ac detrimenta timenda fuiſſent Eccleſiæ, ſi violaſſet fœderis articulos; Undè cùm Eccleſia non poſſet commodè, & ſine periculo, nòn tenebatur admittere. *Paſſer. de electione cap.* 11. *quæſt.* 5. *num.* 33. præcisè in caſu non vocandi propter bella.

23. Neque in hoc Eminentiſſimus habet quod doleat, dum tempore belli, Rex Chriſtianiſſimus longè arcet ab ipſis Civitatibus Imperialibus captis, tum ab Electionibus, tum à fructuum perceptione, aut uſu cujuſcumque Juris Vaſſallos Fœderatorum, ut eſt notorium, & adduci poſſunt ſexcenta exempla, etiam in caſibus ubi nullum timeri poſſet præjudicium. Undè nil mirum, ſi pari modo Galli non admittuntur in Terris Fœderatorum, & Imperii, cum tanto majori ratione, quanto major eſt differentia inter ſimplices Vaſſallos, qui excluduntur à Gallo, & Eminentiſſimum qui eſt Princeps, & Miniſter primarius, & Juramento obſtrictus Chriſtianiſſimo.

24. Quamobrem cùm Eminentiſſimus eſſet Foraneus juxta Statuta, & declarationem Capituli. *d. Summ. num.* 6. ideoque carens voce; vel non eſſet admittendus ratione particularis intereſſe inter ejus Familiam, & Eccleſiam. *d. Summ. num.* 9. *&* 10. vel ratione periculi, & bellorum, tamquam Vocalis, vel inhabilis, vel inadmiſſibilis, deſtitutus eſt Jure agendi de contemptu, & non poteſt Electionem noſtri Sereniſſimi Principis impugnare, nec confirmationem retardare.

A. JA-

Digitized by Google

A. JACOMETTI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super puncto Foraneitatis.

1. VIndicata validitate electionis à contrariis oppoſitionibus ſuper nullitatibus, accedimus ad tuendam illius Juſtitiam, quæ minus juridicè videtur impugnari ſub prætextu contemptus Emiuentiſſimi, & Reverendiſſimi Dom. Card. de Bullion. contemptus enim non pertinet ad validitatem, ſed tantùm ad Juſtitiam Electionis. *Abbas in cap.in Geneſi nu.* 10.*De elect.Fagnan.in cap.quia propter num.*38. *&* 39. *eod. tit.Samuel.de elect.tract.*1.*controverſ.*7. *concluſ.*2. *num.*3. *& alii ab eodem allegati num.*4.

2. Diximus minus Juridicè impugnari, quia nullus conſiderari valet contemptus in eo, qui ad ferendum ſuffragium in electione non erat admittendus, ut ſunt *Text.in cap.coram,in cap.bonæ memoriæ,il ſecondo,& in cap.quod ſicut, ubi gloſſ.De elect.* itaut licèt non ſuiſſet diſcuſſum ante electionem, an ille, qui non fuit admiſſus ſuffragio privatus fuerit, adhuc ſubſtineatur electio ſi ex poſt non eſſe admittendum conſtiterit. *Miranda in manuali Prælator. tom.* 2. *quæſt.*23.*art.*6.*concluſ.*3.*Barboſ.in cap.quia propter num.*10.*De elect.*

3. Abundè autem probari videtur, quòd Eminentiſſimus Cardinalis Contradictor emiſerit ſuffragium in electione, quia Statuto Capitulari ſancitum eſt, quòd Canonici Foranei nullum habeant votum in Electione Epiſcopi. *Summ.num.*1. Item, quòd quicumque ſe non exhibuerint, aut præſentaverint ad reſidentiam in feſto Sancti Ægidii, habeantur pro Foraneis eo anno, quo in dicta reſidentia deſecerunt. *d.Summ.num.*2. Undè cùm Eminentiſſimus Princeps non ſe præſentaverit ad reſidentiam in præſenti anno, conſequens eſt, quòd ſit habendus pro Foraneo, nec potuerit uti talis in electione eodem anno ſecuta ſuffragari, reſiſtente Statuto, quod licitè condi potuit à Capitulo, & imponi pœna privationis inobſervantibus; quia cùm illius obſervantia fuerit in ſpecie jurata ab eodem Eminentiſſimo Cardinali, quatenus Statutum quoad impoſitionem pœnæ non ſubſiſteret ex defectu Juriſdictionis *in cap. ſtatuente*, adhuc eſt obligatorium in vim conventionis; jurata enim obſervantia æquipollet ſtipulationi, *juxta Gloſſ. in cap. cum aliquibus, verbo firmitate De reſcriptis in ſexto, Butrius in cap. cùm omnes in ſexto volum. verſ. numquid autem, ubi Felin.num.*14.& latiſſimè *Fagnan.num.*39.*&* 40.*de Conſtit.Adden.ad Cappellam Tholoſanam dec.*406. *num.* 3.

4. Tanto magis, cùm Statuta ſint antiquiſſima, diuque, & ſemper fuerint obſervata, quo caſu præſumitur confirmatio Superioris, maximè præſente, & non reclamante Epiſcopo, apud quem eſt omnimoda Juriſdictio in ſpiritualibus, & temporalibus, ut in terminis quòd ſervanda ſint Statuta condita à

Ca-

Digitized by Google

Capitulo etiam circa ea de pertinentibus ad Epiſcopum, ubi hic videt ea obſervari, & non contradicit. *Felin.in d.cap.cùm omnes ſub num.*11.*De Conſtit.*

5. Non obſtat diſpenſatio Apoſtolica exadverſo allegata; nam cum relaxatione juramenti, quia ut in noſtro *Summ. num.* 7. dictam diſpenſationem concernere exemptionem dumtaxat à reſidentia facienda ex cauſa Præpoſituræ; Undè cùm Eminentiſs. Cardinalis duplici vinculo teneretur ad reſidendum, altero tamquam Præpoſitus, altero autem uti Canonicus: relaxatio vinculi, quo tenebatur uti Præpoſitus, non tollit aliud vinculum, quo tenebatur uti Canonicus; nam ubi plura ſunt obſtacula, omnia debent removeri, cæteroquin diſpenſatus ab uno non cenſetur diſpenſatus ab alio. *Pirr. Corrad. in prax.diſpenſ.lib.*9.*cap.*7.*num.*3. *Gonzal.ad regulam* 8.*gloſſ.*13.*num.*96. *& ſeqq. Roſa De execut.par.*1.*cap.*4.*num.*357.*Gregor.dec.*87.*num.*17.*Bich.dec.*360.*n.*4. *Royas dec.*48.*num.*6,*& dec.*56.*num.*10.*& in Placentina Canonicatus* 27.*Aprilis* 1682.*§.unde negari non poteſt,coram bo.me. Pauluccio.*

6. Eoque faciliùs quo cauſa diſpenſandi, quæ congruit exemptioni à reſidentia requiſita per Præpoſituram non ſit adaptabilis alteri reſidentiæ requiſitæ per Canonicatum; nam Papa in Brevi diſpenſationis reſpexit ad dignitatem Cardinalitiam, quæ non videbatur poſſe obligari ad perpetuam reſidentiam extra Curiam: & hæc fuit ratio motiva relaxandi Juramentum ſuper obſervantia Statuti, quæ cauſa ceſſat in ea reſidentia ex Canonicatu requiſita in feſto S. Ægidii, quæ nec perpetua eſt, neque obligat ad ſe præſentandum corporaliter, cùm eidem ſtatuto ſatisfieri valeat per Procuratorem, & etiam per Epiſtolam, ut *d.noſtro Summ.num.*3. itaut potiùs actus obedientialis, quàm reſidentiæ nomen mereantur, & propterea cùm hæc non repugnent dignitati, & officio Cardinalatus à ceſſante ratione adjecta in ipſa diſpenſatione non videntur comprehenſa, juxta *text. in l.adigere,ff.de Jurepatronat.* aliàs ſequeretur abſurdum, quòd diſpenſatio à dicta reſidentia in feſto Sancti Ægidii emanaſſet ſine juſta cauſa, contra diſpoſita *in cap.ſuper eo*, ubi *Fagnan. nu.*40. *de Bigamis, & in cap.nimis num.*9.*De filiis Presbyterorum.*

7. Minus ſuffragatur Beneficium Juris communis, deſumptum ex *cap.cùm dilectus De Cleric.non reſiden.* quoniam idem *text.* non loquitur de Cardinalibus privilegiativè, ſed illos comprehendit tantum cauſativè, uti ſcilicet obligatos ad reſidentiam Perſonalem in Curia in obſequiis Summi Pontificis, & ſervitio Sedis Apoſtolicæ; undè cùm abſunt à Curia, & manent in miniſterio apud Reges, non excuſantur à reſidentia, nec gaudent Beneficio ejuſdem *text.* ut obſervat *Barboſ.de offic.& poteſt.Epiſcopi allegat.*53.*nu.*17.*& in d.cap.cùm dilectus num.*3. *De Cleric.non reſident.*

8. Et ſine difficultate in caſu noſtro; quia eatenus Cardinales, & alii, qui ſunt in Curia addicti ſervitio Papæ, excuſantur à reſidentia, vel potiùs habentur pro præſentibus in loco ubi retinent Beneficia, quatenus naturaliter eſt impoſſibile eorum præſentia corporalis in duobus locis eodem tempore; at iſta repugnantia, & incompatibilitas ceſſat in ea reſidentia requiſita per noſtrum Statutum.*d. Summ. num.*3. cùm eidem ſatisfieri valeat per Procuratorem, vel Epiſtolam, ut ſupra animadverſum fuit.

9. Quod comprobavit etiam obſervantia; nam ubi caſus dedit, quòd S.R.E. Cardinales poſiti ſint Canonicatu Leodienſi, hanc reſidentiam Statutariam ſemper compleverunt, aut per Procuratorem, aut per epiſtolam: idemque pra-

ſticavit etiam Eminentiſſimus Cardinalis in præſenti Contradictor; undè recurrunt ea, quæ diximus in Informatione ſuper puncto Eligibilitatis, quòd nihil magis eſt declarativum Conſtitutionis, aut privilegii, quàm individualis ſubſecuta obſervantia.

10. Non obſtat, quòd ſuper præmiſſis Eminentiſs. D. Cardinalis auditus non fuerit, quia cùm Capitulum eumdem rogaverit, ut ſuas defenſiones tranſmitteret, eoque congruè expectato, numquam Procurator conſtitutus, aut jura tranſmiſſa fuerint: indè ſequitur rectè fuiſſe proceſſum ad declarandam illius inhabilitatem, & ad celebrandam electionem ſine ipſius ſuffragio, ut in terminis longè durioribus, nempè de Electore penitùs inaudito, tradunt *Miranda, & Barboſa ſuperiùs allegati*; non relevante appellatione interpoſita à dicta declaratione incapacitatis, & cæteris actibus, quia appellatio extrajudicialis non ſuſpendit electionem, ſed dumtaxat eam retractat ex poſt, quatenùs actus à quo fuit appellatum juſtum gravamen contineat. *gloſſ. magna in cap. non ſolùm De appellat. in* 6. quam ſingularem appellat, & ſequitur *Abbas in cap. cum nobis olim ſub num.* 8. *in fine De elect.*

11. Nec ſubſiſtit, quòd non pateret tutus acceſſus, ideoque Capitulum debebat mittere ad locum tutum Capitulares, qui examinarent defenſiones Eminentiſs. D. Cardinalis, juxtà inſtantiam ab eodem ſæpè ſæpiùs inculcatam; quoniam quidquid ſit an acceſſus eſſet tutus quoad perſonam ipſius Eminentiſs. Cardinalis, porrò dici non poteſt, quod liber acceſſus ad locum Capituli non pateret ejus Procuratori, & propterea cùm ad hunc effectum non eſſet neceſſaria perſonalis comparitio ejuſdem D. Cardinalis, ſed defenſio æquè benè poſſet agi per Procuratorem, non dicitur conſtare de non tuto acceſſu, ex quo tantùm Principalis ſecurè ad locum accedere non poſſet, ex deductis per *Fagnan. in cap. ad ſupplicationem num.* 24. *De renunciat.* ubi quòd ſi acceſſus eſt multiplex, non ſufficit probare quòd unus non eſt tutus, ſed juſtificandum eſt nullum acceſſum eſſe tutum, aliàs probatio non concludit.

12. Eòque minus deſumendum eſt gravamen ex eo, quod Eminentiſſimus Cardinalis eſſet in quaſi poſſeſſione eligendi, & propterea non debuerit dicta quaſi poſſeſſione privari, donec in petitorio cauſa ſuæ incapacitatis deciſa non fuerit; etenim iſtud objectum quod naſcitur ex *cap. Conſulentionibus* 19. *De jurepatron.* non applicatur ad præſentem hypotheſim, in qua antè exercitium dictæ quaſi poſſeſſionis fuit declarata incapacitas eligendi; tunc enim cauſa proprietatis abſorbet petitorium, neque eſt locus diſpoſitioni ejuſdem *text.* qui prærogativam quaſi poſſeſſionis admittit in caſu tantùm, quo ſecuta eſt præſentatio, & inſtitutio antequam non jus præſentantis pateſiat, ut declarando eundem *text.* notabiliter tradunt *DD.* cumulati per *Rotam coram Priolo deciſ.* 113. *num.* 33. *& duobus ſeqq. & deciſ.* 136. *à num.* 18. *pariter ad plures ſeqq.* & indubitanter in caſu noſtro recipienda venit hæc limitatio, quia cùm Statutum ex omiſſa reſidentia in feſto Sancti Ægidii inducat tantùm inhabilitatem temporalem durante circulo illius anni, non autem perpetuam, ſi eveniente caſu electionis in illo anno foret attendenda quaſi poſſeſſio acquiſita in annis præcedentibus, Statutum redderetur eluſorium, & ſine virtute aliquid operandi, ut de ſe patet.

13. Ad evitandam denique confuſionem, cum qua proceditur in contrariis proteſtationibus, ſupplicantur Eminentiſs. PP. ſeparare oppoſitiones, quæ

fiunt

ſiunt ad impugnandam foraneitatem ab exceptionibus, quæ ſuppoſita habilitate ad ferendum ſuffragium proponuntur ex parte Eminentiſs. Dom. Cardinalis contra validitatem electionis; quæ enim tendunt ad excludendam foraneitatem ex præmiſſis ſufficienter ſublatas credimus, aliæ verò, quæ percutiunt nullitatem electionis non debent exadverſo proponi, quia dum habendus eſt pro foraneo reputatur ad hunc effectum electionis, ac ſi non eſſet de Capitulo; undè libertatem electionis ratione loci, ubi fuit celebrata, dum non controvertitur à Capitulo habente intereſſe, minùs controverti debet ab Eminentiſs. Dom. Cardinali, qui nullum ferre potuit ſuffragium; quoad reliqua ſatisfecimus in Informationibus tàm ſuper puncto confirmationis, quàm ſuper alio eligibilitatis.

Digitized by Google

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

MEMORIALE

Super tota Cauſa.

1. Reſpondendum pro Confirmatione electionis, quia Electus eligibilis, & Electio valida, non obſtantibus opponibilibus à Capitularibus diſſidentibus, & ab Eminentiſſimo Bullionio.

2. Pro electione futuri Epiſcopi Leodienſis, Capitulum, præviis legitimis convocationibus, ſe congregavit in dicta die vigeſima Aprilis, lectis, & admiſſis Brevibus eligibilitatis, recognitis ſuffragiis, & compertis quadraginta ſex, electi fuerunt tres Scrutatores.

3. At verò deputato ad eligendum, & publicandam electionem Scholaſtico, qui erat Scrutator, pars minor diſsidere cœpit, prætendendo hoc pertinere ad ſeniorem, ac deindè quod priùs examinanda ſubſiſtentia Brevium Eligibilitatis Sereniſsimi Principis Joſephi-Clementis, quæ iam fuerant admiſſa per votorum pluralitatem, eadem pars minor facta proteſtatione receſsit à Capitulo. Undè pars major quæ remanſit, continuato Capitulo, & ſervatis ſervandis, proceſsit ad electionem, in qua votis omnium vigintiquatuor unanimitèr electus fuit noſter Principalis, pro cujus parte, unà cum Capitulo, humillimè ſupplicamus pro Confirmatione Apoſtolica.

4. Interim Eminentiſsimus D. Cardinalis Bullionius Canonicus, & Præpoſitus Leodienſis è Galliis profectus Huyetum, petiit Salvo-conductus Fœderatorum, & Militum dimiſsionem; Cùmque obtinere non valeret, præſertìm quia obſtabat Statutum ab Eminentia Sua juratum, ac ſemper obſervatum, ex cujus diſpoſitione non repræſentantes ſe in Capitulo S. Ægidii, ſunt Foranei, non habentes vocem pro eo anno: Eminentiſsimus appellavit, & nunc noſtræ Confirmationi contradicit.

5. At quia de eligibilitate non poteſt dubitari, proteſtatio Capitularium diſsidentium eſt frivola, & prætenſiones Eminentiſsimi Bullionii inſubſiſtentes, ſperamus abſque retardatione electionem confirmandam.

6. In ordine ad Eligibilitatem clariſsimæ ſunt Conceſsiones Apoſtolicæ tàm ante, quàm poſt aſſecutionem Eccleſiæ Colonienſis, dum Innocentius XI. ſa. me. indulſit, ut ſi contigiſſet vacare Eccleſias Colonien. Hildeſimen. & Leodien. Sereniſsimus noſter eſſet eligibilis ad eaſdem Eccleſias Colonien. Hildeſimen. & Leodien. & ad quamlibet illarum. *Summ. Eligibil. num.* 1. *lit. B.*

7. Et poſt aſſecutam Eccleſiam Colonien. Alexander VIII. confirmavit, ut quandocumque de novo vacarent Eccleſiæ Leodien. & Hildeſimen. idem Sereniſsimus eſſet eligibilis ad eaſdem Eccleſias Leodii, & Hildeſeim. *d. Summ. n.* 1. *litt. H.*

8. Ne-

Digitized by Google

8. Neque hujuſmodi Eligibilitas amiſſa eſt,ex quo Sereniſsimus poſt confirmationem Colonienſem continuavit retinere Eccleſias Friſingen. & Ratiſbonen. quia retentio ſequuta eſt cum authoritate Sedis Apoſtolicæ,quæ in his facultatem habet diſpenſandi,ac diſpenſare conſuevit cum Principibus *(a)* prout Innocentius XI. expreſsè diſpenſavit cum noſtro Sereniſſimo, ut unà cum Colonienſi retineret Friſingen. & Ratisbonen. *d.Summ.num.2.lit.G.*

9. Et quamvis diſpenſatio fuerit ad certum tempus, donec, & quouſque aſſequutus eſſet pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis, & bonorum illius Menſæ.*d.Summ.n.2. lit.G.* Nihilominùs, tempus hujuſmodi adhuc durat, quia adhuc Princeps non eſt in poſſeſſione, ſeù quaſi poſſeſſione regiminis Eccleſiæ Colonienſis,ut uſque ad evidentiam firmatum eſt in allegationibus jam datis, præſertìm in ea Jureconſultiſſimi *D. Petri de Fuſco.*

10. Fortiùs, quia hactenùs duravit etiam cauſa motiva conceſſionis retentionis; Etenim Innocentius XI.ideò voluit ut Princeps retineret Eccleſias Friſingen. & Ratisbonen. donec & quouſque aſſequeretur pacificam poſſeſſionem Colonienſis, quia turbatis Coloniæ rebus, nolebat arctare Principem ad dimittendum, ne ſubtraheret modum ſe ſubſtentandi; Ac propterea voluit,ut donec poſſet habere undè ſubſtentaretur à Colonienſi: Interim poſſet retinere Friſingen. & Ratisbonen.ut ſtatum ſuum juxtà natalium amplitudinem,& Pontificalis Dignitatis exigentiam tenere valeret, prout ſunt verba Pontificis in Brevi confirmatorio Electionis Colonien.

11. Quòd autem Sereniſſimus Princeps hactenùs non potuerit ſe ſubſtentare ex fructibus Eccleſiæ Colonien. & oportuerit ut ſe ſubſtentaverit ex redditibus Friſingæ, & Ratisbonæ eſt res notoria, ex quo eſt notorium,quòd armis debuit expugnare, & recuperare Bonnam, Arcem munitiſſimam, quæ eſt reſidentia Archiepiſcopalis, Kaiſervert, & Nuitzium; ſubindeque ſucceſſere continuatæ devaſtationes, excurſiones, incendia, contributiones; Itaut abſque ſua culpa nullam utilitatem retraxerit ab Eccleſia Colonienſi,& indiguerit aliis redditibus ad ſe, & Eccleſiam Colonienſem ſubſtentandam, prout ex relatione, quæ heri 14. Julii è Colonia pervenit, & conſignata Sanctiſſimo apparet à Sereniſſimo ſingulis annis plura millia florenorum refundi pro neceſſitatibus Archiepiſcopatus. Undè hactenùs duravit ratio Cauſæ finalis, pro qua retentio conceſſa ſuit, ut ſcilicet ſe, ac ſuam Dignitatem poſſet ſubſtentare ex fructibus ſubminiſtratis à Friſinga, & Ratisbona, quia non poterat ſubminiſtrare Colonia; Et cauſæ finalis ratio non ſolùm conſervat, quod imò ampliat diſpoſitionem. *(b)*

12. Hæc ſunt adeò publica,& vera,ut CapitulaEccleſiarū Friſingæ,& Ratisbonæ non elegerint alium Epiſcopum,prout elegiſſent;Et Sancta Sedes non omiſiſſet providere de legitimoPaſtore,ſi poſt adeptā diſpendioſam,& non fructuoſam poſſeſsionem Eccleſiæ Colonienſis, expiraſſet indultum retentionis.

13. Imò hoc ampliùs habemus, quòd S. Sedes poſt adeptam poſſeſsionem

Co-

(a) *Can.qui plures cum duobus ſeqq.21.quæſt.1.Compoſtellanus,& Hoſtienſis in cap.cùm nobis De electione. Alteſerra in Decretales Innocentii III.in dicto cap.cùm nobis.*

(b) *Gothofredus ad l.cùm mater 77. §. dulciſſimis, ff.de legatis 2.Cravetta conſ.460.num.7.Jul.Clarus Sententiar.lib.3.§.teſtamentum quæſt.76. num.1.*

Digitized by Google

Colonienſem, non ſolùm confirmavit eligibilitatem ad Eccleſias Leodien. & Hildeſimen. verùm etiam duobus,& ultrà annis poſt, nempè anno 1691. cùm defunctus eſſet Coadminiſtrator Eccleſiæ Friſingen.conceſsit novum Coadminiſtratorem, quod non feciſſet, ſi Eccleſiæ fuiſſent vacatæ, ſeù tempus retentionis fuiſſet expiratum; Imò ex hoc præſumitur nova diſpenſatio. (c)

14. Eoque minùs credi poterat expiratum, ex quo S. Sedes retentionem conceſſerat,non ſolùm ex dicto motivo ſubſtentandi Dignitatem,verùm etiam contemplando, quòd Sereniſsimus Elector Dux Bavariæ contra Hoſtes Fidei ſtrenuè pugnando in Hungaria, tùm ſanguinem, tùm paternos, & avitos theſauros, è quibus protulit nova, & vetera, piè profuderat Cauſa Fidei; undè non poterat ſubminiſtrare noſtro Sereniſsimo Electo neceſſaria pro recuperatione pertinentium Archiepiſcopatui Colonienſi; Ideoque retentio conceſſa ſub hac contemplatione non potuit credi expirata, quando finis contemplatus non dum eſt effectuatus, itaut conceſsio fuiſſet inutilis. (d)

15. Et omiſsis aliis, illud eſt incontrovertibile, quòd Sereniſsimus Princeps ſemper fuit in bona fide, & credidit ſe conformare diſpoſitionibus Apoſtolicis, & Sanctæ Sedis, cui ſe profitetur filium obedientiſsimum; Et ideò non potuit amittere gratiam eligibilitatis, dum pro ea conſervanda ſola fides ſufficit, ex quo è contra ſola præſumptio, temeritas, & auſus temerarii merentur gratiæ amiſsionem,ut ex Concilio Lateranenſi,& ſacris diſpoſitionibus. (e)

16. Minùs prætendi poteſt amiſſam eligibilitatem ex Coadjutoria Hildeſimen. ex duplici ratione, quia ſcilicèt non dum eſt expedita, & non inducit incompatibilitatem, niſi poſt mortem Coadjuti, & quia ad effectum, ut Eccleſiæ defendi poſſint adverſus tentamina Principum finitimorum, illa eſt intentio S.Sedis, ut iſtæ tres Eccleſiæ regantur ſub uno, & eodem, dùm ita expedit, Imò ita neceſſe eſſe in Germania tradunt *Fagnanus*, & Cardinalis *Pallavicinus*. (f)

17. Neque prætendi poterat,ut noſter Sereniſsimus ad hoc ut poſſet eligi ad Leodienſem, debuiſſet priùs dimittere Friſingen. & Ratiſbonen.quia nunquam hactenùs auditum eſt, quòd debeat dimitti certum pro incerto. Ac ſi Eccleſiæ deberent priùs dimitti; In primis hoc fieri nequit, quia pro dimiſsione Epiſcopatus non ſufficit, ut quis dicat dimitto, ex quo etiam eſt neceſſaria authoritas Pontificis, qui acceptet dimiſsionem, aliàs nihil valet. (g)

18. Ac prætereà, ſi ſtante Brevi Apoſtolico, adhuc pro eligibilitate requi-re-

(c) *Gabriel.commun.concluſ.lib.*1.*tit.de præſumpt.concluſ.*8. *num.*11.*verſ. tenendo primam opinionem.Rebuffus in praxi tit.de Diſpenſat.à num.*2. *Suarez lib.*6.*de legibus cap.*13.*num.*23. *& ſeqq.Sperellus deciſ.*115.*num.*2.*& ſeqq.Rota in recent.par.*8. *deciſ.*16.*num.*8.

(d) *Cap.ſi Papa* 10.*§.ſi autem verſ. cùm enim jure communi De privileg. in* 6.*Gloſſa in cap.in his,verbo ex indulgentia De privileg. l.ſi prætor,ff. de judic.l. Titia* 34.*§.*1.*ubi Bart.& Gothofredus,ff.de leg.*2. *Riminaldus junior conſ.* 590. *num.*16.*&* 17.

(e) *Cap.de multa* 28.*De præbendis, cap.dudum* 59. *De electione, Extravag. Execrabilis De præbend.Concilium Tridentinum ſeſſ.*7.*cap.*4.*de reform.*

(f) *Fagnanus in cap.dudum* 54.*De elect. Cardinalis Pallavicinus in hiſtor. Concil.Trident.lib.*24.*cap.*12.*num.*11.*in fine.*

(g) *Cap.admonet,cap.quod in dubiis, cap.niſi pridem, & cap.fin.De renunc. & Canoniſtæ, ac deciſiones poſt Garziam De Beneſic.par.*11.*cap.*3.*num.*223.

reretur dimiſsio præcedens electioni, iam Breve eligibilitatis ad nihil ſerviret, quia poſt dimiſsionem, de ſui natura ſolutus à priori Eccleſia eſt eligibilis ad aliam, abſque ope Indulti Apoſtolici; Et ideò in Electione Colonien. unus ex concurrentibus volebat dimittere Epiſcopatum, cui præerat, ut remaneret eligibilis; Et conſequi non potuit, quia Superior recuſavit acceptare dimiſsionem, juxta authoritates mox allegatas. *(h)*

19. Et licèt in noſtro Brevi eligibilitatis legatur, quòd vacare debeant Eccleſiæ Friſingen. & Ratisbonen. Nihilominùs vacatio non eſt appoſita per modum conditionis adimplendæ ad effectum acquirendi eligibilitatem, ſed modus impoſitus ad obſervandum poſt adeptam poſſeſsionem Eccleſiæ, ad quam erat factus eligibilis.

20. Undè licèt Sereniſsimus retinuerit Eccleſias, & non dimiſerit, quatenus non duraret adhuc tempus indultum à S. Sede, prout verè durat, objici poſſet, quòd non fuit adimpletus modus præſcriptus, & non è contra quòd fuerit amiſſa eligibilitas, quæ conceſſa fuerat pro bono Eccleſiæ, & Fidei, ne aliàs gratia deſtruatur ſine cauſa ab ipſa gratia. *(i)*

21. Hodie verò, quo jam Sereniſsimus reperitur in Eccleſia Colonienſi, & poſtulatus ad Hildeſimenſem, & Electus ad Leodienſem, ex quo jam completur intentio S. Sedis conſtituendi in his tribus Eccleſiis eumdem Defenſorem pro bono Eccleſiarum, & Fidei, prout utillimè expertum eſt per ſeculum, & ultrà ſub Auguſta Domo Bavarica, quæ tres haſce Eccleſias ſuis viribus Fidei conſervavit illibatas, pendet à paterna charitate Sanctiſsimi D. N. determinare quid faciendum ſit de Eccleſiis Friſingenſi, & Ratisbonenſi, dum noſter Sereniſsimus filiali ſua obedientia in omnibus ſe ſupponit voluntati Sanctitati Suæ, quæ pro ſuo Supremo zelo diſponet, prout magis in Domino expedire judicaverit.

22. In ordine ad Electionem cognoſcitur manifeſtè valida ex ſola lectura Inſtrumenti Electionis. *Summ. ſuper d. puncto num.* 1. cui ſtandum eſt, & pleniſsimè probat in hac materia, ex doctrina *Innocentii*, *Doctorum*, & *Rotæ*. *(k)* Et ex eo conſtat de congregatione Capituli in die ſtatuta. *litt. A.* prævia legitima convocatione. *litt. B.* electione trium Scrutatorum. *litt. I. & X.* deputatione publicatoris. *litt. M.* Scrutinio facto. *litt. Z.* recognitione votorum. *litt. AA.* & omnium votis electione ſequuta, & publicata. *BB.* Undè adimpletis punctualiter requiſitis numeratis per *DD. in cap. quia propter* 43. *& alibi De elect.* *(l)* validitas eſt incontrovertibilis.

23. Nihil detrahit proteſtatio minoris partis diſsidentis, & abeuntis ſub prætextu examinandi Brevia eligibilitatis, quia quoad merita, in hac diſcuſſione coram Confirmatore, oſtenſa eſt firmitas eligibilitatis; Et pro ordinatoriis electionis, exceptio non erat attendenda, quia examinare ſubſiſtentiam non per-

(h) *Garzias loco citato.*

(i) *Gonzalez ad Regulas Cancellar. gloſſ.* 11. *num.* 72. *Cravetta conſ.* 70. *num.* 5. *&* 8.

(k) *Innocentius in cap. innotuit num.* 3. *De elect. Joannes Andr. ibid. num.* 20. *DD. in cap. Eccleſia veſtra il* 2. *De elect. Rota in recent. deciſ.* 156. *num.* 6. *par.* 12.

(l) *Fagnanus in cap. quia propter De elect. à num.* 37. *ad* 66. *Pirhingh. in Jus Canon. lib.* 1. *tit.* 6. *ſect.* 3. *Lavorius variar. lucubrat. tit.* 4. *de elect. cap.* 19. *à num.* 127.

Digitized by Google

pertinebat ad Capitulum; *(m)* Undè prætextus appellandi, & appellatio fuit frivola, & illa non obſtante, recedentes haberi debuerunt pro Extraneis, & validè procedi potuit ad electionem à majori parte remanente, ut eſt caſus, & deciſio Textualis, & firmant Doctores. *(n)*

24. Parum refert, quòd remanentes non conſtituerent duas tertias partes Capituli, quòdque adhuc ſupereſſent alii dies habiles ad eligendum; quia ſufficit, quòd eſſet pars major, ut docent *Abbas*, *Romanus*, *Rota*, & alii, mox allegati, quòdque Capitulum eſſet actu congregatum, prout erat in caſu noſtro, etiamſi dies non fuiſſet peremptoria; *(o)* Undè diſceſſus ex frivola cauſa non obſtabat electioni faciendæ à majori parte. *(p)*

25. Neque parti diſcedentium ullam addidit præponderantiam diſceſſus una cum ipſis D. Decani, qui erat Caput, & Præſes Capituli, quia *facto Præſidentis Capituli nullo, vel injuſto nulla eſt obligatio obtemperandi, & poteſt major pars Capituli ad electionem procedere, etiamſi aliqui ipſiuſmet Congregationis contradicant; ſufficit enim quòd ipſi ſint vocati, & congregati, qui ſi nolunt pro ſuo libitu ſuffragari, non impeditur aliorum Electio*, ut ſunt verba *Rodriguez*, *Caſtellin.* & *Peyrin.* *(q)* relata per *D. Jandis* in fine ſuper alio puncto Eligibilitatis.

26. Nulliuſque momenti ſunt oppoſitiones de Seniore, & non Juniore ex Scrutatoribus deputando ad publicandam electionem, quia Capitulum deputare poteſt quem maluerit; *(r)* Nec de aliquot Vocalibus non aſſiſtentibus Miſſæ de Spiritu Sancto, quia non eſt de ſubſtantia, nec de neceſſitate; *(ſ)* Imò in facto omnes deſcripti fuerunt inter legitimos Vocales, quamvis Miſſæ non interfuiſſent. *d. Inſtrumento litt. A.*

27. Ac demùm vanus omninò eſt rumor voti coacti Baronis de Surlet junioris, quia in actu Capituli Electionalis, in ipſo Capitulo in facie omnium, & utriuſque Patrui proteſtatus eſt de libertate. *Summario Electionis num. 2. litt. B.* & poſt electionem in alio Capitulo præſente Decano, & aliis Decano adhæren-

(m) *Cap. cùm inferior De majorit. & obedient. Rota coram Millino dec.* 420. *num.* 9. *Cardinalis de Luca De Canonicis diſc.* 27. *num.* 24. *Spada conſ.* 116. *num.* 14. *lib.* 3. *Paſſerinus De elect. cap.* 14. *qu.* 8. *num.* 56.

(n) *Cap. cùm nobis olim* 19. *De elect. ubi Abbas num.* 10. *Ancharanus ibid. num.* 1. & 10. *Butrius num.* 7. & 33. *Romanus conſ.* 152. *num.* 15. & 16. *Rota coram Millino deciſ.* 410. *num.* 2. & 420. *num.* 1.

(o) *Authoritates mox allegatæ, & Paſſerinus cap.* 11. *quæſt.* 11. *num.* 101.

(p) *Ultra allegata Joannis Andreæ in d. cap. cùm nobis De elect. num.* 3. *Gonzalez Tellez ibid. num.* 13.

(q) *Rodriguez quæſt. regul. tom.* 2. *quæſt.* 51. *artic.* 11. *in fin. verſ. ad tertium reſpondetur, Caſtellinus De Elect. cap.* 13. *num.* 22. *Peyrinus tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 31. *§.* 10. *verſ. Dico quartò.*

(r) *Gloſſa in cap. ſicut De Elect. in* 6. *verbo per unum, Geminianus ibid. num.* 4. *Panormitanus in cap. quia propter nu.* 10. *De Elect. Tamburinus De Jure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 22. *Baiſ. in Director. Elect. par.* 3. *cap.* 33. *n.* 4.

(ſ) *Baiſ. in Director. Elect. par.* 1. *cap.* 24. *Sigiſmundus à Bonon. cod. tract. par.* 1. *cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 1. *Wameſius conſ.* 16. *num.* 43. *de Elect. lib.* 1. *Paſſerinus cap.* 15. *num.* 3.

Digitized by Google

rentibus.*litt.C.* & iterùm per publicum Inſtrumentum.*d.Summ.num.*3.& ipſe non reclamat. *(t)*

28. Undè firma remanet, & inconcuſſa validitas electionis, & frivola diſſidentium machinamenta penitùs everſa, dùm cæteroqui credimus de attentatà per ipſos electione non loquuturos, nè audiant S. Bernardum cum Sacris Canonibus objurgantem: *(u) Stat quippè ſententia Eccleſiaſtica, & authentica poſt primam Electionem, non eſſe ſecundam; Celebrata proindè prima, quæ ſecundò præſumpta eſt, non eſt ſecunda, ſed nulla.*

29. In ordine ad Eminentiſſimum Bullionium, ad præcidendas moras, plenè ſatisfacimus, tùm iis, in quibus Eminentiſſimus dici poteſt legitimus Contradictor, tùm aliis extra ejus agendi Jus, indicatis in proteſtatione, ſeu proteſtationibus productis, dùm cæteroqui cum Eminentia Sua unicè diſputandum eſſet ſuper unico puncto prætenſi contemptus, dùm Jus agendi, & excipiendi unicè ab eo quod Actoris, vel excipientis intereſt, menſurandum eſt. *(x)*

30. De prætenſo contemptu conqueri non poteſt, quia facto proprio, ſuoque juramento ſe excluſit à Capitulo, & non excluſus à Capitularibus, dum Eminentiſſimus actu Cardinalis juravit ſe Statuta ſervaturum. *Sum. ſuper Oppoſitionibus nu.*4. Undè cùm Statuto caveatur, ut qui volet fructus facere ſingulis annis debeat ſe repræſentare in Capitulo S. Ægidii. *d. Summ. num.*1.*litt. G.* alioquin pro anno, quo ſe non repræſentat habeatur pro Foraneo. *litt.I.* ideòque non habet vocem, nec poteſt intereſſe in Capitulis, & in electione Epiſcopi. *litt.O.*

31. Cùm Eminentiſſimus Princeps hoc requiſitum pro faciendis fructibus, & habenda voce neceſſarium non adimpleverit. *d.Summ.num.*7. ejus non admiſſio, non eſt injuſta excluſio à Capitulo, ſed juſta obſervantia Statuti, & Juramenti, quod eò magis ſervari debet ab Eminentia Sua, quò magis eſt in majori Dignitate conſtituta. *(y)*

32. Neque obligatio hæc ſervandi juramentum præſtitum, ſoluta remanſit ex Brevi ſan.mem. Clementis X. *d. Summar. num.*5. quia obtentum reſpectu Præpoſituræ non ſuffragatur ratione Canonicatus diſtincti à Præpoſitura, (z) præſervativum à juramento præſtando, non tollit jam præſtitum, *(a)* ſuper aliis articulis, non juvat pro articulo repræſentationis in die S. Ægidii non expreſſo, *(b)* & continuando ſe repræſentare per plures annos poſt dictum Breve. *dict. Summar. num.6.litt. E. cum ſeqq.* facto ſuo per obſervantiam inter-

(t) *DD.in cap.Cauſam De offic.deleg.& in cap.Conſultationi 28.de Sponſal. Paſſerinus cap.4.num.*12.*& ſeqq.Maleret.pag.*4.*col.*4. *Samuel tract.*2. *contr.*5. *num.*13.*diſp.*1.

(u) *S.Bernardus Epiſt.*111.*aliàs* 126.*circa med.*

(x) *Cujacius ad l.*7.*ff.de Servis exportand.*

(y) *Textus in cap.Cùm quidem* 12.*de Jurejur.*

(z) *Cap.Paſtoralis, ibiq.Gloſſ.de privileg.Abbas in cap.ad aures num.*7. *de reſcript.Felinus in cap.Poſtulaſti num.*2.*eod.tit.*

(a) *Romanus conſ.*379.*num.*12.*Riminaldus junior conſ.*355.*num.*36.

(b) *Franchus in cap.*1.*in fine De Jurejur.in* 6.*ibique Paſſerinus nu.*36. *Rota coram Zarate deciſ.*9.*num.*12.*& in recent.deciſ.*247.*num.*16.*par.*11.

pretativam oſtendit Breve non ſuffragari. (c)

33. Nec excuſat Dignitas Cardinalatus, quia non aſſiſtit in Curia (d) repræſentatio non eſt incompatibilis, neque cùm Cardinalatu, neque cum exiſtentia in Curia, imò in Conclavi, tàm alii Cardinales, quàm ipſe Eminentiſſimus non omiſerunt adimplere Statutum, & Juramentum. *d.Summ.num.6. per totum.* Undè etiamſi de Jure eſſet exemptus, adhuc teneretur vigore juramenti, præſertim in re licita, & facilè adimplebili. (e)

34. Nequaquam replicando, pro puſilla omiſſione durum videri amittere rem tanti æſtimabilem, quia novum non eſt pro paucis aureis, equo, aut falcone non miſſo, devolvi Regna, & Provincias; Imò ex quo puſilla res eſt, eò fortiùs adimplenda, cùm potiùs excuſandus, ſi eſſet ardua, & impoſſibilis. (f) Et recurrit ſemper juramentum, quòd ſivè magna, ſivè puſilla, juramentum licitum ſervandum eſt. (g)

35. Hinc nequit prætendere manuteneri in poſſeſſione ſuffragii, quia quotiès ad actum requiritur certa forma ſingulis annis ſervanda, prout in caſu noſtro, ad faciendos fructus, & ſuffragandum, ſingulis quibuſque annis requiritur repræſentatio; Iſta non adimpleta, non datur poſſeſſio manutenibilis ex obſervatis, & relatis per *Poſthium De manutenendo*, & *Paſſerinum De electione*. (h)

36. Subindè ceſſat querela, quòd non auditus declaratus fuerit Foraneus; Nam præterquamquod Capitulum ſæpiùs invitavit Eminentiam Suam ad ſcribendas rationes. *d.Summar.num.12.litt.B.& num.14.* ſatis ſuperque auditus dici poteſt ex tot utrinque tranſmiſſis epiſtolis, quæ ſupplent præſentiam ex *Duareno*, & cumulatis per *Genuam De ſcriptura privata.* (i) Ulteriùs in facto aperto, & numquam negabili, Capitulum in qualificatione votorum, Vocali non vocato, de Jure declarare poteſt hunc, vel illum Capitularem deſtitutum eſſe requiſitis, & non vocandum, neque admittendum, (k) & loco informationis Facti, ſtabat confeſſio Eminentiſſimi, quòd non ſe repræſentaverat: & pro informatione in Jure loquebatur Statutum. *d. Summ.num.1.& 2.* & juramentum Eminentiæ Suæ. *eodem Summar.nu.4.*

37. Minùs prætendi poteſt nullitas, & invaliditas Statutorum, quoniam è contra patet, noſtra Statuta producta fuiſſe authoritate Apoſtolica, qua Cardinales Legati utebantur. *d.Summar.num.1.litt.B.* & confeſſus eſt Eminentiſſimus Bullionius confeſſione irretractabili facta Pontifici. *d.Summar. nu.5.* ulteriùs

(c) *DD.in cap.Cùm dilectus De conſuet.& in l.Minimè, ff.de legib. Rota coram Mantica deciſ.120.num.5.& in recent.deciſ.253.num.9.par.15.*

(d) *DD.in rub.& cap.Cùm dilectus De Cleric.non reſident.Germonius De indultis Cardinal.§.Tibi quoad vixeris nu.10. Hurtado De Reſident Sum.Pontific.reſol.8. nu.16.& De Reſident.Canonic.reſol.4.num.39.*

(e) *Cap.Quærelam.10.de Jurejur.*

(f) *Cap.Quintavallis 23.de Jurejur.*

(g) *Cap.Quanto 18.de Jurejur.*

(h) *Poſthius De Manut. obſer.33.nu.25.& 28.& vot.ſeu deciſ.646.num.15. Paſſerinus cap.14.num.38.& 39.*

(i) *Duarenus diſput.anniverſ.cap.45.Genua lib.3.tit.de Epiſt. num.7.*

(k) *Paſſerinus De Elect.cap.14.num.52.verſ.circa eum, & cap. 11. quæſt. 8. num.72.*

teriùs per lapſum ſeculi, & ultra ab illorum compilatione, confirmatio Apoſtolica præſumitur, *(l)* & Eminentiſſimis Patribus innoteſcit Statuta noſtra confirmata fuiſſe à Pio IV. cõfirmatione coæva confirmationi Concilii Tridentini. Quin imò pro Statutorum validitate Confirmatio non eſt neceſſaria, quia ſufficit ſola poteſtas Capituli, etiamſi eſſent pœnalia: *(m)* & in puncto votandi in electionibus, quòd poſſit Capitulum ſtatuere quid requiratur, ſatis docuit *Gloſſa* pluribus in locis. *(n)* Et quamvis Statutum noſtrum eſſet nullum, cùm non agatur de re illicita, adhuc ſervandum eſt ratione juramenti. *(o)*

38. Quòd ſi prætendatur, Statuta particularia non comprehendere S.R.E. Cardinales, ex quo Statuentes non habent poteſtatem legiſlativam in Cardinales in ſtatuendo, hæc diſputatio procederet, ſi quæreretur de Statuto faciendo, vel de viribus Statuti jam facti, & conſiderato Statuto nudo, in quo caſu non verſamur. Secus verò in caſu, prout eſt noſter, An Cardinalis, qui juravit ſe ſervaturum tale Statutum, teneatur illud ſervare, quia tunc non eſt Statutum, quod ſibi ſubjiciat Cardinalem, ut eſſent termini alterius quæſtionis in abſtracto, ſed eſt Cardinalis, qui ſua voluntate ſe ſubjicit Statuto, & ad illius obſervantiam ſe obligat, quo caſu ob Religionem juramenti tenebitur obſervâre. *(p)* Et ſuo ipſe juramento excluſus, non poteſt dici contemptus, nec conqueri de injuſtitia, quia patitur legem, quam Deo vindice advocato in ſe ipſe tulit, quamque diù religioſè obſervavit, non tamquam actum facultativum, ſed tamquam ſatisfactionem juramenti: qui actus abſque ulla interruptione per annos decem, & ſeptem continuati, nequaquam referri poſſunt ad meram voluntatem, quando adeſt obligatio juramenti, ad cujus adimplementum, effectus de jure ſunt referendi. *(q)*

39. Ultra Foraneitatem, ex aliis etiam rationibus Capitulum non debuit admittere Eminentiſſimum Bullionium, ut innuitur Eminentiæ Suæ in ultima Capituli epiſtola. *Summar. contra prætextus dilationis num. unico*, per hæc verba: *Propter etiam alias rationes uberiùs poſtmodùm deducendas, & ubi opus inſinuandas*.

40. Una ratio eſt, quòd de jure vocandus, ſeù admittendus non eſt, ubi commodè, aut ſine periculo venire, aut admitti non poteſt, ut volunt Canones, & Canoniſtæ. *(r)*. Et ſtantibus Bellis, non poterat Eminentiſſimus venire ſine periculo, ut cognovit ipſemet, dùm petiit procurari ſibi paſſa-portus à Fœderatis, & Milites dimitti. *Summar. ſuper Oppoſitionibus num.* 8. Non poterat Eccleſia admittere, *(ſ)* quia ſubortæ fuiſſent ſuſpiciones in damnum Eccleſiæ

(l) *Rota coram Seraph. deciſ.* 1042. *num.* 2. *&* *in recent. deciſ.* 83. *n.* 10. *par.* 10

(m) *Fagnanus in cap. cùm omnes num.* 37. *de Conſtit.*

(n) *Gloſſa in cap. Cùm in Eccleſia* 33. *in verb. Si commodè De Præbend. & Dignitat. in* 6. *& in cap. in Geneſi* 55. *verb. de conſuetudine De elect.*

(o) *Cap. Quanto* 18. *de Jurejur. Baldus in cap. Cùm omnes De Conſt. num.* 50.

(p) *Cap. Si verò* 8. *& cap. Quanto* 18. *de Jurejur.*

(q) *l. hujuſmodi* 84. §. *Cùm Pater, ff. de legat.* 1.

(r) *Cap. Quia propter verb. Commodè, ubi Gloſſa, & Abbas num.* 5. *cap. Coram De elect. cap. Quod ſicut, ubi Butr. num.* 24. *eod. tit.*

(ſ) *Paſſerinus cap.* 11. *num.* 33. *Abbas in cap. Coram* 35. *nu.* 3. *de Elect. Baldus in cap. Cùm inter* 18. *num.* 2. *de Elect. Tholoſ. de Elect. cap.* 14. *num.* 13. *Lavor. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 12.

Digitized by Google

apud Fœderatos, dum Eminentiſſimus eſt juratus Miniſter Regis Chriſtianiſſimi, qui bella gerit contra Fœderatos, & contra ipſam Eccleſiam Leodienſem; qua etiam ratione Eminentiſſimus ſe agnovit inter non admiſſibiles, dum in ſcripturis faſſus eſt deſtitiſſe à mittendo ad Capitulum poſt bella incæpta.

41. Altera cauſa eſt, quòd Oppidum Bullionii pertinet ad Eccleſiam, & uſque ab anno 1658. ſublati ſunt omnes prætextus repræſaliarum, quia completa ſolutio floren. 150. mil. & reportata quietatio. *Summar. ſuper Oppoſitionibus num.* 20. Et nihilominùs Celſiſſima Domus Eminentiſſimi, adhuc detinet occupatum, abſque eo quod Eminentiſſimus refundat occupationem in ſolum Germanum fratrem, dùm etiam Eminentia Sua in actibus tùm privatis, tùm publicis ſe qualificat ex Ducibus Bullionii, quod nomen competit ſoli Epiſcopo Leodienſi; undè ejus interventui in maximo electionis actu, ubi & in eventu electionis, Eccleſiæ jura magis periclitari poterant, obſtare videbantur Canones, & Concilium Tridentinum. (t)

42. Undè credimus irrefragabiliter oſtenſum, Eminentiſs. Dominum non poſſe conqueri de contemptu, ex quo erat tùm Foraneus inhabilis, tùm duplici ex capite bellorum, (u) & intereſſe inadmiſſibilis.

43. Et ex his reſultat Eminentiſſimum non potuiſſe prætendere per ejus appellationem retardari debuiſſe electionem, quia Capitulum, cujus ad eligendum Jus erat certum, non debebat deſiſtere propter appellationem, nullum, vel incertum jus habentis: imò etſi jus D. Cardinalis fuiſſet certum, adhuc Capitulum procedere poſſet ad electionem, appellatione non obſtante; (x) Et multò minus locus eſt prætenſis attentatis, ex ea ſolidiſſima ratione, quia propter contemptum electio non eſt nulla, licèt poſtea, probato contemptu, ſit irritanda; (y) Undè ſi intrarent attentata, de quorum natura eſt, ut ante meritorum diſcuſſionem electio revocetur, jam per ſolam appellationem conſequeretur ante cognitionem ſui contemptus, quod nonniſi poſt contemptum declaratum, Canones fieri debere præſcripſerunt.

44. Demùm non eſt immorandum in prætenſa nullitate Electionis ſub prætenſa oppreſſione Capituli; tùm quia hæc exceptio, ſi ſubſiſteret, pertineret ad Oppreſſos, & non ad alios; tùm quia Capitulum fuit in pleniſſima libertate, ut toties proteſtatum eſt in litteris ad Eminentiſſimum, præſertim in *Summar. ſuper Oppoſition. num.* 16. tùm quia Capitulum dominabatur armis, ut fatetur ipſemet Eminentiſſimus in proteſtatione producta; tùm quia omninò tollitur oppreſſionis umbra ab eventu electionis in perſonam noſtri Sereniſſimi Electi, juxta inclinationes Capituli, non juxta genium Armatorum.

45. Quamobrem attenta indubitabili Eligibilitate, Electionis validitate, & confutatione omnium undecumque opponibilium, ſperanda petita Confirmatio, pro qua abſque retardatione ſupplicamus, nè propter diuturnitatem præjudicetur Eccleſiæ.

EJUS-

(t) *Cap. Prædia cum ſeqq.* 12. *quæſt.* 2. *Tridentinum ſeſſ.* 22. *de Refor. cap.* 11. *ubi Barboſa.*

(u) *Rolandus conſ.* 68. *num.* 23.

(x) *Paſſerinus cap.* 32. *num.* 6.

(y) *Cap. Bonæ* 36. *de Elect.*

EJUSDEM ALLEGATIO
JURIS, ET FACTI
Super oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſſimi Domini Cardinalis Bullionii.

1. Eccleſia Leodien. gubernatur Statutis antiquiſſimis. *Sum. num.* 1. *litt. A.* legitimè conditis in actu Viſitationis à Cardinalibus Legatis. *litt. B.* & ab ipſa Sancta Sede approbatis. *litt. C. & D.* Eaque tenetur legere, & addiſcere quilibet ex Canonicis in ipſorum prima reſidentia. *litt. E. & F.*

2. In Statutis hujuſmodi inter cætera cavetur, ut ultrà primam reſidentiam, quilibet Canonicus ſingulis annis ſe repræſentet in Capitulo Sancti Ægidii pro ſecunda reſidentia. *d. Summ. n.* 1. *litt. G.* ſive perſonaliter. *d. litt. G.* ſive per Procuratorem. *litt. L.* & *Summ. num.* 2. Alioquin qui ſe non repræſentat, fit Foraneus, & non poteſt petere abſentiam gratioſam. *litt. N.* & qui ſe repræſentat, ſed deindè non reſidet, eſt pariter Foraneus. *litt. I.* ſed eſt in arbitrio Capituli concedere huic repræſentato abſentiam gratioſam. *litt. L.*

3. Canonicus autem qui eſt Foraneus, pro anno illo Foraneitatis, nullo modo gaudere poteſt voce activa, neque intereſſe actibus Capitularibus, etiamſi tractandum ſit de rebus arduis, atque etiam ſi ageretur de electione Epiſcopi, Præpoſiti, vel Decani. *Summ. d. num.* 1. *lit. O.*

4. Pro obſervantia Statutorum hujuſmodi, nec non conſuetudinum Eccleſiæ, quilibet novus Canonicus in ſui admiſſione ad primam reſidentiam tenetur præſtare juramentum de illis obſervandis, & Canonici Nobiles jurant ſub formula præſcripta, quæ datur *in Summ. num.* 3.

5. Eminentiſs. Princeps D. Cardin. Bullionius anno 1672. dum eſſet actu Cardinalis, petens admitti ad primam reſidentiam, ut ſupportatis oneribus, frui deindè poſſet juribus, & honoribus Canonicalibus, perrexit Leodium, elegit manſiones in Clauſtro, elegit Obſervatores ſuæ reſidentiæ, & de obſervandis Statutis Eccleſiæ perſonaliter præſtitit juramentum; Ac tali pacto admiſſus fuit tùm ad reſidentiam, & locum in Capitulo, tùm ad ſtallum in Choro. *Sum. num.* 4. & abindè Eminentia Sua Statuta obſervare cæpit, diùque obſervavit, ut infrà patebit.

6. Interim anno 1675. idem Eminentiſſimus electus fuit à Capitulo ad Præpoſituram, primam Dignitatem in eadem Eccleſia, quæ una cum Canonicatu abſque diſpenſatione Apoſtolica retineri poteſt. *Summ. num.* 5. *litt. A.*

7. At quoniam Præpoſitura ſubjacet Statutis ſtrictioribus, præſertìm perſonalis, perpetuæ, & continuæ reſidentiæ, prout expoſuit ipſemet Eminentiſſimus. *d. Summ. num.* 5. *litt. B.* ultrà alias arctitudines: Hinc eſt quòd idem Eminentiſſimus attentis aliis occupationibus, ad quas adſtringit Dignitas Cardinalatus, ita ut non poſſet ad perpetuam reſidentiam ſe obligare, ſub hac ratione

tione à Clemente X. ſan.mem. obtinuit Breve præſervativum à juramento; & obligatione ſervandi aliquos ex articulis concernentibus Præpoſituram,& cum Cardinalatu incompatibilibus, ut *d.Summ.num.5. litt.C.& D.* & nulla petitur diſpenſatio ſuper articulo repræſentationis faciendæ in die Sancti Ægidii,ut patet ex lectura dicti Brevis. *d.Summ.num.5.*

8. Exceptis expreſſis in hujuſmodi indulto Pontificio contentis, quæ habent reſpectum ad Præpoſituram: In reliquis omnibus, ſive concernentibus Canonicatum, cujus obligationes in dicto Brevi non tollebantur, ſive reſpectu ad Præpoſituram,cujus obligationes, quoad reliquos articulos Statutorum expreſsè præſervabantur in eodem Brevi, prout in *d.Summ.num.5.litt.E.* idem Eminentiſſimus D.Cardinalis Bullionius, præſertim in puncto ſe ſe repræſentandi in Capitulo Sancti Ægidii, ſive per ſe, ſive per ſuum Procuratorem ad id conſtitutum, ab ipſa die præſtiti per eum juramenti, nempè à die 3.Auguſti 1672. uſque ad Capitulum anni 1688. ſingulis annis religioſiſſimè obſervavit, prout juſtificatur per extractum ex repræſentationibus factis in Capitulo S.Ægidii. *Summ.num.6.à litt.A.uſque ad litt.S.*

9. Et eſt notabile, quòd idem Eminentiſſimus Bullionius ſe repræſentavit in dd. Capitulis, non ſolùm antequam conſequeretur Breve præſervativum ratione Præpoſituræ, de quo *in Summ. d. num.5.* prout patet ex dicto extractu. *d.Summ.num.6.à litt.A.uſque ad D.* Verùm etiam poſt dictum Breve tredecies, in ſingulis ſcilicet tredecim annis decurſis poſt Breve ſe ſe repræſentavit, *ut d. num.6.à litt.E. uſque ad S.*

10. Imò reliqui etiam S.R.E. Cardinales, qui fuerunt, vel ſunt Canonici Eccleſiæ Leodien. pari modo ſe ſe repræſentarunt, ut de bon. mem. Cardinali de Haſſia patet ex dicto extractu. *d.Summ.num.6.* de annis 1672. *litt.A.*1673. *litt.B.*1674. *litt.C.* 1675.*litt.D.* 1676.*litt.E.* 1677.*litt.F.* 1678. *litt.G.* 1679. *litt.H.* 1680.*litt.I.* & uſque ad obitum 1681. *litt. L.* & de Eminentiſſimo Cardinali de Baden.*litt. D. E. & F.* & de Eminentiſſimo Furſtembergh de annis 1687. *litt.R.* 1688.*litt.S.*& 1689. *litt.T.*

11. Et eſt etiam notabile, quòd Eminentiſſimus de Haſſia ſe ſe repræſentavit non obſtante, quòd eſſet Epiſcopus Uratiſlavien. & in ſuo Epiſcopatu reſideret: & Eminentiſsimus de Baden ſe ſe repræſentabat non obſtante, quòd eſſet, & reſideret in Abbatia Fuldenſi: Eminentiſsimus Furſtembergius ſe repræſentabat non obſtante,quòd eſſet Epiſcopus Argentoratenſis: Et ipſemet Eminentiſsimus Bullionius ſe repræſentavit non obſtante, quòd eſſet Magnus Eleæmoſynarius Regis Chriſtianiſsimi, prout adhuc eſt uſque ab anno 1671. & per omnes annos,in quibus ſe repræſentavit.

12. Quin imò eſt præ omnibus notabiliſsimum, quòd prædictæ repræſentationes apparent factæ etiam de tempore, quo vel dicti Eminentiſsimi non ſolùm reſidebant in Curia Romana, qua ratione fortaſſe excuſari potuiſſent, prout verificatur præſertìm in Cardinali de Haſsia, antequam proficiſceretur ad reſidentiam Uratiſlaviæ; Verùm etiam de privilegiatiſsimo tempore Apoſtolicæ Sedis Vacantis, de quo tempore iidem Cardinales non obſtante quòd eſſent, vel actu in Conclavi,vel in itinere ad hæc Sacratiſsima Comitia,ſe repræſentare non prætermiſerunt, prout patet ex combinatione temporum in annis 1676. in quo Sedes vacavit à 22. Julii,menſis in. quo ſumus, uſque ad 22. Septembris:Et anni 1689.in quo Sedes vacavit à 12.Auguſti uſque ad 6.Octobris:

bris: Et nihilominus ſub die 1. Septembris eorumdem annorum, de quo tempore Eminentiſsimi Cardinales abſque ullo dubio, vel erant in Conclavi, vel ſe ſe itineri commiſerant, nequaquam prætermiſerunt ſe ſe repræſentare in Capitulo generali S. Ægidii, non obſtante, quòd cauſa Conclavis à quacumque alia obligatione excuſare poſſet.

13. Sed mirum non eſt, quia adimplementum Statuti in hac parte eſt facillimum, dum fieri poteſt etiam per Procuratorem. *d. Summ.num.* 1. *litt.L.* vel per Procuratorem, ſive Epiſtolam, ſeu actum Notarii. *d. Summ. num.* 2. quod facilè præſtari poteſt à quocumque in quacumque Dignitate, & ubicumque exiſtente.

14. Tali, ac tanta facilitate non obſtante, Eminentiſsimus D. Cardinalis Bullionius neglexit ab anno 1689. uſque ad præſens transmittere mandatum Procuræ, ſeu actum Notarii, vel etiam ſimplicem Epiſtolam, quæ poterat ſufficere. *d.Summ.num.*2. prout fatetur idem Eminentiſsimus in quodam Memoriali impreſſo in Partibus, & juſtificatur per extractum ex Actis Capitularibus. *Summ.num.*7.

15. Imò eſt notandum, quòd Eminentiſsimus Dom. Bullionius defecit in ſe repræſentando in ipſomet anno 1689. in quo non defecerat Eminentiſsimus Furſtembergius, ut ex *d.Summ.num.6.litt.T.*

16. Hinc eſt, quòd Eminentiſsimus Dom. Cardinalis Bullionius, ex præſcripto Statutorum ab Eminentia Sua juratorum, evaſerat Foraneus, dum Foraneus eſt, qui in Capitulo S. Ægidii ſaltem per Procuratorem, vel Epiſtolam ſe ſe non repræſentat, prout ex Statutis *in Summ. num.* 1. *litt. I.* ac propterea pro annis, in quibus ſe non repræſentavit, prout eſt annus præſens, non adimplevit conditionem requiſitam juxta Statuta pro effectu dandi vocem in Capitulis etiam electionalibus. *d.Summ.num.*1 *litt.O.*

17. Nihilominùs Eminentiſſimus Dominus, licèt memor juramenti à ſe præſtiti, prout ex ejus Epiſtola ab ipſo momento reſcitæ mortis piè defuncti Epiſcopi Leodien. uſque à Lutetia Pariſiorum in illis verbis: *Secundùm juramenti noſtri Religionem adimpleturos. Summ. num.*8. cœpit prætendere ſuffragium in electione; Ideoque in litteris ad Capitulum dàtis, duo inſinuabat: Primum nempè ut Capitulum procuraret ipſi Salvo-conductum à Principibus fœderatis per iſta verba: *Confidimus, &c. vos procuraturos apud Principes fœderatos, ut ſalvi-conductus pro ſecuritate eorum, qui electioni de jure adeſſe debent, expediantur*: & Secundò, ut Civitas à Fœderatorum militibus evacuaretur per hæc verba: *Et inſuper vos ab eiſdem Principibus fœderatis impetraturos, ut ad tempus Copiæ eædem à Civitate Leodii recedant. d.Summ.nu.*8.

18. At verò Capitulares reflectentes ad eadem Statuta, ne ſe redderent reos duplicis perjurii, uniùs ſcilicet à parte Eminentiſſimi, ſi illi dediſſent aditum pejerandi, & à parte ipſius Capituli, ſi contra Statuta, quorum obſervantiam ipſi etiam juraverant, Eminentiſſimum juxta Statuta non admittendum, admittere voluiſſent: Concorditer reſponderunt obſtare Eminentiæ Suæ Statutum Foraneitatis, quod hactenùs inconcuſsè ſervatum fuerat, dum cæteroqui procuratio Salvi-conductus juxta declarationes, tùm in præſenti vacatione Eccleſiæ, tùm antecedenter in aliis occaſionibus factas, ſpectabat, ad prætendentes venire, & non ad Capitulum: Quòdque milites fœderati retinebantur ab ipſo Capitulo pro ſecuritate Civitatis, & dimitti non debebant, niſi priùs

ab

ab Hoſtibus,à quibus etiam Civitati metuendum, evacuata fuiſſent Oppida Dyonantenſe, Huyenſe, & Bullionenſe; ideòque Eminentiam Suam egrè ferre non debere, ſi eam non convocarent, ut ſe conformarent juramento,& Statutis, & non adhærebant in aliis pro ſecuritate Capituli, & Civitatis. *Summ. num.9.*

19. Hinc etiam Capitulum habita matura deliberatione, ultrà alios, declaravit Foraneum eundem Eminentiſſimum, prout *in Summ.num.*10.eandemque declarationem una cum Statutis ad eundem Eminentiſſimum tranſmiſit.

20. Diſplicuit Eminentiſſimo Domino declaratio hæc, & perſeverantia Capituli in cuſtodienda Religione juramenti; undè prætendebat Capitulo inſinuare,quòd Eminentiæ Suæ competebant complures exceptiones, quas intendebat in Capitulo repræſentare, & quòd ipſo inaudito procedi non potuerat ad pœnam Foraneitatis, prout ex Epiſtola *in Summ.num.*11.

21. At Capitulum reſpondit, omnia in Capitulo geſta fuiſſe poſt accuratam diſcuſſionem pro Statutorum; & Conſuetudinum inconcuſſa obſervantia, & Foraneitatem à Statutis eſſe declaratam; Et nihilominùs inſinuavit Eminentiæ Suæ, ut exceptiones, & rationes quas dicebat, ſcripto tranſmitteret ad Capitulum, quia promptum erat ad illa examinanda, prout ex reſponſionibus *in Summ.num.*12.

22. Sed Eminentiſſimus recuſans ſua motiva ſcriptis propalare, propoſuit Capitulo, ut octo Dignitates cum duobus Canonicis antiquioribus ad ſtabiliendum cum ipſo delegaret, vel ut totum Capitulum transferretur ad ipſum Oppidum Huyenſe ubi Cardinalis morabatur,pro celebranda ibi novi Epiſcopi electione, pro qua Chriſtianiſſimi Regis ſecuritates,etiam cum proprii Capitis periculo pollicebatur, *ut in Summ.num.*13.

23. His verò conditionibus per Capitulum recuſatis, quia abſque alia reflexione perſpiciuntur exorbitantes, & non admiſſibiles, iterùm rogavit Eminentiam Suam, quatenùs dignaretur ſua motiva ſcripto communicare, dum maturam, & accuratam diſcuſſionem promittebat, prout ex reſponſionibus *in Summ.num.*14.

24. Cognoſcens itaque Cardinalis approximari jam tempus electionis,prout ex Epiſtola. *Summ.nu.* 15. ac tandem videns ſui admiſſionem eſſe impoſſibilem, tranſmiſit ad Capitulum proteſtationem, & appellationem tum à geſtis poſt diem 22. Februarii, qua dicit perveniſſe ad Oppidum Huyenſe, tum à gerendis, & à futura electione, prætendens omnia geſta, & electionem fore nullam.

25. Nihilominùs, quia exceptiones propoſitæ ab Eminentiſsimo ſunt inſubſiſtentes,& appellatio frivola non ſuſpendit electionem ex adductis per *Canoniſtas in cap.cùm nobis olim* 19.*De elect.*ubi præſertim *Gonzalez Tellez n.*13. Capitulum proceſsit ad electionem ad favorem Sereniſsimi, & Eminentiſsimi Principis Joſephi-Clementis ex Ducibus Bavariæ, & Electoris Colonien. prout in alia informatione facti,in qua pro Electionis confirmatione ſupplicamus, prout confirmandam credimus, & non retardandam, non obſtantibus oppoſitionibus, quæ pro parte Eminentiſsimi Dom.Bullionii proponi poterunt.

26. Ex iis,quæ Eminentiſsimus Bullionius indicavit,tum in ſuis Epiſtolis, tum in proteſtatione exadverſo danda, facilè conjicimus,pro parte Eminentiæ Suæ ſeptem oppoſitionum Capita fore proponenda: nempè celebrationem

Ca-

Capituli in Civitate Leodii fuiſſe nullam, tamquam factam in loco non tuto, ubi libertas Capituli opprimebatur ab Armatis: & ulteriùs eſſe annullandam ex quo ipſe perſequitur ſuum contemptum; ipſum verò non debuiſſe contemni, quia erat in poſſeſsione ſuffragii: Statutum Foraneitatis eſſe nullum, & invalidum: ipſumque eſſe à tali Statuto exemptum: & declarationem Foraneitatis contra ipſum inauditum fuiſſe pariter nullam: Ac demum attenta proteſtatione, & appellatione per Eminentiam Suam interpoſita ſub die 9. Aprilis, electionem ſubindè celebratam ſub die 20. fuiſſe etiam attentatam.

27. At verò oppoſitiones omnes facilè tolluntur in Facto, & in Jure.

28. Et quidem quoad primam de loco non tuto propter milites Leodii exiſtentes, quaſi Capitulum non eſſet in libertate, contrarium convincitur ex litteris ipſius Capituli, profitentis ſe eſſe in pleniſsima libertate pro futura electione, *ut in Summ.num.16.*

29. Ac rurſus ipſemet Cardinalis in ſua proteſtatione exadverſo danda *in §. tertio*, admittit Capitulum ſuſcepiſſe juramentum fidelitatis à Præfecto Generali Militum, qui ſunt in Urbe, & ipſius Canonici commiſſum eſſe invigilare Cuſtodiæ Munimentorum tàm Urbis, quàm Status; Undè nihil obſtabat, quòd Civitas eſſet plena Militibus, dum iſti Urbem cuſtodiebant ſub ſtipendiis, & ſub obedientia Capituli, juxta confeſsionem ipſiuſmet Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii in dicta ejus proteſtatione.

30. Et parum refert, quòd inter Milites, & aliqua pars illorum exiſteret Acatholica, quia iſti etiam obediebant Capitulo, & erat minor pars, dum longè major erat numerus Militum Leodienſium, ut eſt ſatis notum.

31. Præterea in actu electionis, juſſu ipſius Capituli, diſpoſitæ fuerunt Cuſtodiæ ex militibus Leodienſibus, ut cuſtodirent tùm Civitatem, tùm ipſum Capitulum, prout Romæ practicatur in cuſtodiendo Conclavi, & Urbem, & practicatum fuerat in antecedenti electione Leodienſi de anno 1688. prout ex Decretis Capitularibus dicti anni, & anni præſentis. *Summ.num.17.*

32. Ac demùm plena Capituli libertas apparet ab eventu, dum fuit electus Sereniſsimus noſter Principalis, qui neque proprio milite ſtipabatur, neque aliis adjutus viribus, quàm propriæ virtutis; & Capituli bonum Patriæ, & Eccleſiæ deſiderantis, ſuffragiis expetitus.

33. E' contra verò, ſi Leodii Civitas pro Capitulo tuta non erat, quando ibi Capitulum Supremo jure Eccleſiæ regebat, & imperabat, nulla alia Catholici Orbis pars, exceptis dumtaxat aliquibus Italiæ Civitatibus, tuta fuiſſet, dùm ſi Domi ſuæ, ubi dominabatur, tutum non erat, minùs tutum alibi fuiſſet, ut patet conſideranti ſive Gallias, ſive Germaniam, ſive alias Europæ Regiones.

34. Neque caſui noſtro applicatur alter caſus Leodienſis, pleno calamo relatus *à Fagnano in cap. cùm ex injuncto num. 16. & ſeqq. de nov. oper. nunciat.* ubi concluditur partem Capituli debuiſſe accedere ad Oppidum Huyenſe, ubi una cum Epiſcopo exiſtebat alia pars Capituli, quia tunc Civitas rebellaverat à proprio Epiſcopo, & Civitas in factiones diſtincta perſequebatur partem Capituli adhærentem Epiſcopo, quod nullo modo verificatur in caſu noſtro, ubi totum Capitulum reſidet in ipſa Civitate, & Civitas tota eſt obediens imperio Capituli: & è contra in Oppido Huyenſi unus dumtaxat exiſtebat Canonicus, & ille carens voce; Undè non habens Jus ſuffragandi, multò minùs habebat Jus vocandi totum Capitulum ad locum ſuum.

Digitized by Google

35. Hinc apparet Capitulum non debuiſſe admittere propoſitionem factam ab Eminentiſſimo Bullionio transferendi totum Capitulum ad Oppidum Huyenſe, quia nulla aderat juſta cauſa contraveniendi diſpoſitioni *Textus in cap. Quod ſicut* 28. *De electione.* ibi: *Præſertim cum juxta Conſtitutiones Canonicas, ſi fieri poteſt, in Cathedrali Eccleſia Electio debeat celebrari*, quem ad concludendum, quòd Electio fieri debet intra ambitum Eccleſiæ viduatæ, benè adducit *Paſſerinus De elect. cap.* 12. *quæſt.* 1. *num.* 3.

36. Undè oblatio Paſſa-portuum, & ſecuritatum facta à D. Gardinali, etiam ſub periculo proprii Capitis, erat fruſtranea, & adhuc aſſecurationibus, ſeù litteris de conductu, nequaquam fidere debuiſſet totum Capitulum temporibus adeò periculoſis, quia *Fagnanus* eas vocat fragiles cautiones, ut in *dicto cap. Cùm ex injuncto num.* 37. *De novi oper. nunciat.*

37. Potiùs congruebat amplecti temperamentum à Capitulo oblatum, ut dignaretur Eminentia Sua tranſmittere, & ſcripto communicare ſuas exceptiones, & rationes, ut repetitò ſuggeſtum fuit à Capitulo. *Summario num.* 12. *&* 14. ſeu conſtituere Procuratorem, ut propter inimicitias metuentibus ſuggerit *Fagnan. in dicto cap. Cùm ex injuncto num.* 35. Et idem Eminentiſſimus in ultima electione Anno 1688. in qua non erat Foraneus, quamvis non vocatus, tamquam extra Provinciam, nihilominùs admiſſus fuit per Procuratorem ad ferendum ſuffragium, ut ex actis Capitularibus. *Summario num.* 18. Undè nunc etiam facillimum fuiſſet Eminentiæ Suæ Procuratorem conſtituere.

38. Ad ſecundam oppoſitionem de prætenſo contemptu facilior eſt reſponſio, dùm termini contemptus tunc procedunt, quando aliquis abſque ullo dubio habet vocem in Capitulo, itaut debuiſſet omninò vocari, & admitti, ut colligitur ex *Textu in cap. Quia propter* 43. *De elect.* ibi: *Præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe*; Undè cùm Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius vellet quidem, ſed non deberet admitti, nec poſſet commodè intereſſe, non poteſt dici contemptus; Ideòque intrat doctrina *Paſſerini in cap.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 48. ibi: *Non eſt contemptus ubi non eſt injuria, nec injuſtitia, nec neceſſitas admittendi aliquē ad electionem.* Et ibi: *Capitulum utens Jure ſuo, & expellens modo debito, & legali quem non tenetur admittere, nullam ei facit injuriam, nec eſt in illum injuſtum. Igitur ille non habet undè agat de contemptu contra Capitulum.*

39. Quòd autem Eminentiſſimus Dominus non deberet admitti, eſt certum ex duplici Capite, nempè quia Eminentiſſimus eſt Foraneus juxta Statuta jurata, & quia Eccleſia Leodienſis eſt membrum Imperii, & cum Imperio confœderata, & Domina Ducatus Bullionenſis. *Summario num.* 19. quem Celſiſſimus Germanus Frater ipſius Eminentiſſimi retinet occupatum, quamvis ejus Familiæ de prætenſis creditis ſit plenè ſatisfactum uſque ab anno 1641. *Summario num.* 20. junctis proteſtationibus Epiſcopi, & Capituli contra articulum 28. Pacis Neomagenſis. *Summario num.* 21. Imò pro Ducatus recuperatione credendum eſt initum eſſe fœdus; Undè etiam reſultat, quòd Eminentiſſimus, neque poterat admitti: ac propterea, cùm nec deberet, nec poſſet commodè intereſſe non poteſt dici contemptus.

40. Et quòd Eminentiſſimus eſſet Foraneus, patet ad litteram ex tenore Statuti. *dicto Summario num.* 1. *litt. G.* juncta *litt. I.* per illa verba: *Quicumque in Eccleſia Leodien. volet reſidere, & fructus facere, debebit in Feſto D. Ægidii*

in

in Capitulo Generali ſe exhibere, &c. ad reſidentiam offerre, &c. & in aliis verbis: *Quicumque in Feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes, &c. alioqui pro Foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat eo anno.*

41. Hinc eſt, quòd, cùm Eminentiſſimus D. Bullionius nequaquam ſe repræſentaverit in Capitulo S. Ægidii præſentis anni electionalis. *Summario num.* 7. abſque ullo dubio ad tenorem Statutorum convincitur eſſe Foraneus.

42. Si igitur eſt Foraneus, procul dubio ad tenorem pariter Statuti non debet habere vocē in præſenti Anno, in quo eſt Foraneus, dum legitur in Statuto: *Item Canonicus foraneus, &c. nullo modo etiamſi de electione Epiſcopi, aut quantumvis ardua re tractetur, negotiis Capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere non poterit. dicto Summario num.* 1. *litt.O.*

43. Ergo ſi Eminentiſſimus eſt de iis, qui nullo modo intereſſe poſſunt negotiis Capitularibus, aut dicere ſuffragium, jure merito non eſt de iis, de quibus loquitur Textus, quòd debent intereſſe; ac propterea, ſi non debet intereſſe, non poteſt dici contemptus.

44. Ulteriùs, attento, quòd idem Eminentiſſimus Princeps uſque ab annò 1671. eſt Magnus Eleemoſynarius Regis Chriſtianiſſimi, ac tali ratione obſtrictus eſt Majeſtati Suæ juramento fidelitatis, ut videre eſt in Libro *l'Eſtat de la France tom.* 1. *pag.* 26. atque etiam, attento intereſſe inter ejus Familiam, & Eccleſiam, prout cognoſcitur ex *Summario num.* 19. *&* 20. prout etiam ex eo, quod in ſtatu præſenti Eccleſia Leodien. uti membrum Imperii confœderata eſt cum Imperatore, & Imperialis Dietæ proclamata acceptavit, manifeſtè cognoſcitur, quòd admiſſio Eminentiſſimi ad ſuffragandum in Capitulo, ſequi non poterat commodè juxta *cap. Quia propter*, & ſine periculo juxta *cap. Quod ſicut De elect.* conſideratis utrinque incommoditate, & periculo, tam à parte Eccleſiæ, quàm à parte Eminentiſſimi.

45. Etenim Eminentiæ Suæ non conveniebat ſuam Dignitatem in præſentis belli circumſtantiis exponere periculis, neque conveniebat Capitulo ſe ſe exponere gravibus incommodis, & detrimentis, quæ reſultaſſent, ſi contra proclamata Imperialia, non ſine evidenti Confœderatorum zelotypia voluiſſet admittere Miniſtrum juratum Regis Chriſtianiſſimi, & fœderis articulos violaſſet; Undè cùm admiſſio ſequi non poſſet, nec commodè, nec ſine periculo, Capitulum admittere non debebat, prout in caſu Bellorum concludit *Paſſerinus cap.* 11. *quæſt.* 5. *num.* 33. conſiderato etiam intereſſe particulari intercedente cum ejus Familia, qua etiam ratione non erat admittendus, ſtante ex una parte in facto quietantia, quæ datur in *Summario num.* 20. & ex alia parte in Jure *Concilio Tridentino cap.* 11. *ſeſſ.* 22. *de reformat.* contra occupationes.

46. Nil relevante, quòd admiſſus fuerit in electione præcedentis anni 1688. tùm quia factum quod fieri non debuiſſet, trahi nequit in exemplum, tùm quia lis bellica, in qua pro Juribus Eccleſiæ, & Imperii decertatur, nondum mota fuerat, tùm quia admiſſus tantùm per Procuratorem. *dicto Summario num.* 18.

47. Neque prætendi poterit à Principatu Leodienſi, ut Miniſtros Primarios, & Principes Nobiliſſimæ proſapiæ, ac de latere Regis inimici venientes ad ſumma rerum negocia admittat, quando è contra tum Edictis, tum arreſtis, non

ſolùm puro facto aliorum Principum Vaſſalleculi excluduntur à Galliis à quacumque electione.

48. Nec Eminentiſſimo D. Bullionio ſuffragari poteſt prætenſa poſſeſſio juris votandi, quia ſtantibus Statutis Eccleſiæ, quoad Jus ſuffragandi non datur Jus aliquod radicale perpetuum ſuper quo fundetur ſuffragium, dùm ad effectum acquirendi ſuffragium ſatis non eſt, ut aliquis ſit Canonicus, ſeù in poſſeſſione Canonicatus, quia Jus ſuffragandi acquirendum eſt ſingulis annis per adimplementum conditionis requiſitæ à Statutis;Itaut in caſu noſtro Statuta propriè non ſint pœnalia, ſed potiùs lucrativa, non ſecus, ac in aliis Eccleſiis ſunt Statuta ſuper diſtributionibus quotidianis,ex quorum forma, qui non intereſt horis Canonicis, non privatur diſtributionibus, ſed potiùs non lucratur, quia diſtributiones de jure non ſubtrahuntur à Canonico non inſerviente, ſed illi non tribuuntur, ut deſumitur ex *Textu in capit. Conſuetudinem De Clericis non reſident.in 6.* per illa verba: *Statuimus, ut diſtributiones quotidianæ Canonicis, qui eiſdem Officiis adfuerint, tribuantur.*

49. Ita pariter per verba lucrativa, & non punitiva conceptum eſt noſtrum Statutum. ibi: *Quicumque volet reſidere, & fructus facere, debebit in Feſto B.Ægidii ſe exhibere, & adreſidentiam offerre. dicto Summario num.*1. *litt.G.* undè Canonicus,qui ſe non repræſentat,dici non debet, quòd privetur fructibus, ſed potiùs quòd fructus non acquirit.

50. Et quoniam una ex ſpeciebus fructuum Canonicalium conſiſtit in dando vocem in Capitulo, hinc eſt, quòd qui ſe non repræſentat in Feſto Sancti Ægidii, ſicuti non acquirit fructus pro illo anno, ita neque pro tali anno vocem acquirit.

51. Et ne relinqueretur locus dubitandi, in ipſo Statuto ſubditur, quòd licèt quis ſe repræſentet, ſi tamen non reſideat, nihilominùs habeatur pro Foraneo, nec ullos omninò fructus faciet eo anno,& nunquam loquitur per modum privationis, ſed tantùm lucrativè, ut apparet.*dicto Summario num.*1. *litt. G. & I.* quia ſubſequens pars Statuti connectitur cum præcedenti, & ſtat declarativè ad illam.

52. Neque dicatur, quòd hoc videtur nimis probare,dùm tali pacto, etiãſi Eminentiſſimus Dominus ſe repræſentaſſet in Capitulo S.Ægidii: Nihilominus neque deberet habere vocem, dùm tamen in facto apparet contrarium ex documento pro noſtra parte dato in *Summario num.*18.quia facilè occurrimus objecto per reſponſionem, quòd Statuta diſtinguunt duos caſus,unum nempè de eo, qui ſe non repræſentat in die S. Ægidii, & huic denegatur abſentia gratioſa.*Summario n.*1. *litt.H.* alterum verò de eo, qui ſe repræſentat per ſe, vel per Procuratorem, & ad iſtius favorem poteſt Capitulum arbitrari abſentiam gratioſam, ut *dicto Summario num.*1. *lit.L.* cùmque Capitulum ratione reſpectus debiti Cardinalibus benè poſſit regulare arbitrium: Hinc eſt, quòd Cardinales ſequuta repræſentatione in Capitulo S.Ægidii, deindè vigore gratioſæ conceſſionis abſentiæ vocem retinuerunt.

53. Neque noſtra Statuta impugnari poſſunt ſub prætextu nullitatis, & invaliditatis, quia in collectione facta de anno 1563. Statuta dicuntur facta in Viſitatione à Cardinalibus Legatis, & approbata per Sanctam Sedem.*Summario num.*1.*litt.B.& C.*dum non fuerunt Statuta nova, ſed jam exiſtentia reducebantur ad methodum ſub debitis titulis,ut *dicto nu.*1.*lit.B. in fine.* Imò cùm in

in præſenti compilatione dicatur, ut procuretur Signatura Pontificia. *d. nu.* 1. *litt.D.* lapſus annorum 130. ex quo facta fuit compilatio, præſumi facit jam obtentam confirmationem Apoſtolicam.

54. Sed ipſemet Eminentiſsimus Bullionius narravit Clementi X. noſtra Statuta facta eſſe per Legatos Apoſtolicos, Epiſcopos, & Capitulum, illaque recognovit adeò valida, ut pro illorum derogatione neceſſariam exiſtimaverit authoritatem Apoſtolicam, ut legi poteſt in Brevi expedito ad preces Eminentiæ Suæ in occaſione obtentæ Præpoſituræ, *in Summ.num.* 5. *litt.B.* undè non poteſt hodiè contra propriam confeſsionem venire, & quod ſemel confeſſus eſt legitima, & valida, non poteſt amplius redarguere pro nullis, & invalidis. *cap. quod ſemel placuit* 21. *De reg.jur.in* 6.

55. Et quatenùs nulla interveniſſet authoritas Apoſtolica neque in condendis, neque in confirmandis Statutis: comperti Juris eſt, quòd etiam facta per ſolum Capitulum, etiam abſque Epiſcopo ſunt legitima, & valida, ut docuit Sacra Congregatio Concilii, referente *Pagnano in cap.cùm omnes num.*37. *De Conſtitut.* & quatenùs etiam eadem Statuta dicenda eſſent pœnalia, & non merè lucrativa, ut ſupra dicebamus: Adhuc ſunt valida per modum pœnæ cõventionalis, ut docet idem *Pagnanus in d.cap.cùm omnes num.*39. imò quando ſunt jurata, prout ſunt in caſu noſtro, Statutum eſt validum, & juramentum obligat ad obſervantiam activè, & paſsivè tàm Capitulum, quàm Canonicum, prout in puncto docuit *Baldus in eodem cap. cùm omnes num.*50.

56. Minùs juvari poteſt prætensà exemptione à Statutis. Quia, quatenùs exemptio prætendatur ſub prætextu, quòd hoc Statutum erat incognitum Eminentiæ Suæ, tollitur excuſatio, tum ex eo quod Eminentiſsimus jam fecit primam reſidentiam, & in illa explenda didicit Statuta, & Conſuetudines Eccleſiæ, prout cavetur in ipſo Statuto. *Summ. num.* 1. *lit.E. & F.* & paria ſunt ſcire, & debere ſcire. *l.qui fundũ, §.ſervus, ff.pro emptore.* Tum quia convincitur ſciviſſe, ex quo per longam ſeriem annorum decem, & ſeptem, ſingulis annis punctualiſsimè adimplevit. *Summ.num.*6.

57. Quatenùs verò exemptio deducatur ab Indulto obtento à Clemente X. *d.Summ.num.*5. minimè ſuffragari poteſt. *Primò*, quia conceſſum in qualitate Præpoſiti, & reſpectu ad Præpoſituram, quæ per ſe non habet vocem, non poteſt extendi ad qualitatem Canonici, ex qua votum dependet, & pro qua qualitate non eſt facta conceſsio. *Secundò*, quia Breve nullam facit mentionem de Capitulo S. Ægidii, neque de eximendo à Foraneitate, undè ad illam non poteſt extendi. *cap.porrò De privilegiis. Tertiò*, quia Breve præſervat à juramento præſtando ratione Præpoſituræ, & non abſolvit à juramento jam præſtito ratione Canonicatus, reſpectu cujus non eſt ſublatum. *Quartò*, quia Breve eximit à ſervandis articulis ex ea ratione, quia ſtante Dignitate Cardinalitia ſervare non poterat, ut ex Brevi. ibi: *Tu verò ratione Cardinalitiæ Dignitatis præmiſſa ſervare nequeas*; ergo, cùm tranſmittere mandatum Procuræ, aut ſaltem Epiſtolam, non ſit obligatio cum Cardinalatu incompatibilis, aut inadimplebilis, Eminentiſsimus Princeps, neque verbis, neque ratione Brevis à Foraneitate eſt excuſabilis. *Quintò*, quia Cardinalis etiam poſt obtentum Breve uſque ad annum 1689. ſemper indefectibiliter ſe per tot annos repræſentavit; Undè ipſemet ſua obſervantia induxit in Brevi interpretationem excluſivam exemptionis à ſui repræſentatione in Capitulo Sancti Ægidii.

58. Ne-

Digitized by Google

58. Neque dicatur, quòd ejus repræſentationes fuerunt actus facultativi non inducentes obligationem, quia actus facultativus prætendi poſſet, quando non conſtaret de cauſa productiva obligationis ad actum; Undè cùm in caſu adſit cauſa productiva, prout eſt Statutum juratum, effectus adimplementi referendus eſt ad cauſam exiſtentem, non ad meram voluntatem. *l.hujuſmodi* 84.*§.cùm pater,ff.de legat.* 1.*l.Ariſto,§.*1.*ff. de jur.deliber. l.pater filiam in fin. ff.ad l.falcid.*

59. Quatenùs demum exemptio prætendatur à Jure ex *cap. dilectus De Clericis non reſidentibus*, & aliis cumulatis in quadam allegatione impreſſa in partibus ſub titulo: *Memoriale quo oſtēditur S.R.E.Cardinales in inferioribus Beneficiis non teneri ad reſidentiam,&c.* ſub ea ratione, quòd Cardinales ſunt Conſiliarii, & Coadjutores Pontificis in Eccleſia Univerſali dirigenda, talis prætenſio minimè ſuffragatur, quia doctrinæ ibi allegatæ omnes procedunt in terminis actualis Reſidentiæ ad latus Summi Pontificis, dum citrà hanc Reſidentiam, ex quo ceſſat cauſa privilegiorum, ceſſant etiam privilegia, ut in ſimili *Gonzalez ad reg.*8.*Cancell.gloſſ.*42. *num.*151.

60. Prætereà doctrinæ allegatæ, non loquuntur in terminis Statuti jurati, dum juramentum, utpotè promiſſio facta Deo, obligat omnem animam. Imò Deus ipſe ſtare vult juramento: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Pſalm.*109.*verſ.*4.

61. Undè, cùm Eminentiſſimus Princeps juraverit. *Summar. num.*4. non poteſt Eminentiam ſuam pœnitere, præſertìm ex quo juravit dum eſſet actu Cardinalis. *dict. Summar. num.* 4. dum etiamſi juraſſet exiſtens in minoribus, adhuc aſcenſus àd Cardinalitiam Dignitatem non ſolveret juramentum. *Butr. in cap.Sicut nobis num.*2.*de jure jurando*.

62. Neque dicatur, quòd Eminentia Sua renunciare non potuit exemptioni conceſſæ Ordini Cardinalitio, quoniam hìc non agitur, niſi de jure votandi in Capitulo, quod non competit Eminentiſſimo tamquam Cardinali, ſed tamquam Canonico; Ideòque tanquam repræſentanti perſonam privatam; Imò non agitur, niſi de obligatione tranſmittendi ad Capitulum folium papyri, & Epiſtolam officioſam, ſuper quibus nulla dari poteſt exemptio, etiam reſpectu Dignitatis Cardinalitiæ, præſertìm ſtante juramento.

63. Et fortiùs, quando apud omnes, qui ſunt, vel fuerunt ex Ordine Cardinalitio vim obtinuit obſervantia ſe repræſentandi in Capitulo Sancti Ægidii, ut juſtificatur *in Summar.num.*6.& ſupra deduximus etiam reſpectu ipſius Eminentiſſimi Bullionii.

64. Et ſicuti alii Cardinales quamvis Epiſcopi non fuerunt excuſati: Ita neque Eminentia Sua eſt excuſabilis ratione Curæ Animarum Palatii Regii, quæ dicitur imminere Magno Eleemoſynario; & fortiùs dum per tot annos idem Eminentiſſimus etiam reſidens in eadem Cura Statutum adimplevit.

65. Imò ipſemet Eminentiſſimus Princeps minorem aliis rationem habet excitandi prætenſionem hujuſmodi, dum ipſe agnovit, & per Sanctam Sedem agnitam vidit obligationem Juramenti, & Statutorum Leodien. dum eatenùs recurſum habuit, & eatenùs Sancta Sedes conceſſit Indultum præſervativum à Juramento, & Statutis Præpoſituræ, quatenùs tàm à ſupplicante, quàm à concedente cognoſcebatur Statuta,& juramentum futura obligatoria etiam in ſtatu Cardinalitio, dum cæteroqui, ſi ſola qualitas Cardinalitiæ Dignitatis per ſe

ipſa

ipſa de Jure erat ſufficiens ad non obligandum, fruſtra petebat, & fruſtraneè Sancta Sedes concedebat Indultum: quorum utrumq; abſurdiſſimum eſt, dum juramentum obligat, & Statuta jurata obligant jurantem ad obſervandum, prout etiam Capitulum ad obſervare faciendum, ut adduximus ex *Baldo in cap.Cùm omnes De Conſtitut.nu.*50.

66. Nihil obſtat, quòd declaratio Foraneitatis facta per Capitulum. *Summar.num.*10. emanaverit Eminentiſſimo non audito, tum quia Capitulum bis requiſivit Eminentiam ſuam ad tranſmittendas ſuas rationes, *ut in Summario num.* 12.& 14. utrobique *litt. B.* ubi Capitulum proteſtatur per hæc verba: *Itaut nequaquam nobis imputari poſſit, quòd illa, &c. ut innuere videtur, inaudita hocce in negotio procedamus.*

67. Præthereà attento, quòd Statuta, de quibus agitur non ſunt pœnalia, ſed lucrativa, ut ſupra deducebamus *in numero* 48. *cum ſeqq.* prout in ſimili de non lucrante diſtributiones quotidianas, ſicuti diſtributor pro non dandis diſtributionibus abſenti non tenetur abſentem vocare; ita pariter ad effectum non numerandi non adimpletorem Statuti inter Vocales, non tenetur Foraneum vocare, & ita inconcuſsè ſervatum fuit in praxi in Capitulo Leodienſi. *Summario num.*9. *littera D.& num.*12.*litt.A.*

68. Ulteriùs Capitulum non proceſſit, neque procedere tenebatur per viam judicialem, ſed tantùm extrajudicialitèr per viam qualificationis votorum, & notorietatis facti; undè cùm in votis qualificandis Foranei non ſint computandi, atque eſſet notorium, quòd Eminentiſſimus Dominus eſſet Foraneus, quia nulla ratione celari poterat; imò Eminentia Sua fatebatur, & fatetur, quòd ſe non repræſentaverit; prout erat de obligatione ad effectum acquirendi vocem pro illo anno, Capitulum per viam notorii poterat de ſe ſolo declarare Foraneitatem, etiamſi Statutum fuiſſet pœnale, abſque ulla obligatione citandi Eminentiam Suam, ut concludit *Paſſerinus De elect. cap.* 14. *quæſt.*8. *num.*52.

69. Et ſive omiſſio repræſentationis proceſſerit à voluntate, ſive ab omiſſione, ſive ex cauſa Bellorum, nunquam poterit excuſari à prætermiſſione repræſentationis, quia ſicuti modò prætendebat ſibi Bella non obſtare pro acceſſu ad votandum, multò minùs obſtare poterant ad tranſmittendam Epiſtolam, quando nunc flagrante Bello tot, ac tantas tranſmiſit, omneſque humaniſſimè receptæ ſunt.

70. Et quamvis Eminentiſſimus à Statutis, & à declaratione Foraneitatis appellaverit, nihilominùs exindè prætendi nequit Electionem noſtri Sereniſſimi Principis fuiſſe attentatam, tum quia adhuc poſt appellationem Eminentia Sua ex pluribus ſupra expreſſis rationibus admitti non poterat, & appellans tenetur interim ſervare ſuum juramentum, ne proprii perjurii ſibi ſit auctor. *cap.Brevi De Jurejurand.* tum quia pro uno Canonico expectando, differenda non erat electio à quadraginta ſex, qui prompti erant, & quibus inſtabat terminus electioni præfixus; Undè vel Eminentiſſimus, cui nota erat imminentia termini, ut ex ejus Epiſtola.*Summar.num.*15.*§.Cùm modicum adhuc temporis ſuperſit*: poterat rationes repetitò requiſitas tranſmittere, vel Procuratorem deputare, prout aliàs fecerat. *Summ. num.*18. vel non erat differenda electio, quia de jure appellatio Vocalis excluſi inſtante termino non ſuſpendit electionem ex *Paſſerino cap.*32.*num.*6.

71. Cùm

71. Cùm itaque locus electionis eſſet tutiſſimus,& Capitulum nullam pateretur oppreſſionem, Eminentiſſimus Princeps non poſſit dici contemptus, ſed potiùs inhabilis juxta Statuta, & inadmiſſibilis, ſive ratione intereſſe, ſive ratione incommodi, & periculi Bellorum; neque ei ſuffragari poſſet prætenſa poſſeſſio, ex quo jus votandi ſingulis annis acquirendum eſt de novo, & Statuta Eminentiam Suam excludentia ſint firma, & valida tam ratione auctoritatis Apoſtolicæ, quàm etiam præſcindendo ab illa; nullaque detur exemptio à ſervando juramento, neque ratione Brevis obtenti à Clemente X. neque ex privilegio Juris; Imò ſtante obſervantia omnium Cardinalium, meritò declarari potuit Foraneus, abſque judiciali ſolemnitate, & appellatione non obſtante, electio quæ non erat retardanda nullum patitur vitium, neque attentatorum, neque alterius generis; proindèque non eſt annullanda, ſed utpotè, undèquaque valida, & laudabilis, per Sanctam Sedem benignè confirmanda.

PETRI

PETRI DE FUSCO

ADVOCATI NEAPOLITANI,

Ac Regii Conſiliarii

ALLEGATIO

Super oppoſitionibus Eminentiſſ. D. Card. Bullionii.

1. NUllo jure impediri poteſt ab Eminentiſſimo D. Cardinali Bullionio confirmatio Electionis Sereniſſimi D. Clementis è Bavariæ Ducibus in Epiſcopum, & Principem Leodien. factæ à Perilluſtri Leodienſi Capitulo. Oppoſitio enim Domini Cardinalis tota verſatur in contemptu, quem proſequitur, dum ipſe, cùm eſſet Canonicus, & Præpoſitus major Eccleſiæ Leodien. non fuit vocatus ad Epiſcopi electionem: atque ita inquit electionem fuiſſe nullam, cùm plus in electionibus contemptus unius obſiſtat, quàm multorum contradictio in præſenti. *cap. bonæ 36. cap. venerabilem 34. De elect. cap. cùm in Eccleſiis 33. De præben. & dignit. in 6.*

2. Sed hæc oppoſitio nullius eſt momenti, quia vocatio abſentium non eſt de ſubſtantialibus formæ electionis, requiſitis à *Lateranenſi Concilio, cap. Eccl. 57. il 2. in verſ. denique De elect. & ibidem notat gloſ. in verbo ſicut eſt iſtad litt. C. eadem gloſ. in cap. cùm in Eccleſiis 33. litt. C. in verbo ſi commodè De præbend. & dignitatibus in 6.* Undè in hoc, an quis vocari debeat, ſive cenſeatur contemni, ſtandum eſt Conſuetudini, vel Statuto. *gloſſ. in d. cap. cùm in Eccleſia 33. litt. C. in verb. ſi commodè De præbendis, & dignitatibus in 6. eadem gloſſ. in cap. in Geneſi 55. verb. de conſuetudine litt. L. De elect. ex cap. coram 35. ubi gloſ. verb. in Provincia litt. G. De elect. Jo. Cabaſſutius Jur. Canon. Theoricæ, & Praxis lib. 3. cap. 22. num. 1. & 2. Jo: Wameſius De jur. Pontif. tit. de elect. conſ. 16. num. 42. vol. 1.*

3. Præterea ut vocari quis debeat, non ſufficit, quòd ſit de Capitulo, ſed requiritur, quòd non ſit privatus, nec ſuſpenſus ab officio, aut jure dandi vocem. *gloſſ. in cap. bonæ il primo in verb. qui vocem De poſtulat. Prælatorum, Cravet. conſ. 134. num. 11. circa finem*; nam ille, qui non habet vocem in electione, non eſt vocandus. *cap. cum Eccleſia Sutrina 3. De cauſa poſſeſſ. & propriet. cap. in Geneſi 55. ubi gloſſ. in verb. poſſeſſione, vel quaſi, litt. I. De elect. gloſ. in d. cap. bonæ il 1. in verb. qui vocem De poſtulat. Prælatorum.*

4. Atqui inter Statuta Capituli Leodien. quæ ſinguli Canonici in eorum admiſſione jurant ſe ſervaturos. *Summ. num. 3.* (prout Eminentiſſimus Bullionius eadem Statuta ſervaturum juravit 3. die Auguſti 1672. tempore, quo erat actu Cardinalis, ac tali lege admiſſus fuit ad reſidentiam, & locum in Ca-

pitulo in qualitate Canonici. *Summ. num.4.*) adeſt expreſſum, ac ſpeciale Statutum, quòd Canonicus Foraneus nequeat Capitularibus negotiis intereſſe, aut ſuffragium dicere, etiamſi de electione Epiſcopi, Præpoſiti, Decani, aut quacumque; & quantumvis ardua re tractetur. *in Summ. num. 1. litt. O.* & alio Statuto cavetur, quòd pro Foraneo ſit habendus ille, qui in feſto B. Ægidii ad ſecundam reſidentiam non ſe exhibuerit, nec ſe præſentaverit, vel ſi ſe exhibuerit, non reſideat eo anno apud Eccleſiam per ſex menſes integros, & unam diem continuam, vel diſcontinuam, ut *in Summ. num. 1. litt. G. & I.* Quod poſteà per aliud Statutum fuit relaxatum quoad perſonalem exhibitionem, itaut præſentatio ad reſidentiam in Capitulo fieri poſſit per Procuratorem, litteras, aut actum notarialem. *in Summar. num. 2.* Atque ita, cùm Eminentiſſimus D. Card. Bullionius in feſto S. Ægidii nec per ſe, nec per Procuratorem, nec per alium modum comparuerit, nec ſe exhibuerit ad reſidentiam in Capitulo proximè elapſo, nec in multis aliis annorum præcedentium, meritò Capitulum declaravit, præfatum Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium pro Foraneo habendum eſſe, adeòque juxtà Statuta in electionibus ſuffragium dare non poſſe. *Summ. num. 10.*

5. Undè non poteſt dicere ſe fuiſſe contemptum; nam non eſt contemptus ubi non eſt injuria, nec injuſtitia, nec neceſſitas admittendi aliquem ad electionem, ut dicebat *Paſſerin. de elect. cap. 14. quæſt. 7. num. 48.* Idque evidenti ratione probatur, quia ſufficit, quòd in Capitulo fuerit tractatum, & diſcuſſum, an ipſe haberet vocem in electione, & an eſſet vocandus: itaut Summus Pontifex, ad quem ſpectat electionis confirmatio examinare debeat, an Eminentiſſimus Bullionius juſtè fuerit excluſus, ſive non vocatus. *cap. in Geneſi 55. de elect. gloſſ. ibidem verb. nec præmiſſi duo, litt. H. & in verb. poſſeſſio, vel quaſi, litt. I. cap. bonæ il 1. in fine De poſtulat. Prælator.* in illis verbis: *Cum his, qui vocem in electione habere noſcuntur, gloſſ. ibidem in verb. qui vocem.*

6. Nec ad evitandam hanc foraneitatem D. Cardinalis, juvari poteſt diſpenſatione Apoſtolica ei conceſſa à ſan. me. Clemente X. anno 1675. qua Dom. Card. Bullionius, cùm electus eſſet ad Præpoſituram Eccleſiæ Leodien. nec poſſet ad illam admitti, nec Præpoſituræ poſſeſſionem adipiſci ſecundùm ipſius Eccleſiæ Statuta, niſi prius juramentum præſtaret de reſidendo in Eccleſia perſonaliter, & continuè de anno in annum, fuit liberatus ab obligatione præſtandi dictum juramentum, & obſervandi articulos in juramento contentos, & expreſſos. *Summ. num. 5.*

7. Primò enim reſpondetur, eam diſpenſationem conceſſam fuiſſe Dom. Cardinali ſub qualitate Præpoſiti electi, ut Præpoſituræ, quæ (ſicut in Brevi Apoſtolico dicitur) poſt Pontificalem eſt prima Dignitas in Eccleſia Leodienſi, poſſeſſionem adipiſci, & retinere potuiſſet; Undè non poteſt extendi ad qualitatem Canonici, & ad obligationem, qua uti Canonicus tenebatur ſe præſentare in feſto S. Ægidii, ut ſuffragium dicere poſſet in electionibus, quia diſpenſatio, ſeu licentia conceſſa ſub una ex duabus qualitatibus concurrentibus in una, eademque Perſona, non porrigitur ad alteram qualitatem. *gloſ. in cap. cùm inter 18. verb. Regia litt. H. de electione cum aliis relatis per Burſat. conſ. 185. num. 13. & 14. verſ. Tertium, &c. Riminald. Jun. conſ. 25. num. 29. & 30.* Et cùm aſſenſus, ſive licentia eſt neceſſaria propter duo, non ſufficit ad unum conſenſiſſe, neque ſub eo comprehenditur alterum, ut docet *Andr. de Iſern. in cap. 1. num. 7.*

num.7.cum ſeqq. qui ſucceſſores teneantur, Camill.de Medicis in conſ.1. nu.55. Et quoties oportet plura obſtacula tolli, ſi unum exprimatur, alterum taceatur, actus tamquam ſubreptitius vitiatur. *Bald.in conſ.399. vol.2. Cravet.in conſ.749.num.26.& in conſ.572.num.8.*

8. Quin etiam diſpenſatio in maiori Dignitate non comprehendit aliam Dignitatem ſimilem, vel minorem, cùm in majori Dignitate propter majorem utilitatem facilius ſoleat diſpenſari. *textus* eſt expreſſus *in cap.licet 4.de tranſlatione Epiſcopi, ubi gloſ. in verb.ad parem litt. B.* Et in materia ſtricta, qualis eſt diſpenſatio, non procedit argumentum de majori ad minus. *Decius conſ. 76. litt.A.Covarruv.2.par.cap.8.§.8. num.11. de matrim.* ubi etiam docet, quòd etſi majus vitium exprimatur in impetratione diſpenſationis, tamen ſi minus vitium non eſt expreſſum, diſpenſatio eſt ſubreptitia.

9. Nec dici poteſt, quòd Jus dicendi ſuffragium in electionibus ſit de pertinentiis, vel annexis Præpoſituræ. Id enim eſt omninò vanum, quia tale Jus habendi vocem inhæret Canonicatui, non Præpoſituræ, dum Canonicus, qui non eſt Præpoſitus, habet Jus dicendi ſuffragium in electionibus. *Decius in conſ.642.num.9.* Præpoſitus autem non poteſt quis eſſe niſi ſit Canonicus, nec extinguitur Dignitas Canonicatus per Præpoſituram, quia non ſunt incompatibiles ex conſuetudine Eccleſiæ Leodien. relata in Brevi Apoſtolico Clementis X. *Summ.num.5.litt.A.* Quare jus dandi vocem remanet Canonicatui; nam & aliàs fungens vice duarum perſonarum, nempè Canonici, & Præpoſiti, haberet duas voces in electionibus, quod repugnat Conſuetudini Eccleſiæ Leodien. ac doctrinæ *Bald.in l.ſi conſul.in 2.lecturanum.6. in fin.ff.de adoption.*

10. Undè corruit argumentum de principali ad acceſſorium, ſcilicet, quòd, cùm diſpenſatur ſuper reſidentia, videtur conſequenter diſpenſatum in exhibitione ad reſidentiam in feſto S. Ægidii in Capitulo Generali, & in jure dandi vocem in electione, quæ ſunt de acceſſoriis, ex *gloſſ.in cap.quia in tantum 5. De præbend. & dignitatibus in verb. plures litt. I.* Hoc enim argumentum ſupponit, quòd conceſſa ſit diſpenſatio Dom. Cardinali etiam in qualitate Canonici, quod quidem ſuppoſitum non eſt verum, quia ſolum fuit illi diſpenſatum in qualitate Præpoſiti; ideò argumenti præſuppoſito ceſſante, ceſſat, & ipſum argumentum. *gloſſ. in l. mancipia, C. de ſervis fugitivis*, cum aliis adductis per *Alciat.in cap.cùm non ab homine num.9. De judiciis. Riminald.Jun.in conſ.757. num.18.* At minimè verum eſt, quòd illa ſint acceſſoria reſidentiæ, imò principaliter diſpoſita in Statutis Eccleſiæ Leodien. ut inferiùs demonſtrabimus.

11. Secundò, quatenus admitteremus (quòd non concedimus) fuiſſe diſpenſatum Dom. Cardinali in utraque qualitate, & Canonici, & Præpoſiti: reſpondetur quòd cauſa finalis, ſeu principalis ratio diſpenſationis fundata eſt in impedimento Cardinalitiæ Dignitatis, ob quam non poterat D. Cardinalis reſidere perſonaliter, & continuò de anno in annum in Eccleſia Leodien. ratione ejuſdem Præpoſituræ, ſicut expreſsè dicitur in præfatione conceſſionis: *Tu verò ratione Cardinalitiæ, qua fungeris Dignitatis, præmiſſa ſervare, ac proindè juramentum de illis ſervandis præſtare nequeas, cupiaſque, &c. Summ. nu.5. litt. C.* quæ ratio, etſi conveniat perſonali, & continuæ reſidentiæ, quæ habet tractum ſucceſſivum, non tamen convenire poteſt actui inſtantaneo, qualis eſt præſentatio, ſive exhibitio per ſe, vel Procuratorem in feſto S. Ægidii in Capitulo Generali; Atque ita ex hac ratione, ſeu cauſa finali diſpenſationis,

 nequit

nequit ſub ea comprehendi actus præſentationis, ſive exhibitionis, quia ratio expreſſa in præfatione nedum declarat, ſed etiam reſtringit diſpoſitionem. *Bonif.de Vitalinis in Clement.1.num.52.de elect.Cravett.in conſ.774.num.6. Bertrand.in conſ.82.vol.3.part.1.* Undè qui habetur pro reſidente ex diſpenſatione gratioſa, vel ex juſto, & rationabili impedimento, non eſt ſolutus ab obligatione petendi certa die in Capitulo Generali admiſſionem ad reſidentiam, ut in terminis Statuti Eccleſiæ Antuerpien. docet *Franciſcus Zipæus conſultat.Canonica 2.lib.3.*

12. Porrò ea comparitio, ſivè petitio admiſſionis ad reſidentiam, neceſſaria eſt pro declaratione animi, cùm & aliàs conſtare non poſſet, quòd, qui anteà non reſedit, nec ſe exhibuit, nec petiit reſidentiam, paratus eſſet, ac voluiſſet reſidere, niſi ex juſta legitima cauſa fuiſſet impeditus, adeòquod illud impedimentum foret in cauſa, quòd non reſideret; nam & aliàs, ſi non eſſet ſolitus reſidere, vel ex alia cauſa, quàm ex ea, quæ legitima, & neceſſaria eſt reſidere nollet, vel non poſſet, tunc infirmitas, ſive impedimentum quantumvis neceſſarium, & legitimum, non prodeſſet ei, nec haberetur pro reſidente, ut probat *Tyber.Decian.reſponſ.69.num.7.8.& 9. vol.2.* ex his, quæ Doctores notant *in cap.ad audientiam De Clericis non reſidentibus, & in cap.unico De Clericis non reſidentibus in 6.Abbas in cap.plerumque De reſcript.* & ex notabili *textu in l.is, qui Reipublicæ cauſa antepenultima, ff.ex quibus cauſis majores, juncta gloſſ.ibidem, Covarruv.variar.reſolut.lib.3.cap.13.nu.8.Guttier. canon. qu.lib.1. cap.1.num.138.Vaſquez De beneficiis cap.4.§.3.num.225.*

13. Itemque regulare eſt, quòd qui ex cauſa juſta impeditus non tenetur ſe perſonaliter exhibere, debet comparere per Procuratorem. *cap.cùm dilecti 6. De dolo, & contumacia, gloſſ. in cap. quærelam in verbo detentus De Procurat.* atque ita, cùm non ſit eadem ratio in actu inſtantaneo præſentationis per ſe, vel procuratorem, quæ eſt in continua, & ſucceſſiva reſidentia perſonali, ſed omninò diverſa; ideò diverſa militat diſpoſitio, etiam ſi ea exhibitio ad Capitulum in Feſto S. Ægidii eſſet de acceſſoriis reſidentiæ; quia argumentum de principali ad acceſſorium non procedit, quando eſt diverſa ratio, & qualitas etiam eſt diverſa, ignorata, ſive non expreſſa ab eo, qui conceſſit diſpenſationem, ut docet *Andr.de Iſern.in cap.Imperialem num.7.De probib.feud. alienat. per Frideric.ubi Liparul.in annotat.in verb.qui remittit. Camerar. in dict.cap. Imperialem fol.65.col.2.verſ.nunc Iſernia,&c.& pag.84.col.1.verſ. quarta concluſio,&c.* ibi: *Non obſtat ſeptimum,&c.*

14. Idque confirmatur ex obſervantia, dum prædictus Dominus Cardinalis Bullionius poſt diſpenſationem per dictum Breve Apoſtolicum Clementis X. ei conceſſam, per plures annos præſentavit ſe per Procuratorem in Capitulo generali in feſto Sancti Ægidii. *Summ. num.6.* ex qua obſervantia declaratur, quòd per dictam diſpenſationem non fuit ei remiſſa obligatio ſe præſentandi in feſto Sancti Ægidii per Procuratotem, ut ſuffragium dicere poſſet in electione; quia ex obſervantia declaratur quid comprehenſum ſit in Privilegio, ſive in diſpenſatione. *Franch.deciſ.397.num.12.Alba conſ.64.num.31.& 32.* Et ex obſervantia, ſive practica ſumitur vera interpretatio. *Bald. in cap.1. in princip.De feudo ſine culpa. Riminald.jun.conſ.15. num. 134.* Nec ſolùm inducitur interpretatio probabilis, ſed etiam neceſſaria, ut tradit *Alexand.Turamin.ad l.minimè,ff.de legibus.*

15. Tertiò

Digitized by Google

15. Tertiò reſpondetur, diſpenſationem fuiſſe reſtrictam ad certos articulos expreſſos, itaut alii non expreſſi ſervari debeant, ſicut manifeſte patet ex illis verbis: *Tibi, ut juramentum de ſervandis ſupra expreſſis articulis, & in eis contentis præſtare, & ſupra expreſſa ſervare minimè tenearis: & nihilominùs Præpoſituræ præfatæ, illiuſque annexorum, & pertinentiarum quarumcumque poſſeſſionem, ſervatis aliàs ſervandis adipiſci, & ad illam admitti, illamque retinere, &c. ut in Summ.num.5. litt.D.* Atque inter articulos relatos non fuit expreſſus ille, quo tenebatur D. Cardinalis Bullionius ſe præſentare in feſto S. Ægidii in Capitulo generali, ad hoc, ne pro Foraneo eſſet habendus, & ut ſuffragium dicere poſſet in electionibus; ideò non poteſt fieri extenſio gratiæ de uno articulo ad alium. *Rot.deciſ.331.verſ.ſecundum motivum, in novis Burſatt. conſ. 162. num.* 33. Undè etſi tale jus dicendi ſuffragium in electionibus eſſet de pertinentiis, ſive de annexis Præpoſituræ (quod non concedimus, ac falſum eſſe ſupra demonſtravimus) Nihilominùs, ut eo jure Præpoſitus frui poſſet, certè debuiſſet ſervare, ac adimplere obligationem præſentationis, ſive exhibitionis in feſto Sancti Ægidii per ſe, vel per Procuratorem in Capitulo generali, quæ obligatio ex dicto Brevi Apoſtolico non fuit remiſſa, imo expreſsè injunctum, quòd ſervaretur per clauſulam in eodem Brevi appoſitam: *ſervatis aliàs ſervandis. ut in Summ. num.5.litt.D.*

16. Id quoque dicendum eſſet, ſi Dom.Cardinali fuiſſet diſpenſatum etiam in qualitate Canonici (quod neque concedimus, & contrarium fuit ſupra demonſtratum) Nam cùm inter articulos relatos in diſpenſatione non fuerit expreſſus ille, quo tenebatur ſe exhibere in feſto S. Ægidii in Capitulo generali, certè in diſpenſatione remanet id reſervatum per illam clauſulam: *ſervatis aliàs ſervandis. Summ.num.5.d.litt.D.*

17. Nec poteſt dici, quòd tam exhibitio in feſto S.Ægidii in Capitulo generali, quàm jus dicendi ſuffragium in electionibus, ſint acceſſoria reſidentiæ: & proptereà, cùm diſpenſatum eſt in reſidentia, cenſeatur etiam in omnibus acceſſoriis diſpenſatum ex *Gloſſ. in cap. quia in tantum 5. De Præbend. & Dignitat.in verb.plures litt.I.* Siquidem reſpondemus, id eo caſu procedere, quando ex juris communis diſpoſitione ineſt Præbendæ titulo onus reſidentiæ, & jus dandi vocem in electionibus; tunc enim judicantur eſſe de acceſſoriis: & ita loquitur *Gloſſ. in d.cap. quia in tantum in verb. plures*. Aliter verò cenſeri debet, quando principaliter deducta, ac diſpoſita ſunt in Statuto tàm reſidentia, quàm exhibitio in feſto S.Ægidii in Capitulo generali, ne Canonicus habeatur pro Foraneo, & ut ſuffragium dicere poſſit in electione: quo caſu, cùm principaliter ſunt deducta in Statuto, non ſufficit derogari uni, niſi derogetur, & alteri, & cùm uni derogatur, non cenſetur alteri derogatum. *l. ſi cui fundum 5. ff.de fundo inſtructo, vel inſtrum.legato*. Quod & in terminis cùm principaliter in Statuto, vel Conſuetudine expreſsè deducta ſunt, reſidentia, & jus dicendi ſuffragium in electione, tunc diſpenſatus in reſidentia, non habet jus dicendi ſuffragium in electione, docet eadem *Gloſſ.in d.cap. quia in tantum 5.de Præben.& Dignit.in verb.plures litt.I.* in illis verbis: *Niſi Conſuetudo Eccleſiæ approbata faceret in contrarium*. Sic, & obtinens ex legitima diſpenſatione cum Curato Beneficio aliud reſidentiam requirens: in curato reſidens, quamvis lucretur fructus alterius, alia tamen reſidentiæ jura non acquirit, ut optionem Præbendarum, aut domorum, ubi ſolùm illa reſidentibus deferri

ferri ſolet, ut in terminis Statuti, ſeu Conſuetudinis Eccleſiæ Antuerpienſis deciſum refert *Zipæus juris Pontificii lib. 3. tit. de Clericis non reſidentibus num. 25.*

18. Quartò. Reſpondetur Eminentiſſimum Dom. Cardinalem Bullionium longè ante dictam diſpenſationem, nempè de anno 1672. quo erat actu Cardinalis, præſtitiſſe juramentum de ſervandis dictis Statutis, qui & tali lege admiſſus fuit ad reſidentiam, & locum in Capitulo in qualitate Canonici . *in Summ. num.* 4. Quare diſpenſatio per Breve Clementis X. qua fuit ei relaxata obligatio præſtandi juramentum, ac ſervandi ea, quæ in juramento præſtando continebantur, minimè extendi poteſt ad juramentum præſtitum, nec ad ea, quæ ex religione juramenti præſtiti ſervare tenebatur; quia gratia, ſive licentia de actu futuro non extenditur ad actum præteritum, cùm non porrigatur de tempore ad tempus. *Camerar. in cap. Imperialem pag. 54. litt. F. & G. Afflict. in deciſ. 335. Anna ſingular.* 40. cum aliis relatis per *Reg. Tapiam deciſ. Sacri Conſilii* 4. *Novar. quæſt. forenſ. par. 2. quæſt. 7. num. 7.*

19. Sed, & debitum, ſive obligatio ex juramento præſtito longè differt ab obligatione præſtandi juramentum, ac ſervandi ea, quæ in juramento futuro continerentur, quia obligatus ex juramento præſtito, ſi illud non ſervat, magis contemnere videtur, quàm obligatus ſervare, abſque juramento. *cap. Clericus 35. ubi gloſſ. litt. C. in fine De jur. jur.* Et ſunt ſpecies omninò diverſæ, quia imperantur à diverſis Virtutibus, quæ habent diverſa vitia oppoſita; Porrò obligatio præſtandi juramentum imperatur à Virtute Obedientiæ, & Juſtitiæ, qua Præpoſitus electus, & confirmatus, antequam adipiſcatur poſſeſſionem Præpoſituræ (ex Statutis, & Conſuetudine Eccleſiæ Leodienſis) tenetur præſtare juramentum de ſervandis Statutis; Debitum verò, ſive obligatio ex juramento præſtito imperatur etiam à virtute Religionis. *cap. tua* 11. in illis verbis: *jurisjurandi Religione, De jur. jur.* Quare in impetratione diſpenſationis, debet fieri expreſſa mentio juramenti præſtiti, aliàs diſpenſatio eſt ſubreptitia, & non valet. *Roman. in conſ. 379. num. 12. ubi Mandoſ. in addit.* alios adducit *Riminald. jun. conſ. 355. num. 36.*

20. Idque fortiùs procedit in eo, qui juravit, cùm eſſet in majori, & Cardinalitia Dignitate conſtitutus; Nam quanto eminentior eſt Dignitas ejus, qui tranſgreditur juramentum, tantò graviùs eſt vindicandum, juxta *text. in cap. cùm quidem* 12. *de jur. jur.* in illis verbis: *In Epiſcopos, qui ſuum tranſgreſſi ſunt juramentum, eſt tantò graviùs vindicandum, quantò majori præeminent Dignitate, & eorum exemplo faciliùs alii poterunt ad ſimilia provocari.* Quod & locum habet, ſi eidem, qui juravit ſuperveniſſet poſt juramentum Dignitas major, etiam Epiſcopalis, ut docet *Butr. in cap. ſicut nobis num. 2. de jur. jur.* quem ad rem noſtram allegavit eruditiſſimus D. *Georgius de Firmanis*.

21. Nec obſtat, quòd in juramento ſemper intelligitur reſervata Superioris auctoritas; undè Canonicus, qui præſtitit de facienda reſidentia juramentum, non incurrit perjurium in illis caſibus, in quibus habetur pro reſidente ex juſſu Superioris, puta ſi commoretur in ſervitio Epiſcopi, vel Summi Pontificis. *cap. ex parte 13. ubi gloſſ. in verb. perjurium. cap. de cætero 7. & cap. cùm dilectus 14. De Clericis non reſidentibus*. Id enim ad rem noſtram non facit, quia D. Cardinalis non aſſiſtit ſervitio Papæ, nec degit in Romana Curia, nec ex vi ſola Cardinalitiæ Dignitatis habetur pro reſidente, ut infrà ad hanc obje-

jectionem principaliter reſpondendo latiſſimè demonſtrabimus.

22. Minùſque refragatur quod in memoriali edito pro Eminentiſſimo D. Bullionio allegatum eſt, nempè Cardinales non comprehendi ſub Statutis Eccleſiæ Leodien. etiam à Sede Apoſtolica confirmatis, ſicuti non comprehenduntur ſub Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Statutis generalibus, niſi expreſsè de eis mentio facta fuerit. *Jo: Andr. Jo: Monach. & alii in cap. unico De Schiſmaticis in 6.* quia concluſio, quòd ſub generali Statuto, & diſpoſitione non contineantur conſtituti in Cardinalitia Dignitate, habet ſolummodò locum in materia, in qua à jure ſunt privilegiati, non autem in alia materia indifferenti. *Gloſſ. in cap. quia periculoſum, in verb. ſuſpenſionis litt. D. de ſententia excommunicationis. Bald. in cap. cùm omnes num. 50. De conſtitutionibus.* Et ita *Jo: Andr. Jo: Monach. & alii in dicto cap. unico De Schiſmaticis in 6.* loquuntur de revocatione diſpenſationum pluralitatis beneficiorum, & expectativarum conceſſionum, ſub qua revocatione Cardinales degentes in Romana Curia non comprehenduntur, quia in ea diſpenſatione ſunt ſpecialiter privilegiati, *ex cap. de multa 28. in fine De Præbendis, & Dignitatibus, & ex Conſtitutione extravaganti Joannis XXII.* incipit *Execrabilis*; Quare *Concilium Tridentinum* in revocatione expectativarum nominatim incluſit etiam S.R.E. Cardinales, *ut in ſeſſ. 24. cap. 19. De reform.* Rurſus concluſio non procedit, quando Cardinalis gerit duplicem perſonam, alteram uti Cardinalis, alteram uti Epiſcopus, vel Canonicus alicujus Eccleſiæ; tunc enim ſubjicitur omnibus legibus, & Statutis, quæ generaliter loquuntur de Epiſcopis, vel de Canonicis. *Gloſſ. in cap. quia periculoſum in verb. De Epiſcopo in fine De ſententia excommunicationis in 6. Card. de Luca De Beneficiis diſc. 20. & de Judiciis p. 2. diſcurſ. 13. num. 12.* Immò etiam Summus Pontifex, in quo plures perſonæ conſiderantur, una ſcilicet Papæ, & Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis, & altera Epiſcopi Romani, ſubjacet uti Epiſcopus Urbis Apoſtolicis Conſtitutionibus, aliiſque obſtaculis, quibus generaliter alii Diœceſani, ſeù locorum Ordinarii ſubjacent quoties non conſtat de diverſa voluntate, Pontificiam quoque authoritatem interponendi, atque obſtaculis derogandi, ut rectiſſimè advertit *D. Cardinalis de Luca De Regul. diſc. 23. & De Judiciis p. 2. diſcurſ. 2. nu. 1. &* 10.

23. Quod verò ſubditur in eodem Memoriali, ex jure communi Cardinales eſſe Conſiliarios, Collaterales, & Coadjutores Summi Pontificis in Eccleſia Univerſali dirigenda, ac proindè infertur non teneri ad reſidentiam exemplo Canonici, qui eſt in ſervitio Epiſcopi. *cap. de cætero 7. & cap. ad audientiam 15. De Clericis non reſidentibus*, & ejus, qui commoratur in ſervitio Papæ. *cap. cùm dilectus 14. De Cler. non reſident.* certè ad rem noſtrã non pertinet, cũ Eminentiſſimus Bullionius non degat in Romana Curia, nec in Statu Eccleſiaſtico, nec alibi à Summo Pontifice deputatus ſit pro bono Univerſalis Eccleſiæ; ideò non poteſt haberi pro reſidente in Eccleſia Leodien. etiam inſpecta illorum Doctorum ſententia, qui affirmant, Cardinales ob aſſiſtentiam in Romana Curia excuſari à reſidentia in ſuis Eccleſiis inferioribus, quia cùm Pontifici aſſiſtant, illiuſque ſint Conſiliarii pro Univerſalis Eccleſiæ regimine, eorum aſſiſtentia in Romana Curia cedit in evidentem Eccleſiæ utilitatem. Deindè, ſpectato Jure communi, tenetur in Curia apud Summum Pontificem reſidere. *cap. Bonæ, il primo De poſtulat. Prælatorum, & cap. 2. de Cler. non reſident.* Ergo ſufficienter à reſidentia in ſuis Eccleſiis excuſantur. Atqui ita Doctores iſti expreſsè loquun-

quuntur, quando Cardinales aſſiſtunt Papæ in Romana Curia, ut patet ex collectis per *Auguſtinum Barboſ.allegat.*51.*num.*12. *Gonzal.ad reg. Cancell.*8. *Gloſſ.*24. *num.*128. & 131. *Tondut. de benef. p.*2. *c.*3. *§.* 5. *num.* 42. *Caſtropal. tr.*13.*de benef.Eccleſ.diſp.*5.*punct.*4.*num.*5.

24. Alii verò Doctores negant, ex vi Cardinalatus excuſari aliquem à reſidentia ſuæ Eccleſiæ Inferioris, quod videtur deciſum à *Tridentin. ſeſſ.* 23. *cap.*1. *De reform.* & *ſeſſ.*24.*cap.*17. *De reform.* Quapropter antiquo jure nullus Cardinalis eligi poterat in Epiſcopum, eo quod ratione Cardinalatus debebat Romæ aſſiſtere, quod compati non poterat cum aſſiſtentia debita Epiſcopatui, niſi ita Romæ vicinus ſit Epiſcopatus, ut Romæ aſſiſtens Cardinalis, cenſeatur in illo aſſiſtere. *Vaſquez opuſcul.de Benef. cap.*4. *§.*2. *art.*1. *dub.*2. *n.*141. *poſt Cajet.*2.2. *q.*185. *art.*5. *Sot. De juſtit. lib.*10. *q.*3. *art.*4. *Azor. inſtit.moral.* 2.*p. lib.*7.*c.*4. *q.*7. *Caſtropal. ubi ſupra num.*6. & 7. Atque ita Doctores utriuſque ſententiæ concorditer ſentiunt, Cardinalem à Romana Curia in remotis degentem, minimè haberi pro reſidente in ejus Eccleſia inferiori: & in terminis Cardinalium in Gallia aſſiſtentium, quòd non cenſeantur reſidere in Romana Curia, & proindè non comprehendantur ſub Statutis, & Decretis loquentibus de Cardinalibus, & aliis in Romana Curia ſuis officiis inſiſtentibus, videndus eſt *Probus ad Jo: Monachum in cap.unico De Schiſmaticis in* 6.*num.*7.

25. Hinc etiam nihil ad rem noſtram facit *Conſtitutio Joannis XXII. extravagans* Execrabilis *De Præbendis, & Dignitatibus*, in illis verbis: *Cardinalibus tamen S.R.E. qui circa nos Univerſali Eccleſiæ ſerviendo, ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impediunt, &c.* Perpendantur ea verba: *Qui circa nos Univerſali Eccleſiæ ſerviendo*, quæ neceſſariò inferunt Cardinales non alio modo cenſendos eſſe incumbere Eccleſiarum ſingularum commoditatibus, niſi cùm in Curia Romana degunt apud Summum Pontificem pro ſervitio Eccleſiæ Univerſalis.

26. Et tamen ſub dictis verbis Conſtitutionis extravagantis *Execrabilis* excipiuntur Cardinales ſolummodò in ea parte, qua revocantur omnes diſpenſationes ſuper perceptione, ac retentione plurium beneficiorum Curatorum, & Dignitatum reſidentiam exigentium, quæ ante dictam Conſtitutionem conceſſæ erant tùm ab ipſo Joanne XXII. tùm à ſuis Prædeceſſoribus; Verùm quoad futuras conceſſiones plurium Beneficiorum Curatorum, & Dignitatum exigentium reſidentiam, quas Conſtitutio prohibet, non excepti ſunt à prohibitione Cardinales, imò nominatim fuerunt comprehenſi ſub prohibitione ejus pluralitatis à *Tridentino De reformat.ſeſſ.*24. *cap.* 17. Quare promotus ad Cardinalatum amittit omnia beneficia Curata, & Dignitates etiam minores, ac Epiſcopatu inferiores, quibus eſt annexum onus reſidendi, nec illas abſque diſpenſatione Apoſtolica retinere poteſt ex communi DD.ſententia apud *Burſatt.conſil.*351.*num.*16.

27. Diſtinctio autem, quæ fit *in eodem Memoriali* inter Epiſcopatus, & alia Beneficia Curata Epiſcopatu inferiora, ad hunc effectum nullo jure fundatur, & minùs rectè deducitur ex *Sac.Concilio Tridentino. De reformat.ſeſſ.*6. *cap.*1. ſtatuente pœnam in eum, qui extra ſuam Diœceſim morando per certum tempus abſuerit à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeù Cathedrali Eccleſia, ſub quo Decreto ſupponitur, non alia ratione Cardinales comprehendi, niſi quia id expreſſum fuit per clauſulam, quæ ſubſequitur: *Quacumque ille Digni-*

tate,

tate, gradu, & præheminentia præfulgeat; Quæ clauſula fuit omiſſa in ſecundo capite ejuſdem *Concilii ſeſſ. 6. de Reformat.* quo coguntur ad reſidentiam Inferiores Epiſcopis, obtinentes Beneficia Curata, perſonalem reſidentiam exigentia; Undè dum ſub hoc ſecundo capite Tridentini non comprehenduntur Cardinales, conſequens fit, quòd Cardinales obtinentes Beneficia Curata, & Dignitates Epiſcopatu inferiores, requirentes reſidentiam perſonalem, minimè teneantur ad reſidentiam faciendam; Hoc enim argumentum non ſubſiſtit, & perperam deducitur, quia in primo capite clauſula de præfulgentibus quocumque gradu, & præheminenti Dignitate, fuit appoſita ex cauſa majoris declarationis; At in ſecundo capite omiſſa fuit, quia in eo derogabatur diſpenſationibus, & privilegiis de non reſidendo; Quare non poterant includi perſonæ in præheminenti Dignitate conſtitutæ, circa quas Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. reſervavit diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ, *ut in cap. de multa 28. De Præbendis, & Dignitatibus*, in illis verbis: *Circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ majoribus ſunt Beneficiis honorandæ, cùm ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari*. Si indigent diſpenſatione, certè in contrarium eſt Jus commune, ut declaravit idem *Sac. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat.* ubi tàm in obligatione faciendi perſonalem reſidentiam, quàm in licentia abeundi per modicum tempus ex juſtis, & rationabilibus cauſis, & impedimentis, nominatim comprehenduntur S.R.E. Cardinales, qui præfecti eſſent Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, eademque omninò declarat, & decernit in Beneficiis Curatis quibuſcumque Epiſcopatu Inferioribus. Hoc ipſum expreſſiſſimè declaratum eſt ab eodem *Sac. Concilio Tridentino De Reformat. ſeſſ. 24. cap. 17.* ubi etiam ſpecificè includuntur S.R.E. Cardinales ſub prohibitione pluralitatis Beneficiorum Epiſcopatu inferiorum, perſonalem reſidentiam exigentium.

28. Quibus concordat *textus in cap. 2. De Cleric. non reſidentibus*, ubi refertur Concilium Romanum ſub Leone IV. in quo Anaſtaſius Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, ab omnibus canonicè fuit depoſitus, eo quòd Parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtituta deſeruit; Et fruſtrà dubitatur *in eodem Memoriali*, an ille Anaſtaſius eſſet Cardinalis S. R. E. an verò alterius Eccleſiæ Inferioris; Nam etſi fateri neceſsè ſit titulos Cardinales fuiſſe olim quoque aliarum à Romana Eccleſia ex *D. Gregorio Papa lib. 2. epiſt. 13. indict. 11. & epiſt. 6. indict. 10. & lib. 3. epiſt. 14. & lib. 5. epiſt. 11. Joan. Diacon. in Gregorii Magni vita lib. 3. cap. 15. & ex Concilio Meldenſi can. 54.* Nihilominùs hoc dubium tollitur ex titulo Sancti Marcelli, cujus erat Presbyter Cardinalis Anaſtaſius, qui inter titulos antiquiſſimos Cardinalium S.R.E. numeratur in antiquo Rituali manuſcripto, quod ſervatur in Bibliotheca Vaticana, cujus meminit *Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. Italici idiomatis anno 1058. num. 19. & 20.* Idque patet etiam ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui refert Acta illius Concilii Romani, & geſta per eumdem Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Marcelli. Denique probatur ex diſcretiva locutione, qua uſi ſunt Summi Pontifices in Epiſtolis Decretalibus, dum Cardinalem inferioris Eccleſiæ, ſimplici nomine Cardinalis appellare ſunt ſoliti; At verò Cardinalem Eccleſiæ Romanæ non niſi cum adjuncto tituli Eccleſiæ in Romana Urbe, cui addictus eſſet, nominare conſueverunt. *cap. Eccleſiam 57. de elect.*

cap. bonæ il primo De poſtulat. Prælat. cap. ex tuæ 11. *§.contra eos De Clericis non reſidentibus.*

29. Nec verum eſt, quòd etſi tunc temporis omnes etiam S. R.E. Cardinales, ita propriis titulis addicti eſſent, ut eos deſerere ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulgentia non liceret, tamen poſteà tractu temporis in partem ſollicitudinis Eccleſiæ Univerſalis vocati ſunt, undè ipſis licuit à propriis titulis diſcedere, ac etiam à ſex titulis Epiſcopatuum, quos jure optionis aſſequi poſſunt, & plures Dignitates in diverſis Eccleſiis obtinere; Nam & tempore ejuſdem Concilii Romani ſub Leone IV. in quo, tanquam non reſidens, fuit depoſitus Anaſtaſius Presbyter Cardinalis Sancti Marcelli, certè, ut nunc in Cardinalibus conſtituebatur etiam Univerſalis Eccleſiæ ampliſſimus Senatus, atque ordinarium Pontificis maximi Conſilium, ſicuti conſtat ex Conſtitutione Joannis Papæ VIII. relata à *Joanne Cabaſſutio in Notitia Eccleſiaſtica ſeculi* 13. *in Concilio Lugdunenſi Generali* 2. *diſſert.* 2. *num.* 8. *fol.* 490. Verba Conſtitutionis ſunt hæc: *Romanæ Eccleſiæ Cardinales eorum fungi apud Romanum Pontificem officio in Sancta Dei Eccleſia, quo ſeniores ſeptuaginta apud Moyſen in Sinagoga*; Quapropter decretum confirmat Prædeceſſoris ſui Leonis IV. *Ut ſcilicet bis in hebdomada Cardinales ad Sacrum Palatium Apoſtolicum conveniant, ut provideant, & decernant pro univerſarum Eccleſiarum ſollicitudine, pro Clericorum diſciplina, & pro Laicorum quarimoniis auſcultandis, & defendendis.*

30. Idque adeò verum eſt, ut propter aſſiſtentiam Cardinalium in Romana Curia cedentem in utilitatem non ſolùm Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ Univerſalis, non poterant Cardinales eligi in Epiſcopos; Undè cùm à Capitulo Ravennatenſis Eccleſiæ fuiſſet Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Praxedis in Archiepiſcopum Ravennaten. poſtulatus, repulſa fuit ea poſtulatio ab Innocentio III. dum Cardinalis aſſiſtere deberet in Romana Curia, *ut in cap. bonæ il primo De poſtulat. Prælat.* expreſſa ea, quam diximus, ratione his verbis: *Conſiderantes verò, quòd ejuſdem Cardinalis præſentia utilior ſit non ſolùm Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ generali, tàm apud Apoſtolicam Sedem, quàm apud Eccleſiam Ravennaten. Undè non immeritò præferentes ſpeciali utilitati communem, & minori majorem, prædictum Cardinalem poſtulationi veſtræ non duximus concedendum.* Propterea nil eſt, quod infertur ex titulis ſex Epiſcopatuũ, quos jure optionis Cardinales aſſequi poſſunt; Nam & fruſtrà diverſis temporibus, ac etiam noſtra ætate fuiſſet de illis dubitatum, an obligarent ad actualem reſidentiam inſtar aliorum Epiſcopatuum perſonalem reſidentiam exigentium, quin etiam an eſſent compatibiles cum alio Epiſcopatu actualem reſidentiam etiam requirente, & tandem fuit reſolutum illos non eſſe incompatibiles, nec ad actualem reſidentiam obligare, ut patet ex *clar. me. Card. Brancatio diſſert.* 2. *& Cardin. de Luca De Judic. par.* 2. *diſcurſ.* 5. *num.* 27. *&* 28. *& de penſionibus diſc.* 58. *&* 75.

31. Et quod ſubjicitur de aſſecutione plurium in diverſis Eccleſiis Dignitatum Cardinalibus permiſſa, id certè non niſi per diſpenſationem Apoſtolicam fuit obtentum, dum circa præheminentes, & Litteratas perſonas, ubi ratio poſtulaverit, fuit Apoſtolicæ Sedi ea diſpenſatio reſervata, ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. relato *in cap. de multa, De Præbendis, & Dignitatibus*; Et verba ejuſdem Lateranenſis Concilii in reſervatione diſpenſationis

appo-

appoſita: *ubi ratio poſtulaverit*, ſatis indicant, quòd etſi pluralitas illa contineat nonnullas inordinationes, tamen aliquæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire, ita cohoneſtantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuantur, ut puta ſi ſit neceſſitas in pluribus unius obſequii, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quàm alius præſens, & ſi qua alia ſunt ejuſmodi, juxta doctrinam *D. Thomæ quodlibeto 7. artic. 15.* Sed hæc non niſi ex Apoſtolica diſpenſatione fuerunt à Lateranenſi Concilio permiſſa, ut notat *gloſ. in cap. cum noſtris 6. in verbis juſta cauſa litt. G. de conceſ. præbendæ.* Et demum ex diſpoſitione *Sac. Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 1. De reformat.* abſens ultrà tres menſes, etiam ex cauſa evidentis Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatis, non habetur pro reſidente in Eccleſia, niſi ea cauſa fuerit à Superiore approbata per licentiam in ſcriptis concedendam, & ſub ea diſpoſitione includuntur nominatim etiam S.R.E. Cardinales. *d. ſeſſ. 23. cap. 1. De reformatione.*

32. Hinc etiam corruit illud quod dicitur *in eodem Memoriali*, nempè per aſſiſtentiam, quam D. Cardinalis præſtat Regi Chriſtianiſſimo, cenſeri ipſum moraliter reſidere in Eccleſiam Leodien. dum illa aſſiſtentia verſatur in communi bono, & publica utilitate; Sed prætextus iſte omninò (ut diximus) ſublatus eſt ex *Tridentino d. ſeſſ. 23. cap. 1. De reformat.* ubi unus dumtaxat caſus exceptus eſt, cùm ſcilicet incideret abſentia propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus annexum, & hoc ſolùm approbatione non indiget; Cæterùm omnes aliæ cauſæ etiam evidentis Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatis, approbationem Superioris expoſtulant per licentiam in ſcriptis concedendam, itaut pro forma requirantur, & cauſa legitima, & illius in ſcriptis approbatio. *Garz. de benefic. par. 3. cap. 2. num. 26. Caſtropal. tract. 13. diſputat. 5. punct. 5. num. 7. & 8.*

33. Quæ fortiùs procedunt inſpectis Statutis Eccleſiæ Leodienſis, quibus ſtrictiùs prohibetur abſentia, & non niſi ex certis cauſis permittitur, approbandis à Capitulo, ſive de licentia Capituli Generalis, quibus Statutis omninò ſtandum eſt, quia *Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12. De reformat.* expreſsè reſervavit; ac illæſas reliquit Conſtitutiones Eccleſiarum particularium, quibus nunquam cenſetur derogatum, niſi cùm expreſsè illis derogatur. *cap. 1. de Conſtitut. in 6. Joannes Wameſius conſ. canon. 15. num. 1. & 2. volum. 1.*

34. Ex quibus ſtatutis, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui pro tempore fuerunt Canonici Eccleſiæ Leodienſis, quamvis exiſterent Romæ etiam in Conclavi pro futura Pontificis Maximi electione, agnoſcentes tamen obligationem præſentationis in feſto S. Ægidii, & petitionis admiſſionis ad reſidentiam in Capitulo generali, eidem obligationi paruerunt, conſtituentes ſinguli Procuratorem ad faciendam illam exhibitionem in feſto S. Ægidii, & ad petendum admitti ad reſidentiam in Capitulo generali. *Summ. num. 6.*

35. Neque huc trahi poteſt quæſtio, an ſit juſta cauſa abſentiæ munus Regii Præſidis, Confeſſarii, Conſiliarii, Pro-Regis, & ſimilium, ut gerentes hæc officia ob publicam Regni utilitatem habeantur pro Reſidentibus in eorum Eccleſiis inferioribus, de qua quæſtione agunt *Azor. Inſtitut. par. 2. lib. 7. cap. 4. quæſt. 6. Vaſquez opuſcul. de benefic. cap. 4. §. 2. dub. 2. num. 140. Auguſt. Barboſ. allegat. 53. num. 17.* Nam præter quam quod neceſſaria eſſet approbatio, & licentia Capituli Generalis Eccleſiæ Leodien. certè ea quæſtio accommodari poteſt ſolùm ad Eccleſias ſitas in Ditione illius Regni, ubi Prælatus gerit Officium

deſerviens publicæ utilitati; Undè nil infertur ad Eccleſiam Leodien. quæ non eſt in Ditione Regis Galliæ, ſed habet in Temporalibus Supremitatem, & eſt membrum *Imperii Germanici. Leon. conſ.50. Zipæus jur. canon. lib.3. tit. de commend. conſultat.3. à num.* 6. Atque ita utilitas Eccleſiæ Leodien. non poteſt includi in illa utilitate communi Regnorum Galliæ, quam affert aſſiſtentia Dom. Cardinalis penes Regem Chriſtianiſſimum. Utilitas enim publica tunc præfertur privatæ, quando in communi utilitate privata includitur. *Gloſs. in cap. bonæ il primo in verbo communem De poſtulat. Prælat.*

36. Sed quænam utilitas conſiderari poteſt pro Eccleſia Leodien. ex tali aſſiſtentia D. Cardinalis penes Regem Galliæ, qui ſpoliavit Leodienſem Eccleſiam Oppidis Dionanto, & Huenſi, & contra eandem adhuc bella gerit, & ejus ope Germanus Frater D. Cardinalis continuat in occupatione Ducatus Bullionii? Quando Eccleſia Leodien. poſſederat Ducatum Bullionii à tempore Godefridi Bullionii, qui illum vendidit dictæ Eccleſiæ in Sacri Belli expeditionem, adeò quod Epiſcopus Leodien. ſemper titulo Ducis Bullionii decoratus fuerit. *Summ. num.* 19. 20. *&* 21.

37. Cùm itaque Dom. Cardinali ad evitandam foraneitatem, nec diſpenſatio Apoſtolica Clementis X. neque Cardinalitia Dignitas ſuffragetur, recurrit ad aliam oppoſitionem, quæ Juris ordinem reſpicit, nempè quòd cùm ageretur de pœna, qua uti Foraneus jure dicendi ſuffragium in electionibus privabatur, debebat ea declaratio fieri per ſententiam, cum cauſæ cognitione, ipſoque citato, & canonicè monito.

38. Sed neque hæc oppoſitio ſubſiſtit, dum non agebatur de privando D. Cardinalem, tamquam non reſidentem, Dignitate Canonicatus, vel Præpoſituræ, quo in caſu citatio, & monitio requiritur, juxta *cap. ex par. 8. ubi gloſ. in verb. per decem annorum, cap. Clericos* 17. *De Cleric. non reſident.* At verò cùm (ut in noſtro caſu) agitur de exercitio Dignitatis Canonicatus, ſive de ejus adminiſtratione, poſſeſſione, ſeu perceptione fructuum, cui ineſt qualitas Reſidentiæ, & exhibitionis in feſto B. Ægidii, abſque qua, nec Jus dicendi ſuffragium in electionibus, nec poſſeſſio, nec perceptio fructuum ulla conſiderari poteſt ex Statutis Eccleſiæ Leodien. tunc nulla requiritur ſententia declaratoria, ut ſtatuit *Sacrum Concilium Tridentinum ſeſs.6. cap.1. De reformat.* idque uti indubitatum tradunt *Vaſquez opuſc. de benefic. cap.4. §.2. artic.1. dub.4. num.* 152. *Garz. de Benefic. part.3. cap.2. à num.*26. *Azor. Inſtitut. moral. par. 2. lib.7. cap.6. quæſt.6. Leſſius lib.2. cap.34. dubit.29. n.*157. *Auguſtin. Barboſ. alleg.*53. *num.*101. Neque enim agitur de pœna, ſed potiùs de qualitate reſidentiæ ſeu præſentationis in feſto S. Ægidii, quæ ex Statutis Eccleſiæ Leodien. ineſt perceptioni fructuum, ac Juri dicendi ſuffragium in electionibus, veluti conditio; Undè illius defectus nulla indiget judiciali declaratione, quia ſolùm, cùm agitur de privando aliquem Beneficio, vel Dignitate ob defectum reſidentiæ, tunc propterea cenſetur pœna, & non ipſo jure lata, ſed imponenda per Judicem, ut hæc omnia in terminis diſpoſitionis *Sac. Concilii Tridentini ſeſſ.24. cap.*12. *De reformat.* tradunt *Moneta De diſtribut. quotidian. par.3. quæſt.7. nu.*71. *Bonacin. diſput.2. de boris Canon. quæſt.7. punct.2. num.2. Caſtropal. tract. 7. diſputat.* 3. *punct.6. num.3. &* 4. *Garz. de Benefic. par.3. cap.2. num.*152.

39. Nec judicialis cognitio præcedente citatione requirebatur, quia electionis proceſſus non eſt judicialis, ſed extrajudicialis. *gloſſ. in cap. ſi quis juſto*

46.

46. *verb. admitti litt. F. De electione in* 6. & diſtinguitur electio à cognitione, itaut Electoribus ſufficiat declarare qualitatem ejus, ob quam non eſt vocandus, quia ſuffragium non habet; At verò ſola cognitio requirit Partis citationem in confirmatione, vel reprobatione electi, quæ ſpectat ad Superiorem, ut eleganter tradit Summus Pontifex *in cap. venerabilem* 34. *De elect. juncta gloſſa ibidem litt. A.* Quod etiam probatur ex *text. expreſſiſſimo in cap. cum Eccleſia Sutrina* 3. *De cauſa poſſ. ſt. & proprietat.* Idque eſt, quod dicit *Paſſerin. de elect. cap.* 14. *quæſt.* 8. *num.* 52. nempè Capitulum in qualificatione Votorum per viam notorii ex ſe ſolo poſſe declarare.

40. Et tamen Capitulum, & Canonici, ut gererent plenius obſequium, & majorem reverentiam erga Dom. Cardinalem, per litteras eum rogaverunt, ut ſi quæ jura haberet adverſus Foraneitatem, proponeret, & allegaret, ut in *Summar. num.* 12. & 14. Quare Dom. Cardinalis, nedum dicere nequit, quòd ipſe fuerit contemptus, ſed neque, quòd cum ipſo urbaniùs actum non fuerit; Et certè, ſi impediebatur Leodium perſonaliter accedere propter Copias Principum Confœderatorum Hoſtium Regis Galliæ, nil impediebat, quò minus conſtitueret Procuratorem in eodem loco, ubi degebat Capitulum, cui pluries miſit litteras ad ſe excuſandum. *textus* eſt expreſſus *in cap. cùm dilecti* 6. *De dolo, & contum.* in illis verbis: *Sicuti excuſatorem direxerat, ſic dirigere potuerat reſponſalem.*

41. Verùm hæc omnia ad exuberantiam dicta ſunt, quia Dom. Cardinalis habebat impedimentum, quod cenſebatur perpetuum, quo nullo modo erat vocandus, nec habebat intereſſe aliquod in electione vigente Bello, quod gerunt Imperator, aliique Principes Confœderati contra Regem Chriſtianiſſimum, quare omnes ſubditi Regis Galliæ cenſentur Hoſtes Imperii; Leodien. autem Regio eſt membrum, & portio Imperii Germanici; Undè in temporalibus ſubjacet omnibus Edictis, & Bannis Imperialibus. *Leonius conſ.* 50. *Franciſcus Zipæus conſult. canon. lib.* 3. *tit. de commend. conſult.* 3. *à num.* 6. *ad nu.* 25. Atque ita D. Cardinalis, tamquam adhærens Regi Chriſtianiſſimo, bannitus à toto Imperio Germanico non poterat ad Leodien. Civitatem accedere, ubi etiam aſſiſtebant Copiæ Principum Confœderatorum.

42. Et quamvis juxta DD. Hortodoxorum ſententiam apud *Cæſarem Caren. reſolut.* 1. *à num.* 4. Clerici, & alii omnes Eccleſiaſtici conſtituant partem diſtinctam à Republica Civili, & propterea non ſubjaceant legibus Bellorum, quæ inter eorum Principes Chriſtianos geruntur, itaut aliud Jus, quod ſervatur, iniquum cenſeri debeat: nihilominus admiſſa ea ſententia, quæ veriſſima eſt, non procedit, quando unus Princeps uſus fuerit eo jure contra Eccleſiaſticos alterius Principis, ſicut Rex Galliæ, durante Bello, Eccleſiaſticos degentes in Terris Principum Confœderatorum non admiſit, nec admittit ad exercendum eorum Dignitates, nec ad Jus habendi vocem activam, nec paſſivam in Eccleſiis ſub ejus Ditione ſitis; quare D. Cardinalis retorcutionem iniqui Juris æquo animo ferre debet, nè admittatur ad Capitulum Eccleſiæ Leodien. ex æquitate Ædicti, *quod quiſque Juris, &c.* fundata in Jure naturali, & Divino: *Patere legem quam tu ipſe tuleris: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ut advertit *gloſ. in d. tit. ff. quod quiſque juris. Can. Dominus noſter* 32. *qu.* 2. *Guido-Papæ qu.* 34. *Ant. Fab. Codic. lib.* 2. *tit.* 9. *def.* 1. *in allegat. num.* 6.

43. Itemque concluſio, quòd Eccleſiaſtici, tamquam conſtituentes partem diſtin-

diſtinctam à Republica Civili, minimè teneantur Bellorum legibus, quæ geruntur inter eorum Principes, non procedit quoad effectum ſuſpicionis, ſive confidentiæ, qua ratione non admittuntur ad Dignitates, quas habent in Regno, vel Statu Principis Temporalis, cui ſunt ſuſpecti. *Innocent. in cap. ſuper his col. ult. in princ. de accuſat. Ant. de Butr. in cap. quod ſicut col. 2. verſ. quandoque Laicus De elect. Cotta in memorab. verb. Epiſcopus electus.*

44. Denique ex cauſa litis, ſeu controverſiæ de Ducatu Bullionii, quo Eccleſia Leodienſis remanet ſpoliata facto Regis Gallorum, cujus ope adhuc occupatur à Celſiſſimo Fratre Germano D. Cardinalis; de quo jure expreſſa fuit facta proteſtatio per Epiſcopum Leodien. & Canonicos, quæ relata eſt in Capitulis *Fœderis Neomagi ex libro memoires des negotiacions de la Paix de Nimegue tom. 3. pag. 317. in Summ. num.* 10. certiſſimum eſt quòd D. Cardinalis non poterat habere vocem activam, nec paſſivam in electione Epiſcopi. *Bald. in tract. de pact. num.* 104. *poſt commentaria ad ll. infortiati.*

45. Ex quibus impedimentis perpetuis D. Cardinalis minimè vocari debebat ad Epiſcopi electionem; Nam ſi cùm commodè, vel abſque periculo vocari non poteſt, non eſt vocandus, neque poteſt dici contemptus. *cap. cùm in Eccleſia* 33. in illis verbis: *ſi commodè. de præbend. & dignit. in 6. cap. quod ſicut* 28. *De elect.* in illis verbis: *Sed ad electionem vocati (ſi tamen ſine periculo poterint convocari) cap. quia propter, §. illud autem De elect. cap. ſi quis 46. De elect. in 6.* in illis verbis: *In electionis negotio nequeat commodè intereſſe. Paſſer. de elect. cap. 11. qu. 5. nu.* 33. ubi agit de impedito per Bellum, ne vocari debeat ad electionem, fortiùs id procedit in eo, qui habet perpetuum impedimentum, ex quo non poterat, nec debebat admitti ad electionem; quo caſu neque ſi committere voluiſſet alicui de Capitulo vocem ſuam, minimè fuiſſet audiendus; tamquam nullum jus habens in electione. *gloſ. in cap. Beneficium verb. conſerendum in fin. De regular. in 6. Tiraquell. de retract. lignagier. §. 1. gloſſ. 8. num.* 37.

46. Non obſtat quòd Capitulum Leodien. in Decreto, quo cenſuit ex cauſa Foraneitatis D. Cardinalem non habere jus ſuffragii dicendi in electione, non expreſſit alias cauſas, ſcilicet Belli, & litis de Ducatu Bullionii, quia reſpondetur has cauſas fuiſſe, & eſſe notorias, nec examine indigere: & cùm ſint etiam deductæ in actis, poſſe eas Papam ex officio ſuo ſupplere in confirmatione electionis, ut docet in terminis *gloſſ. in cap. in Geneſi 55. De elect. in verb. nec præmiſſi duo litt. H.* Maximè, quia de his fuit virtualiter cognitum, & cuncta fuerunt examinata, cùm D. Cardinalis petiit Salvum-conductum, vel quòd diſcederent Copiæ Principum Confœderatorum, ut tutum haberet acceſſum, vel quòd electio fieret in loco tuto, quæ omnia fuerunt rejecta, dum ipſe D. Cardinalis non habebat jus dicendi ſuffragium tamquam Foraneus, vel quia ea eſſent moraliter impoſſibilia nedum incommoda, & periculoſa: & demum, quia ex cauſa Belli adversùs illius Principem ſecularem, vel ratione litis de Ducatu Bullionii non debebat ad Capitulum admitti, atque ita nulla injuria, nullum damnum inferebatur D. Cardinali ex electione; Undè obſtabat, prout obſtat, D. Cardinali exceptio *tua non intereſt*, de qua exceptione eleganter agit *Jacob. Cujac. ad l. 7. ff. de ſerv. exportandis lib.* 10. *Papin.* ubi adducit egregium locum *Ciceronis, expreſſas eſſe actiones, ex cujuſque damno, & injuria.* Et ita Juris eſſe exiſtimamus, ſub cenſura, &c.

Romæ die 21. Junii 1694.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI STANCHI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſſimi Bullionii.

1\. Vindicata in duabus aliis Scripturis à quocumque objecto validitate dignæ Electionis, & capacitate digniſſimi electi, reſpondendum ſupereſt exceptionibus ex parte Eminentiſſimi D.Cardinalis Bullioni excitatis.

2\. Quarum prima innititur ſuper privilegio Cardinalitiæ dignitatis, eximente à reſidentia in beneficiis inferioribus Epiſcopatui, omnes Cardinales uti Coadjutores Pontificis in directione Univerſalis Eccleſiæ, & inducente neceſſitatem faciendi de eis ſpecialem mentionem in quocumque Statuto, ſeù Conſtitutione etiam Pontificia, ita ut nullibi, & nunquam comprehenſi dicantur, abſque dicta mentione ſpecifica.

3\. Dico igitur in primis, privilegium non reſidendi militare tunc in favorem Cardinalium, quando ipſi actu permanent apud Summum Pontificem in Curia Romana, vel extra eam aliquod munus exercent, Sedis Apoſtolicæ obſequium concernens, ſubſtinendo pondus diei, & æſtus, ob quam cauſam meritò privilegiis honorantur, ut *in c.fundamenta,§.decet De elect.in6.Oldrad. conſ. 48. num.* 2. ſecus verò quando ex cauſa voluntaria, nullo prorsùs titulo ſervitii Apoſtolici colorata. *Gonzal. ad Regul.*8. *Cancellar. gloſ.* 24. *num.* 132. *Mandoſ.ad Regul.*7.*pariter Cancell.quæſt.*3.*per tot. Geminian. conſ.*96.*ſub n.*9. *Ancharan.conſ.*394.*num.*3.*Roman.conſ.*404.*num.*4.*&* 5. *Capyc.Latr.deciſ.*102. *num.*8. plenè *Tiraquell.in ſuo tract.ceſſan.cauſa, ceſſat effect. ex num.*210.

4\. Dico ſecundò, quòd dum prædictus Eminentiſſimus Princeps ſe juramenti vinculo obſtrinxit ad obſervantiam Statuti, quando jam dignitate Cardinalitia fulgebat: Equidem tale vinculum nullatenùs diſſolvere poteſt; nam quò major eſt dignitas Jurantis, eò fortior ineſt obſervantiæ neceſſitas contracta erga Deum, cujus Unigenitus Filius non venit Legem ſolvere, ſed adimplere, ideoque ait *Pſalm.* 88. quæ *procedunt de labiis meis non faciam irrita*. Et *Pſalm.* 109. cantat Eccleſia: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*: atque Divinum Oraculum apud *Matth. cap.*5. inquit: *Redde Domino juramenta tua*: & abominabile dedecus eſſe jurare, & non adimplere dixit *D. Iſidor. lib.*2. *ſententiar.cap.*2. relatus *in cap.quacumque* 22.*quæſt.*5. plus addit *S.Paulus in ep. ad Hebræus cap.*6. *num.*16. ibi: *Homines per Majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis eſt juramentum*; Hinc eſt, quòd diſpoſitioni juratæ nunquam derogatum cenſeatur à Pontifice, neque per clauſulas derogatorias. *Gloſ.* communiter approbata *in cap.cùm non deceat verb. effectus De elect. in* 6. *Gra-*

tian.

tian.diſcept.853. ex num.73. Rot.in præciſis terminis Statuti jurati per Canonicum in actu ingreſſus deciſ.5.num.5.uſque ad 13. coram Durano.

5. Vanumque eſt aſſerere, quòd particularis Cardinalis renunciare nequit privilegio conceſſo Sacro Cœtui Cardinalium; Etenim jus votandi competebat Eminentiſſimo Adverſario uti Canonico, non uti Cardinali; Undè optimè tanquam duplicem repræſentans perſonam, potuit abſque ulla læſione privilegiorum competentium Cardinalibus ex perſona Canonici jurare obſervantiam Statutorum Capituli. *Lap. allegat.99. per tot. Roman.conſ.422. paritèr per tot. Peutinger. deciſ.194. num.19. & 20.* Maximè quia ſine ullo labore, & ſine aliqua difficultate juratum Statutum adimpleri poterat, mediante tranſmiſſione Procuratoris, aut ſimplicis epiſtolæ ad Capitulum, prout tali medio ſe repræſentarunt pluribus vicibus ipſemet, totque alii Cardinales Canonici ejuſdem Eccleſiæ Leodien. nempè De Haſſia, licèt eſſet Epiſcopus Uratiſlavien. De Baden, licèt eſſet Abbas Fulden. ac Furſtembergh, licèt eſſet Epiſcopus Argentoraten. & quamvis omnes in ſuis reſidentiis permanerent, immò quamvis in Curia Romana extarent, vel in Conclavi reperirentur, vel ad illud pergerent. Demonſtratio evidentiſſima, quòd nulla aderat, nec adeſt implicantia inter Cardinalium privilegia, & Deo juratam Canonicorum Leodienſium obligationem obſervandi Statuta, veluti diuturnus effectus ſubſecutus declaravit. *l.ſed Julianus, §.proindè, ff.ad Macedon. & l.quædam, ff.de reb.dubiis. Mantic.de tacit.lib.2.tit.1.num.4. & 5. Dunozett.jun.deciſ.937.num.26.27. & 28.*

6. Sed quid multis? dum ipſe quoque Eminentiſſimus Cardinalis Bullionus ſemper ab anno 1672. ſe repræſentavit in feſto Sancti Ægidii ad formam Statuti, quamvis moraretur in Galliis, exercens munus Magni Eleemoſynarii Chriſtianiſſimi Regis, ſicuti hodiè etiam exercet, ut in Facto *§. exceptis cum ſeqq.* ac per conſequens ampliùs impugnare non debet quod priùs verbis juravit, & poſteà factis expreſſis ratificavit, ad *text.in cap.quod ſemel De reg. jur.in 6.* optimè *Rot.deciſ.231.num.8. & 9.coram Priolo.*

7. Nec replicare juvat, quòd prædictæ repræſentationes fuerunt actus facultativi non inducentes approbationem, multoque minus obligationem, quoniam conſtito de origine tituli, ſeu cauſæ, prout conſtat hic ex cenſura Statuti, actus ſucceſſivè ſecuti referuntur ad titulum præambulum, & cauſam præcedentem, & conſequenter excludunt omnem facultatis præſumptionem. *Bald.conſ.89.num.4.conſ.265. per tot. & conſ.290.num.1.lib.3. Adden.ad Ludoviſ.deciſ.162.num.16.verſ.primò ſciendum. Rot.ferè in puncto deciſ.400. nu.4. par.4. recent.* Ultra quod favore cultus Divini non præſumitur materia facultativa. *Adden.ad d.Ludoviſ.deciſ.162.erga fin.*

8. Neque dubitari contingit de exiſtentia, & validitate Statutorum, ſiquidem ea uſque de anno 1563. recollecta fuiſſe, & ad debitum methodum, ſub congruis titulis redacta probatur in Facto, *§. neque noſtra Statuta*, ubi additur in illa recollectione, & compilatione decerni, ut procuretur Signatura Pontificia, quæ poſt tantum temporis intervallum interventa abſolutè præſumitur, ut in levioribus terminis, etiam ſi confirmationis nulla concurrat enunciativa, & ſolum ſpatium 30.annorum effluxerit, *Gonzal.ad Reg.Cancell. gloſſ.12.num.78. & 79. Seraphin.deciſ.497. num.2.deciſ.507.num.3. & dec.536. num.5.cum aliis in recent.deciſ.329.num.10.par.10. & deciſ.438.num.6.par.14.*

9. Proindè fatendo valida dicta Statuta, tanquam condita ab Apoſtolicis

Le-

Legatis inſimul cum Epiſcopis, & Capitulo, idem Eminentiſſimus Cardinalis Bullionus ſupplicavit Clementem X. pro illorum derogatione, ut in eodem Facto, §. *ſed ipſemet*: atque in Jure expeditum eſt, quòd confeſſio emiſſa in precibus contra confitentem adeò probet, ut impugnari nullatenus poſſit. *l.cum precum, C.de liber.cauſ.Dec.conſ.*534.*ſub num.*4. *Ciarlin.controver.*131. *num.*35.*lib.*2.*Gratian.diſcept.*857.*num.*1.*Rot.deciſ.*118.*num.*7.*par.*14. *& deciſ.* 260.*num.*7.*cum ſeqq.par.*17.

10. Verùm quando etiam nulla interceſſiſſet auctoritas Apoſtolica, nec in condendis, neque in confirmandis dictis Statutis, adhuc validitas revocari nequiret in dubium, quia Capitulum ſuper concernentibus negotia, & perſonas Capitularium, Statuta condere valet etiam ſine conſenſu Epiſcopi, ut ſequendo *Gloſſ.in cap.*2.*verb.ſtatutum,de verbor.ſignificat. in* 6. tradunt *Imol. in cap.cùm omnes num.*1. *De Conſtitut. Abb. in cap.*1.*num.* 14. *De his quæ fiunt à major.part.Capitul.Oldrad.conſ.*259. *ſub num.*4. *Monet. de diſtribut. quotidian. par.*2.*cap.*13.*ſub num.*25.*Rot.deciſ.*20.*nu.*6.*part.*3.*rec. ibique in puncto Adden. num.*37.*& deciſ.*12.*num.*2.*cum ſeqq.coram Celſo.*

11. Certiùs ubi, prout hìc, Statuta conſonant juri communi, & Sacro Concilio Tridentino,ſecundùm quod Canonici reſidere tenentur in loco propriæ Eccleſiæ, ſaltèm majori parte anni, & in feſtis ſolemnibus, ut declarant *Barboſ.ad dictum Concilium ſeſſ.*24.*de reformat.cap.*12.*ſub nu.*63.*&* 66.*Garz. de Benefic.par.*3.*cap.*2.*num.*316. *& ſeqq.* ubi plures refert ejuſdem Concilii reſolutiones,prout etiam *Fagnan.in cap.cùm omnes num.*37.*de Conſtit.Rot.in Gerunden.Beneficii* 11. *Decembris* 1679.§.*maximè, coram Card. Vicecomite.*

12. Certiſſimè, quia poſt præfatam diuturnam obſervantiam conſenſus Epiſcoporum acceſſit, ſaltèm tacitus, quo ſtante, valida remanent Statuta condita per Capitulum, etiam reſpicientia ſtatum univerſalem Eccleſiæ. *Felin. in d. cap.cùm omnes num.*10.*Calder.conſ.*3. *circa med. de conſuetud. Barboſ.de poteſt. Epiſc.allegat.*93. *ſub num.*26.*idem De jur.Eccleſ.univerſ. cap.*32.*num.*15. *erga fin.Lotter.de re beneſic.lib.*1.*quæſt.*14.*nu.*89.*&* 90.*Monet.de diſtribut. d.par.*2. *cap.*13.*num.*23.*&* 24.*Celſ.d.deciſ.*12. *num.*16. adeout opus non ſit aliqua confirmatione Apoſtolica. in puncto *Seraphin.deciſ.*560.*num.*4.

13. Quapropter manifeſtum apparet, quòd prædictus Eminentiſſimus Princeps foraneus evaſit, juxtà recenſita Statuta, ideoque ampliùs reputari non poterat Capitularis, licèt Canonicus, & Præpoſitus, dum ab anno 1689. uſque ad præſens ſe repræſentare neglexit in feſto S. Ægidii, etiam per Procuratorem; immò per ſimplicem epiſtolam, & quidem in ipſo anno 1689. in quo ſe repræſentavit Eminentiſſimus Cardin.de Furſtembergh;Conſequenter jure merito declaratus fuit à Capitulo foraneus, etenim ſtatuta facta pro congruo Eccleſiæ regimine, ac Divini cultus obſequio, ſunt tenaciter obſervanda.*Gloſſ. in d.cap.*2.*§.cæterum De verbor.ſignific.in* 6. *Ferrett.conſ.*286.*ſub num.*1. *Rot. deciſ.*161.*coram Peutinger.deciſ.*46.*coram Alex.VIII.& dec.* 856. *coram Card. Cerro,ubique num.*1.

14. Non ſuffragante reſponſione, quòd nullum Statutum, nulla Conſtitutio quamvis Pontificia, ſeu Conciliaris, includit Cardinales non expreſſos; Ultra enim quòd ſatis eſſet replicare, quòd ſpontè ſe ſubjecit Statutis, jurando eorum obſervantiam, eaque diù obſervando Eminentiſſimus Adverſarius, veluti obſervarunt reliqui Cardinales Canonici, ut oſtenſum, & firmatum eſt

ſuprà *in num.* 4. *uſque ad num.* 7. nam omnia privilegia habent eam conditionem, niſi tacitè, vel expreſsè renuncientur. *Bart. in l. fin. column. ultim. ff. de conſtit. Princ. Jaſon. in l. falſo, verſ. quoad ultimum, C. de diverſ. reſcript. Galerat. de renunciat. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 5. & 7. ubi quòd tacitè renunciari poteſt privilegio per non uſum, cui expreſsè renunciari non potuiſſet. *Celſ. decif.* 311. *num.* 5. & 6.

15. Addo, quòd Statutaria Diſpoſitio directa fuit in Capitulares, non uti Cardinales, qui licèt expreſſi nequaquam comprehenſi fuiſſent ex defectu poteſtatis, ſed uti in Canonicos, qui proindè ſubjecti remanent dictæ Statutorum cenſuræ, quamvis Cardinales; nam dignitas, quæ non facit ad actum, non habetur in conſideratione in illo actu, nec attenditur majoritas ordinis, quando non agitur de illo ordine, ſed diverſo; cùm tot reputentur perſonæ, quot ſunt munera, & officia, & unaquæque conſideratur ſecundùm actum quem gerit: nec implicat, ut quis ex diverſis reſpectibus modò major, modò minor ſit. ita exemplificando docent *Menoch. conſ.* 52. *num.* 9. & *ſeqq. Chaſſan. in Catal. Glor. mundi par.* 4. *conſiderat.* 11. *latiùs conſiderat.* 44. & 45. *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 16. *nu.* 98. & 99. *Maſtrill. deciſ.* 130. *per tot. Puteus deciſ.* 104. *lib.* 3. *pariter per tot.* & *in recent. deciſ.* 226. *num.* 6. *par.* 14. *ac in Cracovien. Præcedentiæ prima Julii* 1675. §. *ultimo coram Card. Tava.*

16. Minus refragante quaſi poſſeſſione juris votandi, ſiquidem tale jus oportet acquiri ſingulis annis per adimplementum conditionis requiſitæ à Statuto, & ab Eminentiſſima ſua Celſitudine juratæ, nempè per interventum annuale in Capitulo dicta die S. Ægidii, alioquin poſſeſſio unius anni non opitulatur aliis. *Rot. deciſ.* 215. *num.* 4. 8. & 29. *apud Poſt. de manut.* & *in Romana, ſeù Albanen. Donationis* 5. *Aprilis* 1666. *coram Cerro in fin.* ibi: *quo verò ad mandatum de manutenendo, cùm agatur de contractu, in quo ſingulis annis debet doceri de adimplemento,* &c. *dixerunt illud non eſſe relaxandum,* &c. Idque facilius intrat advertendo, prout advertitur in facto ſub §. *nec Eminentiſſimo D. Bulliono, uſque ad* §. *neque noſtra*, quòd Statuta nullibi loquuntur per viam pœnæ, ſeu modum privationis, ſed tantum ammiſſionis lucri, cui quilibet renunciare poteſt, non intereſſendo debitis temporibus, ut praxis cujuſcumque Eccleſiæ docet.

17. Similiter nihil prodeſt addere, quòd prius erant examinandæ rationes, & poſteà ſubſequi ſententia declaratoria debebat ſuper incurſa foraneitate; quippè Capitulum ſe obtulit promptum ad dictum examen, quatenus etiam in ſcriptis tranſmitterentur enunciatæ rationes; undè de ſe tantum conquæri debet, qui illas tranſmittere noluit. *Felin. in cap. irrefragabilis num.* 1. *De offic. ordinar. Rot. dec.* 324. *num.* 14. *part.* 9. *recent.* immo contra negligentem ſua jura deducere, militat omnis mala præſumptio, ut ad propoſitum *Card. Tuſch. concluſ.* 36. *num.* 2. & 4. *cum pluribus ſeqq. litt. N. tom.* 5. *Menoch. præſumpt.* 91. *nu.* 8. *lib.* 2. *Ludoviſ. deciſ.* 188. *num.* 5. Sententia verò declaratoria non requiritur ubi factum eſt notorium, ut hic, propter longam continuam abſentiam, abſque repræſentatione perſonæ, ſaltem in feſto S. Ægidii, contra juris communis, & municipalis ſanctionem, ut diſcuſſa, ac diſtincta materia conciliat *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæſt.* 27. *num.* 59. *cum ſeqq.* & *num.* 64. *uſque ad* 73. *Garz. de benefic. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 23. 27. & 36. *Paſſarin. De electtion. cap.* 14. *quæſt.* 8. *nu.* 52. *Bich. deciſ.* 52. *num.* 49. *Dunozett. jun. deciſ.* 705. *num.* 8.

18. At-

18. Atque hinc patet perperam allegari defectum citationis ad comparendum in prædicta die S. Ægidii, quia, ſtante notorietate Statuti ad id obligantis, nulla expoſcitur citatio. *l.magnam,C.de contrahen.empt.Bart.in l.dies,§.hoc autem judicium ſub num.*1.*ff.de damn.infect. Gozzadin.conſ.*57. *num.*10. *in fin. Celſ.deciſ.*95.*num.*11.

19. Fortius, quia ſcientia præciſi diei, ſub quo facienda erat electio, luce clarior apparet in Eminentiſſimo Contradictore, dum poſt ſolitas Citationes ad Valvas, ipſe, qui de tempore vacationis erat extra Provinciam, ſpatio ferè trium menſium, Epiſtolas ſuper materia dictæ electionis tranſmiſſit Capitulo, atque recepit ab illo, quæ epiſtolæ repetitæ pluribus æquipollent citationibus: & ſic intrat regula *Text.in cap.eum qui certus De reg.jur.in ſexto, l.*1. *in fin.ff.de act.empt.Menoch.conſ.*825.*num.*12. in ſpecie *Panormitan.in cap.Eccleſia veſtra* 57.*num.*9.*de elect.Paſſarin.eodem tract.cap.*11.*num.*66.

20. Fortiſſimè, quia Abſentes extrà Provinciam de tempore vacati Epiſcopatus, & diei Statutæ Electionis, non ſunt citandi, quamvis poſteà ſuperveniant in Provincia. *Innocent.in cap.quia propter num.*10. *verſ. item ſi fuerit De elect.ibique Jo: Andr.column.*9.*ad med.Barboſ.in cap.coram* 35.*De elect. idem De jur.Eccleſ.univerſ.lib.*1.*cap.*19.*ſub num.*89. atque ita obſervatum fuit, & obſervavit ipſemet Eminentiſſimus in ultima antecedenti Electione defuncti Epiſcopi; etenim licet citatus non fuerit ad comparendum, tanquam morans extra Provinciam, attamen de omiſſa citatione conquæſtus non eſt, ſed comparendo per Procuratorem fuit tunc admiſſus ad votandum, undè nec hodiè conquæri debet. *Baldus conſ.*251.*in med.lib.*5. *Capyc.Latr.conſult.*75.*num.*336.

21. Minuſque conquæri poteſt de non conceſſo ſalvo-conductu, & de loco non tuto electionis; quippè plana, & undique tuta aderat alia accedendi via per Deputationem Procuratoris, ut metuentibus ſuggerit in puncto *Fagnan.in cap.cùm ex injuncto num.*35.*De nov.oper. nunciat.* Unde impeditus dici nequibat, dum impedimentum faciliter removere valebat, *ut in cap. final. de elect.* optimè *Seraphin.deciſ.*1206.*num.*2.*&* 3.*Dunozett.ſen.deciſ.*161. *num.*2. Ultrà quòd exceptio prædicta, tunc forſan intraret, quando locus fuiſſet inſolitus; at dum conſuetus, non attenditur accidentalis diminutio libertatis reſpectu aliquorum, multoque minus reſpectu unius. *Doctor.in cap.*1.*de Cleric.non reſid.Rot.deciſ.*412.*num.*35.*par.*9.*recent.*

22. Immo his etiam ſecluſis, Capitulum non poterat concedere, nec tenebatur impetrare ei ſalvum-conductum; Non quidem poterat, quia receptatio ſubditorum, & Miniſtrorum Regis Galliæ interdicta fuerat ab Imperatore, & Imperiali Dieta, ideoque ab iſtis, & non à Capitulo concedendus erat dictus ſalvus-conductus. in ſpecie *Salycet.in l.cum indulgentia,C.de ſentent.paſſ.Sperell.deciſ.*148.*num.*48. Non tenebatur, quia nullo jure cautum reperitur, Electores eſſe obligatos ad removenda impedimenta acceſſus ad locum electionis, ut abſentes Coelectores tutè poſſint intervenire: præſertim quando ſubditi, & Miniſtri ſunt Regis inimici, quorum interventum procurando Capitulum, vel ſe oſtendiſſet proprii ſuimet Principis hoſtem, vel Amicum inimicorum ſuorum ſe declaraſſet, cum evidenti periculo magni tumultus, & maximi damni, ut conſiderant *Baron. de effect.inimicit.effect.*102.*nu.*24. *&* 35. *Graſſ.de effect. amicit.effect.*34. *num.*129. *uſque ad* 135. ubi innumeros congerit, & in ſpecie loquitur etiam de Eccleſia, & Prælato Vaſſallo, atque exemplum ſimilis caſus

Leodii ſecutum, ab Apoſtolica Sede approbatum, refert *Card. de Luca De Regular. diſcurſ. 53. num. 11.*

23. Verùm ad nihil profectò inſerviſſet ſalvi-conductus conceſſio; nam prorſus aberrat à veroſimili, quòd dictus Eminentiſſimus Princeps tradere ſe voluiſſet in manibus Hoſtium de tempore majoris Bellorum incendii, ut notat *Fagnan. in d. cap. cùm ex injuncto nu. 37. De nov. oper. nunciat.* Sicut etiam prorſus eſt improbabile, quòd Capitulum recepiſſet illum poſtquam Foraneus evaſerat; id enim fuiſſet frangere Statuti obſervantiam, juratam ab utraque parte, ac per conſequens in duplex perjurium incurrere; quando tamen nemo ex abſentibus vocari debet, nemo admitti niſi vocatio, & admiſſio commodè, & abſque ullo periculo fieri poſſit ab Eccleſia, ut in præciſis terminis *Bald. in cap. cùm inter il ſecondo num. 2. De elect. Paſſarin. de elect. cap. 11. num. 33. Barboſ. de jur. Eccleſ. univerſ. lib. 1. cap. 19. num. 89. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. diſput. 5. quæſt. 3. num. 15. Gabriel. de citat. concluſ. 1. num. 460. lib. 2.*

24. Augetur dicta improbabilitas ex eo, quia Ducatus Bullionii, detentus à Germano fratre dicti Eminentiſſimi, ſpectat ad Eccleſiam Leodien. cui proindè reſtitutus fuit anno 1506. ab occupatore tunc temporis, & cujus Eccleſiæ Paſtor, ac Princeps anno 1679. proteſtatus fuit contra articulum 28. tractatus Pacis Neomagenſis, quia ibi agebatur de prædicti Ducatus detentione; Tritum eſt autem quòd inveriſimile, & improbabile non eſt credendum, ſed in ſubjecta materia, quòd à prudentis Judicis arbitrio dependeat, ſecundùm facti circumſtantias diſcernere, ac decernere, utrum vocandi, & admittendi eſſent abſentes, tradit egregiè *Panormit. viden. in cap. coram num. 3. De elect. ſequuntur Barboſ. d. canonic. cap. 39. num. 4. in fin. Suarez De relig. tom. 4. lib. 5. cap. 2. nu. 3. Paſſerin. d. cap. 11. ſub num. 34.*

25. Super objecto diminutæ libertatis propter Milites Leodii exiſtentes non inſiſto, quia illi ibi detinebantur ad effectum tuendi, non autem tollendi dictam libertatem, ut benè probatur in facto, *§. Et quidem quo ad primam cum ſeqq.* atque colligitur ab impreſſa declaratione idiomate Gallico, emanata 22. Aprilis 1694. & comprobavit electio liberè ſecuta in perſona noſtri Sereniſſimi Principis, nullo ibi militari præſidio muniti.

26. Super indulto conceſſo per ſa. me. Clementem X. nihil pariter inſiſtendum eſt, tum quia inter diſpenſationes ibi enumeratas nō legitur illa exemptionis à ſe repræſentando ad Capitulum in feſto S. Ægidii, ad quam propter eà exemptionem indultum ſtrictiſſimè intelligendum, extendi nullatenus poteſt. *cap. porrò De privileg. Seraphin. deciſ. 605. num. 3.* Maximè adverſus Statuti jurati ſanctionem. *Felin. in cap. 1. num. 9. ibique Dec. num. 4. de reſcript.* & in præciſis, immo durioribus terminis diſtinguendo indultum generale à ſpeciali emanato ad inſtantiam partis, *Rota deciſ. 46. coram Alexandro VIII. & dec. 161. coram Peutinger. utrobique ex num. 5.* Tum quia declaravit Pontifex, quòd demptis articulis expreſſis in indulto, cæteri eſſent ſervandi. ibi: *De ſervandis ſupra expreſſis articulis.* & rurſus ibidem: *ſervatis alias ſervandis, &c.* undè res eſt clara, ſicuti clara eſt concluſio, quòd remotio, & diſpenſatio unius obſtaculi non removet alia. *cap. paſtoralis De privileg. & Clement. 1. de prabend. Geminian. conſ. 33. num. 8. Rot. deciſ. 158. ſub num. 6. part. 1. recent. & deciſ. 76. num. 2. ac deciſ. 87. num. 3. part. 2.* nec gratia ad unum defectum ſupplendum, aut unum obſtaculum removendum conceſſa reliquos ſupplet defectus, & cætera

tera obſtacula removet. *Gonzalez ad reg.Cancell.gloſſ.13.num.84.& 92. uſque ad fin. Priol.deciſ.367. num.25.& in recent.deciſ.18.num.15. cum ſeqq.par.19.* ita quod nec admittatur argumentum de majori ad minus. *Caputaq. deciſ.274. num.5.par.1.& Penia deciſ.1419.num.18.* latè *Surd. deciſ.268.num.20. uſque ad fin.*

27. Diſſipata ex hactenus deductis qualibet umbra validæ exceptionis,emicat intacta veritas, quòd contemptor potius fuit quàm contemptus Eminentiſſimus Bullionus; Etenim nullus dolus, nulla culpa conſiderari poteſt ex parte Capituli, dum conſtabat de pluribus cauſis non vocandi, nec admittendi Eminentiam Suam, ut notant *Cardinal. conſ.11.De verbor.ſignific.Burdon. variar.reſolut.tit.de elect.reſolut.61.num.8. de Luc.de Canonic. & Capitul. diſcurſ.27.num.15. Paſſarin.de elect.cap.14.num.48. Sperell. deciſ.182.num.26.* Vice verſa de ſumma negligentia excuſari non poteſt idem Eminentiſſimus: immò de culpa ſupina,ob prætermiſſam non ſolùm propriæ perſonæ repræſentationem, etiam per Procuratorem in feſto S. Ægidii, verùm etiam ob non acceptatam Capituli oblationem de examinando ejus rationes,nunquam tranſmiſſas. *Bart.in l.divus num.7.ff.de in integr.reſtitut. Menoch.præſumpt.91.nu, 14.& 15.lib.2.*

28. Conſequenter neſcitur à quo gravamine fuerit appellatum,quia ſi aliquod fuiſſet illatum, obſtarent *Text.in cap.damnum 86. de reg.jur.in ſexto, & l.nemo præſumitur, ff. eod.* fruſtra enim petit refectionem damni, qui dedit illi cauſam. *Rota deciſ.26.num.5.coram Penia*: nec admittitur appellatio ab Electione ſine expreſſione cauſæ rationabilis, & ſine juramento, quòd expreſſa cauſa credatur vera, & probari ſperatur, ſicuti præſcribitur *in cap. ut circa De elect.in ſexto,* quem latè exornant *Paſſerin. cap.32. num. 54. & pluribus ſeqq. Caſtellin.eod.tract.de elect.cap.16. num.2. 7.& 13. Lavor. var. lucubrat. tit.4. cap.19.num.125. Coccin.deciſ.2088.ex num.37. Buratt. deciſ. 771. ex num.4. Sperell.deciſ.182. num.26. Barboſ.vot. deciſ.106.ex 97. lib.3.* quam expreſſionem non fecit & quòd juramentum non præſtitit prænominatus Cardinalis in dicta appellationis interpoſitione, quia verè nulla aderat legitima cauſa appellandi, & proteſtandi, ut conſtat ex præmiſſis.

29. Ulterius appellatio interpoſita fuit extrajudicialiter, ideò ſuſpendere non poterat electionem, multoque minus eam reddere attentatam, ut diſtinguendo firmant *Jo: Andreas in cap. quia propter col.10. de elect.Barboſ. in cap. cùm inter 21. num.3.eod.tit. Gonzalez ad reg.Cancell.gloſſ.9.§.1. num.27. Tondut.reſolut.benefic.par.1.cap.7.num.1. Paſſerin.cap.32.num.6. Barboſ.vot.dec.4. num. 54. lib. 1.* Maximè quando imminet lapſus trium menſium datus ad eligendum, & major Pars concurrit in Electione facienda, ut conciliando contrarias opiniones probat *Jo: Andreas in d.cap.quia propter colum.10.verſ. harum opinionum, &c.*

30. Fateor non ſine abuſu benigniſſimæ tolerantiæ Eminentiſſimorum DD.meorum Patrum, & Illuſtriſſimorum Præſulum tot,& tanta exaraſſe,dum eorum perſpicaciæ hoc unum ſatis fuiſſet dilemma, videlicet aut D.Card. Bullionus, recenſito bello durante, ſe gerere volebat uti ſubditum, & Officialem Chriſtianiſſimi Regis, talique caſu manifeſta apparet cauſa privationis: aut intelligebat ſe gerere tanquam Canonicum Eccleſiæ Leodien. & profectò opus erat, Gallia relicta, reſidere ibi, vel ſaltem ad Capitulum ſe repræſentare.

OCTA-

OCTAVII DE JANDIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super oppoſitionibus adducendis pro parte Eminentiſs. D. Card. Bullionii.

1\. ELectionē Sereniſs.Principis Joſephi-Clementis ex Ducibus Bavariæ Coloniēſis Electoris,qua ad Epiſcopatus officium Leodienſis Eccleſiæ fuit aſſumptus,tanquam ritè, & juxta canonicas ſanctiones, ratā habendam,Sediſque Apoſtolicæ auctoritate firmandam,jam ſatis in aliis probatū fuit:ex quibus,cùm appareat juſtiſſimam eſſe vocem poſcētium, ne dum libenter,ſed abſque ulteriori dilatione eidem præſtandus aſſenſus,& ampliùs non retardanda, cùm omnis mora, præſertim tempore Belli,ſit ſuſpecta,juxtà monitum Innocentii III.in *cap.cùm inter univerſas* 18. *De Election.Gloſſ.in cap.Cum nobis* 19.*in verb.revocare eodem tit. ibiq; Ancharan.ſub num.4.verſ.Et ego credo. Abb.ſub num.9.poſt med.verſ.ſed cauſa ſubeſt; & cæteri Canoniſtæ.*

2\. Neque attendi merentur ea, quæ in ſuis epiſtolis, & proteſtationibus appellationum objecit Eminentiſſimus D. Cardinalis Bullonius,Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, & Præpoſitus; Quòd ſcilicet Electio nulla fuerit,utpotè ſubſequuta in Civitate Leodii, loco Armis pleno, minùſque tuto, ac impreſſionibus ſubjecto,contrà libertatem, quam Sacri Canones pro illa requirunt, ut in *cap.ubi periculum* 3.§.*Cæterum De Election.in 6. cum concordan.* Quòdque irritanda veniat ex ejus contemptu, & non vocatione, ſeù nullitate, atque injuſtitia declarationis ſuper foraneitate à Capitulo emanatæ, ad terminos *Text. in cap.Quod ſicut* 28.*cap.bonæ* 36.*& alibi eodem tit.* & demùm, quòd attentis Proteſtationibus appellationum,Electio ſit attentata,ex traditis per *DD.in Rubric. de appellation.*

3\. Etenim cùm Electio jam ſequuta fuerit, Eminentiſſimus Princeps tenetur concludentiſſimè iſtas exceptiones probare,quia de Jure pro ea præſumitur, & Electo ſatis eſt oſtendere Inſtrumentum, & decretum authenticum Electionis ſuæ, quemadmodum allegatis. *Lapo, Abb. Jo. Andr.* & aliis latè probat *Rota coram Coccin.deciſ.*2088. *à num.*26.*cum pluribus ſeqq.& in deciſ.*2341.*à num.* 38. quarum prima eſt repetita in *recen.deciſ.*289.*num.*26. *& ſeqq.par.*6. & eam refert, & ſequitur *Paſſerin.de election.cap.*32. *nu.*69.

4\. Tantum verò abeſt, ut hæc probari poſſint ab ipſo Eminentiſſimo Cardinali, quòd immò illicò funditus inſubſiſtentes in facto,& in jure deteguntur; & quidem quoad primam de loco non tuto, propter Milites Leodii exiſtentes, quaſi Capitulum non eſſet in libertate, contrarium probatur ex replicatis literis ipſius Capituli profitentis, & declarantis, ſe pro futura Electione in pleniſ-

ſima

ſima libertate conſtitutum,& præſertim in ultimis. ibi: *Unanimes,non oretenùs ſed re ipſa omnimoda libertate nos gaudere declaramus.* & iterùm ibi: *Rogamus ut perſuaſum omninò ſibi habeat, nos in futura Electione omnium ſuffragiorum noſtrorum libertatem, & nil, niſi gloriam Dei, & communem Eccleſiæ, & Patriæ utilitatem præoculis habituros.* & latiùs in *Summ.num.* 16. Eòque magis, quia licet inter milites adeſſent Acatholici, major tamen pars erat Leodienſium,& omnes Urbem cuſtodiebant ſub ſtipendiis,& obedientia Capituli,quod etiam receperat juramentum fidelitatis à Præfecto Generali, veluti ipſemet D. Cardinalis in ſua proteſtatione fatetur, quibus ſtantibus de aliqua impreſſione dubitari non poteſt: neque Civitas dici valet locus non tutus, maximè quia ad hunc effectum eſſet etiam probanda formalis violentia, quæ, tamquam redolens delictum,concludentiſſimam probationem requiret. *l.*2.ubi *DD.Cod.de his,quæ vi, metuſque cauſa,Barthol.in l.interpoſitæ,Cod.de tranſaction.Maſcard.de Probation.concluſ.*1055.*num.*1.& 12.

5. Quinimmò, ſi Leodii Civitas pro Capitulo tuta non videbatur, tametſi Capitulum ſupremo jure ibi omnia regeret, & pro cuſtodia libertatis Electionis aſſiſterent Leodienſes,nulla ferè alia Catholici Orbis pars tuta fuiſſet,multòque minùs in ipſa Diœceſi, & Principatu Leodienſi; unde neque Capitulum tenebatur alibi peregrinari, neque Electionem alibi, quàm in Eccleſia Cathedrali celebrare, prout jubent Canonicæ Conſtitutiones, de quibus Innocentius III. in *cap.cùm inter univerſas* 28. *De Election.* & ibi *DD. Gloſſ. in cap. cum Terra* 14.*verſic.in quo eod.tit.Petr. à Baiſ.in director.viſitat.par.*3.*cap.*12.*nu.*1. *& ſeq. inter tract.magn.tom.*15.*par.*1.*pag.*495. *Fermoſin. in cap.congregato* 53. *de elect. Tholoſan.eod.tit.cap.*15. *num.*2. *Lavor.eodem tract.tit.*4.*cap.*18. *num.*4. *Samuel. diſput.*2.*controverſ.*15. *num.*7. *Paſſerin.cap.*12. *num.* 3. *Antonell. de loco legal. lib.*1.*cap.*17. *num.*5.

6. Annuendum autem non erat inſtantiæ, & oblationi factæ a Domino Cardinali de transferendo Capitulo, ſeù mittendis Dignitatibus,& Senioribus Canonicis ad Oppidum Huyenſe;quandoquidem, quia illud occupatum reperiebatur ab Hoſtibus, nullo jure obſtricti erant Canonici illùc accedere pro electione, & quocumque alio actu, non attentis ſecuritatibus oblatis, & ceſſante de facto etiam timore ipſius impreſſionis,ex traditis per *Innocent. in cap.* 2. *ſub num.* 2. *de nov.oper.nunciat. ubi quòd quamvis Hoſtis daret facultatem Clericis eundi ad Eccleſiam ſic invaſam, & etiamſi ibi ſemper aliqui Clerici remanſiſſent, & non timeretur de impreſſione, non tamen ipſi tenerentur accedere, immò, & Clerici, qui ibi morantur ad Forinſecus ire debent:* & ſententiam *Innocent.* ſequitur *Abb.in cap.cùm omnes ſub num.*7. *verſic. aut ſine culpa,* ibique *Felin. ſub num.*22.*Petr.à Bais in director.viſitat.cap.*9.*par.*3. *num.*9. *inter tractat.magn.tom.*15.*par.*1.*pag.*494.

7. Quinimò debebat potiùs Eminentiſs.D.Cardinalis ſe conferre ad Eccleſiam, aut ſi tutò non poterat ob perſonale ſui impedimentum, tenebatur mittere Procuratorem, prout Capitulum eum humillimè requiſiverat; cùm enim ratione loci, nulla impreſſio realis circa Electionem conſiderari potuiſſet, ſed omnis eſſet merè perſonalis, reſpectu Domini Cardinalis, qui uti Gallus tutò illuc accedere autumatus non eſt, ſequitur, ut de jure obligatus eſſet mittere Procuratorem. ſic egregiè poſt *Gloſſ. Panormitan.* & alios *in cap.Bonæ De Election.* probat Doctor Gallus *Stephan. Malcret.* inſignis, & profeſſor qu. Pictavienſis,

Digitized by Google

vienſis, & Archidiaconus Burdegalenſis, in ſuo *Tractat.de Elect.liber.fact. pag.* 13. *à tergo quæſit.*3. ubi ponens quæſtionem in terminis, ſic inquit: *Quæro tertiò: Si aliquis abſens ex his, ad quos ſpectat Electio, timet impreſſionem in loco Electionis, an teneatur conſtituere Procuratorem ad Electionis actum; An verò poſſit petere, quòd mutetur locus Electionis? diſtingue hoc modo: Aut metus eſt realis, puta quòd timetur impreſſio circa rem, quæ incumbit facienda, videlicet circà Electionis actum; & tùnc non tenetur Abſens venire, vel Procuratorem mittere: & ratio eſt, quia in perſona utriuſque timetur impreſſio; Undè tùnc licitè petitur, ut aſſignetur locus ſecurus, & idoneus, aliàs poteſt recurri ad Superiorem, & appellari, ut in cap.bonæ 1.De Election.quod quidem cap.intelligitur in metu reali, ut ibi per DD. Aut metus eſt perſonalis, quia ſolum timetur impreſſio circa perſonam Abſentis propter inimicitias, aut odium adverſus ipſum Abſentem dumtaxat contractum: & tunc debet conſtituere Procuratorem per cap.Quia propter De Election. ubi dicitur, quòd impeditus debet conſtituere Procuratorem ad Electionis actum: non autem cavetur ibi, quòd poſſit petere, quòd mutetur locus Electionis: & ità ſentit Gloſſ.in dicto capit. Bonæ, verb.metuebant in ſecunda ſolution. De Election. & iſtud firmat ibi Panorm. Quid autem ſi major pars eſt abſens propter metum perſonalem, numquid minor pars teneatur exire, & accedere ad majorem partem? Panorm. ubi ſupra concludit, quòd non, quia Electio regulariter eſt fienda in Eccleſia, ut in cap. Cum terra, & in cap. Quod ſicut, cum ſimilibus De Election. Undè ex quo metus, vel impedimentum concernit ſolùm perſonas Abſentium, debent mittere Procuratorem, ſi volunt eligere. Nam cap. quia propter loquitur indiſtinctè, & præſentes regulariter conſtituunt capitulum.10.quæſt.11.cap.Hoc Jus.*

8. Id ipſum benè confirmat inſignis Doctor *Petr. à Bais Navarenſis in ſuo Director. Election. dicto cap.*12. *par.*3. *num.*2. *verſ. Et adverte*, eiſdem ferè verbis firmans, quòd ſi timeatur fieri impreſſio circa actum Electionis, ſic quòd ille timor ſit realis, non tenentur venire Abſentes, neque Procuratores mittere, & valent petere loci mutationem; ſecùs autem ubi metus non eſſet realis, ſed perſonalis propter inimicitias, quas habent Abſentes particulariter, ob quas timent venire, quo caſu tenentur conſtituere Procuratores: & facit etiam *Mondagot. De Election. novor. Prælat. cap.*13.*litt.C. ſivè ad verbum Non tenetur, inter tract.magn.tom.*15.*par.*1.*fol.*410.

9. Parum relevante, quòd D. Cardinalis petierit à Capitulo ſecuritatem, quia nullo jure cavetur, & nulla praxis obſervat, Capitulum ad hùjuſmodi ſecuritates Canonicis abſentibus concedendas, eſſe adſtrictum, minuſque eaſdem impetrare à Principibus Confœderatis, ut videmus præſertim in Cardinalibus, qui nullam exigunt ſecuritatem à S. Sede, pro ſe, vel pro Fœderatis; Incumbit enim Abſentibus, ſi volunt accedere, ſecuritates perſonales procurare, vel, quatenùs illas habere non poſſint, conſtituere Procuratorem, cùm ità conſulatur eorum perſonali impedimento, ad notat. per *Caſtellin.de Election. Canonic. cap.*8.*ſub num.*6.ubi ponderat quòd *omne periculum perſonale evitatur per conſtitutionem Procuratoris*. Et de facto hanc ſecuritatem concedere non poterat Capitulum, quod licèt Fœderatorum copias pro ſua cuſtodia teneret: Attamen eiſdem nullam umbram in admittendis ſubditis Hoſtium dare valebat ad evitandas ſuſpiciones, & prætextus, quibus Milites, ut plurimum non carent; Adeoquè benè reſpondit Capitulum, ad ſe nullatenùs pertinere ſecuritatem tranſ-

mit-

mittere,ſed ad Imperatorem ſupremum Principem,cui ſolummodò Jus eſt meatum, & remeatum concedendi, ad *Text. in l. relegati* 4. *ff. de pœnis*, & latè,ac egregiè *Petr.Bell. de re militari tit.unic.de Salv.conduct. par.*1. *num.*17. *inter tract.magn.tom.* 16. *pag.*362. ubi ulterius advertit, quòd hujuſmodi ſecuritates non ſolent concedi Principibus,Viriſque potentibus, ex quorum præſentia, & mora ſola, poſſunt emergere præjudicialia accidentia.

10. Additur,pro excludenda impreſſione,effectus ipſe ſubſequutus,eo quia nulla violentia in hac Electione proceſſit, & Capitulum in ſui plena libertate conſtitutum, devenit ad electionem, quodque magis eſt, elegit Sereniſſimum Principem Joſephum-Clementem, nullo ſtipatum milite, ſed ſolius virtutis præſidio munitum, & tamen pro confirmatione Electionis ſatis eſt, quòd impreſſio ſequuta actualiter non fuerit, & Electio liberè proceſſerit. plenè *Innoc. III.in epiſtol.*89. *Gneſnen.*Archiepiſcopo directa,*lib.*2.*regiſtr.*14. *in edition.Boſquet.*in qua Pontifex confirmavit Electionem Pauli ad Poſnanienſem Epiſcopatum electi, non attenta exceptione aliquorum Canonicorum, qui ſpecialitèr oppoſuerant de impreſſione, & loco non tuto; Eo quia Electio in loco conſueto, & Eccleſia Cathedrali celebrata fuiſſet, licèt in ea præſens extitiſſet Dux, ſeu Princeps,de cujus violentia dubitatum fuerat, & proteſtatum.

11. Faciliùs excluditur altera oppoſitio de prætenſo contemptu, & non vocatione Domini Cardinalis; Siquidem in Electionibus vocatio Abſentium non eſt de forma, neque de ſubſtantia, ſed de ſola juſtitia; nam ſi de forma, ſeù de ſubſtantia eſſet, ex eorum acquieſcentia ratæ non manerent. *Abb. in cap. quia propter num.*6.*&* 12. ibique poſt antiquiores *Fagnan.num.*38. idem *Abb. in cap.in Geneſi* 55.*num.*11.*de election.cap.bonæ* 36.*num.*6.*&* 8. *de poſtul. Menoch.conſ.*67.*num.*3. *Petr.à Bais.in direct.Elect.par.*3. *cap.*7.*Caſtellin. de elect. cap.*8.*num.*1. *Lavor.eod.tract.cap.*17.*num.*17.*Paſſerin.cap.*11.*à nu.*110. *& præſertim num.* 118. firmans hoc maximè procedere in paucis abſentibus. *Barboſ. de jur.Eccleſ.lib.*1.*cap.*119. *num.*113.*Tambur. de jur.Abb.diſp.*5. *qu.*3.*num.*2. *Pierin.de ſubdit.qu.*1.*cap.*31.*§.*6. *Ricc.in prax. par.*4.*reſolut.* 45. *num.*2. *Rota coram Coccino deciſ.*2021.*num.*37.

12. Proindè ſatis eſt coram Confirmatore, quòd opponens de contemptu, non probet ſe fuiſſe habilem ad votandum, & eligendum, aut de inhabilitate coram eodem poſſe convinci, ne electio ex hoc capite irritari valeat. *Barboſ. in cap.*2.*num.*3. *De poſtulat.Prælat.Fermoſin.in cap.illa quotidiana* 31.*num.*10. *&* 11.*De election.Lavor. de elect.tit.*4. *cap.*17. *num.*7. Ratione quidem evidenti, nam ad Electiones ſunt vocandi ſolùm illi, qui vocem habere noſcuntur, non verò inhabiles, & qui vocem non habent, ut ex *Text. in cap.*3. *De poſtul.Prælat.* & ſimilibus, docet *Abb.in cap.cum omnes ſub num.*7.*in med.verſ. diſtingue tamen.Boich.in cap.illa quotidiana num.*2. *de elect.Barboſ.in cap.*2.*De poſtulat. Prælat.Fermoſin.in cap.*31.*num.*11.*De election.Petr.à Bais. in ſæpè citat. Director. Electionum par.*3.*cap.*9.*num.*8.*Cuch.inſtitut.moral.lib.*4.*tit.de elect.n.*122. *Silveſter verſ.Electio* 1.*quæſt.*5.*verſ.*6.*Tabien.eodem verb.*1.*num.*4. *verſ.quid ſi non vocentur. Sygiſmund.à Bonon.de election.dub.*11.*cap.*2.*num.*1.*&* 2.*Ricc.in prax.tom.*4. *reſolut.*46.*Lavor.de election.tit.*5.*cap.*17.*num.*5. *Baron. de citat. in addit.ad quæſt.*19. *num.* 142. Et conſequenter, qui vocem non habet, nequit dici contemptus; Quia non eſt contemptus, ubi non eſt injuria, aut injuſtitia ex neceſſitate admittendi, & vocandi.*Barboſ.in cap.*2.*num.*4. *De poſtul.Prælat.*

Digitized by Google

Lavor.de elect.tit.4.cap.17.num.7.Paſſerin.eodem tractat.cap.14.qu.7. num.14. ſubjungens, Capitulum utens jure ſuo, & excludens modo debito, & legali quem non tenetur admittere, nullam ei facere injuriam, neque in illum eſſe injuſtum, itaut non habeat undè agat de contemptu.

13. Facultas votandi nedum improbabilis, ſed facto ipſo excluſa convincitur in Eminentiſſimo Cardinali, vigore antiqui, & undique validi Statuti Leodienſis Eccleſiæ, ſolemniter ab ipſo poſt Cardinalatum jurati, & religiosè obſervati, & cujus obſervantiam, ſeu obligationem enixè profitetur in ſuis primis Epiſtolis. In eo quippè ſtatuto diſponitur, ut Canonicus, qui in feſto S. Ægidii non reſederit, ſeu Reſidentiam non obtulerit perſonaliter, aut per Procuratorem, ſeu per Epiſtolam, aut alium actum ſolemnem, eo anno pro foraneo habeatur, qui fructus non conſequitur: & tametſi de Electione Epiſcopi tractetur, ſuffragium dare non poteſt, ut latiùs in facto, & *Summ.nu.1 lit.O.* Foraneus autem, & hoc anno inhabilis ad ſuffragium, abſque ulla hæſitatione, probatur D. Cardinalis, ex quo in præterito S. Ægidii feſto, immò à principio præſentium Bellorum, & motuum, ut ipſe in ſuo memoriali impreſſo fatetur, & conſtat ex Regeſtis Capitularibus, jam deſtitit ſe præſentare, prout ſolitus olim fuerat per ſe, vel per Procuratorem, ad tenorem Statuti, & Juramenti religiosè jamdiù obſervatorum. Nec dubium eſt hujuſmodi Statuta, & Conſuetudines poſſe determinari eos, qui in Electionibus vocales, & vocandi ſint, & de quibus ſolummodo ratio habeatur ſecundùm doctrinam *Gloſſ. in cap.cùm inter 28.verb.remoti, & ibid. Abb.num.4. Butrius num. 16. Joann. de Imol.num.6. Bellamer.num.11. de elect.Pirbing. in novo method. Jur. Pontific. lib.1.tit.6.ſeu 3.n.129. Altaſerr.in decretal.Innoc.III.tit.6.de elect.cap.18.lib.1. Petr.de Bais.in Director.elect.3.par.cap.12. num.1.inter tract.magn.tom.15.par.1.fol.393. Mandagot.eodem tract.cap.5.lib.6. eodem tom.& par.fol.410. Franc. Florens in lib.1. Decretal.tit.6.de forma election.fol. 136. Rota coram Celſ. deciſ.75.num.11.* Atque etiam in totum excludere vocationem Abſentium, ſine qua Electio teneat. *Abb.in cap.coram 35.De elect.Sylveſter verb.electio 1.nu.6. dict.2.Baiſius par.3.cap.9.num.1.Barb.de Jur.Eccleſ.lib.1.cap.19. num.89. Paſſerin.de elect.cap.11.num.13.*

14. De validitate Statutorum nephas eſt dubitare, utpotè quæ ab antiquo emanarunt, partim à Legatis Apoſtolicis, & partim à Capitulo de conſenſu Epiſcopi, & ab ipſa Sancta Sede approbata, prout *in Summ.nu.1 litt. A.B.C.D.* ab ipſo D. Cardinali expreſſa, & relata in ſua diſpenſatione, & circà hanc ſolemnem præſentationem, ſeu reſidentiam in feſto S. Ægidii, ſupplico ponderari, eam à vetuſtiſſimis ordinationibus proceſſiſſe, dum in reformationibus Cleri Leodienſis, tempore Eugenii IV. anno 1446. à Capitulo, & Epiſcopo ſancitis, & à Nicolao V. anno 1451. confirmatis, plura præſcribuntur circa licentias, & regeſta Abſentium, quæ reformationes habentur *Tom.8. Concil. General. fol. 1040. col. 2. juſta edit. Bini.* Undè non tàm Venerabilis antiquitatis Religione, ſed & ipſa authoritate Ordinarii, Legatorum Apoſtolicorum, & ipſius Sanctæ Sedis roborata, perperam de invaliditate redarguuntur, quando ſolius Capituli poteſtas ad ea ſtabilienda ſuperabundaret in hac materia, ad Capitulum, & Canonicos pertinente. *Text. in cap.2. §. cæterum,* & ibi *Gloſſ. verb.ſtatutum De verbor. ſignificat. in 6. Dec. in cap.cùm acceſſiſſent num.9. de Conſtitut.Abb.in cap.1.num.14.de his, quæ fiunt à major. part.Capit. Fermoſin.*

ad

Digitized by Google

*ad Rubric.de conſtitut.qu.*11.*num.*13.*Oldrad.conſil.*259.*num.*4.*in fine. Federic. de ſen.conſ.*100.*num.*2.*Rot.in recent.decif.*398.*num.*1.*part.*2. *coram Seraphin. decif.*560.*num.*4. *Buratt.decif.*758. *num.*1. & ibi *Adden. num.* 10. firmat pro conſenſu Epiſcopi, ſi requireretur, ſufficere ſolam tolerantiam, juxtà *conſ.* 2. *Calderin.de conſtitut.* & doctrinam *Felin.in cap. cùm omnes num.*70. *circa fin. de conſtitut.Rota coram Seraph. dec.* 560. ubi quòd non requiritur alia confirmatio Apoſtolica. Et in ſpecie, imò in fortioribus, quòd ſolum Capitulum ſtatuere valeat inhabilitatem ad votandum in Electionibus certo tempore, & certa durante cauſa, optimè firmat *Rota in recent. decif.*20. *per tot.part.*3. ubi agitur de Statuto Capituli, adimente facultatem votandi Canonico, durante ſervitio Epiſcopi, ſeù Cardinalis, & facit *Rota in Neritonen. Statuti* 18. *Februarii* 1662.*coram clar.mem.Card.Taya.*

15. Ultrà diſpoſitionem Statuti, Dominus Cardinalis contraxit obligationem pro ipſius obſervantia, ex juramento per eum præſtito inviolabiliter adimpleto, in omnibus Reſidentiis, uſque ad initia præſentium Bellorum, & motuum, prout etiam ipſe fatetur in ſuo memoriali, quod juramentum de ſe ſolùm obligat ad reſidentiam, & foraneitatem, tametſi aliàs ſtatutum minus validum eſſet, teſtatur *Seraphin.de Privileg.Juramenti cap.*69.*num.*6.*&* *Privileg.*162.*num.*2.*Brun.de Statu.Fœminarum excluſ.art.princip.*9.*quæſt.*10.*ad finem*, & in terminis *Rota coram Buratt.decif.*758.*num.*1.*&* 2. Eſt namque juramentum obligatio formalis, & per ſe Religionis, reſpiciens Deum ipſum primò, & principaliter *del Bene De Juram.cap.*2.*dub.*1.*num.*9. & propterea maximum eſt illius vinculum, ab Ethnicis ipſis ſumma Religione ſervatum, juxta illud *Heſiod.*

Mens excitari Jure Jurando ſolet.
Ut bina diligentèr evitet mala,
Culpari Amicis, & Deos offendere.

16. Et in Sacris Paginis tàm antiqui, quàm novi Teſtamenti ſtrictè obſervari præſcriptum ab omnibus, itaut Deus ipſe vinculo Juramenti ſe ligatum profiteatur, quemadmodum habetur ex *Pſalm.* 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.* ex *Hieremia* 44.*F.Juravi in nomine meo Magno, ait Dominus.Daniel* 12.*C.Juravit Dominus Exercituum per Animam ſuam*, ultra alia, quæ ex novo etiam Teſtamento congerit *Montolon. in promptuar. Jur.Divin. & Human.verb.Juramentum, & verb.Jurare*, & ſignanter quòd in Cardinalibus, quorum ſicuti major eſt dignitas, ità major ſit Religio, & major obligatio ex Juramento, notant *Butr.in cap. ſicut nobis num.*2. *De jur.juran.Del Bene De Juramen.cap.*2.*dub.*22.*num.*9. quam in ſe ipſo recognovit Dom. Cardinalis per ſuas Epiſtolas, & præſertim primam, in qua ex ſuo Juramento ſe ſtrictè alligatum exprimit.

17. Adversùs hanc Reſidentiam ſuffragari non valet Eminentiſs.Principi Indultum ei conceſſum à ſan. mem. Clemen. X. Siquidem in facto advertendum eſt, ipſum jam olim in Eccleſia Leodienſi obtinuiſſe Canonicatum, cujus vigore competit facultas votandi, & Reſidentia illa levis, ſeu momentanea, quem Canonicatum adhuc retinet, & ejus occaſione poſt Cardinalatum juravit obſervare Statuta; Obtinuit poſtmodum Præpoſituram, cujus vigore nulla competit votandi facultas, ſed injungitur Reſidentia perſonalis, & continua, utroque hodiè detento Beneficio. Indultum autem petitum, & conceſ-

ſum fuit à Reſidentia Præpoſituræ, quæ, ut dictum eſt, perſonalis, & ſtrictiſſima eſt, & de hac dumtaxat unicè loquitur, & diſponit, quemadmodum clarè, & explicitè præfert in illis verbis: *Pro parte tua Nobis nupèr expoſitum fuit, quòd Præpoſitus dictæ Eccleſiæ Leodienſis pro tempore exiſtens, antequam poſſeſſionem Præpoſituræ hujuſmodi adipiſcatur, juxtà Statuta ipſius Eccleſiæ, inter alia, Juramentum præſtare debeat: quòd in Eccleſia Leodienſi perſonalitèr, & continuè de anno in annum reſidebit, juxtà Statuta, & Ordinationes olim factas per Apoſtolicæ Sedis Legatos, quàm Epiſcopos, & Capitulum Leodienſe, & Reſidentiam perſonalem in Clauſtris dictæ Cathedralis Eccleſiæ Leodien. aget, &c. Quòd nulli Principi, quocumque Dignitatis, & Præbeminentiæ gradu præfulgeat, neque alicui Eccleſiæ, & Patriæ extrà Provinciam Juramento, vel ſtipendio, aut penſione adſtrictus ſit. Prætereà, quòd ultrà quatuor menſes, quibus liberè, necnon duos, quibus cum perditione ex Statuto Eccleſiæ abeſſe licet, &c. Tibi, ut Juramentum de ſervandis, ut ſupra expreſſis articulis, & in eis contentis præſtare, & ſupra expreſſa ſervare minimè tenearis: & nihilominùs Præpoſituræ præfatæ, illiuſque annexorum, & pertinentium, &c. (ſervatis aliàs ſervandis) adipiſci, & ad illam admitti, illamque retinere, &c. liberè, & tutè poſſis, & valeas, &c. authoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, &c.* & latiùs *in Summ. num. 5.*

18. Diſpenſatio iſta unicè reſtricta ad Reſidentiam, qua Eminentiſſimus Dominus Cardinalis, tanquàm Præpoſitus, obligabatur, eum non liberavit ab illa præſentia, & momentanea Reſidentia in feſto, & Capitulo S. Ægidii, ad quam, uti Canonicus, diverſo Jure, & titulo tenebatur, vel perſonaliter, vel per Procuratorem, aut per Epiſtolam: & ſic una Reſidentia, ſicuti eſt diverſa ab altera, ità diſpenſatio obtenta ab illa non liberavit ab altera, cùm diſpenſatio ſit ſtricti Juris, neque trahatur de caſu ad caſum, & de obſtaculo ad obſtaculum, etiam ex majoritate rationis. *cap. Paſtoralis, ibique Gloſſa De Privileg. Abb. in cap. ad aures num. 7. de reſcript. Felin. in cap. poſtulaſti num. 2. eodem titulo, Covar. de Sponſal. par. 2. cap. 8. §. 8. nu. 11. Gonzal. ad regul. 8. Gloſſ. 13. nu. 83. & ſeqq. Barboſ. vot. deciſ. 58. num. 9. lib. 2. Rot. in recent. deciſ. 497. num. 2. part. 1. deciſ. 94. num. 4. & 5. par. 6. & coram Verall. deciſ. 8. ſub num. 4. par. 2. Penia dec. 488. num. 2. & 3. in impreſs. Venet. Celſ. deciſ. 216. num. 9.* Hinc paſſim per Ora volitat Axioma, tot requiri diſpenſationes, quot obſtacula; nam ſublato uno remanet aliud. *Franc. in cap. non poteſt De Præben. in 6. num. 2. Gemin. conſ. 33. num. 8. Rot. coram Caſſador. 9. num. 4. de Præben. inter diverſ. deciſ. 273. nu. 22. par. 1. in recent. deciſ. 76. ſub num. 7. & deciſ. 87. ſub num. 3. par. 2. & facit deciſ. 14. num. 11. par. 16.* ubi quòd hoc caſu non eſt interpretari, vel extendere, ſed gratiam extra terminos conceſſionis protrahere, & non conceſſum concedere, quod fieri non poteſt ſine nova gratia ſpeciali.

19. Confirmantur prædicta, eo quòd ab illa momentanea Reſidentia in ſolo Feſto Sancti Ægidii per Procuratorem, aut Epiſtolam, facilè explenda, nec Dominus Cardinalis petiit, neque vel convenienter petere forſan valebat diſpenſationem; è contra verò, quia nequiverat adimplere Reſidentiam Præpoſituræ oneroſam, & Perſonalem, rationabiliter petiit, & obtinuit diſpenſationem, quæ propterea ad hanc reſtringenda eſt, natura rei, intentione petentis, & concedentis, ſub expreſſione ſolius Præpoſituræ, & attentis clauſulis ipſius diſpenſationis ſuper expreſſis, & præmiſſis reſtrictæ. *Bart. in l. tali ſcri-*

ptura,

*ptura,§.finali num.3.ff.de legat.2.Dec.conſil.*182.*num.*3.*Pariſ.conſil.*2.*num.*37.*lib.*1. Quòd ſi ab illa Reſidentia momentanea Canonicali prætendatur diſpenſatio, utique ea conſtaret, nedùm ſpecificè petita, ſed etiam expreſſa: & quod maximè urget, *neceſſaria fuiſſet mentio de Juramento* pro tali Reſidentia præſtito, ſinè cujus expreſſione ſpeciali, & individua abſolutione, diſpenſatio ſuffragatura non fuiſſet, & emerſiſſet nulla, & ſubreptitia, etiam obtenta. *Franc. in cap.*1.*in fine De jur.juran.in* 6.*ibique Paſſerin. num.*36. loquens in terminis diſpenſationis à Statuto Jurato. *Rota coram Zarate deciſ.*9.*num.*12. *& in recent.deciſ.*247.*num.* 16.*par.*11.

20. Itaque Papa conceſſit solùm diſpenſationem à Reſidentia continua Præpoſituræ, & à juramento pro ea præſtando, non autem à momentanea præſentia Canonicali, pro quà jam D.Cardinalis juramentum præſtiterat, dum de nullo Juramento præſtito eſt facta mentio, ſeù abſolutio, quæ fuiſſet omninò neceſſaria: quod clarè demonſtravit ipſa obſervantia, qua, non obſtante hac diſpenſatione verè aliena, & pro aliena habita, D. Cardinalis ſemper ad tenorem Statuti, & Juramenti, Reſidentiam Canonicalem adimplevit perſonaliter, vel per Procuratorem: taliſque obſervantia benè oſtendit, facto ipſius proprio, pro dicta Reſidentia Canonicali non fuiſſe diſpenſatum, tanquam optima Indultorum, & Diſpenſationum Interpres, veluti tradunt *Doctores* communitèr *in l.minimè, ff. de legibus, & in cap.cùm dilectus De conſuetud. Rota coram Mantic.deciſ.*120.*num.*5. *Royas deciſ.*281. *eodem num.in recent.deciſ.*65. *n.*12. *& ſeqq. par.*15.*deciſ.*253.*num.*9.*par.*16.*& deciſ.*385.*num.*36.*&* 38.*par.*19.

21. Minoris ponderis eſt exemptio ipſo Jure prætenſa ob Dignitatem Cardinalitiam, eo quod Cardinales, tanquam non expreſſi, in prædicto Statuto de Reſidentia Canonicali non comprehendantur, aut ſaltèm ab omni Reſidentia iſtorum Beneficiorum ſint exempti; Quandoquidem hanc prætenſionem proſternit qualitas iſtius Reſideutiæ, adeò facilis, Juramentum D. Cardinalis, confeſſio ejuſdem ex diſpenſatione pro illa Præpoſituræ reſultans, ipſa obſervantia uſque ad initia præſentium Bellorum, & demùm uſus inveteratus, laudabiliſque conſuetudo, qua conſtat tot Cardinales Canonicos, han Reſidentiam compleviſſe, etiam exiſtentes in Curia, clauſoſque in Conclavibus, pro Electione Pontificis, & ſpecificè Cardinales de Haſſia, Baden, de Furſtembergh, qui etiam poſt initia Bellorum ſe præſentavit, & paucis ab hinc Reſidentiis defecit; Quomodò enim, vel ſola mente, concipi poteſt, Cardinales à Statuto non comprehenſos, vel à Reſidentia exemptos, dum omnia ſupradicta urgent in contrarium? Cæterùm comprehenſio in his Statutis redditur incontrovertibilis: & quidquid ſit, an in odioſis, ſub generale Statutorum diſpoſitione comprehendantur Cardinales, juxtà diſputationem, quæ moveri ſolet à *Doctoribus ſuper cap.*1. *De ſchiſmat.in* 6. in qua *Joan. Monach.* cum ſequacibus tenet pro negativa, & contrarium ipſemet *Monach.* ſe retractans, docuit *in Extravagan. excommunicamus, in verb. Clericos*, prout eum notando, & pro comprehenſione ſequendo, tenet *Felin. in cap. ad aures De reſcript. ſub num.*11.*§.tertiò conſidera, verſic.ſed ipſemet Joan.Monac. Gemin. in d.cap.unic. de ſchiſmaticis num.*3. *Pavin.in extravagan.ad onus, poſita poſt tractat.de offic.& poteſt.cap.ſede vacante. Caſſador.deciſ.*38.*num.*5.*ſuper Regul.Cancellar. Puteus deciſ.*189.*ſub num.*6. *lib.* 1. Hoc tàmen certi Juris eſt, quòd ubi non agitur de materia privilegiorum revocatoria, & odioſa, odio irrationabili, ſed de æqua, &

ra-

rationabili, ſemper in generali Statuto, & conſtitutione Cardinales comprehenduntur. *Gomeſ.in proœm.Regular.Cancellar.quæſt.9. Cardinal. de Albiz. in ſua diſceptat.de tit.Cardinalium poſt Cardin.de Luc.de Juriſdiction.diſputat.8. num.6.Rot.coram Put.alleg. deciſ.*189.*num.9. lib.*1.*coram Otthobon. deciſ.*257. *per tot.*

22. Quò verò ad exemptionem à Reſidentiis Beneficiorum, Cardinalibus de jure competentem, unanimis *DD.* ſenſus, qui illam probat *in rubric. & cap. cùm dilectus De Cleric. non reſid.* totus fundatur in ea ratione, & ſtatu, quòd Cardinales uti aſſiſtentes Papæ in Conciſtoriis, Congregationibus, & Conſultationibus, ſeu Legationum muneribus occupati, reſideant in Eccleſia Univerſali, & per conſequens hæc reſidentia influat ad illam Eccleſiarum particularium; Sed hæc ipſa ratio excludit prætenſionem D.Cardinalis, ex quo ipſe à multo tempore Curiam dereliquit, & moram trahit in Gallia, obſequiis Chriſtianiſſimi Regis adſtrictus; quare dum actu in Curia Papæ non aſſiſtit, gaudere nequit privilegio exemptionis à Reſidentia particularis ſuæ Eccleſiæ, utpotè ceſſante reſidentia in Eccleſia Univerſali; nam aliàs eſſent Cardinales ab omni reſidentia ſoluti: & ideò hujuſmodi exemptionem reſtringi ad Cardinales actu in Curia Pontifici aſſiſtentes, vel Legatos Sanctæ Sedi ſervientes, comprobat *Germon.de Indult. Cardinal. §. tibi quoad vixeris num.*10.*Dian.par.*5. *tract.*2.*reſolut.*8.*Hurtad.de reſident.Summ.Pontific.reſolut.*8. *num.* 16. & pleniùs *De reſident.Canonicorum reſolut.*4.*num.*39. ubi occaſione exemptionis familiarium Cardinalium ad propoſitum ait: *Si tamen Cardinales, neque ſint Legati Papæ, neque actualiter ſint in Curia Romana, in Conciſtoriis, Congregationibus, & Conſultationibus, ſed ſint, vel in ſuis Diœceſibus, vel apud ſuos in propriis laribus, exiſtimo veram primam ſententiam; quia etiamſi Cardinales ſint de corpore Summi Pontificis, tamen dum non ſunt actu ſervientes, non gaudent privilegiis inſervientium, quorum unum eſt, quòd lucrentur fructus in abſentia, quia ſint neceſſarii, & Cardinales ſe exerceant in utilitatem Eccleſiæ; quare ſi in hac non ſe exerceant, non habent influxum ad Eccleſiam Univerſalem.*

23. Quamvis enim reſidentia in Canonicatibus minùs rigoroſa ſit Epiſcopali, adhuc illa, etiam ex naturali æquitate, & Juris naturalis efficacia, re ipſa contrahitur pro aſſiſtentia in Choro, & celebratione Divinorum, & aliis Eccleſiaſticis Muneribus, ad quæ Canonici adſtringuntur, eodem ferè gradu, quò Parochi ad miniſtranda Sacramenta tenentur, juxta illud & *Numerorum*, & *Deuteron.* 18. *Filiis Levi, dedi omnes Decimas Iſrael in poſſeſſionem, pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis*: ex quo æqualem eſſe reſidentiæ obligationem in Parochis, & in Canonicis, tuetur *Hurtad.de Reſid.Canonic.reſol.*2.*num.*9.& 10.& *reſol.*1. Oſtendit hanc Reſidentiam Canonicalem eſſe ſtrictiorem, utpotè ad intereſſentiam certis locis, & horis quolibet die, vel alio tempore præſcriptam, quod ità rigoroſè non accidit in Parocho, certis horis non addicto, allegans *Comitol.Reſponſ.lib.*1.*qu.* 61.& generaliter de obligatione reſidendi in omnibus reſidentialibus beneficiis. *F.Barthol. à Caran. in ſuo tract.de Reſiden.Miniſtr.Eccleſ.cap.*3. 4. & 5. ubi id ſolidè comprobat teſtimonio veteris, & novi Teſtamenti, SS. PP. traditionibus, aliiſque Conſtitutionibus Juris Canonici.

24. Hanc veritatem benè comprobat *Text.in cap.Ex geſtis* 2.*de Cleric.non reſid.*

Digitized by Google

reſid. ubi ex Synodo Romana ſub Leone III. ſeù IV. refertur, quòd *Anaſtaſius Cardinalis tituli B.Marcelli ab omnibus canonicè fuit depoſitus, eo quod Parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtituta deſeruit, in alienis demoratus*: ex quo neceſſariè arguitur obligari Cardinales Canonicos ad Reſidentias Canonicales, & non reſidentes pœnis ſubjici: & hæſitandum haud eſt, Anaſtaſium præfatum fuiſſe Cardinalem S. R. E. eo quia ſimpliciter ſub hoc titulo antiquiſſimo S.Marcelli nominatus fuit, & in Synodo ſolemniter depoſitus, ut probat *Baron.tom.*10.*anno* 853. *& Anaſtaſius Bibliothecarius eodem anno in Leone IV.& Petrus Cappellanus Caroli VI. Regis Francorum in Gloſſis ad eumdem Anaſtaſium*, quæ habentur manuſcriptæ in Bibliotheca Barberina, *Cod.*2017. *in Gloſſ.ad vitam Leonis IV.* ubi hac occaſione refert originem Cardinalium S.R.E.

25. Exemptio igitur à Reſidentia in Curis, & Beneficiis inferioribus eam requirentibus, indulgetur Cardinalibus præſentibus in Curia, qui Summo Pontifici neceſſariò aſſiſtunt, qui ideò majoribus privilegiis, quàm Abſentes honorantur. *Oldrad.conſ.*48.*num.*3.*Germon.de Indult.Cardinalium,§.Tibi quoad vixeris num.*2.*& ſeqq.* & paſſim digniores appellantur, teſte *Dec.in cap.Cleric.n.*47.*de Judic.Merlin.Brun.de Ordin.Grad.par.*2.*num.*54.*Bon.à Curtil. de Nobilit.par.*3.*num.*44.*Jo:Stophil.de grat.& expect.cap.penult.num.*11.*Germon.de Indult.Cardinal.loc.cit.num.*8.*Gambar.de poteſt.Legati lib.*2.*cap.*1.*num.*102.*Caſſanæus in Cathalog.gloriæ Mundi par.*4. *conſiderat.*16. Ut propterea aſſiſtentia in Urbe, & Curia deficiente, tamquam ceſſante cauſa privilegii, privilegium, & amor ceſſet. ità ex *l.*1.*Cod.de Præpoſit.labor.lib.*12. ratiocinatur *Germon.ſæpè citat.de Indult.Card.ubi ſup.num.*6.*&* 9.*Gomez in regul.de impetr.vacat.per obit.Card.quæſt.*14.*num.*7.*Gonzal.ſuper regul.*8.*gloſſ.*26.*nu.*132. & omnes DD. qui de his privilegiis loquuntur, ſemper procedunt in eiſdem terminis, ſupponendo Cardinales apud Papam reſidere, & in ea reſidentia, quam eis neceſſariam dicunt apud Papam, & Sanctam Sedem: quæ tamen ſolùm verificatur in iis, qui à Papa adhibentur, vel in Curia ipſo annuente moram trahunt, ut ex *cap.bonæ il primo De poſtulat.Prælat.* probat *Lauden.de Cardin.quæſt.*5.*Germon. loco ſupra citato, Garz.de Nobilitat.gloſſ.*48.*§.*3.*à num.*3.*Pariſ.de reſignat.lib.*2. *quæſt.*1.*num.*34.*Barboſ.de poteſt.Epiſcop.allegat.*53.*nu.*2.*Hurtad.de reſiden.lib.*2.*de reſiden.Cardinal.reſolut.*5.*per tot.* In hiſque terminis cadunt antiquorum diſputationes ſuper incompatibilitate Epiſcopatus cum Cardinalatu, ſub eo reſpectu agitatæ, quòd Cardinalatus requireret neceſſariam reſidentiam apud Pontificem, de quibus latè *Cardinalis Thomas de Vio De reſidentia Epiſcoporum, Frat. Bartbol.Caranz.de reſiden.Miniſtrorum Eccleſiæ,& Epiſcoporum, Sot.eod.tract.& Franc.Toren.adversùs Ambroſ. Catharin.de reſiden. Paſtor.Jur. Divin.* quorum plurimi confirmant, Epiſcopos Cardinales non eſſe exemptos à reſidentia Epiſcopali: & de facto Pontifices, juxta Decreta Conciſtorialia, atque Conſtitutiones Apoſtolicas, Cardinales Epiſcopos ab eorum reſidentia non diſtrahere, niſi in arduis, teſtatur *Dian.par.*5.*tract.*2.*reſol.*8.*Hurtad.de reſid.d. lib.*2. *reſol.*8. *per tot.Roſ.de reſid.Epiſcop.cap.*3.*ſect.*3. *num.*22. Eoſque comprehendi in decretis Conciſtorialibus, reſidentiam indicentibus, quamvis non expreſsè nominatos, declaravit Gregorius XIII. non alia certè ratione, niſi quia, cùm iſta obligatio ex natura rei proveniat, nemo abſque ſpeciali diſpenſatione exemptus dici poſſit: & ideò omnes etiam Cardinales ſub tali obligatione, & præcepto comprehen-

hendantur *idem De reſiden.dicta ſect.3.num.23.* & antiquioribus exemplis relatis confirmat *d.Franc.Torr.de reſiden.Epiſcop.inter diverſ. collectiones de Sũm. Pontific.auct.factas à Fratr.Remig.Florentin.& impreſſ.Venet. anno* 1562. *pag.* 114. & facit diſpoſitio *Sac.Concil.Trident.in cap.*1.*&* 2.*de reſiden.*comprehendens Cardinales, tùm in cap.primo, ubi exprimit pro Eccleſiis majoribus omnem Perſonam, quacumque Dignitate, Gradu, & Præheminentia præfulgentem: quàm in ſecundo, ubi hæc mentio facta non fuit, cùm ſit generalis,& circa materiam non odioſam, ſed ſavorabilem, in qua venire Cardinales, ſupra probatum eſt.

26. Ex aliis inſuper fundamentis vocandus non erat ad hanc Electionem Eminentiſſimus Princeps; ſiquidem ſtatutum eſt ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi, eos Canonicos abſentes ad Epiſcoporum Electiones vocandos,*qui debent, & poſſunt commodè intervenire*, ut habetur in *cap. Quia propter* 42. *de Election.*& addidit,ſcribens idem Pontifex Cardinali S.Stephani in Cælio Monte, ut habetur paritèr in *cap.Quod ſicut* 28.*§.Verum, verſic.ſi autem eod.tit.* eſſe vocandos illos, *qui tamen ſine periculo potuerint convocari*: & explicant paſſim Doctores in utroque capitulo, & præſertim *Abb.in* 2.*num.*5. *& Imol. nu.*4. *Hoſtienſ.in ſumma tit.de Election.verb.qualitèr facienda electio num.*11. *Sylveſter verb.electio* 1.*num.*6.*Samuel eod.tract.tract.*1.*diſput.*2.*controverſ.*7.*nu.*1. *Paſſerin.de Elect.cap.*11.*num.*12.*& alii.*

27. Hæc autem verba:*commodè, & ſine periculo*, omnes Doctores conveniunt referenda eſſe ad commoditatem, & periculum Eccleſiæ vacantis, non Perſonarum,conſtituentes regulam; quòd ii Canonici abſentes non ſint vocandi, qui neque commodè,nec abſque periculo Eccleſiæ vocari debent,& poſſunt bene *Gloſſ. in d.cap.Quia propter, verb.commodè, ibique Abb.num.*5.*& cap. Coram num.*3.*De Elect.Butr.in d.cap.Quod ſicut num.*24.*& in cap.Vel inter nu.*16. *ibique Imola num.*6.*eodem tit.Madagot.de Election.nov.Prælat.par.*1.*cap.*5.*inter tractat.magn. tom.*15.*par.*1. *fol.* 410. *ibique Boer.* adducens plures Canoniſtas, *Barboſ.de Jur.Eccleſ.lib.*1.*cap.*19.*num.*89.*& De Canonic.cap.* 39. *num.*4. *in fin. Tamburrin.de Jur.Abbat.lib.*1.*diſput.*5.*quæſt.*3. *num.*15.*Samuel De Election. d. diſp.*2.*controverſ.*3.*num.*13.*Sygiſmund.à Bonon.eod.tract.dub.*9.*cap.*2. *nu.*7. *Lavor.de Elect.tit.*4.*cap.*17.*num.*12.*Caſtellin.cap.*8.*de vocan.ad Elect.n.*5. ubi quòd ſi imminet aliquod periculum Eccleſiæ, non eſt ſervanda etiam conſuetudo jurata vocandi Abſentes, *& num.*6.*Paſſerin.eod.tract.cap.*11.*num.*33. *Pyrbing. in Method.Jur.Pontific.lib.*1.*tit.*6.*ſect.*3.*nu.*127.*Zoeſ.in Decretal.eod.tit. num.*67. *Coſm.Guimier.in Pragmat.Carol.VII. tit.de auth.Concil.general. in cap. Sacroſancta colum.*2.*litt.E.volum.*1.*fol.*68. *Baron.de citation. in Addit. ad quæſt.* 19. *num.*9.

28. Non *commodè*, neque *ſine evidenti periculo Eccleſia* Leodienſis debebat, ſeù poterat vocari D.Cardinalis, ſubditus, & Miniſter juratus Chriſtianiſſimi Regis, qui actuale Bellum habet cum Imperio, & Eccleſia Leodienſi, illudque proſequitur in ejus Principatu, & Diœceſi, cujus magna parte vi occupata, valido Exercitu, reliquum minitatur: in qua plane circumſtantia nemo dicet poſſe, & debere *commodè,& ſine periculo* vocari Principem adeo potentem, Potentiſſimi Regis ſubditum, non tàm proptèr eas ſeditiones,quæ ſola ejus præſentia movere poſſet, quàm propter pericula diſſentionum, & umbrarum inter Fœderatos de facili reſultantium, ut prædictum eſt: adeòque attentis hujuſ-

modi

modi incommoditatibus, & periculis, Canonicos abſentes non eſſe vocandos communi calculo Doctores firmant, ſignantèr verò *Abbas in cap.Coram 35.nu. 3.de Elect.*inquiens: *Niſi fortè immineret periculum Schiſmatis, intruſionis, vel abuſus Laicæ poteſtatis, vel propter Guerras imminentes, non poteſt fieri de facili vocatio. Bald.in cap.cùm inter 18.num.2.eod.tit.* ibi: *Poſſunt eſſe in loco vicino, tamen eſt Guerra in medio, ita quòd non poſſunt tuto vocari. Tholoſan.ad tit.de Elect.cap.14.num.13.* ibi: *Darentur factionum, & corruptionum aditus. Lavor.eod.tract.tit.4.cap.17.num.12.*ibi: *Daretur anza corruptionis,& tumultibus*, ſubdens: *quia cum hoc periculo non ſunt vocandi Abſentes. Paſſerin. de Elect.cap.11.num.33.* tradens, *Abſentes non eſſe vocandos, ubi imminet periculum intruſionis, abuſus Laicæ poteſtatis, vel non poſſunt vocari propter Bella*: Et in terminis terminantibus alterius Leodienſis Electionis, quòd non debuiſſent vocari,& admitti Canonici adhærentes Hoſtibus Capituli,& Eccleſiæ Leodienſis, egregiè probat *Card. de Luca De regular.diſc.53.nu.9.10.11. & 12.* & facit *Fagnan.in cap.Cùm ex injuncto De nov.oper. nunciat.*

29. Potiſſimè, quia jam in principio Belli fuerunt ab Imperatore,& Principibus confœderatis omnes Chriſtianiſſimi Regis ſubditi, Adhærentes, & Fautores pro Hoſtibus Imperii publicè, & ſolemnitèr denunciati, inter quos comprehendi Dominum Cardinalem haud ambigendum videtur, & ipſemet ſe talem ingenuè recognovit, dum petiit ſecuritatem pro ſuo acceſſu à Capitulo,& Fœderatis, quæ ſecuritates non niſi inter Hoſtes diffidatos,ſeù ſaltem ſuſpectos peti, & practicari ſolent. *Roland. conſ.68.num.23.lib.2.Paccian.conſil.44.nu.13. in fin.& de probationibus lib.2.cap.46.ſub num.24.*

30. Altero etiam fundamento vocandus non erat Dominus Cardinalis, ex quo videlicet ejus Antenati occuparunt, & ejus Domus adhuc retinet Ducatum Bullionenſem,ad Eccleſiam, & Principatum Leodienſem ſpectantem titulo emptionis à Gottefrido Bulliono, Rege poſtmodùm Hieroſolymitano, eidem Eccleſiæ factæ, acquiſito, & pretio in Bellum Sacrum erogato, de quo plenè *Paul.Emil.de geſt.Francor.lib.4.incipien.Sac.Bellum pag.72.Ægid.Aurez.Vall. in vita Oberti 55.Epiſcopi. In Alberone 2. Epiſc.59. cap.34.* ubi de hac emptione mentionem facit. *Leodien.cap.13.Gugliel.Archiepiſc.Thyr. de Bell.Sac.lib. 9.cap.8. in fin.Guicciardin.in ſuo Belgio ſub tit.Leodium.Jac.Auguſt.Thuan. in hiſtor.ſui tempor.lib.11.fol.210.Bartolom.Phizen.in hiſtor.Leodien.lib.8.nu.10.* qui paritèr hanc venditionem refert. *Laurent.Turquoeſ.* Gallus Advocatus Aurelianenſis in ſua Hiſtoria intitulat. *l'Empire Francois lib.3.c.17.pag.260. verſ. de ſon temp.in impreſſ. Aurelianenſi anno* 1651. & quamvis Celſiſſimus Frater Eminentiſſimi D.Cardinalis Ducatum detineat, attamen ipſe etiam Jure Fraternitatis illud poſſidet, & imo tanquam in eo Jus habens ſe ſubſcribit, & nominat Bullonium, adeoque ipſe etiam pro occupatore eſt habendus: quod benè agnoſcit idem Eminentiſs.D. Cardinalis, cùm in actibus capitularibus tale cognomentum ommittit. Undè intrat regula, quòd Canonicus jura, & bona Eccleſiæ occupans non ſit vocandus, dum ſit incapax cujuſcumque Juris Eccleſiaſtici, præſertim conſequendæ vocis activæ, & paſſivæ, tàm de jure in *cap. Prædia cum ſeq.12.quæſt.2.* quàm ex diſpoſitione *Sac.Concilii cap.11.ſeſſ.22. de reformat.* contra occupationes, ut latè proſequitur ibi *Barboſ. Novar.in Manual. cap.23.num.110.Reginald.in prax.for.Pœnit.tract.3.num. 254. in fin. Molpheſ. in ſumma tract.6.cap.7.nu.39.*

31. In hac circumſtantia ſuboriebatur duplex aliud periculum imminens Eccleſiæ, & Principatui Leodienſi ex vocatione, & præſentia D. Cardinalis; Poterat enim procurare ſuam Electionem, & ita exigentibus ejus egregiis qualitatibus, & virtutibus, forſan aſſequi: quo caſu periculum erat Eccleſiæ, nè in occupatione Bullionenſis Ducatus ejus forſan Domus confirmaretur; erat itidem periculum, cùm Principatus Leodienſis ſit membrum Imperii, ut notum eſt, & tradit *Hermes in faſcic. juris publici cap. 30. de S. Roman. Imper. Epiſc. & Princ. num. 45.* quòd Imperator eum non admiſiſſet, cùm nota ſit Principum prætenſio non admittendi Epiſcopos ſuſpectos, ad evitandas ſeditiones, & propalationes Secretorum, quemadmodum ex *Innocent.* tradit *Abb. in cap. quod ſicut 28. num. 7. verſ. ex quo dicto nota ſingulariter*, quòd ex prædicta cauſa ſuſpicionis poteſt Princeps ſecularis non admittere Prælatum. *Selva De Benefic. part. 2. quæſt. 23. nu. 26. Barbat. conſ. 11. num. 4. & 9. lib. 1. Rocc. de Curt. de Conſuet ad nu. 490. Lauden. de Dignit. quæſt. 4. Gigas De crim. læſ. Majeſt. quæſt. 21. num. 30. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloſſ. 4. num. 166. Vivian. de Jur. patr. lib. 2. cap. 9. num. 20. Bellett. diſquiſit. Clerical. §. 15. tit. de favor. Cleric. perſonal. §. 5. nu. 5. German. de Indult. Cardinal. lib. 3. cap. 11. num. 21. & 24.* cum aliis plena manu congeſtis à *Fraſſo De Jur. patr. Reg. cap. 6. num. 41. tom. 1.*

32. Non erat denique vocandus Dominus Cardinalis; quia proùt ei contigit in antecedenti electione, propter hanc eandem cauſam, Eminentia Sua non reclamante, degebat tempore obitus Epiſcopi defuncti, & vocationis, in Gallia extrà Leodienſem Diœceſim, & Provinciam: & onus vocandi Abſentes ex conſuetudine antiqua hujus Eccleſiæ, & diſpoſitione Juris, reſtrictum eſt ad vocationem Abſentium in Provincia, non à Provincia, & præſertim in Regno diverſo, & Hoſtili, licèt poſtea ſe approximaverit, quia attenditur tempus vocationis. *cap. coram 35. de elect.* ibi: *Fratribus omnibus, qui fuerint in Provincia convocatis*, & tradit in eo *Abb. num. 3.* addens nullam eſſe obligationem ad vocandi extrà Provinciam. *Fermoſin. in cap. cùm inter nu. 2. De Elect. Lavor. eodem tit. tit. 4. cap. 17. nu. 3.*

33. Patet ex huc uſque jam deductis, Dominum Cardinalem haud conqueri poſſe de ſua non vocatione, ſeque contemptum aſſerere, quando ex tot, tantiſque fundamentis non debebat, neque poterat advocari, abſque periculo evidenti Eccleſiæ, & tanquam ille, qui inhabilem ad Electionem, voceque carentem, facto proprio, certo, & notorio ſe conſtituerat: minùſque valet declarationem Capituli ſuper ejus foraneitate emanata, de aliqua nullitate, aut injuſtitia redarguere: ſupplicando adverti, quòd ſicuti de Jure incumbit Capitulo inquiſitio Vocalium, & eorum legitimatio, ut Electio fiat ſecundùm Statuta, & Leges, ita ad eum ſpectat decernere quinam ſint Vocales admittendi, quique rejiciendi, & non vocandi, & quod à Capitulo, ſeù à majori parte ſtatuitur circa iſtam materiam eſt obſervandum. *Paſſerin. de Elect. cap. 14. num. 76.* ſubdens ideò ex Sacr. Conſtitutionibus præſcriptum eſſe ad Sacrum Cardinalium Collegium ſpectare examen legitimationis Vocalium. In hac Inquiſitione, ſeu cognitione, quia verè, & propriè actus judicialis dici non meretur, cùm Electio ipſa ſit actus extrajudicialis, proceditur abſque formalitatibus, & cognitio reducitur ad meram, & puram declarationem facti, quæ, ut hic, quando agitur de inhabilita-

litate notoria ad tenorem Statuti, & ex diſpoſitione Juris, fieri poteſt etiam non citato, neque vocato Abſente. *DD.in cap.2.de poſtulat.Prælator.Boich.in cap.illa quotidiana num.2.de Elect.Lavor.de Elect.tit.4.cap.17.num.6.& 7.* ubi citat *Tabien.Sylveſtr.*& alios, & addit ſatis eſſe, quòd poſteà poſſit convinci. *Caſtellin.cap.14.num.20.Samuel.eodem tract.diſput.2.controverſ.11.nu.1.& 2. Ricci in praxi par.4.reſol.46.nu.1.*

34. Stante hac notoria diſpoſitione Juris, & Statuti, attendenda non fuiſſet quaſi poſſeſſio eligendi, quatenùs in ea reperiretur D. Cardinalis, eo quod in Electionibus, prout in aliis Beneficialibus, non jus certum evertat hanc poſſeſſionem, quemadmodum probat idem *Paſſerin.de elect.cap.14.ſub nu.52.* Nihilominus eò magis dicenda eſt validiſſima hujuſmodi declaratio, quia verè, & realitèr Eminentiſſimus Princeps nequit dici conſtitutus in aliqua poſſeſſione eligendi, ad effectum de quo agitur. Etenim Jus eligendi in hoc Capitulo non eſt fixum, & perpetuum Canonicis, & Capitularibus, ſed regulatur de anno in annum à reſidentia in feſto S. Ægidii, quæ facit vocalem eo anno, & tempore ſi reſideat: non vocalem, ſi non reſideat; Quapropter, cùm Eminentiſſimus Dominus Cardinalis adfuerit per Procuratorem, ad id ab eo ſpecialiter deputatum, in Capitulo præteritæ Electionis, ob reſidentiam in feſto S. Ægidii, & vigore iſtius qualitatis ſuffragium tulerit, nequit dici, quòd ſit in aliqua poſſeſſione pro iſta electione, pro qua requiritur præterita reſidentia in Feſto S. Ægidii, & hujuſmodi qualitas deficit; Nam regula eſt, quòd omnis poſſeſſio pendens à qualitate, deficit deficiente qualitate, à qua regulatur, itaut prima poſſeſſio cum qualitate nequeat dici, aut inducere aliquam poſſeſſionem abſque ea, cùm una ſit totaliter ab illa diverſa. benè *Camera* apud *Poſth.de manut.vot.ſeù deciſ.646. num.15.* ubi quòd diverſa eſt poſſeſſio cum qualitate ab altera ſine illa. idem *Poſth. de manut. obſerv.33. num.25. & 28.* & præcisè hoc militat in Electionibus, in quibus ſi Jus eligendi ſit annexum qualitati, v.g. alicui gradui, & officio, ſublata qualitate talis gradus, & muneris, deficit omnis poſſeſſio, quæ cum dicta qualitate attenditur, & ſine ea non conſideratur. *Paſſerin.de elect.cap.14.num.38.& 39.*

35. Dum ab annali reſidentia procedit de anno in annum facultas eligendi, attentis ſtatutis, nullum datur Jus radicatum perfectum, & perpetuum in Canonicis hujus Capituli, in quo talis facultas fundetur, eo ipſo ſolo, quòd aliquis ſit Canonicus; ſed evadit temporanea, variabilis, & incerta, nova, & diverſa dependens de anno in annum, oriens, & dependens à qualibet reſidentia, & dici poſſunt tot facultates, quot reſidentiæ, & anni, eo modo, & jure, quo ſtatutum concedit fructus, & diſtributiones annuales, ſub eadem conditione, & qualitate reſidentiæ, à quo manat, quòd hæc declaratio non concernit, ſeù infert aliquam pœnam, & privationem, ſed merè verſatur circà non acquiſitionem, & materiam purè lucrativam ad tenorem ſtatuti, quod loquitur, & procedit ſimplicitèr lucrativè, determinando ibi: *Quicumque volet reſidere, & fructus facere, debeat in feſto S.Ægidii,&c.* veluti latiùs in facto demonſtratur: & manat etiam quòd D. Cardinalis nequeat dici privatus aliqua poſſeſſione, præſertìm juxtà terminos materiæ pœnalis, & inhabilitatis declaratæ ob delictum, ex quo non agitur de pœna, ſed de lucro, & commodo, ſeu de declaratione inhabilitatis, quæ nuncupanda eſt ſubſtantialis ad inſtar inhabili-

bilitatis realis, & naturalis, ratione defectus ordinis, vel ætatis; cùm inhabilitas proveniens à lege, vel ſtatuto, verè dicatur inhabilitas ſubſtantialis ad eligendum, qualem diſtinguendo nuncupat *Paſſerin. de elect. cap.11. num.71.* Quòd ſi eſſemus quoque in ipſa materia pœnali, & inhabilitate ob crimen, ubi poſſeſſio non ſolùm ut hìc deficiat, ſed ſimpliciter dubia appareat, & dubium videatur Jus ipſum vocalis, certique de poſſeſſione, & de jure non conſtet, Capitulum vocem pro illegitima declarare poteſt, eaque non attenta, jure optimo procedere ad Electionem, ex notatis per eundem *Paſſerin. de elect. citato cap.14. ſub num.52. verſ. circa eum verò*, qui ait: *Circa eum, qui nec certò poſſidet, neque probat intentionem ſuam, agere poteſt Judex, & Capitulum quod ſibi videbitur expedire, non vocando, & non admittendo*: & ulteriùs *cap.11. qu. 8. ſub num.72.* ad propoſitum ſubjungit: *hoc caſu dari non poſſe de contemptu, quòd non fuerit facta diſcuſſio Jurium, ex quo tale Jus eſt debile, infirmum, & non relevans.*

36. Fortiùs quia in hac declaratione fuit ſatis, ſuperque auditus Eminentiſſimus Princeps, eique omnia motiva communicata, ut patet ex epiſtolis ipſius replicatis, ac reſponſivis Capituli, in quibus omnia apparent deducta, & à Capitulo cognita, & diſcuſſa per formales inductiones rationum hinc indè: quæ epiſtolæ in diſcuſſione extrajudiciali valent ſupplere præſentiam, & excludunt omnem quærelam, quòd quis non fuerit auditus in juribus ſuis, cùm iſta ſit earum efficacia, ut abſentes præſentès reddant, audientes, & auditos in ſenſibus eorum. ità ex *Libon. ſophiſta, Poſſevin. Beuſt.* & aliis, probat *Genua De ſcript. privat. lib.3. tit. de Epiſtol. num.7. Heringh. de fidejuſſor. cap.11. num.34.* cum cæteris, de quibus *Jul. Pac. in leg. Epiſtolæ num.10. Cod. de probat. Duaren. diſput. anniverſar. cap.45. Ancharan. quæſt.38. num.10. lib.1.* juxtà illud: *Abſenti loquitur, vel carta Vicaria lingua*. Maximè dum toties in reſponſivis Capitulum inſinuavit D. Cardinali, ut Procuratorem mitteret, quem mittere ſemper neglexit, omnique jure tenebatur, dum ibi ſe tutò conferre non valebat ex ſuo perſonali impedimento; in ipſis namque Judicialibus, ſi abſens negligat mittere Procuratorem, dum accedere non poteſt, rectè proceditur. *cap. pervenit De appellat. l. non ſolùm ff. de procurator.* & ibi utrobique *DD. Bolan. de reſtit. in integr. cap.* 340. cum aliis vulgaribus: quod magis procedit in declaratione hac extrajudiciali tangente inhabilitatem abſentis, cujus contemptus non annullat Electionem, & ſatis eſt, quòd poſteà coram Confirmatore inhabilitas poſſit convinci, ex ſuprà firmatis: & paritèr coram eodem ſat eſt deducere motiva incommoditatis, & periculorum Eccleſiæ, quæ Capitulum moverunt ad non vocandum abſentem, cùm ad Judicem confirmatorem iſtorum cognitio de jure pertineat. benè *Abb. in cap. coram 35. ſub nu.3. de elect.* qui inquirens quando commodè, & ſine periculo Eccleſiæ abſentes non vocati dicantur, ait: *Bonus Judex arbitrabitur ſecundùm pericula imminentia, & diſcrimina rerum, ſi fortè immineret periculum ſchiſmatis, ſeù intruſionis, vel abuſus Laicæ poteſtatis, vel quid ſimile propter guerras*, & addit: *Is ad quem ſpectat confirmatio, erit idoneus Judex ſuper hoc argumento*. idem comprobat *Butr. in cap. publicato 63. num.21. eodem tit. Hoſtien. in ſumma tit. de elect. §. qualiter facienda, verſic. quidquid dicatur, Petr. à Bais. cap.8. par.3. num.2.* & 3. ubi quòd ſuper hoc dubio *Is ad quem ſpectat confirmatio Electionis, erit idoneus Judex, & de*

eo

Digitized by Google

recognoſcere poterit. Sigiſmund. à Bonon. de Elect. dub. 8. *num.* 9. *Cuch. Inſtitut. Canon. tit. de elect. num.* 54. Et ad eundem Confirmatorem pertinet recognoſcere in veritate facti bonam fidem Capituli non vocantis abſentes, excluſiva doli, & malitiæ, ſine quibus contemptus non conſideratur. *Paſſerin. de elect. cap.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 48. & generalitèr *Suarez De legib. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 18.

37. Reflectendo etiam; quòd hìc non agitur de reali electione alicujus, qui in Capitulo actualitèr præſens fuiſſet, ſed tantum de non vocatione abſentis, ejuſque prætenſo contemptu, quo caſu faciliter Capitulum non vocare poteſt, neque attendere poſſeſſionem; nam, ut inquit *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *ſub num.* 73. *verſic. adjungi etiam.* ibi: *Aliud eſt* (ſunt verba præciſa) *expellere vocalem ne eligat, & aliud eſt illum non vocare; Nam per primum privatur poſſeſſione eligendi, ideò ubi inhabilitas non ſit notoria, ſed indigeat Judicis declaratione, non licet vocalem inhabilem auctoritate privata vi ejicere ab Electione, & eum de facto privare ſua poſſeſſione, ſed eum non vocare, non eſt privare poſſeſſione; ſed ut habet Innoc. cap. cùm Vintonien.* 25. *de elect. num.* 6. *ſolum eſt dicere, & facto exprimere, quòd non vocatus non habet vocem, cùm ſit inhabilis: Ideò non fit injuria tali vocali ſi non citatur, quia non habet jus, ut non dicatur verbo, & facto, quòd eſt inhabilis, cùm ejus inhabilitas probari poſſit in Judicio.* addens: *& cùm tam ſit per ſententiam Juris, privatus Jure eligendi, non habet jus, ut vocetur ad electionem, quamvis poſſit habere jus, ut non ejiciatur, & ſua poſſeſſione non privetur. Talis enim ſi habet jus, ut non auferatur ab eo, quod habet, non habet jus, ut detur ei quod non habet.*

38. Eiſdem rationibus excluduntur attentata adverſus electionem objecta propter appellationes, & proteſtationes D. Cardinalis; nam regula eſt, ut electio facta poſt appellationem non ſit attentata, quando, prout hìc, Canonica apparet; cùm appellatio de jure ſemper intelligatur interpoſita adverſus electionem non Canonicam, & illegitimam, non autem à legitima, & Canonica. *Jo: de Anania in d. cap. cùm nobis num.* 1. ibique *Butr. num.* 21. *Bellamera ſub nu.* 6. *de elect. Altaſer. in decretali Innoc. III. lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 19. Abſque ullo dubio, quando electio eſt præparata, & inſtat terminus præfixus, quo caſu Electores, non attenta quacumque appellatione, ad electionem procedere poſſunt, & coram Confirmatore appellans eam legitimare, & juſtificare debet. *Paſſerin. de elect. cap.* 32. *ſub num.* 6. *verſ. eſt etiam conſiderandum. Fermoſin. in cap. cùm inter* 16. *num.* 1. *& cap. cùm nobis* 19. *De elect. Rota coram Buratt. deciſ.* 809. *n.* 4. *Coccin. deciſ.* 1431. *num.* 17. quam certè legitimare non valet Dom. Cardinalis, dum ejus proteſtationes, & appellationes nullam legitimam cauſam præferunt, & carent juramento, quæ inter alia ſunt duo requiſita ſubſtantialia pro legitimandis hiſce appellationibus, ad implendas electiones interpoſitis, de quibus *in cap. ut circa* 4. *de elect. in* 6. ubi Doctores, & ſignantèr *Archidiac. Geminian.* & alii quos refert *Barboſ. num.* 1. *Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub.* 46. *num.* 11. *Pieryn. de ſubdit. quæſt.* 1. *cap.* 31. §. 11. *Caſtellin. de elect. cap.* 16. *nu.* 2. *&* 14. 15. *& ſeqq. Paſſerin. eod. tract. cap.* 32. *num.* 54. *Rota coram Coccin. deciſ.* 2088. *n.* 37. *& ſeqq. repetit. in rec. dec.* 289. *par.* 6.

39. Denique ad repetitas in Epiſtolis quærimonias de ſpretu Sacræ Dignitatis Cardinalitiæ, cui indebita dicitur repulſa in petitionibus, offendens univerſum Ordinem, quem præ cæteris Sereniſſimi Bavariæ Principes, & San-

ſta Leodienſis Eccleſia, Romanæ Filia, qua par eſt, ſumma, perpetuaque obſervantia, ſemper hactenus venerati ſunt, & in dies colunt, breviter reſpondere liceat cum eiſdem verbis, à quibus in ſimili caſu reſponderat Pius II. Summus Pontifex Carolo Regi Francorum, enixè petenti Cardinalem Conſtantienſem Eccleſiæ Tornacenſi in Epiſcopum præfici, & Cardinalem non deberi pati repulſam, inter cætera objicienti, ſcribens: *Dicis non decere Cardinalem pati repulſam: non patietur, ſi ea petierit, quæ abſque alterius injuria, cum Dei beneplacito concedi poſſunt*, ut legere eſt in ejus *Epiſt.*375. repetita per *Raynald. in continuat. Annal. Card. Baron. tom.* 19. *Anno* 1459. *num.* 50.

PETRI

PETRI DE FUSCO

ADVOCATI NEAPOLITANI,

Ac Regii Conſiliarii

ALLEGATIO

Super proteſtatione, & appellatione Eminentiſs. Domini Card. Bullionii, aliiſque dilatoriis oppoſitionibus, quæ jactantur.

1. NUllus eſt apertior locus, quàm proteſtatio, & appellátio Eminentiſſimi Domini Cardinalis Bullionii, noviſſimè pro ejus parte exhibita, ad demonſtrandam formam Canonicam Electionis Sereniſſimi Domini Principis Clementis è Bavariæ Ducibus in Epiſcopum, & Principem Leodienſem. Ex ſola enim inſpectione cauſarum, quas proteſtatio, & appellatio continet, ſatis convincitur, quòd ipſe Dominus Cardinalis Canonicus, & Præpoſitus major Eccleſiæ Leodienſis, non debuiſſet ad Epiſcopi Electionem vocari; Quin etiam omnia, quæ jactantur de literis tàm remiſſorialibus pro faciendis probationibus in Partibus, quàm de compulſorialibus pro exhibitione Statutorum Eccleſiæ Leodienſis,& de citando in Partibus Capitulum,ac Sereniſſimum Dominum Principem, & quòd audienda ſit illa minor Capituli pars, quæ tempore Electionis diſſenſit, tanquàm inania, & fruſtratoria rejicienda eſſe, nec Electionis confirmationem impedire poſſe, brevitèr demonſtrabimus.

2. In proteſtatione per publicum Inſtrumentum celebratum in Civitate Huenſi ſub die 9. Aprilis 1694. habetur in primis declaratio Domini Cardinalis Bullionii, quòd ipſe jàm in Urbem Huenſem Diœceſis Leodienſis advenerit die 22. Februarii proximè elapſi, & illic ſemper degerit, ut veluti in Provincia exiſtens præſens, potuiſſet ad Epiſcopi Electionem convocari,& quòd plures de ea re ſcripſerit literas ad Leodienſe Capitulum, petendo inſtantiſſimè ab illo ſalvos-conductus ad Leodium pergendum, dum ea Civitas plena eſſet turmis Principum confœderatorum,hoſtium Regis Galliæ:& quòd Capitulum reſponderit Cardinali, non ſpectare ad ipſum Capitulum ſalvos-conductus concedere, ſed illos à Principibus confœderatis impetrari debere; Quæ omnia (ut infert Dominus Cardinalis) ſatis ipſi patefecerunt, quòd Capitulo Leodienſi obſeſſo, & perterrito à præfatis turmis,nulla eſſet, nec in futurum foret libertas in ſuis deliberationibus,quod & ipſum Dominum Cardinalem oportuit teſtari per tres Epiſtolas ſequentes ab ipſo miſſas ad Capitulum pro adhibendis omnibus expeditis modis, & moderaminibus, quæ in pacem, & concordiam conſervandam concurrere poſſent.

3. Præ-

Digitized by Google

3. Præterea in ea proteſtatione Dominus Cardinalis aſſerit, quòd rejectis omnibus his conſiliis, pacis animo datis, ſuggeſtum Capitulo fuit, quòd nedùm omni modo impediendus eſſet in Urbem Leodienſem ingreſſus, ſed etiam ipſe Dominus Cardinalis voce activa in proxima Electione privandus, vigore Statuti, quod dum nec perſonaliter, nec per Procuratorem in ultimo Capitulo Sancti Ægidii comparuerit, reputandus eſſet foraneus; Et quamvis ſemper inſtiterit, ut ei permiſſum foret, ſuas exceptiones, & defenſiones proponere, nihilominùs eodem metu, eademque oppreſſione, quam Capitulum propter turmas in Urbe Leodienſi exiſtentes patitur, nunquàm licentiam à Capitulo obtinere potuerit, ut ſua jura, & defenſiones proponeret, vel quòd ſaltem deputarentur aliqui in Urbe Huenſi pro eiſdem juribus, ac defenſionibus audiendis, & conferendis; Manifeſtata etiam declaratione Regis Chriſtianiſſimi, quòd pendente Electionis tempore, ac uſque ad primum Maji tunc proximi, concedebat liberi Commeatus literas pro omnibus Capitularibus. Ex quibus omnibus recuſationibus dicit Dominus Cardinalis, jàm prævidère, quòd in proxima Electione omnia metu facienda ſint, qui animum conſtantiſſimi hominis movere poteſt, quòdque aliundè omnia perficientur poteſtatum ſecularium impreſſione, & conſilio; Undè proteſtatur de nullitate omnium factorum, ſtatutorum, & decretorum per Capitulum Leodienſe, ipſo non convocato, ex quo ipſius in Diœceſi adventum reſcivit.

4. Denique in proteſtatione Dominus Cardinalis iterùm offerens nomine Regis Chriſtianiſſimi omne ſecuritatis genus ſuppeditare, quando illi omnes generalitèr, & particularitèr, qui in Electione proxima vocem activam habere debent, concordare velint de loco tuto, & ſecuro, in quo aliqua oppreſſiò timenda non ſit; aliàs ſi intrà tres dies proximos numerandos ab intimatione ejuſdem proteſtationis Capitulo facienda, quod velit concordare de alio loco tùto, in quo omnes Capitulares poſſint convenire tàm generalitèr, quàm particularitèr, proteſtatur Dominus Cardinalis de nullitate Electionis faciendæ, & ex nunc, prout ex tunc, appellat ad Apoſtolicam Sedem, tàm à Statutis Eccleſiæ Leodienſis, quorum vi Capitulum prætendit illum impedire tanquàm foraneum adeſſe proximæ Electioni, quàm etiam à decreto per Capitulum interpoſito die 27. Februarii, quo illum foraneum declaravit, & proindè in Electione ſuffragium dare non poſſe, quod decretum dicit ſibi fuiſſe exhibitum die externa per Epiſtolam dicti Capituli 7. Menſis Aprilis.

5. His ex proteſtatione habitis, dicimus, cauſam metus, & impreſſionis ob turmas Principum confœderatorum hoſtium Regis Galliæ in Urbe Leodienſi exiſtentes, in qua cauſa tota verſatur proteſtatio, reſpiciens illam, veluti primarium objectum, nedùm non operari, quòd poſſit allegari nullitas Electionis, ſed & ipſam efficere, quòd Dominus Cardinalis ad Epiſcopi Electionem minimè vocari debuiſſet; Siquidèm ut metus cauſa impediat liberam Electionē, juxtà *cap. Bonæ 23. & cap. cùm terra 14. de Electione*, neceſſe eſt, quòd eligentes verè timeant, ità quod abſque plena deliberatione gerant actum Electionis; aliàs enim ſi gerentes actum dicant ſe non timuiſſe, nec timere, ſed eſſe in plena libertate, prout Perilluſtre Capitulum Leodienſe expreſsè id profeſſum eſt in literis reſponſivis ad eundem Dominum Cardinalem ſub die 7. Aprilis 1694. certè tunc electio eſt valida, etiamſi eſſet periculum valdè timendum. ità in puncto *Paul. de Caſtro in l. habitatores 30. §. Interrogatus num. 4. ff. locati*, ubi infert ad

Ele-

Electionem Summi Pontificis Urbani VI. qui fuit electus Pontifex ad rumorem Populi Romani, ut valida,& libera fuerit illius Electio; Nam etſi Populus feciſſet tumultum, & eſſet id juſtè timendum, Cardinales tamen non videbantur timuiſſe, imò & Electionem feciſſe cum omni deliberatione, de qua re etiam agit *Bald.in quæſt.de Schiſmate poſt commentar.ad tit.C.de edict. Divi Adriani tollendo.*

6. Sed in noſtro caſu nullum periculum, nullúſque metus aderat, qui poſſet dici realis, ſivè communis omnium Capitularium; Nam Capitulum circa Electionis actum nullam fuit paſſum oppreſſionem, ſicuti per eaſdem literas ipſum Capitulum declaravit in illis verbis: *Cum plena, ut Eminentiſſimæ Celſitudini Veſtræ toties reiteravimus, huc uſque in iis,quæ ad futuram Electionem pertinent, libertate potiti ſumus,& etiam nunc potiamur: nec dubitamus nos in ipſa Electione peragenda cum eadem libertate continuaturos,nec aliqui,ſed unanimes, non oretenus, ſed re ipſa omnimoda libertate nos gaudere,declaramus,nullitúſque reſpectu, aut potentia commoti, liberè quod ſentimus, efficiemus. Summario num.....*

7. Quare ex turmis Principum confœderatorum in Urbe Leodii exiſtentibus,unde impediebatur D.Cardinali ingreſſus in eam Urbem,& ex denegatione ſalvi-conductus, quem Capitulum reſcripſit D.Cardinali, ipſum impetrare debere ab Imperatore, & Principibus confœderatis, perperàm in proteſtatione deducitur metus realis, ſive oppreſſio Capituli circa peragendam electionem, imò circa nullam rem, vel actum,talis impreſſio, vel metus conjici poterat; Nam cùm regio Leodienſis ſit membrum, ſeu portio Imperii Germanici, & habeat Supremitatem in temporalibus, quam ſede vacante Capitulum repræſentabat, certè Capitulum tenebatur ſervare Banna Imperialia, quibus D. Cardinalis,& cæteri adhærentes Regi Galliæ erant impliciti: idque etiam jure ſocietatis, & fœderis cum Imperio contra Regem Galliæ, qui bellum gerit etiam adverſus Leodienſem Eccleſiam:& hæc eſt obligatio plurium Principum,ſeù Civitatum ſociarum, quæ ex fœdere ſe tueri, ſervareque tenentur, ut demonſtrat *Cravett. in conſ. 717.à num.*30. Unde nefas eſt dicere, quòd Capitulum fuerit adactum reſervare ſalvum-conductum Imperatori, more improbo, & malo, ſed jure licito, & ſervandi fœderis gratia, quod non eſt pati metum, nec impreſſionem. *l. ſi mulier 21.ff.quod metus cauſa, l.continet 3.§.ſed vim accipimus, ff.eod. titulo*, exornat latè *Deckerus diſſertat.9.num.1.& 2.lib.1.Riminald.jun. conſ.612.num.* 80. Quin etiam ex eo, quod locus, in quo ſit facienda electio, ſubjiciatur Poteſtati ſeculari,nil inferri poteſt contra libertatem electionis. *cap.ubi periculum,§.prætereà, ubi gloſſ.litt.F.in verb.præſumant,de electione.in 6.*Igitur ex turmis Principum confœderatorum, & aliis in proteſtatione contentis, ſolùm inferri poteſt metus perſonalis, ſive proprius ipſius D. Cardinalis, qui tamquam Subditus Regis Chriſtianiſſimi, illique adhærens, ob bellum, quod gerit contra Imperium,& Principes confœderatos,& contra eamdem Eccleſiam Leodienſem,juſtè, & non ſine periculo timebat ad Urbem Leodienſem accedere.

8. Atqui ex metu iſto, qui non eſt communis, nec realis, ſed perſonalis,& proprius unius, ac nedum ſi plurium Capitularium, ſed etiam ſi fuiſſet majoris partis Capituli, non poſſunt cogi reliqui de Capitulo, quòd fiat electio in loco tuto, & ſecuro; Quinimò cæteri de Capitulo poſſunt electionem peragere in loco ſolito, abſque interventu illorum, qui taliter metuunt, & ſine pe-

riculo vocari non poſſunt, ut tradit *Gloſſ.in d.cap.bonæ* 23. *de elect. litt. C. in verb.de vi*, ubi ita intelligit, & declarat *Gloſſam* ſequentem *in verb. metuebant litt.D.juncto text.in cap.quia propter,& in cap.quod ſicut* 28.*De electione*. in illis verbis: *Si tamen ſine periculo potuerint convocari, ſive nequiverint*, ubi *Gloſſ. in verb.ſine periculo*, refert ſequentem *Gloſſam*, quæ ſignat argumentum contra *de text.in d.cap.bonæ* 23. in illis verbis: *Si conſtaret de vi*, qui *text.* loquitur, ubi periculum eſt commune, non proprium aliquorum Capitularium, & ita hæc omnia declarat egregiè *Abb.Panormitan.in d.cap. bonæ* 23. *num.*10. *De electione*. his verbis: *Secunda ſolutio eſt melior, diſtinguens inter metum realem, & perſonalem: & ſi metus eſt realis, puta, quia timetur oppreſſio circa electionis actum, tunc habet locum, quod hic dicitur; Non enim debet abſens mittere Procuratorem, vel venire, quia in perſona utriuſque timetur oppreſſio, undè licitè petitur, ut aſſignetur locus idoneus, & ſecurus, alitèr poteſt recurri ad Superiorem, & appellari, ut hic; Et idem dices in quocumque alio contractu Eccleſiæ imminente, ut ſi meliùs expediri poteſt extrà Eccleſiam, quàm in Eccleſia, propter metum realem, debet Capitulum exire Eccleſiam, & ire ad locum ſecurum, de quo vide pulchrè Innoc. in cap.* 2. *De novi operis nunciat. Si verò metus eſt perſonalis, quia ſolùm timetur de perſona abſente propter inimicitiam, vel odium, & tunc habet locum cap. quia propter præallegatum. Sed dubitari poteſt, quòd ſi major pars ſit abſens propter metum perſonalem, numquid minor pars teneatur exire, & accedere ad majorem? Gloſſ. iſta in principio non benè aperit intentionem ſuam: Ego putarem, quòd non, quia electio regulariter eſt facienda in Eccleſia, ut in cap. quòd ſicut, infrà eodem, & in cap. cùm terra ſupra eodem, cum ſimilibus; Undè ex quo metus, vel impedimentum concernit ſolùm perſonas, quia cap. quia propter loquitur indiſtinctè, quòd præſentes regulariter conſtituant, &c.*

9. Sed & metus ob turmas Principum confœderatorum in Urbe Leodii exiſtentes, nititur jure belli, quod Rex Chriſtianiſſimus gerit contra Imperatorem, & Principes confœderatos, ideò non poteſt dicere D.Cardinalis Regis Galliæ ſubditus, eique adhærens, quòd vim aliquam, vel violentiam ſit paſſus; Nam & eorum, quæ in bello, vel ratione belli geruntur, non poteſt dici de vi, & violentia. *Angel.in diſput.incip. Renovata gratia,&c. col.*4.*Capyc. in deciſ.*95. *in fine*, latiſſimè *Roenerius practicar.animadverſ. cap.*10. *num.*7. quia metus eſt juſtus ex parte inferentium, & D. Cardinalis Regi Galliæ adhærens hunc ſibi metum ipſe infert. *l.ſi mulier* 21.*ff. quod metus cauſa, cum notatis in cap.ad ejus* 5.*diſtinct. Gloſſ.ibid.Burſat.conſ.*72. *num.* 58. Et ſicut Rex Galliæ jure belli, ſive excedens illud jus, Eccleſiaſticos degentes in Terris Principum confœderatorum non admiſit, nec admittit ad exercendum eorum dignitates, nec ad jus habendi vocem activam, & paſſivam in Eccleſiis ſub ejus ditione ſitis, ita non fuit admiſſus, nec admitti debuit D. Cardinalis ad Capitulum Eccleſiæ Leodienſis, ſicuti latiſſimè demonſtravimus in prioribus allegationibus editis ſuper oppoſitionibus D.Cardinalis Bullionii, & nunc addimus egregium *text.in cap.petiſtis* 20.*De privilegiis circa finem*, ubi contra eos, qui fines juris, & privilegii exceſſerunt, ſtatuitur æquiſſimè, quòd alteri Parti ſit etiam licitum excedere, & aſſignatur elegans ratio contra primos excedentes, his verbis: *Ne videantur de aliorum fletu ridere.*

10. Undè Eminentiſs. Cardinalis, quamvis non fuiſſet declaratus foraneus, & vocem activam in electione habuiſſet, nihilominus ob metum perſo-

nalem,

nalem, & periculum, ob quod vocari non potuit, nec debuit, non poteſt conqueri, nec dicere, quòd electio facta abſque ejus interventu ſit nulla; Atque ita appellatio ejuſdem D. Cardinalis interpoſita in eodem actu proteſtationis, ex ea cauſa, quòd electio deberet fieri in loco tuto, ad quem ipſe poſſet accedere, tamquam cauſa injuſta, & frivola, non potuit impedire actum electionis; Et altera appellatio interpoſita poſt electionem ſub die 14. Aprilis 1694. in Civitate Huyenſi ex eadem cauſa injuſta, frivola, & improbabili, non potuit operari effectum devolutionis ad Apoſtolicam Sedem, nec poteſt impedire electionis confirmationem, per *text. expreſſos in cap. quia propter* 42. *De electione*. ibi: *Nullo prorsùs appellationis obſtaculo interjecto*, *cap. cùm inter* 21. *De elect.* ibi: *Non obſtante appellationis objectu*, *Gloſſ. in cap. cùm nobis* 19. *De electione*, *in verb. innovari*, *litt. A.* his verbis: *Hoc allegando dicit, quia non extenditur appellatio, niſi ad ea, quæ illegitimè fiunt, & illa ſola ceſſat*, *&c.* eadem *Gloſſ. in cap. conſideravimus* 10. *De electione in verb. poſt appellationem litt. C.* his verbis: *Appellare ne fiat electio, non valet, ſed ne fiat, niſi Canonica, tunc benè valet, & intellige, quòd allegata fuit aliqua probabilis cauſa, quia ſive appellatur in judicio, vel extrà, appellationis cauſa exprimenda eſt*, *cap. cordi nobis De appellatione in* 6. *&c.* Quæ omnia definivit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi, relato *in cap. quamvis* 10. *De electione in* 6. in illis verbis: *In prædictis electionibus, vel in aliis dignitatibus Epiſcopatu majoribus celebratis, ſi expreſſa cauſa manifeſtè frivola contigerit appellari, per appellationem hujuſmodi nequaquam ad Sedem eamdem negotium devolvatur.*

11. Hinc etiam patet, ea, quæ jactantur de litteris remiſſorialibus pro examinandis Teſtibus in Partibus circà coactionem electionis, tanquam fruſtratoria, & inania omninò rejici debere; Omnia enim, quæ in proteſtatione, & appellatione afferuntur, nil inferunt ad metum realem circa actum electionis, ſed ſolùm ad metum perſonalem, ac proprium Domini Cardinalis; Undè nedum non poteſt infringi electio, ſed eò magis confirmatur, dum ob periculum proprium, & perſonale vocari non debuit, nec potuit ad electionem, ut manifeſtè fuit ſupra demonſtratum; Atque ita non eſt concedenda dilatio ad probandum illud, quod probatum non relevaret, vel ſi non ſine ſuſpicione malitiæ peteretur. *Bald. in conſil.* 126. *num.* 2. *vol.* 4. *Cravett. conſil.* 216. *num.* 16. *verſ. ob id, &c. & conſil.* 273. *num.* 13. *verſ. circa quintum, pleniſſimè Rota Romana in deciſ.* 582. *recentior. par.* 1. & in terminis electionis id primus docuit *Innocent. in cap. poſt electionem in ultima col. de conceſt. præbend. Cantiuncula in conſil.* 19. *num.* 19. *Rovit. in conſil.* 88. *num.* 5. *&* 6. *tom.* 1.

12. Idque eo maximè in noſtro caſu procedit, dum ex Capitularibus, qui fuerunt præſentes electioni, etiam his, qui non aſſenſerunt electioni Sereniſſimi Domini Principis Clementis, nullus eſt, qui ſomniaverit, quòd Capitulares omnes non fuiſſent in plena libertate, vel quòd paſſi fuiſſent aliquam impreſſionem circa actum electionis, ob turmas Principum confœderatorum; Imò expreſsè declaraverunt omnimodam Capituli libertatem in electione peragenda in literis ſupra relatis; Ideò contra hanc expreſſam declarationem, inveriſimile eſt, aliquid probari poſſe, quo caſu neque dilatio ad probandum eſt concedenda. *Bald. in margarita, verb. admitti non debet, &c.* imò nec admittitur probatio in contrarium, quia aliàs eſſet res periculoſa, & ſcandalis plena, ac fierent lites ex litibus, quod ſolùm ſufficit ad eam dilationem denegandam.

Digitized by Google

Anton.Fab.conſil.lib.4.tit.15.de teſtibus definit. 45. Nec ex alia cauſa evenit in Eccleſia Dei ſchiſma illud tempore Urbani VI. niſi quia poſt Pontificis electionem, quam Cardinales declaraverunt peregiſſe cum omnimoda libertate, & deliberatione, nonnulli Cardinales Gallicæ Nationis contrarium declaraverunt, undè ſchiſma illud execrabile ortum fuit, ſicuti ex Raynaldo, & aliis annalium Authoribus patet.

13. Quare ad rem noſtram nil faciunt *text.in d.cap.bonæ* 23.*de electione*, in illis verbis: *Si ei de vi, quam ipſe, & ſui metuebant, conſtaret, &c. & in cap. cùm terra* 14.*De electione.* Etenim in ſpecie, dè qua agit *tex. in d.cap.bonæ* 23. diſcordia electionis non ex alia cauſa proceſſerat, niſi quia pars major Capituli Maguntinenſis ex impreſſione laicorum poſtulaverat Vormacienſem Epiſcopum, undè minor Capituli pars, quæ id ſupponebat, elegit ſibi in Archiepiſcopum Maguntinum Præpoſitum Sancti Petri Maguntinenſis, ideò cùm fundamentum electionis Præpoſiti factæ à minori parte, erat metus, ſeù vis laicorum, qua dicebatur, majorem partem Capituli fuiſſe oppreſſam, certè ad confirmandam electionem factam à minori parte, neceſſariò ante omnia debebat de ea vi, & impreſſione conſtare: Idque eſt, quod innuit *text.* in illis verbis: *Si ei de vi, quam ipſe, & ſui metuebant, conſtaret*: Et tamen illa vis, & oppreſſio, quæ allegabatur, minimè probata fuit, undè ut electio Præpoſiti facta à minori parte, imò à pauciſſimis, confirmari potuiſſet, oportuit recurrere ad tres cauſas, ex quibus maior pars reddidit ſe indignam, & privata fuit eligendi jure, ex ea potiſſimum cauſa, quòd propria authoritate receperit, & admiſerit poſtulatum ad adminiſtrandum, undè poſt eam admiſſionem, & adminiſtrationem minor pars Capituli Præpoſitum elegit, quare ſi ante illam admiſſionem Indigni minor pars Capituli Præpoſitum elegiſſet, nempè antequam major pars eligendi jure fuiſſet privata, tunc procul dubio electio Præpoſiti facta à minori parte non valuiſſet, nec poterat, niſi ex gratia confirmari, ut benè hæc omnia declarat *Gloſſ.in d.cap.bonæ* 23.*in verb.cauſis lit.L. de elect.& in verbo:metuebant litt.D.in fine*; Itaque (ut diximus) non poſſunt hæc ad noſtrum caſum accomodari, quo inter omnes Capitulares, qui convenerunt electioni, nulla fuit contradictio, nulla querela, quòd aliqui paterentur laicorum impreſſionem, ſed in litteris ſupra relatis fuit expreſsè declaratum, quòd omnes eſſent in plena, & omnimoda libertate.

14. Similiter nihil ad rem noſtram facit *tex.in d.cap.cùm terra* 14.*De elect.* Nam ibi agebatur de prava conſuetudine, quæ ex facto non dubitabatur, nempè ut cùm alicujus Prælati electio deberet celebrari, Conventus, ad quem ſpectaret electio, duas perſonas latenter auribus Patriarchæ, vel Principis exprimendas nominaret, ut ſic alterius eligendæ, vel totius electionis penitùs irritandæ idem Patriarcha, vel Princeps plenariam haberet facultatem; Quam conſuetudinem veluti redundantem in gravamen, & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, Summus Pontifex improbavit *in d.cap. cùm terra* 14. *De electione*: atque ita *text.* hic non concludit, quòd ſit concedenda dilatio ad probandum contra illud, quod Capitulum expreſsè declaravit de ſui omnimoda, & plenaria libertate.

15. Quæ verò Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Bullionius in eadem proteſtatione, & appellatione allegavit contra decretum, per quod Capitulum declaravit ipſum Foraneum, & proindè in electionibus ſuffragium dare non

poſſe,

Digitized by Google

poſſe, juxtà Statuta Eccleſiæ Leodienſis, certè nec ulla juſta, nec probabili cauſa nituntur; Dicit enim, quòd jure gentium non poterat ei denegari juſtitia, & defenſio; Sed hæc ei nullo modo fuit denegata: imò & Capitulum ſæpiùs per litteras eum rogavit, ut ſi quæ jura haberet adverſus Foraneitatem, proponeret, ac allegaret. *Summ. d.nu.* 12.*&* 14. & certè ſi impediebatur Leodium perſonaliter accedere ob turmas Principum confœderatorum ibi exiſtentes, nil tamen impediebat, quominùs conſtitueret Procuratorem in eodem loco, ubi degebat Capitulum, cui plures miſit litteras ad ſe excuſandum, prout ultrà *text.* quem in prioribus allegationibus adduximus *in cap.cùm dilecti 6. De dolo, & contumacia,* nunc addimus alium *text.in cap.bonæ* 23.*De electione*, in illis verbis: *Ad ipſum quoque legatum ſi voluiſſent, ſecurè potuiſſent Procuratorem idoneum deſtinare, ſicut Nuncium deſtinarunt.*

16. Et fruſtrà movetur quæſtio, an teneatur quis mittere Procuratorem in cauſa ardua, quando ipſe ad illum accedere non poteſt, putà, quia locus non eſt tutus, vel aliàs impeditus: in qua quæſtione communis concluſio eſt affirmativa, quando impedimentum non eſt temporale, ſed perpetuum. *Gloſſa in d.cap.cùm dilecti 6.De dolo, & contumacia, in verb.reſponſalem litt.K. in fine. Afflict.in decif.*50.*Burſat.in conſil.*294.*num.*15. Idque indubitatum eſt in hoſte publico; Is enim non poteſt per alium modum ſe defendere, quàm per Procuratorem, qui tamen ex licentia Principis debet pro eo præſtare ſuum patrocinium. *Anton.Fab.conſil.lib.*2.*tit.*8.*de Procurat.definit.*8. *num.*3.*in allegation.Caravit.ad ritum Magnæ Curiæ* 220.

17. Sed & contra præfatum decretum nihil fuit allegatum, quod merita reſpiceret, undè injuſtitiæ, ſive iniquitatis decretum argui poſſet; Nàm illud erat ſatis evidenter juſtum, ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ Leodienſis, cùm jam manifeſtum eſſet, quòd D.Cardinalis non comparuerit in feſto Sancti Ægidii illius anni in Capitulo generali nec per ſe, nec per Procuratorem: quo caſu dum agebatur de re notoria, nec examen, neque citatio ulla requirebatur, etiamſi negotium fuiſſet iudiciale. *cap.bonæ* 23.*in verſic. contra legati, &c. De electione, ubi Gloſ.in verb.notoriis*, adeò, quòd in eadem proteſtatione, & appellatione, D.Cardinalis, neque expreſſit eas cauſas, ex quibus nunc prætendit, quòd non tenebatur ſe præſentare in feſto Sancti Ægidii, nempè Apoſtolicum Breve Clementis X. & privilegium Cardinalitiæ dignitatis; ideò talis appellatio, in qua non fuit expreſſa cauſa legitima, nec probabilis, minimè valere poteſt, & per eam non devolvitur negotium ad Superiorem.*cap.quamvis* 10.*De electione in* 6.*cap.cordi nobis, De appellat.in* 6.*cap. ut circà De elect. in* 6. Et tamen ad exuberantiam, nec D.Cardinali ſuffragari poſſe Breve Apoſtolicum Clementis X. nec privilegium Cardinalitiæ dignitatis, latiſſimè in præcedentibus allegationibus demonſtravimus. Itaque totum fundamentum appellationis à decreto declaratorio foraneitatis, eſt appellatio ab ipſis ſtatutis Eccleſiæ Leodienſis, interpoſita ſimùl cum appellatione à decreto foraneitatis, & electionis; At verò à Statutis D. Cardinalis minimè appellare potuit, nedum quia nullam continent iniquitatem, & tempore appellationis non largiebantur, juxtà tradita per *Caccialup.in l.omnes populi num.*172.*ff.de juſtitia, & jure, Rovit.in deciſ.*14.*num.*7. ſed etiam, quia D.Cardinalis eadem Statuta acceptavit, & obſervavit; Nam ſub die 3.Auguſti, tempore, quo actu erat Cardinalis, eadem Statuta ſervaturum juravit, ac tali lege admiſſus fuit ad reſiden-

tiam, & locum in Capitulo in qualitate Canonici. *Summ.num.4.* & poſt præfatum Breve Apoſtolicum Clementis X. per plures annos præſentavit ſe per Procuratorem in Capitulo generali in feſto Sancti Ægidii. *Summar. num. 6.* prortereà appellatio contra id, quod ipſemet appellans acceptavit, & obſervavit, non fuit legitima, nec aliquem effectum ſuſpenſivum, nec devolutivum operari potuit, adeout appellans ab his, quæ acceptavit, & obſervavit, minimè audiendus ſit, veluti ille, cujus non interſit, ex *text. expreſſiſſimo in cap. cùm inter 16.verſ.nos attendentes, &c. De electione.*

18. Hinc omninò evaneſcit illud, quod jactatur de litteris compulſorialibus pro Statutorum exhibitione; Nàm cùm iſte articulus ſit incidens appellationi ab ipſis Statutis, & ea appellatio à Statutis acceptatis, & obſervatis per appellantem, illegitima, & fruſtratoria ſit, adeout appellans non ſit audiendus ex *d.cap.cùm inter 16.verſ.nos attendentes, De electione. Gloſſ. in cap.eum, qui, in verb.non teneris, De dolo, & contumacia in* 6. ideò nec audiri debet in hoc incidenti, quia ſequitur naturam cauſæ principalis. *Clementin. Diſpendioſam in verb.& eas quoque modo tangentibus,&c. de judiciis. Petrus de Anchorano ibidem in 7.notabili, Riminald.jun.in conſ.234.à num.271.*

19. Inſuper quæſtio exhibitionis Statutorum tunc procedere poſſet, quando in actis fuiſſet producta particula Statuti; tunc enim fieret locus quæſtioni, an integrum Statutum ſit exhibendum, & ita loquitur *Bartol.in l.in civile, ff.de legibus*; At verò cùm in actis productum eſt integrum Statutum de reſidentia, & de foraneis, quod non habet relationem, nec connexionem ad alia, ex quibus illud declarari oporteret, tunc minimè ſunt exhibenda alia Statuta: & ſi qua aliorum Statutorum exhibitio prætenditur, inanis prorſus, & fruſtratoria cenſenda eſt. *Bald.in l.1.in fine, C.de Epiſcopis, & Cler.Burſatt. in conſil. 159.num.20.*

20. Quo verò ad id, quod jactatur de citando in Partibus Capitulum, ac Sereniſs. Principem, alioſque ex *cap.cùm dilecti 6. de dolo, & contumacia, & cap.finali, De electione in 6.*

21. Primò reſpondetur, *text.in d.cap.cùm dilecti 6.De dolo, & contumacia,* nihil ad rem noſtram facere; Nàm & in ſpecie, de qua ibidem tractatur, cauſa erat criminalis contra electum, ut advertit *Gloſſ.in d.cap. cùm dilecti, in verb. Concanonicorum ſuorum litt.A.* vel ſi agebatur civiliter, certiſſimum eſt, quòd actio deſcendebat à criminibus, quæ Canonici propoſuerunt contra electum, per quæ nitebantur, eum ab electione repellere, uti indignum; Et cùm ipſe electus a gravaminibus adverſæ Partis appellaſſet, & appellationem non fuiſſet per ſufficientes Procuratores proſecutus, ideò citatus, ut compareret, nec per ſe, nec per Procuratorem comparuit, atque ità fuit contumax reputatus, & condemnatus ad expenſas; Quare non poteſt ad noſtrum caſum accomodari, quo Sereniſſimus Princeps electus non appellavit, neque contra eum fuerunt propoſita crimina, & inſuper pro eo eſt præſens in Romana Curia Dom. Abbas Pompejus de Scarlatis, Sereniſs. Electoralis Domus Bavaricæ à Conſiliis Status, & Adminiſtrator.

22. Similiter non obſtat diſpoſitio *cap. fin. De elect. in 6.* quòd in confirmatione electionis, facienda ſit citatio nominatim, ubi eſt Coelectus, vel apparet Oppoſitor, generaliter verò, ſive per edictum in Eccleſia, in qua facta eſt electio, ſi qui ſint, qui ſe velint opponere, &c. Quia ea diſpoſitio in dicto

cap.

cap.fin. habet locum, prout loquitur, in ordinariis confirmationibus, non autem in confirmationibus, quæ fiunt à Papa, vel ejus Legato à latere, ut notat *Cravett.conſ.*177.

23. Inſuper, quamvis ageretur de ordinaria confirmatione, nihilominùs in noſtro caſu non adeſt Coeleſtus, & quatenùs appareret Oppoſitor, tunc ille citandus eſſet, quando intrà menſem à jure præfixum proſecutus fuiſſet oppoſitionem comparendo per ſe, vel per Procuratorem ſpecialiter inſtructum coram Superiore, aliàs enim ex Conſtitutione Innocentii IV. non eſt citandus, & elapſo eo termino, poteſt, abſente illo, procedi ad confirmationem electionis, ut in *cap.1.de elect. in* 6. Immò & eo termino elapſo, ſi velit comparere, & proſequi coram Superiore, non eſt admittendus, ex poſteriori Conſtitutione Nicolai III. *in cap.cupientes* 16.*De electione in* 6. quæ fortiùs punit, & arctat, quàm Conſtitutio Innocentii IV. *in d. cap.1.* ubi poſt lapſum termini, permittebatur ſolùm procedi, non citato Oppoſitore abſente, qui tamen ſi voluiſſet comparere, ac proſequi, minimè repellebatur; At verò ex poſteriori Conſtitutione Nicolai III.*in d.cap. cupientes*, poſt lapſum terminum omninò repellitur à proſecutione, ut notat *Gloſſ.in Clementin.cauſam* 3.*de electiori. in verb.devoluta,& in d.cap.cupientes,in ver.compareant litt.E.*

24. Secundò reſpondetur, ex novo jure canonico fuiſſe in multis jus antiquum mutatum circà judiciarium ordinem in cauſis ſuper electionibus; nam ubi ex veteri jure canonico in eiſdem cauſis, ſicuti in aliis ordinariis requirebatur litis conteſtatio, partibus præſentibus, aliàs proceſſus erat nullus, & irritus, *cap. dudum,lo 2.de electione, cap.eum, qui De dolo,& contumacia in 6. cap.eum qui,De eo,qui mittitur in poſſeſs.* ex novo jure Clementinarum, antiquo jure correcto, non requiritur ea ſolemnitas in cauſis electionum, ſed proceditur ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii, & figura. *Clement. diſpendioſam 2.de judiciis*, ubi *Gloſſ.* id notat, *in verb. electionibus*; Et ubi, veteri jure inſpecto, ille, qui ſe opponebat electioni, nominatim erat citandus, hodiè ex novo jure Clementinarum Oppoſitor, qui appellavit ad Apoſtolicam Sedem, debet ſuam oppoſitionem, & appellationem intimare electo, ſivè appellato, & Capitulo, contra quod fuit appellatum, intra menſem à die interpoſitionis appellationis, aliàs elapſo menſe, non intelligitur devoluta appellatio ad Apoſtolicam Sedem, ità quòd nec proſecutio appellationis, nec aliqua impetratio in Romana Curia ex parte appellantis fieri poſſit, ut expreſsè Statutum eſt *in Clementina cauſam 3.De electione, ubi Gloſſ.in verb.appellati, & in verb.devoluta,& in verb.tempus prædictum.*

25. Et quamvis eadem Clementina poſt lapſum menſis permittat purgare moram, quam citò commodè fieri poterit, ut notat *Gloſſ. ibidem in verb. commodè*, nihilominùs purgatio moræ jam evanuit in noſtro caſu, dum poſt lapſum primi menſis à die appellationis interpoſitæ, duo ferè menſes elapſi ſunt, intra quos appellatio neque fuit intimata Capitulo, nec aliis appellatis. Undè quæſtio hæc dilatoria unico dilemmate tollitur: vel enim appellatio fuit intimata appellatis intrà terminum à jure præfixum à die interpoſitæ appellationis, & tunc ut poſſit procedi, non eſt neceſſaria alia intimatio, ſed proceditur contra appellatos tanquam contumaces. *Gloſſ.in d.Clementin.cauſam 3.De electione, in verb.tempus prædictum.* Vel appellatio non fuit intimata appellatis, & tunc nulla eſt appellationis habenda ratio, utpotè quæ nullum effectum de-

vo-

volutivum ad Romanam Curiam operari poteſt, ex *d. Clementina cauſam* 3. *De electione*. Idque dicendum eſt, quando appellationes eſſent probabiles; Cæterùm cùm illæ ſunt frivolæ, & fruſtratoriæ, nullo modo citandi, nec audiendi ſunt appellantes ab electione, ut docet *Gloſſ. in cap. eum, qui, in verb. non tenetur, De dolo, & contumacia in* 6. quæ id probat ex *cap. prout* 4. *De dolo, & contumacia*, ubi dum Papa mandat citari ad malitiam convincendam, ergò id de neceſſitate non erat, quòd ſcilicet citaretur.

26. Denique nec audienda eſt illa minor pars Canonicorum, quæ receſſit à Capitulo congregato, & elegit alium poſt electionem Domini Principis Clementis à majori Parte peractam; Nam & ea minor Pars Canonicorum, quamvis per litteras tranſmiſiſſet inſtrumentum electionis ad Apoſtolicam Sedem, juxta *cap. innotuit* 20. *De electione*: nihilominùs, paulò poſt mortuo electo, per ipſam minorem Partem non fuit appellatum ab electione Sereniſſimi Domini Principis Clementis peracta à majori parte; Neque enim ſufficit, quòd Canonici minoris partis contradixerint tempore electionis factæ à majori parte, vel quòd ſe oppoſuerint electioni, ſed neceſſaria eſt etiam appellatio, juxtà *cap. cùm inter* 21. *De elect. l. 1. §. ſolent, ff. quando appellandum ſit. Gloſſ. in cap.* 1. *De elect. in 6. verb. opponunt litt. I.* & appellantes debent per ſe, vel Procuratorem ſpecialitèr inſtructum, adire Superiorem, ac ſervare terminos præfixos *in d. cap. 1. & in d. cap. cupientes De elect. in 6. & in Clementina cauſam* 3. *De elect.* quibus elapſis, non ſunt audiendi, nec admittendi, ut ex præfatis juribus Statutum eſt; Eatenùs verò Canonici, qui ſe oppoſuerunt, non tenentur Superiorem adire, quatenùs non appellantes cenſentur acquieviſſe electioni factæ à majori parte, ac illam ratam habuiſſe. *l. 1. §. ſolent, ff. quando appellandum ſit*, & in terminis docet *Gloſſ. in cap. ſtatuimus* 1. *De electione in* 6. *in verb. opponunt, litt. L.* his verbis: *Sed numquid illi, qui ſe opponunt, & non appellant, venire tenentur? Reſpondeo, illi ſoli venire tenentur, qui appellant, vel quorum nomine appellatum eſt, vel qui appellationem ratam habuerunt expreſſè; Alii autem, qui ſolùm ſe opponunt, venire non tenentur; Videntur enim ſuo juri renunciare, & electioni acquieſcere, ff. quando appellandum ſit, l. 1. §. ſolent, ff. de appellationibus, l. ſcio; undè illorum abſentia non obſtante, proceditur in negotio; ſemper enim eſt appellandum, cùm ordo decretum electionis interponit. l. 1. §. ſolent, ff. quando appellandum ſit.*

27. Undè, rejectis dilationibus, procedi debet ad electionis confirmationem: Et ità juris eſſe exiſtimamus, ſub cenſura. Romæ 16. Julii 1694.

GEORGII

Digitized by Google

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO

Contra Dilationes, & Compulſorias.

1. NImis patens eſt affectatio petitæ dilationis nomine Eminentiſſimi D. Cardinalis Bullionii: Imò admodum injurioſa Eminentiæ Suæ, ejuſque ſelecto inter Advocatos Galliæ D. de Vaillant, dum notoria in utroque peritia Sacrorum Canonum, pro quibus nec Eminentia Sua miſiſſet, nec Dom. de Vaillant veniſſet imparatus, per detrectationes hujuſmodi in debita æſtimatione minuitur, vel augetur conceptus ſtudioſæ protelationis.

2. Sunt Actores: ſunt Oppoſitores: pro nobis militant Sacri Canones, ne confirmatio differatur, præſertìm quando cedentes Juri noſtro, ut de noſtra Domo arma ſumerentur, dedimus quæcumque petierunt, & per ipſos ſtetit, quominùs alia habuerint, dum omnia obtulimus; Sed fortè non indigebant, vel promptitudo noſtra eorum lineas rumpebat.

3. Dicitur exadverſo Foraneitatem ſignificatam Eminentiſſimo Bullionio dumtaxat ſeptima Aprilis. Animadvertendum eſt in facto, quòd Capitulum de hoc ſcripſit die 27. Februarii. *Summario ſuper oppoſitionibus num.* 10. Et Eminentiſſimus fatetur in ſuis litteris 4. Martii. *d. Summ. num.* 11. & replicat habere excuſationes validas in litteris 18. Martii. *d. Summ. num.* 13. Et paſsìm. Undè videat Dominus ex adverſo ſcribens, ne ſe reum conſtituat apud Eminentiſſimum ſuum Principalem, quia tantus Princeps non approbabit à Procuratore afferi contra dictum, imò ſcriptum permanens Eminentiæ Suæ.

4. Ex hac veritate facti corruit aſſertio ſuperædificata, quòd Eminentiſſimus Cardinalis illicò appellavit, quoniam à 27. Februarii, ſeu 4. Martii, uſque ad 9. Aprilis, quo appellatio interpoſita, pluſquàm illicò intercedit. Imò corruit etiam prætenſio, quòd auditus non fuerit, quia inter Eminentiam Suam, & Capitulum continuatæ litteræ ſuper hoc puncto interceſſerunt; Itaut ex deductis, & replicatis hinc indè, extet proceſſus Epiſtolaris; Undè ſicuti per comparitionem Partis ſuppletur defectus citationis, pari modo ſatis adimpleta dici poteſt citatio per comparitiones litterales.

5. Præterquàm quòd in his actibus extrajudicialibus non requiritur citatio, & poteſt Capitulum de ſe ſolo procedere, ut egregiè firmarunt DD. ſcribentes pro Sereniſſimo Electo.

6. Fortiùs, quia Foraneitas, & non uſus Voti, non eſt niſi pro eo anno, in quo ſe non repræſentavit in Capitulo S. Ægidii; Undè non applicantur doctrinæ requirentes citationem, quia procedunt in caſu præjudicii perpetui. Et

eſt alia ratio, propter quam non erat neceſſaria citatio.

7. Et eò magis, quòd ad vocem recuperandam: dummodò alia non obſtent; vix deſunt quadraginta dies uſque ad primam Septembris, quæ eſt S.Ægidii.

8. Et quatenùs citatio requireretur, quod non concedimus, parum refert laborare circa validitatem proceſſus; quia ſive valida, ſive invalida, hodiè coram Summo Confirmatore ſatis eſt videre de ſola Juſtitia Foraneitatis.

9. Et reſpectu ad legitimitatem Actorum in Urbe, jam diximus in Memoriali contra prætextus dilationis, adeſſe legitimos reſponſales; Ac non ſolùm adſunt pro Capitulo; Verùm etiam pro parte Diſſidentium, qui jam contra nos comparuerunt, & ſcripſerunt.

10. Non applicatur diſpoſitio *cap. cùm dilecti filii De dolo, & contumacia*, quia ultrà reſponſionem datam in dicta informatione contra prætextus, tam dicta diſpoſitio, quàm altera *in cap. fin. de elect. in 6.* quæ melius ex adverſo allegari poſſet: utraque procedit reſpectu Confirmatoris Inferioris, & quando Inferior functus eſt officio ſuo, & inſtituendum eſt novum Judicium coràm Superiore: quod ſecus eſt in caſu noſtro, ubi recta confirmatio pertinet ad Pontificem, cujus reſpectu diſpoſitiones non militant, & potius procedendum eſt cum *cap. ſtatuimus, & cap. cupientes De elect. in 6.*

11. Neque ſubſiſtit in jure, quòd appellatio reddat electionem nullam, quia non obſtante contemptu, electio valet, licèt ſit annullanda, & aliàs, prout in dicta informatione contra prætextus.

12. In eo quod ſubditur electionem fuiſſe intrinſecè, & ſubſtantialiter nullam ob diſcordiam Capitularium, & ob aſſertas pactiones: Hìc etiam D. ex adverſo excedit fines mandati, & voluntatis Eminentiſſimi ſui principalis, cui propterea non reſpondemus ob reſpectum debitum Eminentiſſimo, quem indubitanter alienum credimus ab hac impoſtura contra Avunculum Magni Principis, cui ſe redderet reſponſalem: & ſatis nobis fuit reſpondere Capitularibus diſſidentibus in reſponſione ad illos *in §. altera claſſis articulorum.*

13. Prohibitio facta per Capitulum Secretario Capitulari de non interveniendo Conventiculis, & de non extrahendis ſcripturis concernentibus Capitulum ſine expreſſo mandato Capituli legitimè congregati, eſt admodum rationabilis, quia unuſquiſque Dominus hanc normam præfigit ſuis Miniſtris: & videmus diplomata concernentia intereſſe Cameræ dari non poſſe ſine expreſſa licentia Summi Pontificis.

14. Sed hinc nulla indolentia formari poterit pro parte Eminentiſſimi, ſeu cujuſcumque alterius, niſi quando requiſitum fuiſſet Capitulum, & denegaſſet, quod certè non eveniſſet, quia Capitulum profitetur ſummum reſpectum erga ſuam Eminentiam tum uti Cardinalem, tum uti tantum Principem: & probatur ex eo, quòd ſe in omnibus obtulit promptum Eminentiæ Suæ occaſione inſinuandæ proteſtationis, ut ex epiſtola *in fine informationis contra prætextus dilationis.*

15. Minus dolere poteſt, quando Eminentiſſimus Dominus nequit electioni opponere, niſi ex cauſis contentis in ejus proteſtatione: Et pro iis omnia documenta neceſſaria à multo tempore extant in Secretaria, & habuiſſet, ſi voluiſſet.

16. Atque hìc iterum ſuggero D. ex adverſo, ne tam facilè dicat contra-
ria

ria ſcriptis Eminentiſſimi Bullionii, ne indignetur; Etenim quo pacto dicere potuit hæc verba? *Adeout nullam prorsùs ſcripturam uſque adhuc obtinere potuerit, nec poſſit, nec minus Statuta ejuſdem Capituli, in quibus fuit fundata figurata incapacitas, ut proindè nullatenus ei imputari debeat cur ad Judicium non venit cum paratis Juribus.* Quando è contra Capitulum, ad primam requiſitionem, tranſmiſit Eminentiſſimo extracta Statutorum una cum litteris datis 11. Martii. *Summario ſuper oppoſitionibus num.* 12. Undè malè negantur hic quæ Eminentiſſimus convincitur habuiſſe. Et ſcribimus coram Principe. In reliquis ſupplicamus reaſſumi informationem contra prætextus dilationis.

17. Hinc planè convincitur ſtudioſa adlaboratio præjudicandi Eccleſiæ Leodienſi contra veritatem, & contra diſpoſitiones Canonicas, quod à ſummo zelo Sacræ Congregationis non eſt permittendum, ut conſulatur Juſtitiæ Electi, & Capituli, ac neceſſitati Eccleſiæ per opportunam confirmationem: dum lapſus eſt menſis ultra terminum à jure conceſſum oppoſitoribus, & ſemiannus à die, quo Eccleſia Leodienſis viduata eſt.

PETRI DE FUSCO

ADVOCATI NEAPOLITANI,

Ac Regii Conſiliarii

ALLEGATIO

Super Reſolutione Motivorum:

Cuncta, quæ pro Eminentiſſimo Domino Cardinali Bullionio, motiva excitata ſunt, ut tanquam Canonicus, & Præpoſitus major Eccleſiæ Leodienſis vocari debuiſſet ad Epiſcopi electionem, atque ita contemptus cenſeatur, ad duo capita reducuntur.

1. PRimum ſcilicet reſpicit Statuta Eccleſiæ Leodienſis, ſuper quibus decretum Capituli fundatur, dum declaravit Dominum Cardinalem pro Foraneo habendum eſſe, adeòque juxta Statuta in electionibus ſuffragium dare non poſſe; Sed, ut aſſeritur, nullum eſt expreſſum Statutum, quo D.Cardinalis pro foraneo haberi potuiſſet; Nam ſtatutum in eo capite, ubi loquitur de Canonico, qui ſe non præſentavit in feſto S. Ægidii in Capitulo generali pro facienda ſecunda reſidentia, ſolùm contra illum decernit, ne gratioſam abſentiam petere poſſit; In ſequenti verò capite, ubi agitur de eo, qui pro foraneo habendus ſit, ſtatuitur ſolummodò, quòd quicumque in feſto Sancti Ægidii ſe præſentaverit, debeat eo anno reſidere penès Eccleſiam ſex menſes, & unam diem continuò, vel diſcontinuò, aliàs pro foraneo habeatur; Undè non poteſt ſub dicto Statuto comprehendi Dominus Cardinalis, qui in eo feſto ſe non præſentavit.

2. Rursùs(ut in motivis aſſeritur) non adeſt expreſſum Statutum, quo Canonicus ſimpliciter foraneus à voce activa in electionibus repellatur; Nam ex duobus Statutis, quæ referuntur, etſi in uno qualitas foranei ſtet principaliter, & abſolutè, ita quòd illa ſola ſufficiat, ne Canonicus habeat jus dicendi ſuffragium in electionibus, nihilominus in altero ſtatuto qualitas foranei appoſita eſt conjunctìm, & copulativè cum aliis qualitatibus, adeò ut concurſus omnium requiri videatur; Quare cùm incertum ſit, utrum ſtatutum attendi debeat, redditur incerta, & dubia probatio. *cap. in præſentia De probat.* Et cùm denegatio juris dicendi ſuffragium, quod eſt annexum titulo beneficii, ſivè Dignitati Canonici, ſit exorbitans, & odioſa, ideò niſi expreſſa ſit, comprehendi nequit ſub Statuto, quod ſtrictè intelligendum eſt.

3. Præ-

3. Prætereà Domino Cardinali per Apoſtolicum Breve Clementis X. fuit diſpenſatum in reſidentia, ad quam tenebatur, ratione Præpoſituræ Eccleſiæ Leodienſis: & quamvis ea diſpenſatio conceſſa ſit ei in qualitate Præpoſiti, debet tamen eidem ſuffragari etiam in qualitate Canonici ejuſdem Eccleſiæ, juxtà deciſa per *Sac. Rotam Romanam in Calaguritana Fructuum*: & diſpenſatus in reſidentia, cenſetur etiam diſpenſatus ſuper præſentatione in feſto S. Ægidii, quæ requiritur ob reſidentiam, & eſt de acceſſoriis; Atque ita appellatio D. Cardinalis juſta, & rationabilis cenſenda ſit, eaque pendente non potuerit ad electionem procedi, juxta ea, quæ tradit *Rota Romana coram Othobono dec.* 29.

4. Secundum, ad quod motiva contraria reducuntur, in eo verſatur, quòd Capituli decretum reſtrictum ſit ad cauſam foraneitatis, ob quam declaravit, Dominum Cardinalem in electionibus ſuffragium dare non poſſe; Quare ad evitandum contemptum non poſſunt deduci aliæ cauſæ, nempè belli, & hoſtilitatis, ob quas commodè, vel ſine periculo vocari non potuit, nec debuit; cùm ſi non fuiſſet declaratus foraneus, adeoque excluſus à jure habendi vocem activam in electionibus, potuiſſet aliundè impeditus conſtituere Procuratorem in electionis negotio, eique committere vicem ſuam. *cap. quia propter 42. §. illud autem De electione.*

5. His tamen minimè refragantibus, dicimus, Statuta, quibus decretum nititur, expreſsè habere Dominum Cardinalem pro Foraneo, ac illum repellere à jure dicendi ſuffragium in electione; Diſpenſationem verò nullo modo ei ſuffragari: Et *deciſionem in Calaguritana Fructuum* ad rem noſtram non facere; Imò, & quatenùs non potuiſſet Dominus Cardinalis excludi à voce activa in electione, poſſe tamèn deduci alias cauſas, nempè hoſtilitatis, & belli, ob quas nequiviſſet ad electionem vocari; Uſum denique Procuratoris habere non potuiſſe, nec ſi potuiſſet, voluiſſe, cenſendum eſſe, ſicuti brevitèr ad ſingula reſpondendo evidentiſſimè demonſtrabimus.

6. Quo igitur ad primum attinet, ut ad diluenda motiva contraria faciliùs iter aperiatur, præmittenda ſunt aliqua circà primam, & ſecundam reſidentiam, juxtà conſuetudines, & Statuta Eccleſiæ Leodienſis. Prima reſidentia inducta eſt, ut ad illam admiſſus mores audiat, & diſcat; undè à die admiſſionis uſque ad annum revolutum tenetur habitare intrà Clauſtrum cum aliquo Confratre in ſecunda reſidentia exiſtente. *Summ. Statutorum litt. E.* Iſte autem admiſſus ad primam reſidentiam, qui eam non abſolvit, jus ſuffragii non habet. *Summ. num.* 1. Sicuti apud veteres Romanos admittebantur adoleſcentes ad Senatum ſine jure ſuffragii, ut paulatìm Reipublicæ ſcientia imbuerentur. *Franciſc. Zipæus juris Pontificii novi lib.* 3. *tit. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli num.* 3. *fol.* 104. Secunda autem reſidentia dicitur cujuslibet anni poſt primam, itaut reſidentia tertii, quarti, quinti, & aliorum annorum ſucceſſivè, dicatur ſecunda reſpectu primæ: ſicuti tertiæ, quartæ, & aliæ nuptiæ, dicuntur omnes ſecundæ, habito reſpectu ad primas nuptias, juxtà notata à *DD. in rubrica C. de ſecundis nuptiis*, poſt *Gloſſ. ibidem, Cyriac. conſultat.* 33. *Roland. à Valle in conſ.* 72. *à num.* 31. *vol.* 1. *Riminald. Jun. conſ.* 251. *à num.* 28. & manifeſtè patet ex Statuto de ſecunda reſidentia. *Summ. litt. G.*

7. Hujuſmodi autem ſecundæ reſidentiæ fundamentum, & principale requiſitum diſpoſitum à Statuto, eſt præſentatio in feſto S. Ægidii in Capitulo generali, ità quòd ſivè ſecunda reſidentia ſit actualis, ſivè gratioſa, ſemper

ejus

ejus principale requiſitum eſt præſentatio in eo feſto, cum hac ſola diſtinctione, quòd ſi quis anno præcedenti reſederit, ſufficiat ei ſolùm ſe præſentare, & exhibere in eo Feſto; Si autem non reſederit, etiam ex quacumque juſta cauſa, & impedimento, debeat etiam ſe expreſſis verbis ad reſidentiam offerre, ut manifeſtè cautum eſt in Statuto his verbis: *Quicumque in Eccleſia Leodienſi, facta prima reſidentia, velit reſidere, & fructus facere, debebit in feſto Divi Ægidii antedicti perſonaliter in Capitulo generali ſub hora ſummæ Miſſæ ſe ſe exhibere: & ſi fortè anno præcedenti non reſederit, ſe expreſſis verbis ad reſidentiam offerre, & præſentare, nulla exceptione, allegatione, aut prætextu in contrarium ſuffragante, &c. Summ. litt.G.* Hoc certè capitulum loquitur de reſidentia actuali, ut qui velit eam facere, debeat ſe præſentare in feſto S. Ægidii, ut patet ex illius verbis: *Quicumque reſidere, &c.* Nam intelliguntur non verbaliter, ſed cum effectu, ut in terminis eſt *text. in cap. relatum 4. De Clericis non reſidentibus*. Sic & fundamentum, ſive principale requiſitum reſidentiæ, ſive abſentiæ gratioſæ, eſt etiam exhibitio, ſive præſentatio in eo feſto, ut patet ex ſequenti capitulo: *Item qui in dicto feſto Beati Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit, &c. Summario litt.H.*

8. Sequitur immediatè caput ejuſdem Statuti adverſus eos, qui non fecerint prædicta diſpoſita, ut pro foraneis habeantur, & conceptum eſt his verbis: *Item quicumque in dicto feſto Beati Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, vel præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes, & unam diem continuò, vel diſcontinuò; alioqui pro foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat eo anno, niſi illum de licentia Capituli abeſſe contingat, quin etiam fructus perceptos reſtituere teneatur, nec abſentia gratioſa ei concedatur. Summ.litt.I.* Et quamvis (ut in motivis aſſeritur) clauſula illa concepta ſit affirmativè, de eo ſcilicet, qui ſe in feſto Sancti Ægidii ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, vel præſentaverit, ut debeat reſidere eo anno apud Eccleſiam ſex menſes, & unam diem continuò, vel diſcontinuò, nihilominùs per ſubſequentem clauſulam: *alioqui pro foraneo habeatur*, convertitur oratio in negativam, & contrariam præcedenti diſpoſitioni, ità ac ſi à principio dictum fuiſſet: Quicumque in feſto Sancti Ægidii ſe non præſentaverit, vel ſi ſe præſentaverit, & non reſederit eo anno, pro foraneo habeatur; Quia dictio *alioqui* continet in ſe ipſa orationem, & inducit conditionem contrariam præcedenti diſpoſitioni, & ſecundùm propriam ſignificationem exponitur *alioqui*, ideſt *ſi non fecerint prædicta*, prout hæc omnia docet *Bartol.in l.legatis, quæ 1. ff. de condition. & demonſtrat. num.*11. ubi id probat ex multis juribus civilibus, & adeſt etiam *text.*Canonicus *in Clementin.attendentes 2.verſ.ſtatuimus inſuper De ſtatu Monachorum, Galganett.de condition.& demonſtrat.par.*1.*cap.*89. *n.*4. *poſt Salycet.in l.*2.*in princip. ff. ſi certum petatur. Oſaſch. deciſ. Pedemontan.* 145.*num.*5.*Purpuratus in d.l.*2.*num.*19. qui omnes ex *Speculatore* referunt ita Papam Innocentium pronunciaſſe.

9. Nec obſtat, quòd per illam dictionem *alioqui* poſſit converti in contrarium ſolus unus caſus ex diſpoſitis, nempè ſola conditio ejus, qui debet reſidere eo anno, non item caſus præſentationis in feſto Sancti Ægidii, ut unica ſola conditio ità in contrarium convertatur: Alioqui ſi ſe præſentaverit in feſto S. Ægidii, & non reſederit eo anno, pro foraneo habeatur; Sed iſte ſcrupulus ex pluribus tollitur.

10. Pri-

Digitized by Google

10. **Primò enim reſpondetur, quòd natura, & proprietas dictionis** *alioqui*, ea eſt, ut inducat conditionem contrariam præcedenti diſpoſitioni, & exponatur *alioqui*, ideſt ſi non fecerit prædicta, iuxtà doctrinam *Bartoli in d. l. legatis, quæ* 1.*num.*11.*ff.de condit.& demonſtrat.* Atque in præcedenti diſpoſitione, ac etiam in eadem clauſula, & oratione, nedum relata eſt reſidentia ejus anni per ſex menſes, & unam diem, ſed etiam præſentatio in feſto S. Ægidii, imò hæc eſt fundamentum, & requiſitum ſecundæ reſidentiæ principalitèr diſpoſitum, ut ſuprà fuit demonſtratum; Ideò natura, & proprietas dictionis *alioqui*, quòd referatur contrariè ad prædicta, non poteſt reſtringi ad unum ex prædictis, quia omnis interpretatio reſtrictiva eſt contra literalem ſermonem: nec à proprietate verborum recedendum eſt, niſi manifeſtè, & evidentèr ſtatuentes contrarium voluiſſent, ut ex *l. non aliter in principio, ff. de leg.* 3.*l.ille, aut ille, §.cùm in verbis, ff. eodem titulo*, & aliis juribus probat *Bald. conſ.*371.*col.*2.*vol.*5.*Cravett.conſ.*131.*num.*10.

11. Et cùm illa dictio *alioqui* contineat in ſe ipſa orationem præcedentium repetitivam. *Bartol.in d.l.legatis, quæ* 1. *num.*11.*Alex.de Imol.in additione marginali ibidem*, ideò ad omnia præcedentia diſpoſita, etiam remotiora refertur. *Bald.in conſ.*357.*vol.*4. *Rota Romana deciſ.*709.*recent.part.*1. *à num.*2. ubi quòd idem procedit etiam in odioſis, & ſtrictè interpretandis. Rursùs nulla ratio poteſt aſſignari, quare magis ad unum, quàm ad alterum referatur, undè ad omnia præcedentia refertur, etiam remotiora. *Rot.Romana d.dec.*709. *num.*2.*recent.part.*1. *Riminald.jun.conſ.*299.*num.*22. *junctio conſ.*300. *num.*61. & in terminis Statuti idem docet ipſe *Riminald.jun.conſ.*597. *à num.* 5. Imò, & ſecundæ reſidentiæ ineſt præſentatio in feſto S. Ægidii; cùm ad ſecundam reſidentiam perveniri non poſſit, niſi per exhibitionem in feſto S. Ægidii, ut manifeſtè cautum eſt à Statuto. *Summ. litt. G.* Quare conditio: ſi non fecerit prædicta, inducta per dictionem *alioqui*, referenda eſt etiam ad exhibitionem in feſto S. Ægidii, per quam ad ſecundam reſidentiam pervenitur. *l. oratio, ff. de ſponſalibus. Gloſſ.in cap.præterea* 5.*in verb.ex eo, quod cauſa, &c. litt.M. De officio, & poteſtate Judicis Delegati.*

12. Secundò reſpondetur, quòd aliàs eſſet melioris conditionis ille, qui majorem contumaciam, & inobedientiam commiſit, nempè, qui ſe non præſentavit in feſto S. Ægidii, & non reſedit eo anno; Is enim quamvis non poſſet petere gratioſam abſentiam, tamen non haberetur pro foraneo, atque ità careret minoribus, & frueretur majoribus, quod abſurdum maximum foret. *l.cui pacto, ff.de ſervis exportandis*; Per contrarium verò, qui ſe præſentavit in feſto S.Ægidii, & non reſedit, & ſic minorem indevotionem commiſit, habetur pro foraneo, & gratioſa abſentia nullo modo ei concederetur; Id enim abſurdum omninò ſequeretur, ſi dictio *alioqui* induceret ſolùm conditionem contrariam reſidentiæ, & non item exhibitioni in feſto S.Ægidii, dum ſequuntur verba: *Alioqui pro foraneo habeatur, & nullo modo ei concedatur abſentia gratioſa*; Ideò ne hoc abſurdum ſequatur, neceſſariò dictio *alioqui* debet inducere conditionem contrariam etiam exhibitioni in feſto S. Ægidii; Nam ſi facienda eſt omnis interpretatio, ut evitentur abſurda. *l.jam dubitari, ff.de hæredibus inſtituendis, l.Offidius, ff.de legat.*3. Adeò ut per hoc argumentum ab abſurdo evitando, quod fundatur in diſcretione naturali, ſicuti ex *Baldo*, inquit *Riminald.jun.in conſ.*243.*num.*51. nedum relatio fieri debeat ad remotiora. *Caſtrenſ.*

*ſtrenſ.in conſ.*14.*vol.*2. *Abbas conſ.* 78.*part.* 2. *Cravett.conſ.*70. ſed etiam ad evitandum abſurdum debeant verba impropriari. *Burſatt.conſ.*2. *num.*61. *Riminald.jun.in conſ.*276.*num.*35. eò fortiùs debet retineri natura, & proprietas dictionis *alioqui*, ut inducat conditionem contrariam etiam exhibitioni, quæ eſt annexa, & conjuncta cum reſidentia in eadem oratione, ne illud abſurdum ſequi poſſit.

13. Tertiò reſpondetur, quòd ex proximo capite ejuſdem Statuti immediatè præcedenti decernitur contra illum, qui ſe non præſentavit in feſto S. Ægidii, ne gratioſam abſentiam petere poſſit; Undè à contrario ſenſu, qui ſe præſentavit, poteſt petere gratioſam abſentiam, quæ ex cauſa conceditur, & ità practicatur, & obſervatur; Atquì ſi in ſequenti capite dictio *alioqui* induceret ſolùm conditionem contrariam reſidentiæ, non item exhibitioni in feſto S. Ægidii, ità ac ſi dictum fuiſſet: ſi ſe præſentaverit in eo feſto, & non reſederit, habeatur pro foraneo, & ei nullo modo abſentia gratioſa concedatur, certè ſequeretur in continenti contrarietas, & correctio: ad quam evitandam, ſi neceſſe eſſet, relatio fieri deberet etiam ad remotiora. *Riminald.jun.conſ.*213.*n.*44. *Caſtrenſ.d.conſ.*14.*vol.*2.*Abb.in conſ.*78.*par.*2.*Cravett.in conſ.*70. Propter eà dictio *alioqui* debet neceſſariò inducere conditionem contrariam, etiam exhibitioni in feſto S. Ægidii, ut ità convertatur: ſi ſe non præſentaverit in feſto S. Ægidii, habeatur pro foraneo, & nullo modo ei concedatur abſentia gratioſa: Vel ſi ſe præſentaverit, non reſederit, nec impetraverit gratioſam abſentiam, pro foraneo habeatur; Nam quando relatio ad ſuperiora non poteſt fieri commodè, & uniformitèr, tunc referenda ſunt ſingula ſingulis. *Zaſius in l. non omnis,§.ſi pupillus num.*12.*&* 13.*ff.ſi certum petatur. Cravett. conſ.* 623, *num.*15.*&* 16.*Berouſ.conſ.*81.*num.*32.*vol.*2.

14. Quartò reſpondetur, quòd ille, qui ſe non præſentat in feſto Sancti Ægidii, facit actum contrarium conditioni de faciendo ſecundam reſidentiam, qui abſque illa præſentatione in feſto S. Ægidii non poteſt eo anno apud Eccleſiam reſidere, ex eodem Statuto. *Summ. litt.G.* atque ità ſe opponit principio ejus conditionis adimplendæ, ideò toti conditioni contravenit, & facit in totum conditionem deficere. *l.ſi ſponſalibus, ff. de jure dotium,l.fin.C.de condition. inſertis*, & in terminis Statuti idem docet *Ripa in rubr. ff. ſoluto matrimonio num.* 32. Undè conditio contraria præcedentibus, quam dictio *alioqui* importat, neceſſariò ità convertenda eſt: Si ſe non præſentaverit (dum qui ſe non præſentat, contravenit principio, & in totum facit deficere conditionem) vel ſi ſe præſentaverit, non reſederit eo anno ſex menſes, & unam diem, pro foraneo habeatur.

15. Ex quibus retorquetur in contrarium argumentum, quod ducebatur ex capite Statuti immediatè præcedenti, ubi decernitur contra illum, qui ſe non præſentavit in eo feſto, ne gratioſam abſentiam petere poſſit; Id enim rectiſſimè conſtitutum fuit, quia ſicut ille, qui vult verè, & effectualitèr reſidere, debet ſe in eo feſto præſentare, ut demonſtravimus ſupra, ex Statuto. *Summar. litt. G.* ità & qui fictè vult reſidere per gratioſam abſentiam, debet etiam ſe exhibere in eo feſto, ne aliàs fictio prævaleat veritati. *l.qui habet, ff. de tutelis, l.filio, ff. de liber.& poſthum.l.finali, C.de his, qui veniam ætatis impetraverunt*, cum aliis adductis per *Cravett.conſ.*579.*num.*15. Sed utriuſque reſidentiæ tàm veræ, quàm fictæ, principium, fundamentum, & requiſitum diſpoſitum à Statuto,

tuto, eſt præſentatio in eo feſto, adeò ut qui contravenit principio, nempè exhibitioni in feſto S. Ægidii, toti conditioni reſidentiæ contraveniat, & faciat eam deficere, ut ſuprà demonſtratum fuit; Nam idem judicatur de principio, quòd de iis, quæ ab ipſo principio ſequuntur. *Caſtrenſ. in l. maritus n. 5. C. de procurat. Molina De Hiſpan. primogen. lib. 1. cap. 6. num. 38.*

16. Denique cùm dictio *alioqui* referenda ſit contrariè, tàm ad præſentationem in feſto Sancti Ægidii, quàm ad reſidentiam eo anno, certè relatio facienda eſt disjunctivè, juxtà naturam contrariorum, & eorum, quæ ſimul concurrere non poſſunt. *Additio ad Oldrad. conſ. 161. litt. B. Seſſe decif. Aragon. 238. num. 3.* ut ità inducatur conditio utrique contraria: *Alioqui ſi ſe non præſentaverit in feſto S. Ægidii, vel ſi ſe præſentaverit, non reſederit eo anno, pro foraneo habeatur*; Et ita Capitulum Leodienſe rem iſtam veluti certam, & indubitatam declaravit, & expoſuit Domino Cardinali, qui cùm in epiſtola ad Capitulum miſſa die 4. Martii, conqueſtus eſſet, quòd aliqui Capitulares curare ſatagerent ipſum, tanquam ſi à Capitulo alienus eſſet, arcere à futura electione, & ſub prætextu Statutorum, tanquam foraneum voce activa privandum. *Summ. num. 11.* Capitulum in literis datis 11. Martii reſpondit, de eadem re veluti clara, & indubitata, non aliquorum, ſed communem omnium eſſe ſententiam, his verbis: *Quin autem Statuta, & memoratæ conſuetudines eos, qui in die S. Ægidii Capitulo ſe ſe non præſentaverint, vel ſi ſe præſentaverint, eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem non reſederint, foraneos declarent, eademque à voce activa foraneos excludant, apud nos nunquam fuit dubitatum, ut illud ipſum Eminentiſſima Celſitudo veſtra perſpiciat ex eorumdem extractu. Summ. nu. 12.* Quibus Capituli literis credendum eſt. *Gloſſ. in cap. cùm inter R. 16. verb. Epiſcopus De electione.*

17. Ad aliud verò motivum, quòd non adſit expreſſum Statutum, quo Canonicus ſimpliciter foraneus à voce activa in electionibus repellatur: Certè ſi non haberemus expreſſas conſuetudines, & clariſſima Statuta Eccleſiæ Leodienſis, quæ id declarant, ſufficeret reſponſio ex eo ſolùm, quòd nomen foranei ex ſui propria ſignificatione hoc ipſum importat, quòd qui eſt foraneus, ſcilicet extraneus, peregrinus, & alienus à Capitulo, nullum judicium ferre poſſit. ità *Gloſſ. in cap. Romana 1. De officio ordinarii in 6. verb. Foraneos in ſine litt. C.* in illis verbis: *vel Foraneos, quia de foris veniunt, ut advenæ, vel peregrini dicantur, quorum ſunt reprobata judicia. cap. 3. quæſt. 6. cap. peregrina, & cap. ſequ.*

18. Et quamvis *Dufraſne in Gloſſario, verb. Foraneitas*, intelligat foraneitatem de Canonico, qui non facit reſidentiam, nihilominùs hanc ſignificationem deſumit ex Tabulariis Eccleſiarum Meldenſis, Trecenſis, & Carnotenſis, in quibus Eccleſiis Canonici non reſidentes privantur fructuum perceptione, prout de Meldenſi habetur in *cap. ad audientiam 15. De Clericis non reſidentibus*, & de Trecenſi habetur *in cap. cùm omnes 6. De conſtitut.* At verò in præfatis Eccleſiis non poteſt ad Canonicos foraneos accomodari privatio, ſive excluſio à jure dicendi ſuffragium in electione, quia Eccleſiæ illæ ſitæ ſunt in Regnis Galliæ, ubi Capitula earumdem Eccleſiarum non habent jus eligendi Canonicos, nec Epiſcopum: atque ità in præfatis Eccleſiis Canonicus foraneus dici non poteſt de eo, qui caret jure ſuffragii in electionibus, cùm tale jus nec actu, nec habitu ſit penès Capitulum, nec penès alios Canonicos,

qui non ſunt foranei ; aliàs enim diceretur privatus, & excluſus eo jure, quod numquàm habuit , non ſine manifeſta terminorum repugnantia , & contradictione. *l.manumiſſiones,ff.de juſtit.& jure,l.decem,ff.de verbor.obligation.Riminald.jun.in conſ.23.à num.95.*

19. Sed ex moribus, ac Statutis Eccleſiæ Leodienſis , Canonicus foraneus nec negotiis capitularibus intereſſe , nec in electionibus ſuffragium dicere poteſt, prout manifeſtè declaratum eſt per Statutum, juxta veterem compilationem anni 1562. deductam ex antiquiſſimis conſuetudinibus , & conſtitutionibus ejuſdem Eccleſiæ,confirmatam ab Apoſtolica Sede per Signaturam.*Summar.num.*1. per quam Signaturam gratia, & confirmatio dicitur perfecta. *Rota Romana deciſ.625. num.4. recentior. par.*1. Verba ejuſdem Statuti ſunt hæc: *Item Canonicus foraneus. item qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam , & annualem reſidentiam abſolverit . Item qui in Sacro Subdiaconatus Ordine non eſt conſtitutus, nullo modo, etiamſi de electione Epiſcopi,Præpoſiti, Decani, aut quacumque, & quantumvis ardua re tractetur, negotiis capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere non poterit,&c.Summ.novo num.*1.In hoc Statuto non dubitatur, quin qualitas foranei ſtet ſimpliciter , & abſolutè, ità ut ſola ſufficiat,ne Canonicus vocem activam in electionibus habere poſſit.

20. Neque huic contradicit Statutum, juxta novam compilationem.*Summar.num.*2. conceptum his verbis: *Item Canonicus foraneus, imbannitus , qui primam reſidentiam non fecit . Item qui in ordine Subdiaconatus non eſt conſtitutus, nullo modo poterit, etiamſi de electione Epiſcopi, Præpoſiti , vel Decani, ſeu quacumque alia ardua re tractetur, negotiis capitularibus intereſſe,aut ſuffragium dicere,&c.* Hoc enim ſtatutum venit ad declarationem veteris in ea parte , qua jus ſuffragii denegatur illi , qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt , niſi primam , & annualem reſidentiam abſolverit ; Poterat enim dubitari , an ille, qui primam reſidentiam non fecit , nec abſolvit , haberet vocem activam in electionibus, ac expreſſiſſimè declaratur, eum vocem non habere . Hoc ipſum additur de imbannito, quod in Statuto veteri fuerat omiſſum, utpotè, quòd nulla indigebat proviſione; Nam ex jure communi interdictus, & excommunicatus non poteſt ſuffragium dicere in electionibus . *cap. cùm dilectus 8.ubi Gloſſ.in verb.à ſuſpenſis De conſuetudine, cap.cùm inter R.*16. *De elect.Gloſſ.in cap.cùm bonæ 8.in verb.ſuſpenſi De electione, & in cap. ſi celebrat 10.in verb.nec eligere probibetur De Clerico excommunicato. Gloſſ. in cap. conſtitutis 23.in verb.excommunicationis De appellationibus.*

21. Quod verò in motivis ſubjicitur , appoſitam eſſe dictionem *Item* ſingulis qualitatibus contentis in primo Statuto , quæ dictio *Item* minimè legitur in ſingulis qualitatibus in ſecundo Statuto contentis , quaſi quòd dictio *Item* operetur , quòd ſingulæ qualitates debeant principaliter , ac disjunctim conſiderari, ità quòd unaquæque qualitas ſufficiat, nec omnium concurſus requiratur, idque dici nequeat de ſecundo Statuto , ubi dictio *Item* non eſt appoſita ſingulis qualitatibus , atque ità differat ſecundum Statutum à primo : certè nullo modo ſubſiſtit , & ex pluribus diluitur.

22. Primò enim reſpondetur, ex illa dictione *Item* nullam agnoſcendam eſſe differentiam realem, nec literalem inter primum, & ſecundum Statutum; nam in utroque Statuto ſingulæ qualitates reguntur ab unico , & eodem verbo. ibi : *Non poterit*; Et ſic in una, eademque oratione ſunt poſitæ , & referun-

Digitized by Google

runtur ad unum Subſtantivum, nempè ad Canonicum; Propterea ſivè inter illa ſingula adjectiva, & qualitates appoſita ſit dictio *Item*, ſivè non ſit appoſita, ſemper ſtant principalitèr, & disjunctivè, dum prolata ſunt reſpectu unius Subſtantivi, adeò quòd non requiratur omnium concurſus, ſed ſufficiat,quòd una qualitas verificetur, exemplo teſtatoris,qui legaverit empta,parata,&c. nã ſufficit parata eſſe,vel empta,ut notat hæc omnia *Dioniſ.Gothofred.ad l.qui cõcubinam 29.litt.B.& E.ff.de lega.3.*Imò etiam cùm plura adjectiva eſſent conjuncta per copulam &,ſi tamen referantur ad Subſtantivũ generis,non ad certum aliquid,& finitum,non requiritur concurſus omnium,ſed ſufficit,unũ verificari.*Dioniſ.Gothofred.ad d.l.qui concubinam lit.B. & E.* Idque procul dubio quando copula fuiſſet poſita inter penitùs diverſa; tunc enim ſtat ampliativè, & ſemper reſolvitur in disjunctivam, in omni materia, ſivè favorabili, ſivè ſtricta. *Bartol.& Dioniſ.Gothofred.ad l.ſi Titio* 10. *ff. de uſu, & uſufructu, & reddit. Oldrad.in conſ.*161.*num.*8.*Bartol.in l.ſi is,qui ducenta,§.ſed utrùm, ff.de rebus dubiis, Bald.in l.*1.*in princ.ff.de juſtitia, & jure. Alexand. conſ.*25.*à num.*15.*vol.*7.*Riminald.jun.in conſ.*353.*nu.*48.

23. Quatenùs verò diceretur, in terminis ſecundi Statuti, ea nomina *Canonicus foraneus, Imbannitus*, & cætera, quæ ſequuntur, eſſe ſubſtantiva, & tunc etiam ſi inter ſubſtantiva adfuiſſet copula, certè ea non requireret concurſum omnium, ſed haberet vim ampliationis,ut nedùm Canonicus foraneus careat voce activa in electionibus, ſed etiam Imbannitus, & cæteri, quos Statutum enumerat; Idque procedit etiam in materia ſtricta, & pœnali, undè ſi lex dicit, quòd ſit infamis ille, qui de furto, & rapina, & injuria, & de dolo damnatus fuit, non requiritur, quòd omnia iſta copulativè concurrant, ſed ſatis eſt, quòd alterum prædictorum fecerit. *l.*1.*& ibi Bartol.ff.de his, qui notantur infamia. Alexand.conſ.*64.*num.*3.*vol.*7.

24. Secundò reſpondetur, quòd ſi in ſecundo Statuto ea nomina, & qualitates non ſtarent principalitèr, & disjunctivè, adeò quòd requireretur concurſus omnium, certè ſequeretur maximum abſurdum; Nam ſi quis Canonicus eſſet imbannitus, ſcilicèt interdictus, ſivè excommunicatus, non ſufficeret illa ſola qualitas, ut arceatur ab electione,ſed requireretur etiam,quòd primam reſidentiam non feciſſet; undè ſi jam abſolviſſet primam reſidentiam,poſſet excommunicatus intereſſe Capitulo, & habere vocem activam in electione;Propterea ad evitandam correctionem juris communis, vel aliquod abſurdum,neceſſariò dicendum eſt, quòd illa nomina, ſivè qualitates ſtent principalitèr, & disjunctivè etiam in materia ſtricta, & odioſa. *Alexand.d.conſ.*64.*num.*5. *vol.*7. *& in conſ.*93.*num.*10. *vol.*3. quia etiam copula reſolvitur in disjunctivam, ad effugiendum abſurdum, quod ſequi poſſet. *Riminald.jun.conſ.*458.*nu.*96.*verſ. & in quantum, cum aliis relatis per Oſaſc.in deciſ.*141.*num.*10.*& in deciſ.*81. *num.*18.

25. Idem ſequeretur de eo,qui non eſt in ſacro Subdiaconatus ordine conſtitutus; Nam neque hoc ſolùm ſufficeret, ut Canonicus repelleretur à jure ſuffragii, juxtà *Clementin.Ut ii,De ætate, & qualitate, & Sac.Concil.Tridentin.ſeſſ.*22.*cap.*4.*de reformatione*, ſed requireretur etiam, quòd primam reſidentiam non feciſſet, & quòd non eſſet imbannitus, ità ut Canonicus non imbannitus, & qui abſolviſſet primam reſidentiam,non conſtitutus in Subdiaconatus ordine, poſſet habere vocem in Capitulo, contra diſpoſitionem *Clemen-*

tin.Vt ii,De ætate, & qualitate, & Sacr.Concil.Tridentin.ſeſſ.22.cap.4. de reformatione. Et ſi ad hoc abſurdum effugiendum dicatur, quòd Statutum reſpectu ejus, qui non eſt in Subdiaconatus ordine conſtitutus,appoſuit dictionem *Item*, ut denotaret, id ſolùm ſufficere ad repellendum Canonicum à jure ſuffragii: Advertendum tamen eſt, quòd non regitur a verbo ſeparato, ſed ab eodem verbo *Non poterit*, à quo omnes aliæ qualitates reguntur; undè æqualitèr, & uniformitèr omnes determinari debent,ità ut quod attribuitur uni,ſingulis aliis attribuendum ſit, ex regula *l.jam hoc jure, ff.de vulg. & pupill. ſubſtitut.* latè *Riminald. jun. in conſ.50. num.23. & 55. Soccin.jun.conſ.51. num. 7.vol.4.*

26. Tertiò reſpondetur, Statutum novum venire ad declarationem, & ſupplementum veteris Statuti, ſicuti fuit ſupra demonſtratum; undè intelligendum eſt juxtà terminos ipſius veteris Statuti. *Bartol.in l.nihil, ff.de conjungend.cum emancip.liberis, Riminald.jun.conſ.737.nu.46.& in conſ.29.num. 29.* quia lex nova recipit declarationem, & interpretationem ab antiqua *l.non eſt novum,ff.de legibus,Jaſon in l.ſciendum num.4.ff.qui ſatisd.cogantur, Philippus Richter conſ.30.nu.53.& 54.par.3.* Atque ità cùm unum Statutum recipiat ab altero declarationem, & ſivè unum, ſivè alterum inſpiciamus, ſemper concluditur id, quod intendimus, nempè Canonicum ſimplicitèr foraneum repelli à jure ſuffragii; ideò non intrat quæſtio, an unum, an alterum Statutum attendendum ſit, ac ſervandum, nam ex utroque intentio noſtra fundatur, quare undique res certa dicitur. *Decius in cap.in præſentia nu.86. de probat.& in conſ.217.num.1.Cravett. in conſ.147. nu.3.* Et hæc interpretatio fuit abſque ullo dubio recepta, ſicuti teſtatur Capitulum Leodienſe in literis ſupra relatis.*Summ.nu.12.* Quamobrem in eadem electione declaravit Capitulum, habendum eſſe pro foraneo Sereniſſimum bonæ memoriæ Principem Neoburgenſem, ſupremum Ordinis Theutonici Magiſtrum: atque adeò in electione ſuffragium dicere non potuiſſe, ex quo ſe non præſentavit in feſto Sancti Ægidii.

27. Nec verum eſt, quòd Conſuetudines, & Statuta Eccleſiæ Leodienſis ſint exorbitantia, & odioſa, dum privant Canonicum jure dicendi ſuffragium in electionibus, quod eſt annexum Beneficio, ſeu Præbendæ, & inhæret titulo, ſivè dignitati Canonici;Nam vox Capitularis competens Canonico in electionibus non eſt de beneficio, nec inhæret dignitati, ſeu præbendæ: nec eſt actus ordinis, ſed pertinet ad aliquod officium Eccleſiaſticum, non jure ſingulari, ſed jure Collegii,ideòque faciliùs evellitur, & longè differt à jure præſentandi, quod Patrono competit, vel à jure eligendi,ſivè conferendi, quod competit Epiſcopo, vel alicui uti perſonæ ſingulari, quod eſt fortius, proùt hæc omnia docet *Gloſſ.in cap.beneficium,in verb.conferendum, circà finem, De Regular.in 6.Felin.in cap.Apoſtolicæ num.16.de except.Giballin.de Sacra Juriſdictione diſput.7.qu.12. conſectar.4.num.9.fol.321.*

28. Quinimò tale jus dicendi ſuffragium, & habendi vocem Capitularem competit Canonicis ratione intereſſentiæ in divinis Officiis diebus ſtatutis: idque expreſsè declaravit *Sac.Concilium Tridentinum ſeſſ.22. cap.4. de reformatione*, ubi primò decernit, obſervari pœnas ſtatutas à *Clementin. Vt ii,De ætate, & qualitate*, ſcilicèt, quòd vocem in Capitulo non habeant illi Canonici, qui non ſunt promoti ad Subdiaconatus ordinem,vel intrà annum ordines

requi-

requiſitos non ſuſceperunt, poſteà ſub eiſdem pœnis mandat Tridentinum,eſſe cogendos diebus ſtatutis dictos ordines per ſe ipſos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in Cultu divino præſtare: ac ultrà eaſdem pœnas, quòd vocem in Capitulo non habeant, addit alias graviores arbitrio Epiſcopi imponendas. Quare Statuta Eccleſiæ Leodienſis, quæ à tali jure dicendi ſuffragium in electionibus excludunt Canonicum foraneum, & pro tali habent illum,qui ſe non præſentavit in Feſto Sancti Ægidii ſub hora Summæ Miſſæ, vel ſi ſe præſentaverit, eo anno apud Eccleſiam per ſex menſes, & unam diem non reſederit, certè nil durum, & odioſum continent, nec ſunt exorbitantia, ſed juri communi, & diſpoſitioni S.Concil.Tridentin. conformia.

29. Hæc autem minimè labefactari poſſunt, ex eo, quòd Domino Cardinali per Apoſtolicum Breve divæ memoriæ Clementis X. fuerit diſpenſatum ſuper reſidentia, ad quam tenebatur ob Præpoſituram ejuſdem Eccleſiæ Leodienſis, undè cenſeatur etiam diſpenſatum ſuper exhibitione in Feſto S.Ægidii, quæ requiritur ob reſidentiam,& eſt de acceſſoriis.

30. Primò enim reſpondetur, quòd etſi abſque præſentatione in Feſto S. Ægidii non poſſit quis facere ſecundam reſidentiam,adeò quòd præſentatio ſit fundamentum,& requiſitum ſecundæ reſidentiæ principalitèr à Statuto diſpoſitum, ut ſupra fuit demonſtratum, non tamen ex hoc ſequitur, quòd præſentatio in eo Feſto in Capitulo generali ſub hora Summæ Miſſæ à Statuto ordinata. *Summ.Statut.litt.G.* requiratur ob ſolam reſidentiam,& ſit de connexis, vel acceſſoriis illius,quæ neceſſariò ſequantur. Ea enim præſentatio ſit etiam ob majorem celebritatem,& Feſti ſolemnitatem,atque ob intereſſentiam in Capitulo generali, ubi tractatur de negociis magis arduis, ac etiam de gratioſis,in quibus ſtandum eſt majori parti Capituli;cùm extrà Capitulum generale contradictio unius poſſit illa impedire. *Summ.Statut.lit.N.* Neque eſt de annexis, & acceſſoriis, quæ neceſſariò ſequantur, ſicuti Beneficium Eccleſiaſticum conceditur propter officium, ac illius eſt principium, ac fundamentum, & tamen non eſt neceſſariò connexum, nec neceſſariò ſequitur illud; Undè ſuſpenſus ab officio, non cenſetur ſuſpenſus à beneficio, præſertim quia per Vicarium poteſt officium impleri, juxtà communem, & receptam ſententiam apud *Giballin.de ſacra juriſdict.diſput.7.quæſt.12.num.9.fol.318.* eaque probatur ex *text. in cap.inter,De purgatione Canonica.*

31. Similiter & reſidentia eſt fundamentum, ac principium intereſſentiæ Divinis Officiis certis diebus, & horis; quia qui non reſidet, non poteſt illis intereſſe: & tamen diſpenſatus in reſidentia, non cenſetur diſpenſatus in intereſſentia certis diebus,& horis.*Gloſſ.in cap.unico De Clericis non reſidentibus in 6. lit.H. in verb. adfuerint.* ibi: *Nota, quòd ſi quis impetrat, quòd in abſentia percipiat proventus ſuos, ac ſi præſens eſſet, diſpenſatio faciat eum reputari pro præſente, ſed non pro intereſſente Divinis Officiis; ſed ſi præſens eſſet, & officiis non intereſſet, has diſtributiones non perciperet, ut hîc, ergò nec diſpenſationis vigore perciperet; ſed ſi diceretur in gratia, quòd reciperet, ac ſi præſens eſſet, & Divinis Officiis intereſſet, tunc ſecùs, ratione prædicta.*

32. Idque indubitatum eſt, attentis Statutis Eccleſiæ Leodienſis; Nam qui obtinet gratioſam abſentiam, non tenetur verè, & actu reſidere, & tamen debet in Feſto Sancti Ægidii ſe præſentare. *Summar.Statut.lit.L.* Itemque ſit differentia inter exhibitionem ad reſidentiam, & inter ſimplicem præſentationem;

nem; Nam qui præcedenti anno non reſederit, non ſufficit ei ſimplex exhibitio in Feſto Sancti Ægidii in Capitulo generali, ſed ultrà exhibitionem debet ſe ad reſidentiam offerre; Ille verò, qui reſidet, tenetur ſolummodò in eo Feſto ſe præſentare, itant ſimplex præſentatio ei ſufficiat. *Summar. Statut. lit. G.* Et in ſubſequenti capite, cùm agitur de eo, qui pro foraneo ſit habendus,ſit etiam eadem diſtinctio inter exhibitionem ad ſecundam reſidentiam, & inter ſimplicem præſentationem, quæ refertur ad eos, qui reſident, juxtà Statutum in capite præcedenti. *Summar. Statut. lit. H.* Quare diſpenſatio Domino Cardinali conceſſa, quamvis efficiat, ut ille debeat reputari præſens, ac reſidens, ex hoc tamen non ſequitur aliud, quàm quòd tamquam reſidens non debeat ſe offerre ad reſidentiam, ad quam non tenetur ex diſpenſatione, ſed tamen tenetur ad ſimplicem exhibitionem, & intereſſentiam in eo Feſto, quæ differt à reſidentia, nec eſt de connexis, vel de acceſſoriis, quæ neceſſariò ſequantur, juxtà *Gloſſ. in d. cap. unico lit. H. in verb. adfuerint, &c. de Clericis non reſidentibus in 6.* Et ità fuit obſervatum, & practicatum; Nam poſt diſpenſationem per Apoſtolicum Breve Clementis X. Dominus Cardinalis ſimpliciter ſe præſentavit in Feſto S. Ægidii per Procuratorem, nec obtulit ſe ad reſidentiam, ad quam vigore diſpenſationis non tenebatur,ſed ſimpliciter ſe præſentavit ab anno 1675. uſque ad annum 1688. *Summ.num.6.lit.D.uſque ad T.*

33. Secundò reſpondetur, quòd exhibitio in Feſto Sancti Ægidii, & reſidentia, non acceſſoriè, ſed principaliter ſunt à Statuto diſpoſita, & ordinata, adeò quòd pro foraneo habendus ſit tàm ille, qui non ſe præſentaverit in Feſto S. Ægidii, quàm is, qui ſe præſentaverit, & non reſederit eo anno, ut ſupra fuit demonſtratum; Undè non eſt quærendum, an unum requiratur propter alterum, quando utrumque principaliter eſt deductum in diſpoſitionem ſtatutariam. Sic & inſtrumentum fundi, quamvis ſit acceſſorium fundi, eique connexum, & deſerviens, ſi tamen teſtator legaverit alicui fundum, & inſtrumentum fundi, ſivè legaverit fundum inſtructum, tunc quia inſtrumentum fundi non conjungitur acceſſoriè, ſed principaliter in legato, adempto poſteà fundo, non cenſetur ademptum fundi inſtrumentum. *tex.eſt expreſſus in l. ſi cui fundum 5. ff. de fundo inſtructo, & inſtrum. legat.* Sic & diſpenſatus in retentione plurium Eccleſiarum, quamvis cenſeatur diſpenſatus in omnibus, quæ ſunt de acceſſoriis, atque ità habeat vocem activam in electionibus, nihilominùs ſi ex conſuetudine alicujus Eccleſiæ jus ſuffragii haberent ſolùm reſidentes, tunc illud jus non eſſet de acceſſoriis, & non comprehenderetur ſub diſpenſatione. *Gloſſ. in cap. quia in tantum 5. de præbend. & dignitat. in verb. plures*, cum aliis adductis in prioribus allegationibus editis ſuper oppoſitionibus Eminentiſs. D.Card. Bullionii.

34. Tertiò reſpondetur, quòd etſi admitteremus (quod non concedimus) præſentationem in Feſto S. Ægidii eſſe de connexis, & acceſſoriis reſidentiæ, nihilominus principalis ratio diſpenſationis fundata eſt in impedimento Cardinalitiæ Dignitatis, ob quam non poterat D.Cardinalis reſidere perſonaliter, & continuò de anno in annum in Eccleſia Leodienſi ratione ejuſdem Præpoſituræ, ſicuti expreſsè dicitur in præfatione conceſſionis. *Summ. num.5. litt. C.* quæ ratio non convenit præſentationi in feſto S.Ægidii, quæ eſt actus inſtantaneus,& per Procuratorem fieri poteſt. *Summ.num.2.* Undè corruit argumentum de connexis, & de principali ad acceſſorium; id enim nullo modo procedit,

dit, quando ratio eſt diverſa. *Gloſſ. in cap. prætereà 5. verb. ex eo, quòd cauſa litt. M. de officio, & poteſtate Judicis Delegati.*

35. Quartò, reſpondetur, eam diſpenſationem fuiſſe reſtrictam ad certos articulos, qui continebantur ſub juramento, quod Dominus Cardinalis præſtare tenebatur, ut ad Præpoſituram admitti, & illius poſſeſſionem adipiſci potuiſſet, & fuerunt expreſſi articuli, ſuper quibus fuit diſpenſatum, cum clauſula (ſervatis aliis ſervandis) *Summario num. 5. lit. D.* Inter quos articulos fuit expreſſus ille, quo uti Præpoſitus tenebatur reſidere in Eccleſia ſingulis annis per ſex menſes continuos in Clauſtro, ſed nulla facta fuit mentio exhibitionis in Feſto Sancti Ægidii, nec obligationis jam contractæ ex juramento, quod uti Canonicus præſtiterat. *Summario num. 4.* Quare, diſpenſatio nullo modo poteſt ei ſuffragari in qualitate Canonici, cujus officio ineſt jus dicendi ſuffragium in electionibus, ſicuti latiſſimè fuit demonſtratum in præcedentibus allegationibus, & nunc addimus, adeò verum eſſe, quòd diſpenſatio per Apoſtolicum Breve Clementis X. nihil conceſſerit Domino Cardinali in qualitate Canonici, ut in ejus impetratione fuerit dictum, nulla opus fuiſſe diſpenſatione ſuper Canonicatu, in illis verbis: *Electus fueris ad Præpoſituram, quæ in Eccleſia prædicta poſt Pontificalem major exiſtit, per unum, & eumdem ex dictæ Eccleſiæ Leodienſis Canonicis, etiam cum ſuis Canonicatu, & Præbenda, abſque diſpenſatione Apoſtolica obtineri conſuevit. Summario num. 5.* Et tamen nulla conſuetudo etiam immemorabilis id efficere poteſt, quòd abſque diſpenſatione Apoſtolica valeat quis duas dignitates, vel officia cum duabus præbendis in una Eccleſia conſequi, & retinere, ut declaravit *Bonifacius VIII. in cap. 1. De conſuetud. in 6.* ubi conſuetudinem immemorabilem damnat, tamquam corruptelam. *Gloſſ. in cap. literas 9. in verb. ex conſuetudine, De conceſſione præbendæ, & in Clementin. finali De præben. & dignitat. lit. C.* ubi ſubdit hæc notabilia verba: *Et nota, quòd plus abhorrent jura, habere duas præbendas in una Eccleſia, quàm aliàs habere duo curata; Primum enim non licet, etiam jure annexionis, quam habet præbenda ad dignitatem, ut hìc; ſed ſecundum licet jure annexionis, quam habet curatum ad præbendam;* At ſi dicatur, Præpoſituram dictæ Eccleſiæ eſſe curatam, ut ſic jure annexionis poſſit præbenda retineri, tunc certè corrueret diſpenſatio ſuper reſidentia; quia qualitatis curatæ nulla facta mentio eſt in impetratione, nec in conceſſione. *Decius conſ. 135. Rota Romana deciſ. 632. recent. part. 1.*

36. Undè non facit ad rem noſtram *deciſio Rotæ in Calagurritana Fructuum;* Nam in eo caſu Reverendus Dominus Hieronymus-Joſeph Urvitigoiti ex diſpenſatione Apoſtolica retinebat Canonicatum, & Archidiaconatum in una Eccleſia, & ſic fuerat ei diſpenſatum tàm ſuper Canonicatu, quàm ſuper Archidiaconatu; Ideò rectè conveniebat illud juris principium, quòd cùm naturaliter in utraque ſede reſidere non poſſet, virtualiter, & civiliter in una reſidendo, cenſeretur utrique ſatisfacere, ut potuiſſet percipere fructus utrinſque beneficii, juxtà *Gloſſ. in cap. non poteſt 21. litt. F. De præbendis in 6. Geminian. ibidem, §. Illud num. 11.* & alios allegatos: & cùm ob litem ſuper Archidiaconatu obtinuiſſet licentiam diſcedendi à reſidentia, donec ea lis terminata fuiſſet, meritò per Rotam fuit deciſum, quòd fructus percepti à Capitulo ex Canonicatu deberent ei reſtitui; quia cùm eſſet ei diſpenſatum etiam ſuper Canonicatu, habebatur pro reſidente: & quamvis durante lite ſuper Archidiaconatu non reſediſſet, juſta fuit abſentia ex cauſa litis, ob quam obtinuerat licen-

ſentiam abeundi. In noſtro caſu non fuit diſpenſatum Domino Cardinali ſuper Canonicatu, ſed ſolùm ſuper Præpoſitura, ſivè ſuper certis articulis, nulla facta mentione obligationis, quam contraxerat ex juramento ab ipſo præſtito uti Canonico: & inter articulos, qui reſpiciebant Præpoſituram, neque mentio facta fuit obligationis præſentandi ſe in Feſto Sancti Ægidii. Nec agitur de perceptione fructuum, ſed de jure ſuffragii in electionibus, quod alia ratione competit, ut demonſtravimus ſupra, quare deciſio prædicta nullo modo ad ſpeciem, de qua agimus, poteſt accomodari.

37. Quintò hæc omnia confirmantur ex obſervantia, dùm Dominus Cardinalis etiam poſt Breve Clementis X. anni 1675. uſque ad annum 1688. ſingulis annis per procuratorem ſe repræſentavit in feſto Sancti Ægidii in Capitulo Generali. *Summ. num.* 6. Nec valet quod dicitur, hos repræſentationis actus fuiſſe geſtos jure facultatis; Id enim ſupponit veluti certum, & indubitatum, quòd ei diſpenſatum ſit ſuper exhibitione in Feſto Sancti Ægidii, quando contrarium fuit manifeſtè ſupra demonſtratum, & tamen ut interpretatio fiat ſecundùm obſervantiam, licitum eſt etiam offendere verba diſpoſitionis. *Cravett.conſ.*754. *num.*15. *& in conſil.*766. *num.*7. *Becc.conſ.*101. *num.*49. *Rinald.jun. in conſ.*806. *à num.* 11. Rurſus facultatis uſus tunc allegari poteſt, quando in diſpenſatione, ſeù privilegio uſus ejuſdem poſitus fuiſſet in libera facultate privilegiati. *Fontanell.deciſ. Cathalon.*463.*num.*8. Cæterùm per actus contrarios diſpenſationi, ſeù privilegio, cenſetur ei renunciatum, imò per unicum actum contrarium amittitur. *Gloſſ.in cap.cùm acceſſiſſent* 8.*in verb.contravoniſſent littera C.de conſtitutionibus*, cum aliis adductis per *Decker.diſſert.*17. *à num.*5.*lib.*2.

38. Ex quibus manifeſtè conſtat, decretum Capituli eſſe fundatum in expreſſis Statutis Eccleſiæ Leodienſis, quinimò appellationem extrajudicialiter interpoſitam per Dominum Cardinalem à Decreto foraneitatis, nulla expreſſa cauſa juſta, nec probabili, omninò fruſtratoriam fuiſſe, nec per eam potuiſſe impediri actum electionis, latè fuit demonſtratum in prioribus allegationibus editis *ſuper proteſtatione, & appellatione*. Nec ad rem noſtram faciunt ea, quæ tradit *Rota Romana coràm Othobono deciſ.* 29. quia in eo caſu agebatur de appellatione interpoſita ab uno ex electis, in cujus perſona totum jus conſolidatum fuerat per mortem alterius electi: cùmque Capitulum prætenderet, ſuperſtitem electum pati multos defectus, ex quibus redderetur ineligibilis, adeòque per mortem alterius electi vacaret præbenda, fuit de his omnibus introducta lis coràm Epiſcopo, eaque pendente Capitulum proceſſit ad novam Electionem; Quare jure meritò nova electio fuit habita nulla, & attẽtata, & ſimùl fuit prima electio confirmata in perſona ſuperſtitis, dum nullos patiebatur defectus allegatos, qui per totam ferè deciſionem diſcutiuntur.

39. In noſtro caſu, nulla lis fuit mota coràm Superiore: appellatio Domini Cardinalis à Decreto foraneitatis fuit extrajudicialiter interpoſita in actu proteſtationis, ante electionem; undè non poterat impedire actum Electionis. *cap. quia propter* 42. *de Electione.* ibi: *Nullo prorsùs appellationis obſtaculo interjecto. Gloſſ.in cap.cùm nobis* 19.*De appellatione, in verb.innovari lit.A.* in illis verbis: *Hoc allegando dicit, quia non extenditur appellatio, niſi ad ea, quæ illegitimè fiunt, & illa ſola caſſat. Gloſſ. in cap.conſideravimus* 10.*De Electione in verb.poſt appellationem litt.C.* his verbis: *appellare ne fiat electio, non valet; ſed ne fiat, niſi Canonicè, tunc benè valet: & intellige, quòd allegata fuit aliqua probabilis*

babilis cauſa, quia ſivè appellatur in judicio, vel extrà, appellationis cauſa exprimenda eſt. cap. cordi nobis De appellatione in 6. Denique appellatio à decreto Capituli, per quod Dominus Cardinalis ſuit habitus pro ſoraneo, &c. nullum habet fundamentum, niſi appellationem, quæ ſimul interpoſita fuit, à Statutis Eccleſiæ Leodienſis, quæ dùm ipſe Dominus Cardinalis promiſerat ſe ſervaturum, appellatio ab eis, diffugium cenſendum eſt, atque ità nullum effectum operari potuit. *capit. relatum* 4. *juncta Gloſſ. ibidem, in verb. diffugium, De Clericis non reſidentibus.* Sed, & conſtituta à majori parte Capituli ſervanda ſunt, appellatione remota, ut ſtatuit Concilium Lateranenſe, relatum in *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à majori parte Capituli.*

40. Quò verò ad ſecundum caput pertinet, ad quod motiva contraria reducuntur, nempè Capituli decretum reſtrictum eſſe ad cauſam ſoraneitatis, ob quam declaravit Dominum Cardinalem ſuffragium dare non poſſe in electionibus, atque ità ad evitandum contemptum non poſſe deduci alias cauſas, nempè hoſtilitatis, & belli, obquas commodè, vel ſine periculo vocari non potuit, nec debuit, juxtà *capitulum cùm in Eccleſia* 33. *De præbend. & dignitat. in* 6. *cap. quod ſicut* 28. *De Electione, cap. quia propter* 42. *§. Illud autem De Electione, cap. ſi quis* 46. *De Electione in* 6. cùm ſi non fuiſſet declaratus foraneus, adeòque excluſus à jure habendi vocem activam in electionibus, potuiſſet aliundè impeditus conſtituere Procuratorem in electionis negotio, eique committere vicem ſuam. *capit. quia propter* 42. *§. Illud autem, De Electione.*

41. Primò reſpondetur, quòd Dominus Cardinalis tempore vacationis Eccleſiæ Leodienſis per mortem Epiſcopi, reperiebatur extrà Diœceſim Leodienſem in loco remoto, nempè Pariſiis, undè non erat vocandus ad electionem; *cap. coràm* 35. *ubi Gloſſ. in verb. in Provincia, De Electione*; Et ex eo loco remoto, de quo non erat vocandus, neque poterat procuratorem conſtituere. *cap. quia propter* 42. *§. Illud autem De Electione*, & notat expreſsè *Gloſſ. in cap. ſi quis juſto* 46. *in verb. Detentus litt. H. de Electione in* 6. *Gloſſ. in cap. beneficium, verb. Conferendum circà finem, De Regular. in* 6. *Tiraquell. de retractu lignagier. §. primo Gloſſ.* 8. *num.* 37. Quare cùm vacationis tempore eſſet abſens extrà Provinciam, non erat admittendus ad electionem, niſi electionis tempore fuiſſet præſens in Eccleſia. *Gloſſ. in Clement. ut ii in verb. conſtitutus, litt. B. de ætate, & qualitate.* Et quamvis Dominus Cardinalis, audita Epiſcopi morte, ſe contulerit ad Civitatem Huyenſem Diœceſis Leodienſis, ut haberet ſalvumconductum, adeòque intrà terminum Electionis poſſet ingredi in Civitatem Leodienſem, ubi electio erat celebranda, nihilominus Canonici non tenebantur expectare, ſed abſque ejus interventu poterant ſtatim electionem peragere. *Gloſſa in dicta Clementin. ut ii, verb. conſtitutus, litt. B. verſ. Sed fortiùs quæro, &c. de ætate, & qualitate*, ubi docet, quòd ſicuti eſſet abſurdum, ſi expectandus eſſet Canonicus in Sacris non conſtitutus, volens ſe ordinari proximis temporibus, quæ incidunt intrà terminum juris datum ad eligendum, etiam ſi id peteret, ità (inquit *Gloſſa*) eſſet abſurdum, ſi Capitulum expectare teneretur abſentem in loco, de quo vocari non debet, dicentem, ſe velle ad Eccleſiam redire.

42. Sed & Civitas Huyenſis, ad quam poſt vacationem Dominus Cardinalis ſe contulit, quamvis ſit in Diœceſi, & ſub dominio temporali Epiſcopi, & Principis Leodienſis, nihilominus impræſentiarum illius Civitatis potitur

Rex Chriſtianiſſimus, qui eam bello occupavit, atque ità erat locus hoſtilis Principi Leodienſi, quem Capitulum repræſentabat; undè ad eum locum Capitulum non tenebatur mittere aliquem, quamvis Dominus Cardinalis nomine Regis Chriſtianiſſimi obtuliſſet Capitulo omne genus ſecuritatis. *cap. accedens 4. ut lite non conteſtata*, in illis verbis: *Ubi ſine periculo mortis accedere non audebat, & licèt literas non habuerit de Conductu, ſi tamen miſſæ ei fuiſſent, non debebat ſe credere ſuis capitalibus inimicis*. Nec in hoc caſu poterat ſufficiens cautio præſtari, ut inquit *Gloſſ. in dicto cap. accedens 4. in verb. inimicorum*; Quare locus hoſtilis, ſivè incommodus, & periculoſus, æquiparatur loco remoto, de quo non debet quis vocari, ut tradit *Gloſſ. in cap. ex parte 47. litt. E. in verb. periculoſum De appellation.* Atque ita ceſſat omninò motivum de Procuratoris uſu; Ut enim Procuratoris uſus concedatur, debet Principalis eſſe in loco, de quo vocari deberet, vel eſſet impeditus ob infirmitatem, ut expreſsè cavetur in *dicto capit. quia propter 42. §. Illud, juncta Gloſſ. ibidem litt. E.* At in noſtro caſu, locus, in quo Dominus Cardinalis degebat, erat hoſtilis, ac incommodus, & periculoſus, de quo non erat vocandus, ſicuti ſi fuiſſet locus remotus, & conſequenter uſum Procuratoris non habebat, ut in *dicto §. Illud, Gloſſ. in cap. ſi quis juſto 46. in verbo detentus litt. H. de Electione in 6. & in dicto cap. beneficium, verb. conferendum, circa finem De regular. in 6. Tiraquell. de retractu lignagier. §. 1. gloſ. 8. num. 37.*

43. Secundò, quia non audemus, nec oportet affirmare, Dominum Cardinalem Hoſtem publicum Principis Leodienſis habendum eſſe, tamquam adhærentem Regi Galliæ, ejuſque Miniſtrum, & partes ſequentem, qui cum copiis ejuſdem Regis numero militum ſexaginta mille ad Civitatem Huyenſem advenerat. Neque enim hùc trahi poteſt concluſio illa, quòd Clerici, & Eccleſiaſtici omnes conſtituant partem diſtinctam à Republica civili, & propterea non ſubjaceant legibus bellorum, quæ inter eorum Principes Chriſtianos geruntur; Hæc enim concluſio non pertinet ad illos Eccleſiaſticos, qui actus hoſtiles gerunt, tunc enim veluti hoſtes publici ſubjiciuntur de facto bellorum juribus, & id eſt apud omnes Auctores Catholicos, & piiſſimos indubitatum, non ex vi juriſdictionis, quam nec actu, nec habitu Princeps ſecularis habet in Eccleſiaſticos, præſertim in perſonam in ſublimi Cardinalitia Dignitate conſtitutam, quæ ſoli Apoſtolicæ Sedi ſubjicitur, ſed virtute defenſionis naturalis, & ob Oeconomicam poteſtatem, quam habet ſecularis Princeps in ſuo Regno, & Statu, ſicuti Paterfamilias in domo ſua, prout hæc omnia tradunt *Suarez in Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. num. 30. & 31. Cardinal. Cajetan. in Opuſculo De Poteſtate Papæ cap. 27. poſt Bald. in cap. olim De reſcriptis, Enringius De Molendinis quæſt. 45. num. 50. Creſp. de Valdaur. obſerv. 113. num. 75. cum ſeqq.* Qua ratione Prælati, & alii Eccleſiaſtici inconfidentes non admittuntur ad exercendum eorum Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica. *Innocent. in cap. ſuper his, col. ultima in princip. de accuſation. Anton. de Butrio in cap. quod ſicut, col. 2. verſ. Quandoque Laicus De electione. Cotta in memorabilibus, verb. Epiſcopus electus*; certiſſimum autem eſt, quòd nemò abſque licentia Principis poteſt eſſe procurator hoſtis publici. *Anton. Fab. Cod. lib. 2. tit. 8. de Procuratoribus defin. 8. num. 3. in allegation.*

44. Verùm de his (ut diximus) diſſerere non licet, nec oportet; Noſtræ enim intentioni ſufficit, quòd ea de facto obſerventur, & tolerentur, adeò

quòd

quòd ſi Dominus Cardinalis voluiſſet uni ex Capitularibus vicem ſuam committere, certè non repertus fuiſſet qui vellet mandatum acceptare, prout etiam ipſe Dominus Cardinalis teſtatus eſt, aliquem non invenire, qui pro ipſo coram Capitulo jura proponeret, ſicuti hæc omnia optimè demonſtravit in facti notula, *Dominus Georgius de Firmanis*; Nam extrà Capitulares non poteſt abſens alium conſtituere Procuratorem ad dicendum ſuffragium. *cap. quia propter*, *§. illud autem De Electione*. ibi: *Uni committat de ipſo Collegio vicem ſuam. cap. ſi quis juſto* 46. *§. final. de election. in* 6. in illis verbis: *Abſens quoque, licèt nullus de Collegio velit eſſe Procurator ejuſdem, nec ipſe, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare*; quare dicendum eſt, Dominum Cardinalem uſum Procuratoris non habuiſſe.

45. Tertiò reſpondetur, Dominum Cardinalem nullo modo inſtitiſſe ſuper hoc, nec Capitulo ſignificaſſe, quòd ipſe abſens impeditus vellet alicui Capitulari ſuffragium ſuum committere. Neque poteſt dici, quòd fuerit impeditus ex Decreto Capituli, quo declaratum fuit, ipſum pro Foraneo habendum; Nam per dies triginta poſt dictum decretum, ex literis inter Dominum Cardinalem, & Capitulum, ſatis conſtat fuiſſe ipſum Dominum Cardinalem rogatum, ut jura omnia, ſi quæ haberet, adverſus decretum, vel alia, proponeret; Et quamvis exceptio, quam principaliter allegabat, in eo verſabatur, quòd in Civitate Leodii, plena turmis Principum Confœderatorum, non poſſet fieri electio cum plena libertate, quod certè ſupponit, ipſum, nec alteri voluiſſe, nec potuiſſe committere vicem ſuam. *Gloſ. in cap. Bonæ* 23. *de election. lit. D. in verb. metuebant*, *Abb. in dicto cap. Bonæ num.* 10. Nihilominus poterat etiam allegare metum proprium, & periculum ipſius perſonale, adeoque committere alteri vices ſuas; Nemò enim ex his, quæ negavit, aliis defenſionibus uti prohibetur. *l. nemo, ff. de regulis juris*. Et tunc debuiſſet mittere mandatum alicui Capitulari, qui ſi illud munus acceptaſſet, & à Capitulo non fuiſſet admiſſus, eo caſu dumtaxat gravatus fuiſſet, & debuiſſet appellare, ut notat *Gloſ. in cap. ſi quis juſto* 46. *in verb. detentus De election. in* 6. Nam (ut diximus) ſi Capitularis nollet mandatum recipere, potuiſſet Capitulum electionem peragere, nec dici poſſet Dominus Cardinalis contemptus. *cap. ſi quis juſto* 46. *§. finali De election. in* 6. *Gloſ. in cap. quia propter* 42. *§. illud autem, in verb. venire litt. E. circa finem*, *Gloſ. in dict. cap. ſi quis juſto, in verb. detentus*.

46. Nec obſtare poteſt, quòd ſi ex præfatis cauſis belli, & hoſtilitatis Dominus Cardinalis non debuiſſet, nec potuiſſet vocari juxtà Sacros Canones; quare Capitulum fundavit ejus decretum ſuper Statutis Eccleſiæ Leodienſis, ex quibus declaravit, eum pro Foraneo habendum, atque adeò in electione ſuffragium dicere non poſſe?

47. Primò enim reſpondetur, quòd Capitulum cùm ex una cauſa cenſet, aliquem non eſſe vocandum ad electionem, & ea cauſa non militaret, nil prohibet, quin aliæ cauſæ non diſcuſſæ à Capitulo deducantur, & allegentur ab electo coràm Superiore, ad quem ſpectat electionis confirmatio: imò, & ex officio, Papa in confirmatione electionis illas ſupplere debet, ut docet in terminis *Gloſ. in cap. in Geneſi* 55. *de electione in verb. nec præmiſſi duo litt. H.*

48. Secundò reſpondetur, Capitulum ſatis cognoviſſe, quòd ex cauſis hoſtilitatis, & belli Dominus Cardinalis non potuiſſet, nec debuiſſet vocari,

idque etiam virtualiter ſignificaſſe in litteris ad Dominum Cardinalem miſſis: ibi: *Ultrà alias cauſas ſuo loco, & tempore proponendas.*

49. Noluit enim ex illis cauſis quidquam contra Dominum Cardinalem judicialiter decernere, quia (ut diximus) impedimenta hoſtilitatis, & belli, ex quibus Dom. Cardinalis vocari non debuit, nec potuit ad electionem, fundata ſunt in cauſis, quæ de facto obſervantur, & recepta ſunt propter communem utilitatem, & ad evitanda majora mala: quo caſu Judex debet ea obſervari facere de facto, abſque ordine, & cognitione judiciaria, ſed per modum extrajudicialis cognitionis, & ex officio, juxtà doctrinam *Caſtrenſ. in conſ.* 397. *vol.* 2.

50. Quare nil eſt, quod dubitari poſſit, quin electio confirmari debeat. Et ità juris eſſe exiſtimamus, ſub cenſura. Romæ die 5. Auguſti 1694.

J. G.

J. C. RESPONSUM
PRO VERITATE.

1\. ELectionis confirmationem in Eccleſia Leodienſi poſtulat, ab infallibili Summi Pontificis Oraculo, Sereniſſimus Princeps Joſeph-Clemens ex Inclytis utriuſque Bavariæ Ducibus, rejectis frivolis oppoſitionibus, quæ adverſus perſonalem ipſius eligibilitatem, & contra intrinſecam celebratæ Electionis formam, excitantur, necnon inani illa exceptione unius ex vocalibus, aſſerentis ſe fuiſſe contemptum. Huic petitioni favere cogit nuda veritas, pro qua ſcribere profiteor. Idcircò ſuſceptum munus, paucis abſolvam; nam veritas conſiſtit in paucis, & vera Judicii ratio à recta dumtaxat legis ponderatione deſumitur.

§. I.

In quo Validitas Electionis oſtenditur.

2\. Electio controverſa nullam patitur in ſubſtantialibus rationabilem ambiguitatem; Siquidem in prælecta Scrutinii forma omnia inſpiciuntur ad unguem ſervata, de quibus habetur ex *Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in cap. quia propter 42. lib. 1. decretal. ſub tit. de elect. & elect. poteſt.*

3\. Huic veritati non officit, quòd poſtquam Canonici legitimè convenerunt in Capitulo ad tractandum de Electione Paſtoris, Decanus cum quibuſdam ſuis Sociis, dum jam inſtaret Electio, appellantes, & proteſtantes, receſſerint à Capitulo. Etenim explorati Juris eſt, quòd ſemel legitimè Congregato, ad faciendam electionem, Capitulo, etiam ſi terminus ad eligendum præfixus nondum fluxerit, non poteſt minor pars impedire, invita majori, Electionem, ſub prætextu eam differendi in aliam diem; undè ſi illa minor pars voluntariè diſcedat, devolvitur Electio ad illam majorem, quæ ibidem pro facienda Electione permanſit. *text. eſt punctualis in cap. cùm nobis olim 19. ſub eodem tit. de elect. & ibi Gloſſ. in verb. revocare. Hoſtien. num. 17. Abb. num. 10. Butr. num. 17. Panorm. num. 11.*

4\. Rationem fundamentalem hujus receptiſſimæ ſententiæ affert ibidem *text.* in illis verbis: *Item cùm poſt appellationem emiſſam Archidiaconus cum ſuis Fautoribus quorum exiiſſet, & nos illos, ut intereſſent Electioni faciendæ curaſſetis, ſollicitè revocare, quoniam ad Electionem faciendam accedere noluerunt, alienos ſe feciſſe videntur; propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ, de Jure non poſſe contradicere videbantur.* Non enim dicitur veniſſe, qui non ſtetit, nec eſſe debet in facultate minoris partis diſſolvendi Capitulum jam legitimè congregatum: quinimò ſtandum eſt majori, quæ intendit tunc ſine ulteriori mora, ſemper in talibus periculoſa, prout notat *gloſſ. prædicta in verb. revocare incboatum electionis actum perficere, cap. 2. in fin. & ibi. Gloſſ. de elect. in 6.*

5\. Hæc

Google

5. Hæc indubitata concluſio eò fortiùs recipienda eſt, dum major illa pars, quæ remanſit, unanimiter conſenſit in perſonam Sereniſſimi Principis; undè conſequens eſt, curandum non eſſe de receſſu illius minoris partis, cui etiam præſenti, & diſſentienti, majoris, & ſanioris uniforme votum prævaluiſſet, ſicuti docent *Abb.& Butrius loc.ſup.cit.*

6. Oriri poſſet aliquod dubium, quoties Decanus, ejuſque ſequaces docerent de aliqua juſta, & rationabili cauſa, ex qua ſe potius contemptos, quàm alienos, ſeù Foraneos oſtenderent: neque enim apud bonum, & æquum Judicem ſuum ſemper ſortitur effectum, quòd à majori, & ſaniori parte Capituli fuit conſtitutum, ſi à paucioribus, & inferioribus aliquod rationabilitèr objectum, & oſtenſum fuerit, ſicut ex Lateranenſi Concilio habetur in *cap. 1. ſub tit.de his quæ fiunt à majori parte Capituli.*

7. Verumtamen ſuper hoc puncto tollunt omnem amaritudinem acta Capitularia, ex quibus in vim publici Inſtrumenti liquidò conſtat, poſt expleta omnia præliminaria, dum aſſumptis Scrutatoribus jam parata immineret Electio, oppoſitum fuiſſe in primis ex parte Decani, quòd munus publicandi Electionem ſpectabat ad Seniorem ex tribus Scrutatoribus jam à Capitulo deſignatis, & ideò removendum Canonicum Scholaſticum, cui jam tale munus obtigerat, quo nihil ineptiùs excogitari potuit, cùm ſecundùm Canonica Inſtituta nulla Capitularibus ſuper hoc neceſſitas imponatur, ſicuti habetur in *cap.ſicut 21.cum concordantibus*, & ibi *Gloſſ.in verb. unum De election. in 6.* & eruitur *ex eodem Concilio Lateranenſ. Canon.24.*

8. Spreta hujus objectionis vanitate, aliam Decanus rimam aperuit ad hanc ſibi inviſam Electionem eludendam; ſciens namque prava Conſilia mora valeſcere, *& maximè in Electionibus valdè ſuſpecta, imò ſæpè damnoſa, prout monet text. in cap.cùm inter univerſas* 18. *verſ.quia verè De elect.* feria in craſtinum protrahere curavit, ſub fucato, & umbratili prætextu, quòd dilata pro illa die Electione, opus eſſet in primis inquirere, an Breve Eligibilitatis prædicti Sereniſſimi Principis ſubſiſteret.

9. Huic colorato ſubterfugio obniti jure meritò debuit major pars Capituli, demonſtrando Eligibilitatis Indulta ad eum dumtaxat finem exhiberi, ut Eligentium animi extrajudicialitèr circà Eligendos inſtruantur, in quo jam fuerat ſuper abundè ſatisfactum; cùm ipſius Indulti copiæ typis impreſſæ, per multos dies ante congregatum Capitulum, cuilibet ipſorum fuiſſent diſtributæ; undè ambigendum non erat omnes ſatis de contentis in eodem Indulto inſtructos ad Capitulum acceſſiſſe. Et quod magis eſt ipſummet Indultum fuiſſe paulò ante publicè lectum, non ſolùm nemine reclamante, ſed etiam pro valido habitum ex pluralitate votorum. Cæterùm nefas eſſet Capitularibus judicare de viribus Apoſtolici Indulti, quibus ſolo obſequendi, & parendi Gloria relinquebatur.

10. Si igitur huic juſto, & prudenti reſponſo non acquieverunt conjuncti ad diſſentiendum animi, ſed ſpretis monitis, & precibus Confratum, maluerunt à Capitulo diſcedere, firma manet allegata concluſio, Decanum, & ejus Fautores in ſuo affectato, & irrationabili diſceſſu, ſe ſponte Foraneos, atque alienos feciſſe; & ideò ritè, ac rectè ipſis abſentibus majorem partem in Capitulo remanentem, ad canonicam Electionem proceſſiſſe.

§. II.

§. II.

In quo diluitur Ineligibilitatis objectum.

11. Manifeſtum Facti, & Juris æquivocum continent ea, quæ hodiè apud Apoſtolicam Sedem ad effectum infringendæ Electionis, adverſus Indultum Eligibilitatis excitantur; Etenim, quamvis ex ejuſdem Indulti diſpoſitione fuerit à Summo Pontifice præordinata vacatio Eccleſiarum Friſingen. & Ratisbonen. ſtatim ac Sereniſſimus Princeps Eccleſiam Metropolitanam Colonienſem, Hildeſimenſem, & Leodienſem, vel alteram ipſarum obtineret: Attamen animadvertendum eſt, hujuſmodi futuram vacationem indictam fuiſſe in eodem Decreto Pontificio, tribus copulativè concurrentibus, nempè in primis Electione, ibidem: *Ita tamen ut ſtatim, atque Electionem ſic de perſona tua pro tempore factam.* ſecundo loco confirmatione, in illis verbis, ibidem: *per Nos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, confirmari.* Tertio loco inſtitutione in Epiſcopum, & Paſtorem, ſicuti habetur ſubſecutivè, ibidem: *teque iiſdem Eccleſiis Metropolitanæ Colonienſi, Hildeſimenſi, & Leodienſi, vel etiam earum alteri dumtaxat in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum reſpectivè, & Paſtorem præfici contigerit, Eccleſiæ ſupraſcriptæ Ratisbonen. & Friſingen. vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo.*

12. In contingentia facti verificata quidem fuit electio, & confirmatio, favore Sereniſſimi Principis ad Eccleſiam Colonienſem; Attamen, cùm eo tempore ſic electus, & confirmatus, vix decimum ſeptimum ſuæ ætatis annum expleret, tantùm abeſt, quòd Summus Pontifex eundem prædictæ Eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem præfecerit, ut attenta ejus notoria incapacitate, ob defectum ætatis, præfatæ Eccleſiæ Adminiſtratorem, dumtaxat in temporalibus, & Joannem-Henricum Epiſcopum in Spiritualibus Coadminiſtratorem deſignaverit, prout diſertè legitur in literis Pontificiis ibidem: *Te ac ex nunc, prout ex tunc, poſtquam ad legitimam ætatem hujuſmodi perveneris, de perſona tua præfatæ Eccleſiæ Colonienſi providemus, teque illi in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem: tibique ex nunc in Temporalibus ſoli; in Spiritualibus verò, & ab eis dependentibus, quouſque legitimè ætatis fueris, conjunctìm cum dicto Joanne-Henrico Epiſcopo, vel aliis per nos deputandis Coadminiſtratoribus: & deindè legitima ætate tibi ſuffragante, tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus ipſius Eccleſiæ Colonienſis plenariè curam, regimen, & adminiſtrationem tibi ſoli committendo.*

13. Cùm itaque ſecundùm præſentem ſtatum remaneat adhuc purificanda principalis illa conditio copulativè in decreto vacationis appoſita, quòd ſic electus, & confirmatus præficiatur Epiſcopus, & Paſtor: inciviliter omninò ante adjectæ conditionis eventum, locus huic adhuc immaturæ vacationi tribuitur, & attendendum eſt illud tempus, in quo Sereniſſimus Princeps effectivè, & actualiter, poſtquam ad legitimam ætatem pervenerit Epiſcopi, ea quæ ſunt ordinis exercendo, & Paſtoris oves ſuas paſcendo, ſpiritualia munera ſubeat. Etenim duplex ſpirituale conjugium, diverſis tamen reſpectibus, in promotione ad Epiſcopatum contrahitur, alterum ſcilicet inter eligentes, & electum, quod confirmatione perficitur, & alterum inter confirmatum, & Ec-

Eccleſiam, quod nonniſi conſecratione, & manuum impoſitione conſumitur. *cap. tranſmiſſum* 15. *de elect. cap. quod ſicut, §. ſuper eo autem eod. tit. cap. inter corporalia, §. ſicut enim De translat. Epiſc.* Quomodo ergo in contingentia facti poteſt allegari purificata conditio illa, quatenùs in Epiſcopum, & Paſtorem præfici contigerit, dum electus ſolam habet ex Pontificia benignitate temporalium adminiſtrationem? undè, juxta traditionem *Gloſſ. in cit. cap. tranſmiſſam*, videtur Eccleſiam ipſam adhuc viduatam dici poſſe, ſaltem reſpectu eorum, quæ ordinis ſunt, ſicuti declarat *Hoſtienſis in cap. de multa num. 3. De præbendis.*

14. Iſtis minimè obloquitur, quòd licèt Summus Pontifex in confirmatione Colonienſis electionis conceſſerit ſic electo, & confirmato retentionem prædictarum Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. illa tamen appareat reſtricta, & limitata prout ſequitur: *Volumus inſuper, ut donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeù majoris partis eorum aſſecutus fueris, Eccleſias ſupradictas Ratisbonen. & Friſingen. quibus, ut præfertur, præes, ſimiliter retinere liberè, & licitè poſſis, & valeas: quæ tamen cùm primum pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem præfatas, ſicuti præmittitur, adeptus fueris, vacent, & vacare cenſeantur ipſo jure.*

15. Etenim malè adhuc infertur ex ſubſecuta poſſeſſione ſimplicis adminiſtrationis in temporalibus jus conceſſæ retentionis expiraſſe, dum talis conceſſio expreſsè legitur qualificata ab integra, & actuali poſſeſſione, ſeu quaſi curæ, ſeù regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonienſis, quod cùm ex defectu legitimæ ætatis, nondum evenerit, durare adhuc debet conceſſa retentio, neque ad alium ſenſum trahi poteſt Pontificia voluntas, ſtantibus maximè jam in ordine ad hanc vacationem diſpoſitis in præcedenti eligibilitatis indulto, quibus ſuperaddita in literis confirmatæ electionis, non ſolùm minimè aliquod detrahunt, ſed famulantur, juxtà diſpoſitionem *textus in l. hac ſaluberrima, Cod. de præpoſitis agentibus lib.* 12. *l. ſi Ruffinus, ubi Alexander nu. 3. & 4. Jaſon. ex num. 4. cum ſeqq. Cod. de teſtam. militari cap. 1. de reſcript. ubi Abb. ex num. 6.*

16. Verumtamen tantùm abeſt, quòd ex præallegata clauſula, *volumus autem*, erui valeat aliquod ad hanc vacationem inducendam ultrà, aut præter diſpoſita in prædicto eligibilitatis indulto, ut è contra ab ejuſdem contextu, nova conditio ſuſpenſiva ejuſdem vacationis oriatur, ob nondum impletam pacificam poſſeſſionem bonorum temporalium ad prædictam Eccleſiam Colonienſem pertinentium.

17. Regulare ſanè eſt, juxtà juris Canonici diſciplinam, etiam ſi agatur de beneficiis ex ſui natura ratione perſonalitatis, aut actualis curæ animarum incompatibilibus, non intrare obligationem dimittendi primum beneficium, niſi obtenta prius pacifica poſſeſſione ſecundi, ſicuti expreſsè diſponitur *in cap. de multa, & ibi Gloſſ. in verb. poſt receptionem De præbendis, cap. licèt Epiſcopus 28. De præbendis in 6. Clement. Gratiæ De reſcriptis, & Clement. ſi plures De præbendis, & Extrav. Joannis xxii. quæ incipit execrabilis ſub tit. de præbendis*, in illis verbis: *Poſtquam ſecundi poſſeſſionem, ſcilicet pacificam. & in verb. habuerint litt. S.* in illis verbis: *& ex eo fructus percipere potuerit, aliàs primum quis dimittere non tenetur, cap. ſi ſibi conceſſo 26. & ibi gloſſ. in verbo vacare De præbendis in 6.* ità ut ad remorandam vacationem, aut ſaltem ad excuſandam

re-

Digitized by Google

retentionem ſufficiat quælibet moleſtia,ſeù jactantia turbativa tàm juris,quàm facti ſuper proprietate, aut fructibus. *Card.in cap. gratia De reſcriptis num.* 8. *Vital.num.*50. *Barbat.num.*22. *& Canoniſtæ communiter ita intelligentes text. in cap.commiſſa* 35.*de elect. in* 6. prout,diſcuſſo articulo,firmavit *Rota coram Seraphin.deciſ.*997.*num.*3.*&* 5.*& in deciſ.*1254.*num.*2.

18. In caſu propoſito cùm Summus Pontifex confirmando electionem, rejectiſque contradicentium oppoſitionibus, omnem ſuo infallibili oraculo juris controverſiam ademiſſet, nulla in eo, quod pertinet ad juris rationem, tàm in ſpiritualibus ſuo tempore, quàm in temporalibus de præſenti,juridica quæſtio adverſus electum moveri poterat, ex qua eidem impediri, aut turbari poſſet pacifica Colonienſis Eccleſiæ poſſeſſio; undè concludendum eſt, declarationem illam, in qua voluit, ut electus retinere legitimè poſſet Eccleſias Ratisbonen. & Friſingen. donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Colonienſis Eccleſiæ, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeù majoris partis eorum fuiſſet aſſecutus, referendam omninò eſſe ad turbationes, & inquietationes de facto, quas in illo deplorabili rerum ſtatu inevitabiles prævideret, dum ſubverſo divinarum, atque humanarum rerum ordine, Colonienſis Eccleſiæ Jus, ſeù potius injuria, ſervebat in armis,& prævalebat ratio ultima Regum, in cujus ſtrepitu, & furore ſilent omnia juſtitiæ, & æquitatis dictamina.

19. Si igitur ardet adhuc non ſolùm in illis partibus,ſed in toto ferè Chriſtiano Orbe ſæviſſimi illius belli incendium, undè Eccleſiæ Colonienſis Jus, atque poſſeſſio, & maximè intuitu bonorum temporalium, pendet actualiter à dubio armorum eventu, atque bona ipſa militaribus invaſionibus quotidiè devaſtantur, itaut Elector Colonienſis pacifica eorumdem poſſeſſione nondum fruatur, & ab iiſdem nullam prorsùs utilitatem percipiat: Neſcio qua facie poſſit etiam in hac parte ad inducendam vacationem, in odium Sereniſſimi Principis, allegari purificata conditio pacificæ illius, & tranquillæ poſſeſſionis bonorum temporalium ipſiuſmet Eccleſiæ, poſt cujus verificationem inter alias conditiones dumtaxat poteſt prætenſa vacatio ſuum locum obtinere.

20. Tandem videtur temerè Pars adverſa in hac jactata vacatione perſiſtere, dum fel. mem. Alexander VIII. in ſuo Brevi Apoſtolico ſub die 19. Novembris 1689. inſpectis,& cognitis omnibus ſuper hac re à ſuo Prædeceſſore geſtis, Indultum eligibilitatis ad prædictas Eccleſias Hildeſimen. & Leodien. confirmavit, & ampliavit, non obſtante, quòd electus, & confirmatus ad Eccleſiam Colonienſem, Ratisbonenſis, & Friſingenſis poſſeſſionem actualiter retineret: ex quo ſequitur de neceſſe, retentionem illam, nondum purificatis conditionibus, vacationi appoſitis, tamquam legitimam fuiſſe à Summo Pontifice approbatam, juxtà vulgatas Juris regulas, quòd qui vult conſequens, vult etiam neceſſarium antecedens.

21. Strictiùs ad ita ſentiẽdum urget decretum hujus Sacræ Congregationis Conciſtorialis de anno 1691. in quo,annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio XII. feliciter regnante, attento obitu Canonici Coadminiſtratoris, dum viveret, Sereniſs. Principis in Eccleſia Friſingen. fuit in eadem adminiſtratione ſubrogatus ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitus Zeller; undè cùm tunc temporis ipſemet Princeps reperiretur jam electus, & confirmatus ad Eccle-

ſiam Colonien. temerarium omninò eſt, poſt hanc apertiſſimam Summi Pontificis declarationem, prædictas Eccleſias tamquam vacantes expendere, aut poſſeſſionem Sereniſſimi Principis, uti illegitimam, exprobare.

22. Idem convincitur ex decreto ab eadem Sacra Congregatione nuperrimè emanato ſub die 24. Martii 1694. in quo, non obſtante, quòd Sereniſſimus Princeps actualiter retineat prædictas Eccleſias Friſingen. & Ratisbonen. nihilominus obtinuit confirmationem coadjutoriæ cum futura ſucceſſione in Eccleſia Hildeſimen. & Sacra Congregatio in eodem decreto reſervavit ſibi dumtaxat cognitionem de proroganda in futurum retentione earumdem Eccleſiarum, poſtquam factus eſſet locus d. Coadjutoriæ.

23. Et ſanè, quis unquam induci poterit ad credendum, ſuppoſitæ vacationis caſum eveniſſe, dùm neque ipſarum Eccleſiarum Capitula ſpatio quatuor, & ultra annorum ad electionem proceſſerunt, neque Apoſtolica Sedes iiſdem Eccleſiis de Epiſcopo providit, ubi agebatur de evidenti animarum periculo, prout annuit *Textus in cap. dudum De electionibus?*

24. Verumtamen hæc omnia ex ſuperabundanti dicta ſunt; nam quatenùs Pars adverſa tenaciter contra omnem ſenſum veritatis in hac erronea vacatione perſiſtat, adhuc laborat in nihilo, & in proprio ſenſu decipitur, quoties ex ſubſecuta earumdem Eccleſiarum retentione reſolutum, aut vulneratum expendat Apoſtolicum eligibilitatis Indultum, ſine cujus firmitate corrueret hujus electionis, & confirmationis ædificium.

25. Nullus eſt, qui ignoret inviſum ab omni ævo ſemper fuiſſe Eccleſiaſtico inſtituto pluralitatem beneficiorum in una eademque perſona, & maximè quotiès beneficia ſunt inter ſe incompatibilia, ratione perſonalis reſidentiæ, aut actualis curæ animarum, ſicuti poſt *Concilium Calcedonenſe can. 10. habetur in can. Sanctorum diſtinct. 3. can. unio, §. ſed & hoc 10. quæſt. 3. & 20. quæſt. 1. per totam.* Verùm non ſemper adverſùs contraventores eadem viguit diſciplina; nam in primis obtinenti plures Eccleſias dabatur Electio, quam mallet ex iiſdem retinendi, cæteras dimittendo. *cap. referente 7. & cap. præterea 14. De præbend. & dignit.* Iſta autem facultas eligendi ſublata legitur *in cap. quia nonnulli 3. De Clericis non reſidentibus*, ubi obtinens beneficium incompatibile cum primo, quod jam poſſidebat, eſt privandus ſecundo fortiùs indè proviſum, *in cap. de multa 28. ſub tit. de præbend.* ubi ſancitum fuit, quòd recipiens aliquod beneficium incompatibile cum primo, eo ſit ipſo jure privatus, & ſi fortè illud retinere contenderit etiam alio ſpolietur. Severiùs tamen actum *in Extravaganti execrabilis, §. quæ tamen, & §. qui verò ſub tit. de præbend.* ubi non ſolùm vacat primum beneficium ipſo jure, ſed etiam ſimiliter ſecundum, & ſi quis utrumque retinere præſumpſerit remanet ineligibilis, & inhabilis ad omnia beneficia, juxtà ea, quæ habentur. *in cap. cùm ſingula ſub tit. de præbend. in 6. cap. cùm jam dudum 18. De præbend. & dignit. cap. dudum 54. §. nos igitur De elect.* Iſtis demùm acceſſit *Concilium Tridentinum De reformat. ſeſſ. 7. cap. 4.* ex cujus diſpoſitione privatio ipſo jure utriuſque beneficii extenditur ad quæcumque beneficia etiam ſimplicia, prout ſunt Cappellaniæ, quoties ex fundatione, vel conſuetudine reſpectu tituli, non autem ammiſſionis fructuum, perſonalem reſidentiam requirunt, ſicuti latè declarat *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 19. à num. 15. uſque ad 41. Fagnan. ad cap. de multa De præbend. num. 3. & ſeqq.*

26. In

26. In contingentia facti, dato etiam, & numquam conceſſo, quòd advenisſet caſus vacationis, perperam adhuc ex ſubſequuta retentione infertur ad pœnam ineligibilitatis, de qua loquitur *Joannes XXII. in prædicta Extravag.* & habetur *in allegat.cap. dudum il ſecondo,§.Nos igitur De electione. capit. cùm jamdudum De præbend.& cap. cùm ſinguli De præbend. in 6.*Etenim ſi diligenter prædictæ Conſtitutiones,de hac inhabilitate loquentes, inſpiciantur, locum habent, quando, nullo præcedente retentionis, aut eligibilitatis Indulto, Clericus à veræ cupiditatis vitio excœcatus, plura beneficia inter ſe incompatibilia, retinere præſumit, ſicuti expreſsè legitur in prædicta *Extravag. §. Porrò, & in §. Qui verò*, & declaratur in prædictis aliis Pontificiis Conſtitutionibus, à quarum terminis longè diſtat caſus noſter, ubi Summus Pontifex utilem, & omninò neceſſariam apud Germanos plurium Eccleſiarum conceſſionem, uni, eidemque perſonæ non condemnat: quinimò in eodem retentionis provido, & prudenti decreto Sereniſſimo Principi inſimul Eccleſiarum Metropolitanæ Colonien. Hildeſimen. & Leodien. eligibilitatem indulget, & plurium aliarum dignitatum Eccleſiaſticarum retentionem impartitur,mandando dumtaxat,quòd advenientibus conditionibus, jam latè ſupra ponderatis, vacare debeant ipſo jure Eccleſiæ Ratisbonen. & Friſingen. in quibus jam electus, & confirmatus ſolam ad temporalium adminiſtrationem actualiter exercebatur.

27. Ceſſat itaque fundamentalis ratio Pontificiæ ſanctionis *in allegat.Extravag.execrabilis*, quæ ad extirpandam beneficiorum incompatibilium pluralitatem, temerario detentori ineligibilitatis, ſeu inhabilitatis ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda pœnam adjecit; ſed quod ſummoperè notandum, ſtante jure retentionis, quamvis limitato, quod habetur in ipſo Apoſtolico eligibilitatis Indulto, propoſitæ quæſtionis definitio peti, & regulari debet ab ipſiuſmet Indulti ſpeciali proviſione, quæ cùm ceſſare faciat diſpoſitionem legis univerſalis, irrationabiliter, & contra utriuſque Juris regulas extenditur ad jam conceſſæ eligibilitatis revocationem ob odium pœnæ de ſui natura reſtringendæ. *l.interpretatione,ff.de pœnis, cap.pœnæ diſtinct.*1.*de pœnitent.l.ſi ità ſtipulatus, ff. de verb. oblig.* nam ſi voluiſſet Summus Pontifex in caſum retentionis hanc prætenſam inhabilitatem inducere, hoc utique expreſſiſſet.*cap. ad audientiam De decim.*

28. Quinimò ſtantibus Indultis Innocentii XI. & Alexandri VIII. ſilere affatim debet diſpoſitio dictæ *Extravagantis*, quæ latam culpam, ſeù dolum ſupponit ex parte temerarii detentoris, ſicuti ipſius *Extravagantis* lectura,aliarumque ſupramemoratarum Conſtitutionum ſeries manifeſtè convincunt, ſupponendo nullum Indultum Apoſtolicum præceſſiſſe, ex quo poſſet talis detentio colorari. Quid ergo reſolvendum erit in contingentia facti? ubi titulus retentionis nullo vitio laborat, & bona fides poſſeſſoris exuberat ex ſupra ponderatis *num.*20.*& duobus ſeqq.*

29. Sed quæro,quo jure adaptari poteſt caſui noſtro,ad hanc ineligibilitatis pœnam inducendam, diſpoſitio prædictæ *Extravagantis*,dum iſta retentio non verſatur circa multiplicitatem titulorum, aut beneficiorum inter ſe, ratione perſonalis reſidentiæ, aut actualis curæ animarum incompatibilium, quorum intuitu procedunt dumtaxat omnes Pontificiæ Sanctiones, de hac beneficiorum pluralitate loquentes,ſed verè, & realitèr conſiſtit pro nunc in ſimplici, &

nuda adminiſtratione bonorum temporalium, in cujus ſpecie quamvis multiplicata nulla cadere poteſt incompatibilitas, cùm tales adminiſtrationes, neque reſidentiam perſonalem requirant, neque actualem, aut habitualem aliquam animarum curam importent? & hæc fuit vera, atque naturalis ratio, ob quam cenſendum eſt, prout ſupra probavimus, Summum Pontificem voluiſſe, ut prædictæ Eccleſiæ Ratisbonen. & Friſingen. eo dumtaxat caſu vacarent, quo Sereniſſimus Princeps in legitima ætate conſtitutus actualitèr Epiſcopi, & Paſtoris munus ſubiret; nam tunc incipiebat locum obtinere ratio illa incompatibilitatis, ex qua de jure moveri ſolummodò poterat ad prædictarum duarum Eccleſiarum vacationem inducendam.

§. III.

In quo fallacia ſuppoſiti contemptus detegitur.

30. Poſt vindicatam hanc Canonicam electionem ab omni publici Juris cenſura, ſupereſt inquirendum, cujus momenti cenſenda ſit legalis quædam vindicta, ex cujus proſecutione Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius hujuſmodi electionem, quamvis ex ſe validam, irritare prætendit, quamquam fas eſſet privatam ultionem publicis neceſſitatibus remittere, prout annuit *Innocentius III. in cit. cap. quod ſicut De elect.* ibi: *Niſi poſteà propter bonum pacis curaverint conſentire.*

31. Conquæritur ſe fuiſſe contemptum ex eo, quòd cùm tamquam Canonicus, & Præpoſitus tunc viduatæ Leodienſis Eccleſiæ haberet locum, & vocem in Capitulo pro electione novi Epiſcopi, non ſolùm nequivit, ex Oppido Huyenſi, quò jam pervenerat, Leodium, ex defectu publicæ ſecuritatis, accedere; ſed placuit Confratribus, Capitulari decreto, eundem, tamquam foraneum, & incapacem expendere.

32. Ex hoc ſuppoſito contemptu præſumptam injuriam, ſeù contumeliam ulciſcendo, tenacitèr inſiſtit, ut ad ſui perſonalem inſtantiam, celebrata electio, aliàs ex ſe valida, & confirmanda, retractetur, implorans ad hunc effectum Canonici Juris rigorem *in cap. quòd ſicut* 28. *cap. Venerabilem* 34. *& cap. Bonæ memoriæ* 36. *cum concordantibus, ſub titulo De elect. & in cap. cùm in Eccleſiis* 33. *de præbend. in* 6. ex quibus communi Scribentium conſenſu receptum eſt, canonicis electionibus unius magis obeſſe contemptum, quàm multorum contradictionem.

33. Verumtamen nè præallegatæ Pontificiæ Conſtitutiones hujuſmodi contemptum vindices perperam adhibeantur, neceſſe eſt, clavo non errante, diligentèr inquirere, an in ſubjecta facti ſpecie dici valeat Eminentiſſimus Dominus Cardinalis verè, atque effectivè contemptus, itaut in ejuſdem arbitrio, & facultate verſetur, tacito, vel expreſſo conſenſu, contumeliam remittendo, petitæ electionis confirmationi non officere, aut injuriam, quam ſibi illatam putat proſequendo, ipſius electionis caſſationem inducere.

34. Illud in primis certum eſt, nullum cadere poſſe contemptum ob omiſſam citationem, quando vocandus erat aliundè certus de obitu Epiſcopi, atque de tempore, & loco celebrandæ electionis. *cap. Cùm inter* 18. *De election. verſ. quamvis. Panormitan. in cap. Eccleſia veſtra* 57. *num.* 9. *ſub eodem tit. cap. cùm*

quis

quis certus De reg.jur.in 6. Quòd autem Dominus Cardinalis haberet præciſam ſcientiam vacationis Eccleſiæ, & temporis, ac diei in qua facienda erat electio, patet evidentèr ex ejus migratione ad Oppidum Huyenſe, Diœceſis, & Dominii Leodienſis, & ex crebris Epiſtolis ibidem ad Capitulum inſcriptis.

35. Multò minùs aliqua de contemptu quæſtio moveri poteſt ab eo, qui ita volens, neglexit intervenire, vel poſtquam præſens erat in Capitulo, dein ſine legitima cauſa receſſit, aut in eo permanens à ſuffragio voluntariè ſe abſtinuit, aut inutile votum protulit. Etenim volenti non fit injuria, atque ſic agens facit ſe extraneum, ſeù foraneum, & voci activæ renunciare videtur, prout literalitèr definitum legitur in *cap. Cùm nobis, & in cap. quòd ſicut, & ibi gloſſ. & Doctores De elect.* nec diverſimodè, quoad excluſionem contemptus cenſendum eſt de illo, qui dum vellet non potuit ex aliquo juſto impedimento intereſſe electioni, prout expreſsè habetur *in eodem cap. quòd ſicut, ibidem, ſivè nequiverint, ſivè noluerint. cap. Bonæ memoriæ* 23. *verſ. deindè, & ibi Gloſ. in verb. de Vi, litt. C. de election.* & ex ſententia nullum habet contradictorem, quotiès impedimentum proceſſit citra culpam, & factum Capituli, à quo inſonte, & inculpato, annullatæ electionis pœnam exigere iniquum eſſet. Solus enim is de contemptu agere poteſt, qui dum reperitur in ſtatu, Jus quod habet in electione exercendi, ſe à Capitulo neglectum, aut non vocatum oſtendit. *cit. cap. quòd ſicut in ſin. De elect.*

36. Subjectam facti ſpeciem perſtringendo; non defuit ex parte Eminentiſſimi Domini Cardinalis enixa voluntas, omniſque conatus accedendi ad locum electionis; ſed voluntatem ſuam ad actum reducere non potuit, ſtante actuali bello Chriſtianiſſimi Regis cum Imperatore, omnibuſque membris Imperii, & ſingularitèr cum Eccleſia, & Principatu Leodienſi, cujus majorem partem Potentiſſimi Regis arma occupaverant, & jam expugnato Caſtro Huyenſi ipſius conterminiæ Civitatis Leodii minabantur excidium: quibus ſic ſtantibus, non mirum ſi eidem tamquam publico hoſti fuerat à Cæſare, aliiſque Principibus confœderatis denegata publica ſecuritas, ſeù ſalvus-conductus pro libero acceſſu ad Urbem, inſidiis inimicorum expoſitam, & maximè ad hoc, ut ibidem partem haberet in eligendo novum ejuſdem Urbis, atque Provinciæ Epiſcopum, & Principem; undè prout monet *Seneca De nim. clement.* ſpecies crudelitatis fuiſſet hunc ſalvum-conductum concedere Viro, inimici Regis Subdito, Conſiliario, & Officiali primario: eòque magis Cæſari, & Civitati, aliiſque Summis Principibus confœderatis ſuſpecto, quò majori æſtimatione, & dignitate fulgebat; nam, ſicut notat *Filic. ad Plat. lib. 6. hoſtem expellere oportet, naturam immitando, quæ contrarium ſuum à ſe expellit.* Nihil enim illo inſidioſiùs, nihil periculoſiùs, juxtà illud Poetæ: *timeo Danaos, & Dona ferentes.*

37. Hujus impedimenti irreparabilis naturam agnovit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis; undè quamvis fruſtrà egiſſet pro ſalvo-conductu obtinendo ab eo, qui ſolus concedere poterat, videlicèt à Cæſare, aliiſque Principibus confœderatis, quorum Summo Imperio interdicta fuerat receptatio Subditorum, & Miniſtrorum Chriſtianiſſimi Regis, prout annuit *Text. in l. cùm Indulgentia, & ibi Salicet. de ſenten. poſ. l. Relegati 4. ff. de pœnis*: Nihilominùs numquam inſtetit, quòd ſaltem liceret ſibi proprias vices uni ex Capitularibus delegare, juxtà formam præſcriptam *in cit. cap. quia propter, §. Illud autem De elect.*

elect.& in cap.ſi quis juſto 46.*De elect.in* 6. ſciebat enim, quòd nullus ex Capitularibus poterat ſine gravi criminis nota, hoſtis publici mandatum ſuſcipere, niſi malet quis dicere de minimis non curaſſe, cùm graviora ſuſcepti muneris evaneſcerent, quæ propriæ perſonæ induſtriam, & authoritatem requirebant.

38. Cùm itaque Eminentiſſimus Dominus Cardinalis ex propriæ perſonæ notorio, & inſuperabili defectu reperiretur in ſtatu tali, in quo non poterat ſine facto, & culpa Capituli Leodium accedere, atque ibidem electioni intereſſe, incepta, atque inutilis redditur omnis quærela affectati contemptus, ſub prætextu, quòd fuerit ab eodem Capitulo declaratus tamquam forancus, ſeù alienus.

39. Poterat ſanè Leodienſe Capitulum hanc declarationem, tamquam ſupervacuam omittere, cùm multa quandoque expreſſa noceant, quæ tacita non officiunt, ſicuti monet Juris-Conſultus in *l.non numquam, ff.de condit. & demonſtrat.* ſed maluit, quamvis aliundè jam eſſet illius indemnitati proviſum ingenitæ apud Germanos libertati proprium in prædicta declaratione ſenſum aperire, qua tamen nihil juſtiùs, nihil rationabiliùs attentis Statutis, ineoneuſsè ſervatis illius nobiliſſimæ Eccleſiæ, ex quibus cavetur, quòd qui non ſe præſentaverit ad reſidentiam in feſto S. Ægidii perſonalitèr, aut per Procuratorem, habeatur in eo anno pro foraneo, & quòd Canonici foranei nullum habeant votum in Electione Epiſcopi, in qua parte excluſiva ſuffragii, cùm alieni, & foranei ſignificatus idem ſonet, nihil additum fuit diſpoſitioni Juris communis in *cit.cap.cùm nobis olim in verbo alienos De elect.* ſufficit enim declarare aliquem pro foraneo, ad hoc, ut cenſeatur excluſus à functionibus Capitularibus.

40. Non negatur ex parte Eminentiſſimi D.Adverſarii, & ex indubitatis documentis convinctum, ipſum tamquam Canonicum, & dein Præpoſitum ejuſdem Eccleſiæ huic Statuto, cujus obſervantiam juris jurandi Religione firmaverat, etiam poſt adeptam Cardinalatus dignitatem, annuatim obtemperaſſe ab anno 1672. uſque ad annum 1688. Diverſæ tamen excuſationes ad evitandam contraventionem ſubſequutam à prædicto tempore uſque ad præſens adducuntur, quæ in rei veritate nihil relevant, & ipſummet D. Cardinalem Eccleſiæ Leodienſis potiùs manifeſtum Contemptorem, quàm ab illius Capitulo in prædicta declaratione fuiſſe contemptum, oſtendunt.

41. Supervacuum in primis eſt quærere de viribus Statuti, pro cujus obſervantia contraveniens reperitur aſtrictus vinculo juramenti. *Gloſſ. in cap. cùm aliquibus in verb.firmitatem De reſcript.in* 6. *Fagnan. in cap. cùm omnes num.*39.*&* 40.*de conſtit.* & intuitu Cardinalium, quibus ob culmen dignitatis oritur ex juramenti Religione major obligatio, notat *Butrius in cap. ſicut nobis num.*2.*de jur.jur.Rota coram Buratto deciſ.*758.*num.*1. *&* 2. ultra quòd nefas eſſet ambigere de hujuſmodi Statutorum validitate, quorum Venerabilem antiquitatem, non tam Ordinarii, quàm Legatorum Apoſtolicorum, & ipſius S.Sedis auctoritas, ab omni cenſura defendunt, quando ſolius Capituli poteſtas, & maximè accedente conſenſu Epiſcopi, ad ipſorum firmitatem ſufficeret, ex *text.in cap.*2. *§.cæterum,& ibi Gloſſ.in verb.ſtatutum De uſ.in 6.Abb.in cap.* 1.*num.*14.*de his,quæ fiunt à majori parte Capituli,Fagnan. in cap.cùm omnes* 37.*de Conſtitut.*& in puncto firmat *Rota in recent.deciſ.*20.*par.*3.

42. Multò

42\. Multò minùs relevat Indultum ſan. mem. Clementis X. quia cùm reſpiciat diſpenſationem Juramenti præſtandi, & onerum ſubeundorum intuitu Præpoſituræ, ſuffragari nequit juramento jam præſtito pro oneribus anteà ſuſceptis, ratione Canonicatus diſtincti à Præpoſitura. *cap. Paſtoralis, ibique Gloſſ. de privileg. Abb. in cap. ad aures num. 7. de reſcript. Felin. in cap. poſtulaſti ſub eodem tit. num.* 2. quod idem ſubſequuta obſervantia, vera privilegiorum interpres, manifeſtè demonſtrat, dum D. Cardinalis, tali Indulto non obſtante, Statuti formam in hac parte, quæ Canonicalem reſidentiam concernit, perſonaliter, vel per Procuratorem adimplevit, ſicut de obſervantia interpretativa docent communiter Doctores *in l. minimè, ff. de leg. & in cap. cùm dilectus De conſuetud.*

43\. Inutilitèr autem, ut ſupra dictum eſt, proponitur quæſtio circa comprehenſionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in hujuſmodi Statuto, dum ipſemet Dom. Cardinalis in ſuprema illa dignitate conſtitutus, ipſius Statuti, tamquam Canonicus, obſervantiam juris jurandi Religione promiſit, *cap. ſi verò* 8. *& cap. quanto* 18. *de jur. jur.* prout fuit ſemper ab omnibus Cardinalibus in eadem Eccleſia Canonicis inconcuſsè ſervatum, & ipſemet D. Cardinalis Bullionius religiosè ſervavit, donec ex indicto bello inter Germanos, & Francos, ſe tamquam foraneum, & extraneum, jure meritò, facto magis, quàm verbis declaravit ſibi ipſi conſcius, quòd perſiſtens in ſervitio Chriſtianiſſimi Regis, tamquam hoſtis publicus, & diffidatus Eccleſiæ, atque Principatus Leodienſis, nec debebat, nec poterat, tàm perſonaliter, quàm per Procuratorem aliquod ibidem habere commercium.

44\. Cæterùm etiam in terminis generalibus Canonici Juris ratio poſtulat, ut S.R.E. Cardinales ab illis dumtaxat Statutis, & Ordinationibus excluſi cenſeantur, quæ ſunt privilegiorum revocatoria, & odioſa, odio irrationabili, ſecus ſi æquitati, & rationabilitati nitantur, juxtà praxim, de qua teſtantur *Gomez in proœm. reg. Cancell. quæſt. 9. Card. de Luca De Juriſdict. diſc. 8. nu. 6. Rota coram Ottobono deciſ. 257. per tot.*

45\. Quinimò quidquid duriùs circà reſidentiam S. R. E. Cardinalium in propriis Eccleſiis decreverit antiqua Romana Synodus, de qua apud *Gratian. in cap. ex geſtis* 2. *de Cleric. non reſidentibus*, illud ſanè exploratum eſt, excuſandos non eſſe, niſi, vel Summo Pontifici in Curia, aut extrà de ipſius mandato, publicis Eccleſiæ Univerſalis neceſſitatibus inſerviant, ex unanimi traditione Canoniſtarum *in rubrica, & cap. cùm dilectus De Cleric. non reſidentib.* quod tamen judicio meo adhuc inexcuſabile cenſendum eſſet in ſubjecta facti ſpecie, dum ſufficit ſola per Procuratorem momentanea præſentatio, pro cujus facili adimplemento, neque neceſſaria abſentia, neque aliud quodvis impedimentum legitimum dignam excuſationem meretur; undè de facto conſtat ex actis Capitularibus, tàm Eminentiſſimum Dom. Cardinalem Bullionium, quàm alios Cardinales, licèt Epiſcopos, nempè Furſtembergium, & Langravium Haſſiæ, prout etiam Marchionem Badenſeñ, ejuſdem Eccleſiæ Canonicos, ſe per Procuratorem repræſentaſſe in feſto S. Ægidii, non ſolùm quando ipſi actualitèr Romæ, annuente Summo Pontifice, morabantur, ſed etiam de tempore Sedis Apoſtolicæ vacantis, non obſtante quòd iidem Cardinales itineri ſe commiſiſſent, vel actualitèr intereſſent Cardinalitiis Comitiis pro novo Pontifice eligendo, ſicuti liquidò reſultat ex temporum computatione de an-

no

no 1676. in quo Sedes vacavit à die 22. Julii, uſque ad 22. Septembris, & anni 1689. in quo Sedes vacavit à die 12. Auguſti, uſque ad 6.Octobris. Siquidem præſentatio prædictorum Cardinalium, & ſingularitèr Eminentiſſimi D.Cardinalis Bullionii legitur facta in eiſdem annis per Procuratorem in feſto S.Ægidii, quæ eſt dierum prima Septembris.

46. Demùm Eminentiſſimo D. Cardinali non ſuffragatur allegare nullitatem Capitularis declarationis circa ejus Foraneitatem, tamquam emanatæ eo non citato, neque ſervatis Judicii formalitatibus, & maximè dùm ipſe jam reperiebatur in quaſi poſſeſſione eligendi.

47. Etenim cùm à Capitulo fuerit inventus minus habens, & carens veſte nuptiali, ſine qua juxtà diſpoſitionem Statutorum, tamquam foraneus reperiebatur, facto proprio inhabilis ad interveniendum ex electione facienda neceſsè non habuerunt Capitulares facti notorietatem forenſibus cavillationibus involvere, ſed licuit per viam notorietatis, & qualificationis procedere. *Gloſ. in cap. ſi quis juſto 46. in verbo admitti lit.F. de elect. in 6. cap. venerabilem 34. De elect.* & ibi *Gloſ. lit. A. cap. bonæ memoriæ* 18. *§. Licèt eodem tit. & in §. Contra ibidem*. Porrò exceſſus notorius examinatione non indiget. *Fermoſin. in cap. bonæ memoriæ 51. quæſt. 1. num. 23. in fin. de appellat. cap. Eccleſia Sutrina 23. de cauſa poſseſs. & proprietat.* & maximè dùm Jus eligendi in hoc Capitulo non eſt fixum, & perpetuum, itaut ſemel admiſſus non poſſit ejici, ſeu non vocari, niſi cauſa judicialiter cognita; nam præſentatio ſucceſſivè facienda in quolibet anno, facit vocalem ſi ſe præſentet, & Foraneum quoties non liquet de illius præſentatione; undè conſiderari non poteſt aliqua quaſi poſſeſſio, dum defuit qualitas, ex qua ipſa poſſeſſio juſtificatur, prout docent communiter *Pragmatici penès Poſth. de manutent. obſervat. 33. num. 25. & ſeqq.* neque ſubſecutæ Electioni nocere potuit extrajudicialis appellatio, quæ dicitur ab eodem Eminentiſſimo D. Cardinali interpoſita à prædicta declaratione incapacitatis, & cæteris actibus; Etenim explorati Juris eſt, appellationem extrajudicialem non ſuſpendere electionem, ſed dumtaxat eam retractare, quatenùs actus à quo fuit appellatum juſtum gravamen contineat, ex *gloſſ. magna in cap. non ſolùm De appellat. in 6.* quam probat, & ſequitur *Abbas in cap. cùm nobis olim ſub num. 8. de elect. Joannes Andreas in cap. quia propter 28. de elect. verſ. ſed oppones. Barboſ. in cap. cùm inter 21. num. 3. eodem tit.*

48. Corruit itaque juxtà hucuſque allegata fictitia moles hujus mendicati contemptus; Primò quia ineptè ſpretum ſe dicit, qui citrà culpam Capituli intereſſe nequibat Electioni; Secundò quia cadere non poterat contemptus erga illum, qui ad mentem Statutorum ex proprio defectu reperiebatur inhabilis ad ferendum ſuffragium. Sed ut claudatur os injuſtè conquerenti de ſibi illato contemptu, concludendum eſt, Capitulum Leodienſe, ſtantibus facti circumſtantiis, & qualitatibus non ſolùm potuiſſe, ſed debuiſſe habere Eminentiſſimum D.Cardinalem pro Foraneo, & alieno, illumque arcere à functionibus Capitularibus; etenim quamvis declarando D.Cardinalem pro Foraneo, ſolam Statutariæ controventionis cauſam expreſſerit, gravioribus omiſſis, tamquam ſuperfluis, aut quia ſic decebat, nihilominùs nunc in hoc Judicio contentioſo, ubi cuilibet permittitur ad propriam defenſam variis, & etiam contrariis exceptionibus uti, cogitur Scribens pro veritate urgentiores cauſas inquirere, ex quibus ultrà jam allegatas ſilet omnis ratio jactati contemptus.

49. Cer-

49. Certiſſimi ſanè Juris eſt, illos dumtaxat vocandos, & admittendos eſſe ad Electionem, qui poſſunt eidem commodè, & abſque periculo intereſſe, juxta punctualem deciſionem *textus in cit.cap.quòd ſicut* 28. *de elect.* in illis verbis: *Si tamen ſine periculo potuerint convocari*, & ibi *Gloſſ. litt.D. in verbo ſine periculo, cap.quia propter* 42. *§. ſtatuimus ibidem*, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, & ibi *Gloſſ. in verbo commodè*, determinans non eſſe vocandos, ſi commodè, & ſine periculo vocari non poſſunt, quod idem confirmant *text.in cap.cùm in Eccleſia* 33. *De præbend. & dignit.in 6.& in cap.ſi quis 46. De elect.eodem lib.*ibi: *In Electionis negotio, neque commodè intereſſe*: & hæc eſt communis ſententia omnium Scribentium, quorum aliquos cumulat, & ſequitur *Paſſerin.in ſuo noviſſim. tractat. de elect. cap.11.quæſt.5.num.*33.

50. Illud paritèr ex præallegatis Conſtitutionibus unanimi Scribentium conſenſu receptum eſt, Jus Canonicum in præallegatis verbis *commodè, & ſine periculo*, proſpicere voluiſſe principaliter indemnitati ipſius Eccleſiæ viduatæ, ſicuti poſt *Oſtienſ. Panormitan. Archidiaconum, Anchar an. Silveſtr. Tabien. Baroòſ.& Lavorium*, tradit *Paſſerin.loco ſup.citato*, quibus addo *Abb. in citat. cap.quia propter num.5. Imolam num.6.Bald.in cap.cùm inter il ſecondo num.2. De elect.Butrium in d.cap.quod ſicut num.*24.

51. Cùm hæc de Jure ità ſe habeant, facilè erit bono, & æquo Judici, ſine aliqua heſitatione arbitrari nõ potuiſſe, Capitulares in illo rerum Statu, in quo reperiebatur Eccleſia, & Principatus Leodienſis, non ſolùm *commodè*, *& ſine periculo*, ſed quod magis eſt, niſi *cum inevitabili incommodo, & maximo periculo* vocare, & admittere Eminentiſſimum D.Cardinalem Bullionium ad Electionem Epiſcopi, & Principis Leodienſis. Siquidem, prout ſupra annuebam *num.*36. attento bello jam tunc vigente, cùm fuiſſent ab Imperatore, & Principibus confœderatis omnes Chriſtianiſſimi Regis Subditi, adhærentes, & fautores pro hoſtibus Imperii publicè, & ſolemnitèr denunciati, Capitulares ipſi vocando, & admittendo intrà propriam Civitatem Miniſtrum, Officialem, Amicum, & Familiarem Chriſtianiſſimi Regis, bellum actualiter ipſimet Civitati Leodienſi inferentis, pro inimicis, & rebellibus proprii Principis, & Patriæ libertatis habendi fuiſſent per ea, quæ in hac materia recenſent communiter *Feudiſtæ*, inter quos *Scrader. de feud.part.9.cap.5.nu.23.Roſentall.cap.10.concluſ.12. num.14. & 31.* & in puncto, licèt in debilioribus terminis, videlicèt propter bellum, ex quo fieri nequeat de facili vocatio, docent relati per *Paſſerin.cit.cap.11.ſub nu.33.Abb.in cap.coram 35.num.3.de Elect. Bald.in cap.cùm inter 18.num.2.ſub eodem tit.Faguan.in cap.cùm ex injuncto De nov.oper. nunciat.*& in ſpecie Leodienſis Eccleſiæ probat *Cardinalis de Luc.diſc.53.num.9.& ſeqq.ſub tit. de Regul.*

52. Augebatur periculum, & incommodum ob ſeditiones, & tumultus, ex ſola ejuſdem D.Cardinalis præſentia inevitabiles, dum Leodienſis Civitas à confœderatis Militibus cuſtodiebatur, qui Virum Inimici, & Potentiſſimi Regis Subditum, ipſis invitis, & renuentibus, nulla publica ſecuritate munitum, ſuſpectum, & inviſum habuiſſent; undè illius perſona magnam in Urbe commotionem excitaſſet, renovata maximè apud Militares animos ſemper acri memoria, quòd ejuſdem Dom. Cardinalis Domus Bullionenſem Ducatum retineret, ad Eccleſiam, & Principatum Leodienſem ſpectantem, pro pretio in

bellum Sacrum erogato, olim invictiſſimo Duci Gottofredo Bullionio, de quo plenè illorum temporum publica monumenta teſtantur, cujus Juris noviſſimè factam ſolemnem proteſtationem legimus ab Epiſcopo, & Canonicis Leodien. in fœdere Neomagenſi *artic.* 28.

53. Si prædicta, pluraque alia cunctis notoria, oculis, & menti judicantium ſubjiciantur, nullus dari poteſt caſus, in quo congruentiùs abſtinere potuerint, & debuerint Capitulares ab alicujus ex vocalibus convocatione, quotiès ad mentem Sacrorum Canonum ea commodè, & ſine periculo, fieri nequit, undè infimul ſilere debeat omnis ſuppoſiti contemptus quærela; nam is, qui Jure publico utitur, non videtur aliquid injuriæ faciendæ cauſa peragere. *Ulp. in l.* 13. *ff. de injur.* nam injuria ex affectu facientis conſiſtit. *l.* 3. *§. ſanè, ff. eodem tit.* & quidquid Reipublicæ ſervandæ cauſæ, ita neceſſitate cogente, fit, etiamſi ad contumeliam alicujus pertineat, quia tamen non ea mente fit, ut injuria fiat, ſed ut publicæ ſecuritati conſulatur, ceſſat omnis injuriarum, ſeù contumeliæ actio, ſicut monet *Paul. Jur. Conſult. in l. quod Reipublicæ* 33. *ff. eodem tit.* Salus enim Populi, ut inquit Cicero, extrema lex eſt.

54. Hanc veritatem faſſus eſt Eminentiſſimus D. Cardinalis, dum in quadam Scriptura, Typis impreſſa, contra Electionem Sereniſſimi Principis, tentans *in §.* 7. evadere diſpoſitionem Statutorum Capituli Leodienſis in ordine ad annuam præſentationem faciendam in feſto Sancti Ægidii, allegat, & aſſerit fuiſſe ſe impeditum de jure, & de facto ad comparendum in prædicto Capitulo Sancti Ægidii, tàm per ſe, quàm per Procuratorem, ſtante bello, quod in illis partibus viguit; ſi igitur putat D. Cardinalis potuiſſe, & debuiſſe, tàm de Jure, quàm de Facto abſtinere, pendente bello, à ſe præſentando Leodii, tàm perſonalitèr, quàm per Procuratorem, undè jure meritò exiſtimat, ſic legitimè impeditum, Capitularis Statuti formam non contempſiſſe, cùm non teneretur aliquem, & multò minùs propriam perſonam Hoſtium ferocitati, atque publicæ diffidationis contraventionibus exponere: aut ne aliquam ſuo Chriſtianiſſimo Regi de ſe ipſo quamvis levem ſuſpicionem præberet, contra propriam emanati Judicii conſcientiam, nunc conqueritur ſe fuiſſe à Capitulo contemptum, ex eo, quòd iiſdem, & majoribus cauſis durantibus, non fuerit vocatus ad Electionem Epiſcopi, & Principis Leodienſis; Siquidem ex tali vocatione majora pericula eidem Eccleſiæ, atque Principatui imminebant.

55. Ex his omnibus in unum congeſtis, ſatis emicat Juſtitia, & veritas hujus digniſſimæ Electionis, celebratæ in perſonam Sereniſſimi Principis, cujus confirmationem, nec denegandam, nec differendam, ex indubitatis in utroque Jure fundamentis exiſtimo.

GEORGII

Digitized by Google

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS, ET FACTI

Super puncto contemptus.

1. PRoduximus Statutum authenticum, conforme Statuto per Pium IV. approbato. *Summ. præſenti num.* 1. & illud in copia ſimplici repertum in Urbe dedimus. *in Summ. ſuper oppoſitionibus num.* 1. *& Summ. præſenti num.* 2. Et in utraque lectura verificatur foraneitas ad ſenſum explicatum à conſuetudine atteſtata per Capitulum, ob ſolum defectum S. Ægidii. *Summ. ſuper oppoſitionibus num.* 12. *litt. A. & Summ. præſenti num.* 3. *litt. D.* ſuper quo ſtandum eſt teſtimonio illorum de Collegio. *Bart.* in puncto *in l. in tantum, ff. de rerum diviſ.* & eſt ſenſus, quem legaliter habet Statutum virtute efficacis particulæ *alioqui*, ſuper qua rogamus videri *Bart. in l.* 1. *ff. de condit. & demonſtr. num.* 11. Et ultra foraneitatem, ob impedimenta facti, Eminentiſſimus non poterat intervenire perſonaliter, ut ipſemet Eminentiſſimus recognoſcit in proteſtatione, & in literis. *Summ. præſenti num.* 4. Et è contra Capitulum, quod tanquam membrum Imperii acceptaverat Legem, per quam via facti damna, & pericula paſſurum erat, non poterat admittere neque Perſonam, neque Procuratorem. *Summ. num.* 5. *litt. N. O. T. & Z.* Ideoque Eminentiſſimus non poteſt dici contemptus, tum ratione Statutaria, tum ratione Canonica, incommoditatis, & periculi Eminentiæ Suæ, & Capituli.

2. Foraneitas convincitur, quia ſe non repræſentavit in S. Ægidio, ut non negatur, & *Summ. ſuper oppoſitionibus num.* 7. & non reſedit phyſicè, ut fatetur, nec per Juris fictionem, ut oſtendetur; Adeoque intrat Statutum: *pro foraneo habeatur. Summ. præſenti num.* 1. *litt. D. & num.* 2. *litt. E. & propterea non habet vocem. dicto num.* 1. *litt. F. & H. & num.* 2. *litt. L. & O.* abſque eo, quòd relevet carentiam voti eſſe ſub titulo de Capitulis, & amiſſionem fructuum ſub titulo de reſidentia; quia non perceptio fructuum ſtat augumentativè ad foraneitatem, ibi: *nec ullus omninò fructus, &c.* & una pars Statuti, ſicut una lex, explicat aliam, & fructus Canonicatus nunquam percepti fuerunt durante bello, ut gratis exadverſo aſſeritur.

3. Tota inſpectio reducitur ad Breve Clementis X. *Summ. exadv. nu.* 15. & illius vigore nihil ampliùs prætendi poteſt, niſi per Juris fictionem, quòd ultrà Præpoſituram expreſſus eſſet etiam Canonicatus; At quoniam ob non expreſſum Juramentum jam præſtitum, Indultum reſpectu Canonicatus remanet ſubreptitium. in puncto *Rota coram Duran. deciſ.* 5. *num.* 8. non obſtante, quòd ſi expreſſiſſet, Papa conceſſurus crederetur. *Fagnan. in cap. ſuper litteris num.* 31. *de reſcript.* reſpectu Canonicatus non poteſt haberi pro reſidente, præſertìm quia cùm obſtaculum eſſet quid facti, non poſſit cenſeri ſublatum

Digitized by Google

per derogationes, quæ tollit ſolùm obſtacula juris, non autem impedimenta facti, niſi narrentur. *Fagnan. in cap.nonnulli num.39. de reſcript.*

4. Hinc non recurratur ad privilegia Ordinis Cardinalitii, ad defectum poteſtatis in Statuentibus, & ad Juris repugnantiam; quia Statutum non eſt contra Jus, ſed augumentativum Juris, favore ſervitii Eccleſiæ: & quomodocumque ſit, Juramentum præſtitum ab Eminentia Sua. *Summ. ſuper oppoſitionibus num.4.* eſt obligatorium vigore pacti conventionalis, ut ſatis demonſtravimus in præteritis, pro quarum reaſſumptione ſupplicamus ex *Fagnano*, & per eum deductis *in cap.cùm omnes De Conſtitut.num.39.*

5. Multòque minus opitulatur., quòd Statutum loquens per verba: *quicumque volet*, dicendum ſit, eſſe voluntarium, ac propterea non obſtare pro ferendo ſuffragio, quia certè eſt voluntarium, ſed eo modo quo Symbolum S. Athanaſii conceptum per eadem verba: *quicumque vult ſalvus eſſe*, quæ nempè talis eſt, ut alioqui pereat, & hìc, *ut alioqui pro foraneo habeatur*; Cùmque hodiè conſtet de foraneitate quoad merita, quæ reſpiciunt ordinatoria, non indigent reſponſione.

6. Sed ponit falcem ad radices diſpoſitio Sacrorum Canonum; Itaut non debeamus faſtidire Eminentiſſimos Patres in punctis, & vocabulis, & præbere pabulum Adverſariis pro dilationibus, prætextu Statutorum, quando, præſcindendo à Statutis, conſtat aliundè Eminentiſſimum Bullionium non poſſe dicere de contemptu, ſcilicet ex quo Capitulum non poterat commodè, & ſine periculo admittere Eminentiſſimum, neque ejus Procuratorem, ut non poteſt controverti, non obſtante quòd Capitulum allegaverit ſemper foraneitatem, quia factum pro ſummo reſpectu Eminentiæ Suæ, non eſt detorquendum in damnum Capituli, præſertìm quando, licèt cum ſumma modeſtia, ſignificavit Eminentiæ Suæ non obſtare ſolam foraneitatem, ut *in Summario Memorialis contra prætextus*.ibi: *propter etiam alias rationes ubèriùs poſtmodum deducendas, & ubi opus inſinuandas.*

7. Et quatenus Capitulo non liceret, quod omnibus licet in ſecunda, ac tertia inſtantia: *non deducta deducam, non probata probabo*. Certè non ſunt anguſtata Jura Sereniſſimi Electi, qui poteſt omnia deducere pro tuenda electione, & jure ſibi quæſito; Et deducit incommoda, & pericula Eccleſiæ pro excludenda prætenſione contemptus.

8. Capitulum uſque de menſe Octobris anni 1689. una cum Epiſcopo, tanquam membrum Imperii, & propter fœdus initum cum Imperio, acceptavit, & admiſit tanquam legem Edictum Imperii. *Summ. præſenti num.5.litt.A.* Tali Edicto ſub pœnis graviſſimis realibus, & corporalibus. *litt.T.* & degradationibus familiæ. *litt.Z.* prohibetur admittere Oratores, Miniſtros, Servitores, aut Nationales Gallos. *litt. N.* neque per paucos dies. *litt. T.* Imò neque in Collegiis, Clauſtris, aut Communitatibus. *litt. O.* prohibito etiam omni prorsùs commercio, correſpondentia, & litteris. *litt.S.*

9. In his terminis quicquid ſit de Jure, certè in facto, & de facto, ſeu ratione facti, Capitulum non poterat admittere Eminentiſſimum Bullionum ratione Nationis, & quia munitus ampliſſimis facultatibus, quæ cum conſtituebant Summum Miniſtrum, ut ex literis Eminentiæ Suæ. *Summ.præſenti n.6.* quia contraveniſſet Edicto. *litt. N. O.* & timere poterant ne via facti exequerentur comminata. *litt. T. & Z.* qui timor eſt juſtus, & cadit in Viros Con-

ſtan-

ſtantes, ſtante præſertim exemplo Canonicorum,de quorum infortunio diſpliceet ipſi Eminentiſſimo in ſua proteſtatione: Et eſt adeò verum, ut ideò Eminentiſſimus vellet Paſſa-portus à fœderatis, *ut in Summar. ſuper oppoſitionibus num.* 8. quia cognoſcebat illum Capituli non ſufficere, quòdque Capitulum non poterat ſe exponere damnis, & periculis ſolo ſuo Paſſa-porto,ex infrà conſiderandis.

10. Non obſtat admiſſio Canonici Poitiers, quia iſte eſt Leodienſis, perſona privata, nullum habens miniſterium, & non oſtenditur, quòd ullum præſtiterit Juramentum, & cujus qualitatis: dum,quatenus ſit ratione habitationis, hoc non eſt de Juramentis Edicto prohibitis. *Summ.d.num.5.litt.Q.* & poterat eo non obſtante reverti, & admitti in patria, ut Galli domiciliati reverti poſſunt in Gallias, qui non poſſunt dici ſequuta ſervitia contraria.

11. Et magna eſt differentia à nativo Leodienſi, & perſona privata, ad perſonam ſupremi gradus, cum munere perpetuo in Aula, venientem ab Aula, ut in ejus proteſtatione, & munitum inſtructionibus, & facultatibus pro neutralitate, mittendis, & dimittendis militibus. *Summ.præſenti num.6.* quæ præſeferunt quamdam Plenipotentiam, ac proindè per illius admiſſionem,Capitulum timere poterat, quòd ſe conſtituebat in gravi periculo de damnis propriis, & Eccleſiæ per viam facti, quia admiſſioni in Civitate obſtat. *litt.N.* in Collegio,ſeu Communitate. *litt.O.* & pro neutralitate. *litt. X.*

12. Nihil relevat, quòd Sede vacante ſumma poteſtas reſideat penès Capitulum, quia verum eſt; ſed etiam eſt verum, quòd Sede vacante non poteſt immutare Siſtema in materiis graviſſimis, nec præbere motiva, ut prætextu contraventionis patiatur Capitulum, & Eccleſia, & domeſtici ejus, & Amici quærant nodum in Scirpo, juxta dictum Archidiaconi *in Canone conſequens diſtinct.* 11. & ſe, & Eccleſiam exponerent evidentiſſimis periculis facti.

13. Undè impoſſibile eſt, quòd Innocentius III. *in cap. quod ſicut* in verbis *ſine periculo:* & idem in Concilio generali relato *in cap.quia propter* in verbo *commodè De electione*, ſub quibus verbis Canoniſtæ exemplificant de incommodis, & periculis levioribus, non intellexerint etiam de præſentibus, quæ ſunt de graviſſimis, & quorum conſiderationem relinquimus altiſſimæ comprehenſioni EE. VV. quoniam in his caſibus,ad effectum excludendi contemptum,non ſolùm conſiderantur impedimenta Juris, ſed etiam impedimenta facti, prout eſt impedimentum peſtis, quod eſt quid facti, & in quo caſu quicumque venire vellet à loco infecto, ſeu ſuſpecto, nullatenus admitteretur, quia ea admiſſione ſuſpicio contagionis. Pari modo in præſenti contingentia, talis admiſſio tantæ perſonæ graviſſimas parere potuiſſet ſuſpiciones, & pati potuiſſent Capitulum,& Eccleſia per viam facti maxima incommoda.

14. Pari modo pericula, & incommoda facti timenda erant ex admiſſione mandati Procuræ,tàm à parte Canonici, qui mandatum acceptaſſet, quàm à parte Capituli ſi admiſiſſet, dum Eminentiſſimi Patres, qui præſident Urbi, & Orbi, & quibus extrinſeca, & intrinſeca innoteſcunt, benè poſſunt reflectere, quòd ante uſum prætextu correſpondentiæ, & contraventionis. *litt. S.* Se exponebat periculis facti, & poſt uſum majus periculum facti propter eventum, quæ etiam conſideranda fuit reſpectu Capituli,ſi admiſiſſet.

15. Sed hanc difficultatem facti impoſſibilitatis inveniendi qui ſe voluiſſet onerare mandato Procuræ,agnovit optimè ipſemet Eminentiſſimus, dum

etiam

etiam pro intimanda proteſtatione ſciebat non poſſe Leodii invenire Notarium, ideoque tranſmiſit ad ipſum Capitulum, illudque rogavit, ut intimationem diſponeret, prout ex litteris Eminentiæ Suæ. *Summario num.*4.

16. Cæterùm quatenus aliquis Canonicus potuiſſet acceptare,reflecti ſupplicamus ad *cap. ſi quis juſto, §. Porrò De Electione in ſexto* , ubi judicium Electivum Procuratoris debet eſſe uniforme proprio, atque an Eminentiſſimus in circumſtantiis notiſſimis fuiſſet aliter ordinaturus.

17. Et adhuc figurato per impoſſibile, quòd inventus fuiſſet Procurator, & verificari potuiſſet exercitium Procuratoris,dicimus ſtetiſſe per Eminentiam Suam quominus miſerit, non obſtante præcedenti declaratione foraneitatis, quia Capitulum non habuit ſuum judicium pro irreformabili dum exhibuit ſe promptum ad examinandas ulteriores rationes Eminentiæ Suæ,ſi ſcripto miſiſſet, ut rogabat, proteſtando: *Itaut nequaquam Nobis imputari poſſit,quòd illa, ut innuere videtur,inaudita,hocce in negotio procedamus. ut ex litteris in Summario ſuper oppoſitionibus num.*14.*§.Sed.*

18. Undè ſtetit per Eminentiam Suam quominus melius examinaretur,vel quia non tranſmiſit ulteriores rationes, vel quia in tractatione tot dierum nunquam recurrit ad Nuntium Apoſtolicum ibi proximum. Undè per eum ſtetit, quominus mitteret Procuratorem, & ideò facto ſuo non mittens, non poteſt dicere de contemptu: Et multò minùs ubi contemptus tollitur à ratione Canonica, *commodè, & ſine periculo.*

19. Præmiſſa ſuperabundant quoad Comitem de Rechen, pro cujus parte exhibita fuit procura,data in Caſtelletto Pariſiorum, niſi addamus eum eſſe nominatim proſcriptum ab Imperio.

20. Cæterùm quoad aliam facti ſuper electione, & eligibilitate,nihil deducitur, quod indigeat reſponſione, & non ſit ſublatum in antecedentibus reaſſumendis.

ALOYSII

ALOYSII MANSI,

ET

HIERONYMI PALMA

NEPOTIS,

ADVOCATORUM, AC PATRICIORUM LUCENSIUM

ALLEGATIO

Super puncto contemptus prætenſi ab Eminentiſſimo Domino de Bullione.

1. Confirmationem electionis ad Epiſcopatum, & Principatum Leodienſem, factæ à Capitulo Cathedralis de perſona Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis, ex Ducibus Bavariæ, retardare non poteſt oppoſitio Eminentiſs. Principis D. Cardinalis de Bullione, qui uti Canonicus, & Præpoſitus præfatæ Eccleſiæ Leodien. à tali electione uti nulla, & attentata appellavit, & ejus nullitatem prætendere deſumit ex eo, quòd ipſe uti Præpoſitus, & ſic unus ex Canonicis præfatis, non fuerit ad electionem admiſſus; & ideò ejus contemptus cum ſubſequenti reclamatione irritam reddere valeat hujuſmodi electionem, cùm de Jure Canonico videatur indubitatum magis in electione nocere unius contemptum, quàm multorum contradictionem. ſunt *text. in cap. quod ſicut* 28. *& in cap. bonæ memoriæ* 36. *De elect.* & ibi ſcribentes, *Lanc ellott. inſtitut. Canon. lib.* 1. *tit.* 6. *de elect.* §. *nam cùm viduatæ*; ſunt etenim plurima, quæ hujuſmodi oppoſitiones de medio tollunt, & omninò reſolvunt.

2. Sed priuſquam id fiat, opus eſt præmittere, electionem factam à Capitulo aliquo ex vocalibus non vocato, & contempto, non eſſe nullam, nec invalidam, ſed validam, & legitimam; irritari tamen ipſo vocali contempto opponente, ut probatur per *Tex. in cap. bonæ, & in cap. Eccleſia il ſecondo De elect.* & optimè declarat *Joannes Andreas in cap. quia propter nu.* 28. *& Abbas nu.* 12. *De elect. & electi poteſtate. Lavor. de elect. cap.* 17. *num.* 17. *Barboſa De jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 119. *num.* 115. *Fagnan. in cap. quia propter num.* 38. *De elect.* latè *P. Paſſerin. de elect. cap.* 11. *num.* 118. ubi plures cumulat.

3. Quod confirmatur ex eo, quòd conſuetudine validè introduci poteſt, ut abſentes, etiam in Provincia exiſtentes, non citentur, nec vocentur, licèt contraria conſuetudo, quòd etiam abſentes in loco remoto vocentur, nullo

modo

modo ſubſiſtat, ut latè docet *Panormitan.in cap.coram De elect. Jo: Andreas in cap.cùm inter num.6.de elect.Miranda in manuali Prælatorum tom.2.quæſt.23. artic.6.concluſ.2.* quem refert,& ſequitur *Barboſa De univerſ. jure Eccleſ.lib.1.cap.19.num.*89. idem *Barboſ.in cap. coram 35.de elect. Fermoſin. ad cap.cùm omnes 6.quæſt.2.num.27.de conſtitut. P.Paſſerin.de elect. cap.11. nu.*13. ubi ex *deciſ.14.Patei* dicit ſufficere decem annorum ſpatium; *D.Ludoviſius Engel. de elect.& electi poteſtate par.1.lib.1.tit.24.num.11.*

4. His igitur præmiſſis, quæ multum conferunt pro comprobatione eorum, quæ infra dicenda ſunt. Primo loco dicitur, Eminentiſſimum Dominum Cardinalem de Bovillon non poſſe aſſerere in hujuſmodi electione ſe cõtemptum: & ideò pro illius annullatione inſtare, ex eo, quòd cùm in feſto Sancti Ægidii ad formam Statuti Capitularis, cujus obſervantiam ipſemet juravit, nec ſe in Capitulo perſonaliter præſentaverit, nec mediante ſuo legitimo Procuratore, ideò effectus fuit foraneus, & extraneus: & ideò ex eodem Statuto incapax vocis activæ in electione etiam Epiſcopi, ut in eodem Statuto litteraliter continetur.

5. Certum autem de jure eſt, quòd valet electio facta non vocatis illis,qui ſunt inhabiles ad eligendum, ut poſt *Barboſ.in cap.2. de poſtul.Præl.*dixit *Fermoſin.in cap.illa 31.num.11.de election.*

6. Nec pro evitando hoc efficaciſſimo fundamento recurri valet ad diſpenſationem conceſſam eidem Eminentiſs. Celſitudini Suæ per Clementem X. Summum Pontificem, quando fuit electus ad Dignitatem Præpoſiti in præfata Cathedrali Eccleſia Leodien.

7. Quia diſpenſatio Apoſtolica,caſum hunc comparitionis per ſe, vel per Procuratorem in feſto Sancti Ægidii, nullo modo comprehendit; Nam ea continet quidem diſpenſationem ab obligatione reſidentiæ, ac derogationem ſtatuto ordinante privationem Præpoſituræ in caſu aſſumptionis ad Cardinalatum: nullo autem modo nec loquitur, nec comprehendit, aut diſpenſat ab obligatione comparendi vel per ſe, vel per Procuratorem in feſto S. Ægidii; Undè, cùm verſemur in diſpenſatione, & derogatione ſtatutorum dictæ Cathedralis Eccleſiæ, ſtricta eſt ſumenda interpretatio. *Corrad. de diſpenſat.lib.1.cap.5.num.28. Barboſ.vot.58. num.9. &* 10. cum pluribus aliis cumulatis per *Juſtum* noſtrum Civem *in ſuo moderno tractatu De diſpenſat.lib.1.cap.2.n.16. & num.17.Rota deciſ.18.num.15.par.19.*

8. Nec replicatur, quòd eo ipſo, quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis fuit diſpenſatus ab onere reſidendi, cenſeatur etiam diſpenſatus ab obligatione comparendi per ſe, vel per Procuratorem in feſto Sancti Ægidii; in facto etenim,& in jure tollitur replicatio.

9. In facto, quia ſtatutum duo diſtinctè, & copulativè requirit; Unum ſcilicèt reſidentiam, alterum comparitionem per ſe, vel per Procuratorem in feſto Sancti Ægidii. Undè cùm agatur de duabus qualitatibus, ſeu requiſitis omninò diſtinctis,& ſeparatis, de uno ad alium inferri non poteſt.

10. In jure, quia tantum derogatum, & conceſſum cenſetur, quantum dictum, aut expreſſum, aut de neceſſitate infertur, excluſa omni extenſione. *Rota coram Coccino deciſ.2283. num.102.& coram Bichio deciſ.558. num.32. & coram Celſo deciſ.216. num.9. & deciſ.258.num.3.par.18.tom.1.& dec.18. num.16. par.19.* Undè diſpenſatus, ut reſidere non teneatur, non cenſetur diſpen-

ſpenſatus, ut in caſu non reſidentiæ poſſit percipere fructus: nec diſpenſatus ad obtinendum, cenſetur diſpenſatus ad retinendum, quamvis ſit quid minus. Sic pariter diſpenſatus ad Archiepiſcopatum non cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum, licèt ſit idem ordo, ut hæc, & plura alia ſimilia adducit *Juſtus dicto tract. de diſpenſat. lib. 1. cap. 2. num. 30. 31. & 32. & ſeqq. uſque ad num. 52.* & plures allegat concordantes, & eam efficaciſſimam, & ad propoſitum noſtrum ſatis opportunam adducit rationem, quòd ſcilicèt ſunt res inter ſeſe diverſæ, diſpenſatio una ex eis ſacta non extenditur ad aliam, quamvis ſimilem, etiamſi eadem, vel major ratio adſit; Undè intrat concluſio, quòd tot requiruntur diſpenſationes, quot ſunt vincula, exemplo ducto à vincto duobus catenis, quarum una ſublata remanet altera, ut poſt *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 13. num. 84.* dixit *Rota dec. 262. num. 4. par. 15. recent.*

11. Hæc autem omnia, licèt ex ſe ſatis clara, in caſu præſenti ex duobus videntur reddi indubitata.

12. Unum eſt, quòd in proœmio conceſſæ diſpenſationis, à quo deſumitur cauſa finalis. *Rota coram Royas deciſ. 199. num. 2. & coram Ottbobono dec. 229. nu. 15. & nu. 16. & in Urbevetana fideicommiſſi Mercurii 10. Maji 1690. coram R. P. D. Urſino*, dicitur: *Tu verò ratione Cardinalitiæ, qua fungeris dignitatis, præmiſſa ſervare, ac propterea juramentum de illis ſervandis præſtare nequeas, cupiaſque, &c.*

13. Ex quorum verborum tenore manifeſtè colligitur, Pontificem intellexiſſe ipſum diſpenſare ab iis, quæ erant incompatibilia cum Dignitate Cardinalitia, prout erat reſidentia; cùm Cardinales, tanquam Collaterales Pontificis, apud ipſum reſidere teneantur.

14. Comparitio autem in Capitulo in feſto Sancti Ægidii ſaltèm per Procuratorem, nullo modo eſt incompatibilis cum Dignitate Cardinalitia, undè de hoc nec ſit mentio in Brevi diſpenſationis, nec comprehenditur, aut continetur ſub ratione ejuſdem; undè nec tacitè, nec expreſsè dici poteſt eidem fuiſſe derogatum.

15. Alterum eſt, quòd ipſe Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Bovillon per plures annos, non obſtante præfato Brevi diſpenſatorio, comparuit in Capitulo in feſto Sancti Ægidii mediante ſuo Procuratore; undè quatenùs aliquid adeſſet dubii, prout non eſt, ex obſervantia ſubſecuta optimè declaratur quid fuerit conceſſum. *Rota coram Celſo deciſ. 7. num. 6. & coram Bichio deciſ. 244. num. 31.* ubi, quòd ſufficit obſervantia ad declarationem Indulti deduci ex unico actu, quod, & confirmat eadem *Rota in deciſ. 212. num. 38. & 39. par. 17.*

16. Undè attenta diſpoſitione præfati ſtatuti, cujus obſervantiam juravit ipſemet Eminentiſſimus Princeps, quando à principio ad reſidentiam Canonicatus admiſſus fuit, de quo juramento jam ſuſcepto dum erat Cardinalis, nec de dicto ſtatuto fuit aliqua mentio facta in precibus Pontifici porrectis, clarum videtur eidem in electione etiam Paſtoris vocem non competiiſſe, cùm etiam, ſemota ejus acceptatione, & juramento, Capitulum ſtatuere poſſit, quòd Canonicus in aliquo caſu vocem in Capitulo non habeat, ut ex *Covarruv. lib. 1. cap. 17. num. 7. verſic. qua ratione*, dixit *Rota deciſ. 20. num. 7. verſ. jus enim non reſiſtit par. 3. recent.*

17. Nec opponi poteſt de diſpoſitione *textus in cap. in Geneſi* 55. *de elect.* ubi deciditur nullitas electionis, & eadem irritatur, ex eo, quòd duo ex Canonicis non fuerint admiſſi ad dandam vocem. Tum quia in dicto *textu* plura concurrebant, quæ electionem ipſo jure nullam reddebant, etſi ignoranter, quòd major pars Capituli non conſenſerat in electum, ſed ſolùm majorem partem vocum habuerat comparatione minorum, ut colligitur ex principio dicti *textus*.

18. Tum quia communiter Canoniſtæ tenent, quòd ſufficit ex poſt probari, & juſtificari Canonicum, qui ad electionem non fuit admiſſus, vocem non habere. *Lavor. de elect. tit. 4. cap. 17. num. 7. Barboſa ad cap. 2. num. 4. in fine De poſtulat. Prælat.*

19. Tum quia in caſu noſtro nullo modo applicantur verba dicti *textus*, quæ ſic ſe habent: *Quia utrum G. & H. de quibus Adverſarii referunt quæſtionem, in electione vocem habuerint, tractatum non extitit, neque diſcurſum.*

20. Quoniam plenè de hoc fuit, antequam ad electionem procederetur, tractatum in ipſo Capitulo, & res accuratè examinata, attentè, & proteſtationibus factis pro parte dicti Eminentiſs. Cardinalis, & ei oblata commoditas jura ſua deducendi: & tandem, & omnibus rectè perpenſis, ac auditis ſententiis inſignium Virorum, & præcipuè Academiæ Lovanienſis, fuit per Capitulum declaratum, ipſum admitti non debere ad hujuſmodi electionem.

21. Et licèt regulariter videatur ad Confirmatorem ſpectare cognitio, an Canonicus admitti deberet ad electionem: Id tamen procedit poſt electionem factam, ad effectum videndi, an talis Canonicus legitimè dicere valeat ſe contemptum, & irritationem electionis poſtulare; ſecùs autem quando de ea re agitur ante electionem, quia tunc hujuſmodi cognitio, & declaratio ſpectat ad Præſidentem ipſi Capitulo, unà cum ipſo Capitulo, ut benè inter unum, & alium caſum diſtinguit *P. Paſſerinus De elect. cap. 11. De vocandis ad electionem num. 34. verſ. verùm hìc mihi diſtinguendum.*

22. Nec ex eo, quòd à tali declaratione Capituli fuerit per dictum Eminentiſſimum Dominum Cardinalem appellatum, dici poteſt attentata electio ſubſequuta, ut aſſeritur in appellatione ad Sanctam Sedem, interpoſita poſt electionem per dictum Eminentiſſimum Dominum Cardinalem.

23. Tum quia in hujuſmodi re extrajudicialiter fuit proceſſum; Undè appellatio in his terminis non ſuſpendit electionem, nec cauſat attentata. *Jo: Andr. in cap. quia propter* 28. *col.* 10. *de electtion.* ubi hæc habet: *Sed opponès: quicquid poſt appellationem legitimam fit, revocandum eſſe, de appellat. cap. cùm cauſam*, dicit *Innocent. in judiciis id locum habere, ubi poſt appellationem definit Judex eſſe; ſecùs in extrajudicialibus, ut hìc, ubi non debet quis omittere propter alterius appellationem etiam juſtam, quin utatur jure ſuo*, latè plures deciſiones Rotales referens *Gonzal. ad regul. Cancellar. regul. 8. gloſſa 9. §. 1. num. 27. Barboſa in cap. cùm inter 21. num. 3. de elect. & electi poteſtate, Tondut. quæſtionibus, & reſolutionibus Benefic. par. 1. cap. 7. num. 1.*

24. Tum quia, quando quis procedit uti Collator, & Elector, non uti Judex, tunc nullo modo datur appellatio, nec cauſantur attentata. *Gonzal. ad regul. Cancellar. d. cap. 9. num. 36. Fermoſin. in cap. bonæ memoriæ 51. quæſt. 1. num. 23. in fine De appellat. Barboſ. vot. lib. 1. vot. 4. num. 54.*

25. Tum

25. Tum quia, cùm periculum eſſet in mora, cùm elaberetur tempus trium menſium præſcriptum ad eligendum, tunc talis appellatio nullo modo ſuſpendit, nec impedit electionem, maximè, dum in ea facienda concurrit major pars Capituli, ut conciliando contrarias ſententias *Innocent.* & *Hoſtien.* diſtinguit *Jo: Andr. in cap. quia propter col.* 10. *verſ. harum opinionum quælibet De elect.*

26. Secundo loco principaliter excluditur contemptus Eminentiſſimi Domini Cardinalis, qui prætendit deſumi ex ejus non vocatione; quia de tempore ſecutæ vacationis, & forſan tempore quo fuit præciſa dies electioni deſtinata, ipſe erat in Gallia, & ſic extra Provinciam, undè non erat vocandus. eſt *textus in cap. etiam* 35. *gloſſ. in cap. cùm inter univerſas* 18. *in litt. C. in verbo remoti, & in cap. in Geneſi* 55. *litt. E. in verbo de conſuetudine De elect.* & ſuper dictis Juribus communiter ſcribentes.

27. Parum relevante, quòd poſteà ſe approximaverit, & de tempore electionis eſſet in terra, ſeu Civitate Huyenſi, non ſolùm de Provincia, ſed de Diœceſi Leodienſi.

28. Quoniam ſatis eſt, quòd non fuerit in Provincia de tempore vacationis, & determinationis temporis pro electione, quia ſi ex poſt ſupervenit, non eſt vocandus. *Innocent. in cap. quia propter num.* 10. *verſic. item ſi fuerit De elect. Joannes Andr. in d. cap. quia propter col.* 9. *ad medium, verſic. quo in caſu convent. De elect. & electi poteſtate.*

29. Nec dicatur de tempore electionis, & paulò ante, Eminentiſſimum D. Cardinalem apud Capitulum Leodienſe inſtetiſſe pro ſalvo-conducto, & admiſſione ad ſcrutinium, & electionem.

30. Hæc etenim inſtantia reſpicit rem omninò diverſam, de qua inferius tractabitur; Quo enim ad præſentem rem, in qua agitur de prætenſo contemptu, attinet, hujuſmodi inſtantiæ eò fortiùs excludunt neceſſitatem vocationis dicti Eminentiſſimi Principis, cùm demonſtrent ipſum de morte Epiſcopi, & Principis Leodienſis jam fuiſſe certioratum, undè vocationem non requiri; cùm certus amplius non ſit certiorandus. *cap. eum qui certus De regul. jur. in* 6. *l.* 1. *in fine, ff. de action. empti. Menoch. conſil.* 825. *num.* 12.

31. Et licèt aliqui ex Canonum Interpretibus voluerint, & ſenſerint non ſufficere ſcientiam mortis Epiſcopi, ſed requiri ſcientiam temporis, & diei, in qua facienda eſt nova electio: Attamen cùm in caſu noſtro in Eminentiſſimo D. Cardinali adeſſet præciſa ſcientia, & vacationis Eccleſiæ, & temporis, ac diei, in qua præciſè facienda erat electio, ut patet ex ejus Inſtantiis, ac proteſtationibus: in his terminis dare non valet de contemptu, & petere electionem initari ex eo, quia non fuit vocatus, ut benè probat *P. Paſſerin. de elect. de vocandis ad electionem cap.* 11. *num.* 66. ubi adducit punctualem auctoritatem *Panormitani in cap. Eccleſia veſtra* 57. *num.* 9. *de elect.* reſpondentis ad objectum illud *Antonii de Butrio*, aſſerentis citationem requiri pro Juſtitia, & quia ſic Jura præcipiunt, cum verbis *Textus in cap. cùm inter* 18. *de election.* in illa parte ubi ait: *Quamvis conſuetudo Eccleſiaſtica non exigat, ut ad electionem Paſtoris Canonici tam remoti vocentur, præcipuè qui longè antequam vos Metropolitani veſtri obitum præſentialiter cognoverunt:* & latè proſequitur idem *Paſſerin. num.* 62.

32. Tertiò principaliter ad objectum ex prætenſo contemptu, & non in-

terventu Eminentiſſimi D.Cardinalis in electione,reſpondetur, quòd ſivè fuerit in Provincia, ſivè extrà, certum eſt eos tantùm vocari debere, qui volunt, & debent, ſeu poſſunt commodè intereſſe, ut ſunt verba præciſa *text. in cap. quia propter De elect.*De voluntate Eminentiſſimi D. Cardinalis interveniendi præfatæ electioni non dubitatur; ea enim nimis clara eſt.

33. Sed de aliis duobus requiſitis diſcurrendum eſt: & circa hæc conſtanter dicitur, Eminentiſſimum D.Cardinalem præfatum non debuiſſe, nec potuiſſe commodè intervenire.

34. Non debuit; quia cùm Bellum atrox vigeret inter Sacrum Imperium, cujus pars eſt ipſe Princeps Epiſcopus, & Capitulum Leodienſe, & Regem Chriſtianiſſimum,cum proſcriptione hinc indè omnium Subditorum,& Miniſtrorum alterius Principis, & pœnis graviſſimis impoſitis illos receptantibus, vel cum eis tractantibus: non debuit Capitulum admittere in ipſa Urbe præfatum Eminentiſſimum Dom. Cardinalem, nedum origine Gallum, ſed actualem Officialem Coronæ Gallicæ; aliàs enim ipſa Civitas, quæ ab Epiſcopo, & Capitulo etiam in temporalibus regitur, incurrere potuiſſet Bannum Imperiale, utpotè operando contra præſcripta in Edictis Imperialibus, in quibus ipſe Epiſcopus, & Princeps Leodien. uti Sacri Imperii membrum intervenit, & ſua approbatione confirmavit præfatas ordinationes, circa quod punctualis videtur doctrina *Baldi in cap. cùm inter il ſecondo num.2.de elect.* hæc præcisè dicentis: *Item poſſunt eſſe in loco vicino,tamen eſt guerra in medio, ita quòd non poſſunt tutè vocari.*

35. Et ex *Hoſtien.in Summa tituli De elect.§.qualiter facienda n.11.* idem firmat *P. Paſſerin. d.cap.11.num.33.* ibi: *Vel non poſſunt vocari propter bella*: Et ab eo non citatus,idem dicit *Panormitan.in cap.coram num.3.de elect.*

36. Non debuit, neque potuit commodè vocari, nec admitti; quia cùm arduiſſima lis adſit inter Capitulum Leodienſe, & Celſiſſimum Principem ejuſdem Eminentiſſimi Cardinalis Germanum fratrem, & totam eorum Inclytam Domum ſuper Ducatu Bovillonis, juſtè prætenſo uti proprio per præfatum Capitulum, uſurpati actualiter, & per eumdem D. Ducem fratrem Eminentiſſimi D.Cardinalis,de qua prætentione terminanda actum ſpecialiter fuit in articulo vigeſimo octavo Pacis Neomagi; undè pro fratris intereſſe,& proprio etiam, cùm & ipſe in defectu lineæ fratris prætendat ſuccedere in dicto Ducatu Bovilloni, & ab eo actualiter denominetur, non debuit admitti ad electionem Epiſcopi Leodienſis, nec potuit commodè per Capitulum vocari; cùm receptiſſima ſit Canoniſtarum Sententia, verbum illud, *commodè*, de quo in præfato *textu*,referri non ad commoditatem Canonici vocandi, ſed potiùs ad commodum Capituli eligere debentis. *Barboſ.de Canonic.& Capitulo c. 39. num.4.in fine*, & poſt *Ludov.Miranda in quæſt.23. artic.6. concluſ.3.* id ipſum confirmat *Barboſ.in cap.quia propter num.12. De elect.& de univer.Jur.Eccleſiæ lib.1.cap.19.num.89.* & ante eos dixit, licèt ab illis non allegatus, *Panormitan. in cap. quia propter num.5. De elect.* ibi: *Tertiò requiritur, quòd poſſint commodè intereſſe, & hæc commoditas refertur ad utilitatem Eccleſiæ, & non perſonæ, ſecundùm Doctores*: & benè *Tambur. de jure Abbatiſſarum lib.1. diſput.5.quæſt.3.num.15.Suarez De Relig.tom.4.lib.5.cap.2.nu.3. Lavor.de elect. tit.4.cap.17.num.12.Paſſerin.de vocand.ad elect.cap.11.num.33.*

37. Non

37. Non potuit commodè vocari, & admitti, nec debuit; quia ſi ipſe veniſſet, probabiliter tumultus, & ſeditio ſequuta fuiſſet; quando autem de hoc periculo timetur, non ſunt, nec vocandi, nec expectandi abſentes, ut per *Lavor.d.cap.17.nu.12.cum aliis per Paſſerin.de elect.* in ſæpè citato *cap.11.nu.33. verſic. ex quo ſequitur*; Et ideò aliàs in electione Coadjutoris Epiſcopi, & Principis Leodienſis, S. Sedes Apoſtolica admiſit electionem factam nedum à majori parte, prout in caſu noſtro, ſed ea minori parte Capituli, aliis non vocatis, & contemptis, ex ea ſolum ratione, quòd illorum vocatio poterat cauſare impedimentum, & tumultum, ut per cl.mem. *Card. de Luca De Regularibus diſc. 53.num.10. & num.11.*

38. Si igitur Capitulum validè poteſt ſtatuere, ut ex aliqua rationabili cauſa aliquis Canonicus non habeat vocem in Capitulo. *Rota deciſ.20.num.7. verſ.jus enim par.3. recent.*

39. Si arbitrio Judicis, tamquam boni viri, definiri, & diſcerni debet quando abſentes debeant, vel vocari, vel expectari, ut per *Abb.Panormitan.in cap. coram n. 3. de elect.* quæ mirabiliter ſtringunt ad caſum noſtrum. ibi: *Quando autem dicantur commodè poſſe vocari, dic, quòd non poteſt dari certa regula; ſed bonus Judex arbitrabitur ſecundùm pericula imminentia, & diſcrimina viarum.* Nam fortè, ſi citò non fieret electio, immineret periculum ſchiſmatis, ſeù intruſionis laicæ poteſtatis, vel quid ſimile, vel propter guerras imminentes, non poteſt fieri de facili vocatio, pro hoc *Suarez De Relig. tom.4. lib.5. cap.2. num.3.Barboſ.de Canonicis, & Capitulo cap.39.num.4. in fin. & de univerſ. Jur.Eccleſ.cap.19.num.89.in fine. Paſſerin.de elect.cap.11.ſub num.34.*

40. Certè in caſu præſenti, nedum concurrunt, ſed ſuperabundant ſufficientiſſimæ cauſæ, per quas Capitulum nec debebat, nec commodè poterat admittere in Civitate Leodienſi, & ad electionem Eccleſiæ viduatæ Eminentiſſimum Dom. Cardinalem de Bovillon, quæ ſunt ita notoriæ, ut ulteriori expreſſione non indigeant.

41. Si verò objiceretur de non conceſſo ſalvo-conductu, per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem petito, ad effectum ſe transferendi ad Urbem Leodii, objectum faciliter de medio removetur. Tum quia, cùm ex ſupra narratis Eminentiſſimus Princeps non poſſet commodè, nec deberet admitti, aut vocari ad præfatam electionem: Ideò nec ei debebat dari, aut concedi prætenſus ſalvus-conductus, ſeù ſecuritas ad hunc effectum petita, dum ex ea major aditus apertus fuiſſet tumultibus, & aliis periculis ſuperiùs indicatis. Tum quia prohibitio commercii, & receptationis ſubditorum Regis Galliæ, & ejus Miniſtrorum, non pendebat à ſola authoritate Capituli, & Principis Leodienſis, ſed ab authoritate Dietæ Imperialis, & Imperatoris, à quorum manibus debebant peti ſalvi-conductus, & ſecuritates, non autem à Capitulo Leodienſi, quod eſt ſimplex membrum ejuſdem Imperii. Tum quia Milites, qui tunc exiſtebant in Civitate Leodii, & ejus adjacentiis, non omnes erant Leodienſes, ſed in parte erant ex aliis Regionibus Confœderatorum, quorum opera opus habebant ad defenſionem propriæ Civitatis ab invaſione facta, & occupatione partis ſuæ Diœceſis, & Territorii, & ſignanter Civitatis Dynant, & Huy, ubi commorabatur Eminentiſſima Sua Celſitudo, ab armis Regis Chriſtianiſſimi; Undè ſecuritas vel concedi non debebat à Capitulo ne deficeret Imperio, vel à concedenda prudenter abſtinere, ne ſe redderet

ret debitorem contingibilium abſque ſua culpa inter odia bellorum, & Nationum, cum aliquo ſiniſtro eventu irreparabili in vigenti anthipathia.

42. Additur pro coronide, quòd ſumus in electione jam facta, pro qua in dubio debet ſumi omnis interpretatio, ut poſt *Martinum Andream deciſ.* 101.*num.*4.*&* *Rotam deciſ.*774.*num.*6. *part.* 2.*recent.* dixit *Rota coram Priolo deciſ.*205.*num.*29. maximè quando, ſi ad novam electionem deveniri deberet, plura orirentur ſcandala, & abſurda, ut ſubdit eademmet *Rota coram Priolo deciſ.*205.*num.*30.

43. Ex quibus pro confirmatione Electionis concludendum videtur; ſalvo tamen ſemper cujuſlibet meliùs ſentientis Judicio.

A. JA-

A. JACOMETTI

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super puncto contemptus.

1. STatutum, quod habemus in forma authentica præſenti *Summario num.*1 *litt.F.* diſponit, quòd Canonicus Foraneus nullum habeat ſuffragium in Capitulo, etiamſi agendum ſit de Electione Epiſcopi, parificando Foraneum cum eo, qui primam reſidentiam non fecit, ac etiam cum altero, qui in Sacro Subdiaconatus ordine nondum eſt conſtitutus, ut colligitur ex dictione *item*, cum qua dicti tres caſus inter ſe diſtinguuntur, & ex pœna privationis ſuffragii continuativè appoſita in fine ejuſdem Orationis complexivæ omnium dictorum caſuum: itaut attento iſto Statuto ſola ſuperſit quæſtio, an Eminentiſſimus Cardinalis haberi debeat pro Foraneo.

2. In eodem Statuto *dicto Summ.num.*1 *litt.C.D. E.* cavetur pariter, quòd habeatur pro Foraneo quicumque in feſto B.Ægidii ſe ad Reſidentiam non exhibuerit, & per ſex menſes, & una die continuo, vel diſcontinuo, non reſcderit: ſuper quo tamen duæ exadverſo fuerunt excitatæ difficultates, quas tamen non obſtare, ex ſequentibus reſolvendum credimus.

3. Prima igitur difficultas eſt, quòd Statutum loquitur affirmativè de eo, qui ſe præſentavit, cui deindè injungit Reſidentiam, ideò non videmur verſari in caſu Statuti, cùm ſimus in caſu negativo de eo, qui ſe non præſentavit; verùm hæc difficultas frivola eſt, quia Statutum ponit caſum affirmativum ad denotandum onus ſe præſentandi, & reſidendi, ſed deindè in caſu negativo imponit pœnam, ut habeatur ex interdicta Oratione cum dictione *alioquin*, ibi: *alioquin pro Foraneo habeatur*: & propterea determinatio pœnæ qualificat caſum negativum, in quo verſamur; nam dictio *alioquin* dicitur ſtare conditionalitèr, & adverſativè ad caſum præcedentem, & talis diſpoſitio dicitur habere locum, quatenùs contenta in præcedenti caſu affirmativo, facta, vel adimpleta non fuerint. *Text.in l.divortio in princip.ff.de negot.geſtis*, cum aliis apud *Barboſ.tract.var.dict.*17.*num.*2.

4. Altera difficultas eſt, quòd ſicut Statutum in caſu præcedenti affirmativo requirit præſentationem una cum Reſidentia, ita pariter pœna appoſita in altero caſu negativo non cenſeatur inflicta, niſi una cum non præſentatione non concurrat defectus Reſidentiæ, cujus defectus in caſu noſtro cùm verificari non valeat, ex quo Eminentiſſimus Cardinalis fuerat à Reſidentia diſpenſatus, ideòque non ſit locus pœnæ à Statuto inflictæ.

5. Verùm iſtud objectum, in quo conſiſtit totum momentum defenſionis Partis adverſæ, facilè evitari videtur, advertendo, quòd licèt Statutum in caſu

affir-

affirmativo, duo copulativè requirat, nempè exhibitionem, ſeù præſentationem, & Reſidentiam: non indè tamen ſequitur, quòd in caſu negativo pœnam non impoſuerit, niſi concurrat utrumque copulatum; ſed ad incurrendam pœnam afficit, quòd in altero tantùm ex copulatis verificetur omiſſio, ea ratione, quia ſicut ex implemento unius ex copulatis in caſu affirmativo non eſt ſatisfactum Statuto, ità pœna appoſita in caſu negativo debet habere locum, etiam ſi unum tantùm ex copulatis deficiat, quia cùm dictio *alioquin* ibi appoſita, ſtet adverſativè ad præcedentia, non rectè verificaretur, niſi quod poſitum eſt copulativè in caſu affirmativo, intelligetur disjunctivè in caſu negativo, & præcedenti contrario.

6. Hinc non obſtat, quòd Eminentiſſimus Cardinalis habuerit Indultum de non reſidendo; nam ſi Statutum requirit etiam præſentationem, non cenſetur eidem ſatisfactum ex ſola Reſidentia, quæ ſuppletur ex Indulto: & ubi etiam per poſſibile caſus iſte, quo quis eſt diſpenſatus à Reſidentia, deberet haberi pro mixto, non indè tamen ſequeretur non cadere ſub Statuto loquente de Foraneo; quia cùm dictum Statutum reſpiciat favorem Religionis, quòd ſcilicet quolibet anno abſentes ſe præſentent in Eccleſiam ad offerendum actum obedientialem, & hæc ratio æquè militet quoad omnes, & etiam quoad eos, qui reſidere non tenentur: hinc diſpoſitum in caſu ſimplici habet locum etiam in mixto, quamvis diſpoſitio Statuti ſit pœnalis, ut monet *Gloſſ. in cap. cuncti ſciunt verbo aliàs De elect. in 6. Abb. in cap. nihil, num. 9. verſic. emanavit enim pariter De elect. Spad. conſ. 25. num. 19. & num. 26. lib. 1. & conſ. 102. n. 9. & duobus ſeq. lib. eodem, Capyc. Latr. conſultat. 157. num. 35. & ſeq. tom. 2. Rot. deciſ. 117. num. 1. & per tot. par. 1. diverſ.*

7. Additur, quòd in quocumque caſu non factæ præſentationis, Capitulum ſemper hujuſmodi Canonicos habuit pro Foraneis, & ità etiam in individuo cenſuit in caſu noſtro; nullum autem deferri ſolet circa interpretationem Statutum illis, qui continuò verſantur in judicando circa eorum obſervantiam, ut in ſpecie dixit *Rota coràm Durano deciſ. 462. num. 2. deciſ. 7. num. 27. par. 17. recent. in Melevitan. Bajulivatus* 15. *Junii* 1663. *ſub §. nec merito coràm bo: mem: Albergato, in Melevitana Commendæ* 16. *Junii* 1683. *coram bo: mem: Paulucio, &* 12. *Decembris* 1688. *§. hæc obſervantia coràm bo: mem: Rondanino.*

8. Sed ultra foraneitatem, Eminentiſſimus Cardinalis non erat vocandus, cùm commodè intervenire non poſſet, ideòque contemptus non dicitur, ut fundat *Text. in d. cap. quia propter, ubi Fagnan. num. 41. De elect.* & paſſim tradunt Canoniſtæ, itàut ſola quæſtio reducatur in videndo, an commodè intervenire potuiſſet.

9. Quòd autem intervenire non potuerit, evidenter convincitur ex ipſis proteſtationibus emiſſis ab eodem Eminentiſſimo Cardinali, dùm petiit à Capitulo, ut ſibi procuraret ſalvum-conductum à Principibus fœderatis, quod non erat in poteſtate ejuſdem Capituli: & multò minùs admitti potuit, uti legitimè impeditus ad dandum ſuffragia per procuratorem; quia cùm ſuffragium abſentis dari non poſſet, niſi ab aliquo de gremio Capituli, Capitulum autem ex banno Imperiali prohiberetur de facto habere commercium cum ſubditis Regis Chriſtianiſſimi, ſequitur, quòd nemo ex Capitularibus de facto potuiſſet idem mandatum acceptare.

10. Nec ſuffragatur reſponſio, quòd bannum Imperiale non comprehenderet

deret Eccleſiaſticos, tum quia Capitulares idem bannum acceptaverant,& una cum Epiſcopo dicto banno ſe ſubmiſerant, tum etiam, quia non debebant ſaltem de facto ſe exponere pœnis in eo comminatis,ſatis edocti exemplo quatuor Canonicorum,qui ob dictam contraventionem præcedenter fuerant carcerati: & propterea quatenus etiam Eminentiſſimus Cardinalis non caderet ſub dicto banno,itaůt eo non obſtante potuiſſet per procuratorem ferre ſuffragium, afficit, quòd impedimentum eſſet ex parte Capitularium, qui de facto mandatum acceptare non poterant; nam commoditas conſideratur ex parte Eccleſiæ, non autem perſonæ, quæ ſuffragium ferre debet, ut tradunt *Miranda in Manuali Prælat.tom.2.quæſt.23.art.6.concluſ.3. Barboſ.in dicto cap. quia propter num.12.De elect.*& notandum eſt verbum illud *commodè* appoſitum in *textu dict.cap.quia propter*; non enim lex voluit impoſſibilitatem, ſive Juris, ſive Facti, ſed commoditatem; unde infertur, quòd ex omni periculo etiam minus juridico,& de facto,ac poſſibili,Eccleſia non teneretur abſentes vocare.

11. Exemplum Canonici Poytiers admiſſi ad votandum, non ſuffragatur, quia bannum loquitur de ſubditis Regis Chriſtianiſſimi, & ideò non comprehendit dictum Canonicum ſubditum Principatus Leodienſis.

12. Neque obſtat, quòd Capitulum non niſi foraneitatem oppoſuerit,tum quia licèt de aliis impedimētis nō oppoſuerit in ſpecie,oppoſuit tamen in genere,ut in facto,itaůt ſemper,& quandocumque ad excludēdum contemptū poſſit eam ad ſpeciem deducere,tum etiam quia ubi contemptus allegatur in judicio coram Superiore, intrat regula paſſim in judiciis recepta,*non deducta deducam.*

13. Quamvis præmiſſa ſufficiant ad excludendum contemptum, adhuc ex abundanti additur motivum in præteritis non deductum, & eſt, quòd Eminentiſſimus Cardinalis in promotione ſua ad Cardinalatum non obtinuit retentionem Canonicatus,unde ille vacavit ipſo Jure:& propterea ſi non eſt amplius Canonicus, neque habebit votum, cùm illud etiam ad ſenſum partis ſit adnexum Canonico.

14. Neque obſtat,quòd in ipſa promotione eidem indulta fuerit retentio incompatibilium; quoniam ex Conſtitutione Sixti V. *la* 79. *Bullar.tom.*2.generale Indultum retinendi incompatibilia non comprehendit Canonicatus, niſi de iis facta fuerit mentio ſpecialis.

15. Minus juvari poteſt Eminentiſſimus Cardinalis altero Brevi obtento ſuper Præpoſitura, quia dum Papæ non innotuit, quòd Eminentiſſimus Cardinalis retineret Canonicatum de facto, & abſque diſpenſatione Apoſtolica,diſpenſatio non eſt trahenda ad defectum non expreſſum; opus enim fuiſſet narrare,quòd de facto retinebat Canonicatum, qui ex promotione ad Cardinalatum vacaverat, non obſtante ſpeciale illius retentione, ut latè probat *Pir.Corrad.in prax.diſpenſat.lib.* 8.*cap.*5.*n num.*42.*&* 43.

16. Nec allegari poteſt diſpenſatio præſumpta ex lapſu temporis, quia cùm hujuſmodi diſpenſationes, non niſi à Summo Pontifice concedantur, & adnotari ſoleant in Regiſtris, dum factis diligentiis nullibi reperta fuit, probata dicitur negativa, & conſequenter non poteſt habere locum præſumptio, quæ ſemper cedit veritati, juxtà formam in *deciſ.*365.*num.*4.*&* 5. *& in deciſ.* 396.*num.*12.*par*.18.*rec.*

17. In reliquis concernentibus attentata, & conceſſionem compulſoriæ, ſatis reſponſum fuit in præteritis; alia autem cumulata magis ad ornatum, quàm cauſæ neceſſitatem, nullam merentur reſponſionem.

Digitized by Google

OCTAVII DE JANDIS

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super puncto contemptus:

1. PLuribus fundamentis jàm deduximus in præterita,Eminentiſs. D. Cardinalem Bullionium ſe contemptum haud poſſe aſſerere, minuſque exinde prætendere irritandam eſſe electionem Sereniſs. Principis Joſephi-Clementis Electoris Colonien. Præcipuè verò, quia ob non reſidentiam, & præſentationem in Feſto S.Ægidii, ad tenorem Statutorum, effectus fuerat Foraneus,& voce carens: & quia attenta ipſa diſpoſitione Juris, uti Gallus, Princepſque adeò potens, & Miniſter Chriſtianiſſimi Regis,ejuſque hoſtilibus Copiis militaribus,Principatum,& Eccleſiam Leodienſem invadentibus, etiam bello ipſo furente imperans, neque commodè,neque ſine evidenti Eccleſiæ damno (ne dicam periculo) vocari poterat, juxtà terminos litteralium *Canonum Quia propter* 42. *& quòd ſicut* 28. *de Electioη.* in quibus ſancitur, eos tantum eſſe ad Electiones vocandos, qui Vocem habent, quique poſſunt, & debent intervenire *commodè*, *& ſine periculo Eccleſiæ*, & tradunt ibidem omnes *Canoniſtæ.*

2. Utrumque impedimentum in Eminentiſſimo D. Cardinali benè agnovit Capitulum, quod licèt ſatis modeſtè objecerit,principalitèr in Epiſtolis reſponſivis,foraneitatem, nihilominus non per hoc à jure ſuo cadere valuit, neque cecidit in aliis, quæ etiam poſitivè reſervavit, & expreſſit; Nam,rejiciendo appellationem ab eodem Eminentiſſimo interpoſitam, non tàm objecit, eum non debuiſſe intervenire ob Statutorum, & conſuetudinum notoriam diſpoſitionem circa foraneitatem; Verum etiam *propter alias rationes uberius poſtmodum deducendas, & ubi opus fuerit inſinuandas*: quæ certè expreſſiones,& verba indicant, & complectuntur omnes etiam alias rationes,ex quibus ultrà Statutorum diſpoſitionem de jure communi advocandus non erat,eò quia hæc eſt jus illorum verborum *propter alias rationes*, ut nempè diverſas ab expreſſis indicent, juxtà traditionem *Bartol. in l. ſi quis, §. fin. ff. de legat.* 2. quam ſequitur *Hondcd. conſ.*69. *num.*25. *lib.*2. *& Rota coràm Royas deciſ.*41. *nu.*6.

3. Hinc pro amputandis ulterioribus dilationibus, quæ prætextu tranſportandorum Statutorum exquiruntur ad retardandam Confirmationem, nevè iſta diutiùs in evidentem perniciem Eccleſiæ, quæ ſuo ingemit viduata Paſtore, diriſque bellorum cladibus dilaniatur, contra eam pietatem differatur, qua Sacri Canones commiſerantes neceſſariè, & celeritèr confirmationem concedi præcipiunt, ut in *cap. cùm inter univerſas* 18. *cap. cùm nobis* 19. *cap. quia propter* 42. *& Concordan. de Electiοn.* ſupplico, ſola ipſa diſpoſitione juris inſpecta, ponderari,quòd Eminentiſſimus D.Cardinalis nequit dici contemptus,

itaut

itaut ex eo irritari debeat Electio. Quippè, ſi ipſe allegat non fuiſſe vocatum, utique hæc formalitas vocationis erga eum non erat neceſſaria, duplici evidenti motivo. Altero, quia eo tempore degebat extrà Provinciam, & Leodienſem Diœceſim in Gallia, ſeù in Regno hoſtili, nec propterea inerat de iure obligatio illum vocandi, juxtà *Textum clarum in cap. coram* 35 *De Election.* ibi: *Fratribus omnibus, qui fuerint in Provincia convocatis*, ibique *Abb. nu.* 3. addens, *nullam eſſe obligationem advocandi extrà Provinciam*; quod confirmat *Fermoſin. in cap. cùm inter num.* 3. *De Elect. Lavor. eod. tract. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 3.

4. Altero, quia Eminentiſſimus D. Cardinalis optimè noverit vacationem Eccleſiæ, ac diem ipſum indictæ Electionis, ut patet tùm ex ejus Epiſtolis, tùm aliis reſponſivis Capituli, qua notitia ſtante, Capitulum non tenebatur eum ulteriùs intimare, ſeù certiorare, ex quo vocatio abſentium non eſt de forma Electionis, ſed de ſolemnitate, ut jàm probavimus, quæ ſuppletur per notitiam: & ideò eò ipſo, quòd abſens ſcit vacationem, & diem Electionis, non eſt citandus, nàm debet venire ſi vult, & ſi non venit, cenſetur nolle intereſſe, ſibique imputet. benè *Abb. in cap. cùm Eccleſia veſtra* 57. *num.* 19. *De elect.* ubi rejicit contraria, & firmat, quòd vocatio non eſt de forma, ſed pro notitia, idque latè repetit in *cap. cùm inter univerſos num.* 10. *eod. tit. Paſſerin. de Elect. cap.* 11. *num.* 66. ubi alias reddit rationes, *quia certus non debet certiorari*, *quòdque præſens de jure habendus ſit, & cenſendus ille, qui ſcit, & poteſt venire*, & allegat *Petr. de Baiſ. in director. Elect. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. *inter tract. magn. tom.* 13. *part.* 2. *pag.* 394. & *Caſtellin. de Elect. cap.* 8. *num.* 10.

5. Igitur ex non vocatione non poteſt dici contemptus, neque quòd Electio ſit irritanda hoc capite; Addendo, quòd pro contemptu, Canones non loquuntur de ſimplici non vocatione, ſed de contemptu formali injurioſo, & vilipendente, qui eſt Sac. Canonibus exoſus, & valdè etiam diverſus à non vocatione; Pro hoc namque requiritur, quòd ſit non vocatio doloſa in odium cum ſpretu injurioſo, non autem ſine eo: & ſi detur aliqua cauſa, ne dum veriſimilis, ſed etiam injuſta, colorata tamen, non intrat injuria, & contemptus. optimè *Felin. in cap. ſi quis* 2. *ſub num.* 7. *De majorit. & obedient.* ubi dicit, *quòd per ignorantiam excluditur contemptus, ſimiliter ſi ſine dolo, ſeù quis faciat cum aliqua cauſa non dicitur contemnere etiamſi ſit injuſta*, & allegat *Gloſſ. in cap. Metropolitanum* 2. *quæſt.* 7. idemque docet *Card. conſ.* 11. *de verb. ſignif. Anton. de Burgos in cap. Canonum Statuta De Conſtitut. num.* 128. *inter repet. Canonic. tom.* 2. *pag.* 77. *à tergo. Beat. Anton. in ſuo Tractat. de Excommunic. cap.* 47. *ſub num.* 11. *inter tract. magn. penult. edit. tom.* 16. *pag.* 216. *Paſſerin. de elect. cap.* 14. *ſub num.* 48. *verſ. & agere*, ubi *quòd agere de contemptu eſt agere de injuria, & per conſequens de dolo. Bordon. var. reſolut. tit. de elect. reſ.* 61. *num.* 8.

6. Contemptus enim ex *D. Thoma* 2. 2. *quæſt.* 186. *artic.* 9. *in corpore*, eſt actus non ſimpliciter contrà legem, ſeù hominem geſtus, ſed ille, qui præcisè, & formaliter fit in odium, & injuriam, & hac præciſa voluntate reflexa contemnendi, & vilipendendi, & alias refert auctoritates, præſertìm *Sancti Auguſtini lib. de natur. & gratia cap.* 29. *circà medium* afferentis, quòd non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ.

7. Idque illuſtratur à *Cajetano in calce ſui Commentarii ad eumdem artic.* dum inquit *peccare ex contemptu ſecundùm doctrinam præfatam D. Thomæ, duo*

importare, actum ſcilicet peccati, & cauſam peccandi: itaque ad contemptum non ſufficit actus contrà legem, vel hominem, etiamſi eſſet multiplicatus, ſed neceſſariò requiritur, quòd quis peccet ex cauſa formaliter, quòd non vult deliberatè ſubjici legi, vel homini, & in ejus injuriam, ſeù odium, prout latius explicat *Caſtellin. de elect. in prælud. §. 11. de contẽpt. in transgreſſor. leg. Suarez De legib. lib. 3. cap. 28. nu. 18. Valentia Commentar. tom. 2. diſputat. 7. quæſt. 5. de leg. human. punct. 6. §. 4. pag. 822. col. 2. litt. B. verſic. primus caſus*, inquiens, *quòd peccatur ex contemptu, non quando ex malitia peccatur, ſed quando ex ſuperbia, tumore animi, data opera in legem, vel hominem formaliter invehitur*, & infert ab hoc contemptu *excuſare omnem bonam fidem, & cauſam coloratam, etiam ex probabili ignorantia.*

8. In caſu, de quo agitur, voluntas reflexa, animuſque injuriandi, & contemnendi Eminentiſſimum D. Cardinalem certè in Capitulo non adeſt; imò omnem umbram excludit tenor Litterarum plenus reverentia, reſpectu, dignaque æſtimatione: & licèt eumdem non admiſſibilem Capitulum dixerit, & crediderit ex Foraneitate, & aliis cauſis ſuis loco, & tempore deducendis, tamen vel iſtæ cauſæ ſunt juſtæ, & ipſo facto ceſſat omnis contemptus: & quatenùs aliquid dubii paterentur, ſatis ſuperque eſſent ad excludendum contemptum, qui ex qualibet juſta ignorantia, & cauſa etiam injuſta evaneſcit, prout docent *Felin.* & alii ſupra allegati, quibus addo in terminis *Barboſ. de jur. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 19. num. 88. Rot. coram Ninot. deciſ. 88. num.* 8. ubi, *quòd vindicatur contemptus, vel ex probabili ignorantia, vel juſtis aliis cauſis.*

9. Eòque minùs dare valet de contemptu Eminentiſſimus D. Cardinalis, utpotè qui non fuit ejectus à Capitulo, ſed tantùm non vocatus. Ut enim inquit *Paſſerin. de elect. cap. 11. ſub num. 73. verſ. adjungitur: Aliud eſt* (ſunt verba præciſa) *expellere Vocalem ne eligat, & aliud eſt illum non vocare; Nam per primum privatur poſſeſſione eligendi; ideò ubi inhabilitas non ſit notoria, ſed indigeat Judicis declaratione, non licet Vocalem inhabilem auctoritate privata vi ejicere ab Electione, & eum de facto privare ſua poſſeſſione, ſed eum non vocare non eſt privare poſſeſſione*; ſed ut habet *Innocent. in cap. Vintonien. &c. 25. de Elect. num. 6. ſolùm eſt dicere, & facto exprimere, quòd non vocatus non habet vocem, cùm ſit inhabilis; Ideòque non fit injuria tali Vocali, ſi non citatur, quia non habet Jus, ut non dicatur verbo, & facto, quòd eſt inhabilis, cùm ejus inhabilitas probari poſſit in Judicio*, addens: *& cùm jam ſit per ſententiam Juris privatus jure eligendi, non habet jus, ut vocetur ad Electionem, quamvis poſſit habere jus, ut non ejiciatur, & ſua poſſeſſione non privetur; Talis enim ſi habet jus, ut non auferatur ab eo, quod habet, non habet jus, ut detur ei quod non habet, & cap. 14. num.* 14. ſubdit, Capitulum utens jure ſuo, & non vocans, & excludens modo debito, & legali, quem non tenetur admittere, nullam ei facere injuriam, neque in illum eſſe injuſtum, itaut non habeat, undè agat de contemptu.

10. Attentis itaque præfatis, remanet excluſus omnis contemptus, circà quem verſatur Judicium Confirmatoris, qui benè libratis circumſtantiis, judicare debet, an adſit, vel non adſit. *Barboſ. in cap. 2. num. 3. De poſtulat. Prælat. Fermoſin. in cap. illa quotidiana* 31. *num.* 10. *&* 11. *de elect. Lavor. eodem tractat. tit. 4. cap. 17. num. 7.* Prout an adfuerit, vel non adfuerit periculum Eccleſiæ, & juſtus ejuſdem timor in vocatione abſentis. *Abb. in cap. 35. num. 3. de elect.* ibi:

Bonus

Bonus Judex arbitrabitur ſecundùm pericula imminentia, ſi fortè immineret periculum ſchiſmatis, &c. & addit: *it ad quem ſpectat confirmatio erit bonus Judex*, idque repetit *Butr.in cap.publicato* 73.*num.*21. *eodem tit. Hoſtien. in ſumm.tit.de Elect.§.qualiter facienda, verſ.quidquid*, cum aliis in præterita adductis.

11. Proindè ubi eidem Confirmatori conſtet, deficere contemptum formalem, tenetur neceſſariam confirmationem concedere, ut firmant præcitati *DD.* etenim cùm electio facta, aliquo ex Capitularibus abſente non vocato, aut contempto mero jure valida ſit, vel ſaltèm ipſo jure non nulla, ſed annullanda in tantùm, quòd neque per Epiſcopum, neque per Capitulum aliquid ſtatui poteſt in contrarium, veluti ſatis probatum fuit in alia, & ultrà ibi adductos egregiè, & latè firmant *Gomez.in cap.ut animarum,§.ſtatuto num.*22.*De Conſtit.in* 6.*Rip.reſponſ.*1.*de Elect.per tot.Burſatt.conſil.*325.*nu.*137.*tom.*3.*Samuel De Election.tit.*1.*controverſ.*7. *concluſ.*3. *Gonzal. in cap.cùm inter* 18. *num.*10. *De Election.Pyring. eodem tit. ſect.*3. *ſub n.*140. *Coſmus Guimier. ſuper Pragmatic.Car.VII.Reg.Francor.cap.ſicut tit.de Elect.fol.*96. *vol.*1.*to.*1. Sicuti data Electionis nullitate, valida eſſe poteſt confirmatio, tanquam proveniens ab alio principio ſpeciali, ex notatis per *Carocc.in repetit.cap. cùm quid, limit.*3.*num.*6. *De reg.jur.in* 6.*inter repetit.Canonic.to.*5.*pag.mihi* 472.*col.*3.*in princip.* Ita hujuſmodi defectus non eſt talis, quin, eo non obſtante, electio ſit à Summo Pontifice confirmanda, maximè ſi facta fuerit à majori parte, cùm non ſit defectus juris naturalis, ſed poſitivi. ita generaliter *Imol.in cap. quòd ſicut ſub num.* 23. *De Elect.Abb.in cap.cùm ſuper num.*4.*de cauſ.poſſeſſ.& propriet. idem in cap.ad probandum num.*5.*de ſentent. & re judicat.Lavor.de Election.cap.*25.*n.*72.*tit.*4. Et in puncto poſt eumdem *Imolam*, *& alios*, quòd hujuſmodi Electio debeat confirmari, licèt facta non vocato abſente, ceſſante tamen formali ſpretu, & contemptu, latè tuetur *Fachine.conſ.*55.*ſub num.*39.*verſ.quartò dato, & nu.*40. *&* 41. juncto antecedenti *num.*34.*verſic.ſecunda exceptio lib.*1. inter cætera dicens ad id optimè facere, *quod habetur de ſententia, quæ etſi nulla, debet confirmari, ſi aliàs ſit juſta, ex l.final.§.final. ff. quod met.cauſ.* & facit etiam *Pariſius conſil.*97.*num.*22.*lib.*4. qui ex *Abb.in cap.Eccleſia veſtra col.* 2. *de Elect.* docet, *quòd vocatio illius, qui debet intereſſe in Electione, eſt de Juſtitia, & ſolemnitate, non de forma; undè quando res benè geritur, non poteſt dici injuſta, & vitiata per omiſſionem ſolemnitatis, & formalitatis.*

12. Et hujuſmodi electio eodem jure confirmari debet, quo confirmari poteſt electio facta de inhabili, quæ continet valdè majus vitium, quàm ex unius contemptu. *Abb.in cap.quia diligentia num.*5.*De Election. Lavor.citat.cap.*25. *num.*72. ſeù confirmatur altera, in qua adſunt Vota per vim, & metum extorta, dummodò major pars liberè elegerit. *Innocent.in cap.quòd ſicut* 28. *num.*10. *De Election.Samuel.eod.tract.*1.*diſput.*2.*contr.*5.*num.*13. *& controv.*7. *num.*2. *Paſſerin.de Election.cap.*4.*num.*18.*&* 19.

13. Ratio omnium prædictorum ea redditur, quia attenta poteſtate eligentium, actus electionis validus eſt, cùm à majori, & ſaniori parte Capituli proceſſerit, & ideò ſivè inhabilis eligatur, ſivè aliquis metu votet, ſeù contemnatur, cùm in ſubſtantia adſit principium productivum electionis ex poteſtate eligentium, Confirmator habet ſemper fundamentum ſuæ confirmationis, licèt actus peccet in ſolemnitate, & formalitate extrinſeca, quæ non eſt attendenda,

Digitized by Google

denda, prout advertit *Bertacchin.de Epiſc.par.2.lib.3.p.4. de effect. confirmat. quæſt.27.num.20.inter tractat.magn.penult. edit. tom.2. pag.156.à t.* Potiſſimè ad evitandos circuitus, & diuturnam Eccleſiæ vacationem, cùm ſemper electus ſolemnitate, & formalitate non ſervata, iterùm foret eligendus, & per Superiorem ad id Electores compellendi, qui propoſitum mutare non poſſent, neque ab electo variare, juxtà reſcriptum Gregorii IX. *in cap. publicato 63. de Election.* ubi Doctores communitèr. *Zabarell.in Clement.1.in princip.4. Notabil.de Jurepatronat.Bertacchin.in ſuo repertor.verb. Electus ſub num.50.* ubi refert Innocentium IV. ita in publico Conciſtorio ſubſtinuiſſe.

14. Quòd autem Capitulum in hoc ſummo actu Electionis Epiſcopi, & Principis Leodienſis vocare non potuiſſet Eminentiſs. Dominum Cardinalem, diſertè in aliis fuit oſtenſum, latiùſque in præſenti à Domino Cauſæ Patrono exhibente ordinationes, ipſis Eccleſiaſticorum Germanorum Ordinibus ſuffragantibus emanatas, acceptatas ab Epiſcopo, & Principe Leodienſe, & noſtro Capitulo, ab eodemque promulgatas, & in formam legis redactas, quorum ſolus interventus, & approbatio, legem hanc ſatis rationabilem reddet. *Butr.in cap.dilecti num.13.de arbitr.* quibus ſub rebellionis pœna, capitis, ammiſſionis bonorum, ac privationis omnium beneficiorum, & dignitatis, tàm Laicis, quàm Clericis, & Religioſis, etiam Clauſtralibus, interdictum eſt omne commercium, omniſque communicatio cum Gallis Hoſtibus, & Miniſtris Regis Chriſtianiſſimi, tàm in Civilibus, quàm in Militaribus, *ut in Summar. num.5.* quarum ordinationum tenore comprehendi de facto caſum, de quo agitur, haud hæſitandum; cùm Eminentiſsimus Dominus Cardinalis ſit Gallus, Princeps adeò Potens, & Miniſter Regius actualis juratus, & quod plus urget, Armorum omnium, & Copiarum Hoſtilium, Bello offenſivo Diœceſim, & Principatum Leodienſem dilaniantium, ſupremus Dominus ab invictiſſimo Rege conſtitutus, quemadmodum notorium eſt, & apertè conſtat ex ejus inſtantiis, & oblationibus pro Armiſtitiis, Copiarum receſſibus, ſecuritatibus, tractando per Tubicines, ut inter Hoſtes, ac petendo ſalvum-conductum, prout ab Hoſte peti ſolet: quibus ſtantibus, neque Capitulum, neque Canonici poterant de facto eum vocare, & admittere, ne pœnas indictas ſolùm privationis bonorum incurrerent de facto, juxtà tradita per *Gail.de pac.public. cap.8. num.13.& per Limne.de jur.publ.cap.3.num.56. in fine lib.3.* quibus licèt comprehendi non poſſet Dominus Cardinalis ratione Eminentiſſimæ Dignitatis, tamen Capitulum ipſum de facto ſubjectum erat, nevè Princeps adeò potens, Miniſter Regis Inimici, ſui adventu, Eccleſiam, & Principatum poneret in aliquo periculo, cujus ſolus timor operatur, quòd abſens non ſit vocandus, ut communi ſenſu Doctores tenent, ex *text. & Gloſſ. in cap. quia propter 42. verb.commodè,* & præcipuè docet ibi *Abb. num.5. & in cap. coram num.3. de Elect.Butr.in cap.quòd ſicut num.24.& in cap.vel inter num.16.* ibique *Imol. n.6.eodem tit.Mandagot.de elect.nov.Prælat.par.1.cap.5.inter tract.magn.tom.15. part. 1. fol. 410.* ibique *Boer.* adducens plures Canoniſtas, *Barboſ. de jure Eccleſiaſt.lib.1.cap.19.num.109.& de Canonic.cap.39.num.4.in fin. Tamburin. de jur.Abbat.lib.1.diſput.5.quæſt.3.num.15.Samuel.de Elect.dicta diſput.2.controv.3.num.13. Sigiſmund.à Bonon.eodem tract.dub.9.cap.2.num.7. Lavor. de Elect.tit.4.cap.17.num.12. Caſtellin. cap.8.de vocand.ad Elect.num.5.* ubi quòd ſi imminet aliquod periculum Eccleſiæ, non eſt ſervanda etiam conſuetudo jurata

rata vocandi abſentes, *& num.6.Paſſerin.eod.tract.cap.11.num.33.Pyringh.in Method.jur.Pontific.lib.1.tit.6. ſect.3.num.127.Zoeſ.in Decretal.eod.tit.nu.67. Coſm.Guimier.in Pragmat.Carol.VII.tit.de auth.Concil. general. in cap.Sacroſancta col.2.litt.E.vol.1.fol.68.Baron.de citat.in addit.ad quæſt.19.num.9.*

15. Et in ſpecie ubi timetur periculum ſchiſmatum, intruſionum laicæ poteſtatis, ſeditionum, & ſimilium, ac præſertim propter bella, quòd abſens nullo modo vocari debeat, firmant *Abb.in cap.coram 35.n.3.De elect.* inquiens: *Niſi fortè immineret periculum ſchiſmatis, intruſionis, vel abuſus laicæ poteſtatis, vel propter guerras imminentes non poteſt fieri de facili vocatio. Bald. in cap.cùm inter 18.num.2. eod.tit.*ibi: *Poſſunt eſſe in loco vicino, tamen eſt guerra in medio: ità quòd non poſſunt tuto vocari. Tholoſan.ad tit.de elect.cap.14. n.13.* ibi: *Darentur factionum, & corruptionum aditus. Lavor.eod.tract.tit.4.cap.17. num.12.* ibi: *Daretur anza corruptionis, & tumultibus,* ſubdens: *quia cum hoc periculo non ſunt vocandi abſentes. Paſſerin. de elect. cap.11. num. 33.* tradens, *Abſentes non eſſe vocandos, ubi imminet periculum intruſionis, abuſus laicæ poteſtatis, vel non poſſunt vocari propter Bella:* Et in puncto præciſo alterius Leodienſis Electionis, quòd non debuiſſent vocari, & admitti Canonici adhærentes Hoſtibus Capituli, & Eccleſiæ Leodienſis, egregiè probat *Card.de Luca De Regular.diſcurſ.53.num.9.10.11.& 12.* & facit *Fagnan. in cap. cùm ex injuncto De nov.oper.nunciat.*

16. Neque dicatur, quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis erat ſaltèm vocandus, ut Procuratorem conſtitueret; Etenim de jure tunc tantum eſt vocandus Canonicus abſens, quando non abeſt ex propria culpa, ſeu proprio defectu, ſed non poteſt venire propter aliquam inimicitiam, timens de ſua perſona. Sed quando quis abeſt propria culpa, & proprio defectu, neque poteſt venire ob periculum Eccleſiæ, quia adhæret Hoſtibus, & comprehenditur inter inimicos proclamatos, tunc nullo modo eſt vocandus, neque etiam, ut conſtituat Procuratorem. ſic ex *Innocent.in cap.2.de nov.oper.nunciat.& Bartol.in l. omnes populi,ff.de juſt.& jur.* benè diſtinguit *Abb.in c.cùm omnes 7.nu.7.col.3. verſ.diſtingue tamen hunc articulum, ibique Felin.ſuò num.22.column.pariter 3.§.ſed ſumitur De Conſtitut.Petr.à Baiſ.in director.Election.part.3.cap.9.nu.9. inter tractat.magn.tom.13.par.1.pag.494.*

17. Abſentes enim, qui juſta cauſa ſunt expulſi, banniti, & declarati hoſtes, perdunt omnia jura, & omnis poteſtas remanet apud præſentes. *Bartol. in d.l.omnes populi ſub num.17.ff.de juſtit.& jur.* & præcisè ut ille, ex cujus vocatione imminet Eccleſiæ periculum, nullo modo ſit vocandus, neque ut mittat Procuratorem, ſed tantùm ille, qui non poteſt venire ex impedimento perſonali, notat idem *Innocent.ab Abbate non citatus in cap. quòd ſicut 28. num.2.in fine De elect.*ibi: *Nota, quòd ſi quis non poſſit vocari ſine periculo, vel venire, nihilominus præſentes poſſunt procedere in eorum abſentia, ſed hoc ultimo caſu citandus eſt, & citatus vices ſuas poteſt committere.* En ergo quòd antecedenti, quo quis non poteſt vocari ſine periculo, non eſt citandus, neque etiam ut mittat Procuratorem.

18. De facto autem nec minùs Eminentiſſimus Dom. Cardinalis valebat conſtituere aliquem Procuratorem, ex quo etiam nemo ex Leodienſibus, & præſertìm Capitularibus poterat hoc mandatum acceptare, attentis prædictis ordinationibus vetantibus omne commercium, omnemque communicatio-

nem,

nem, ut prædictum eſt, præcipuè ne contingeret, quod & ipſemet D. Cardinalis in ſuis Epiſtolis refert accidiſſe præterito anno quatuor illis Canonicis Leodienſibus, qui ex ſola, ſimplicique propenſione quadam ad armiſtitium, fuerunt de facto traducti ad Carceres in aliena, ubi unus ex eis, dignitate Archidiaconus Leodienſis, ſupremum diem obiit, tanquam ordinationum contraventores, & communicantes cum Hoſtibus, abſque quo ſufficeret Capitulo dicere, Eminentiſſimum Cardinalem non conſtituiſſe Procuratorem, neque hunc ab ipſo rejectum fuiſſe, ſed tantum non vocatus Dom. Card. quem non fuiſſe vocandum ſola notitia, & periculum Eccleſiæ ſatis, ſuperque probant ex prædictis.

19. Haud ſubſiſtente, quòd D. Cardinalis potuiſſet admitti, prout admiſſus fuit Canonicus de Poitiers, qui degebat in Gallia, à qua de facto occupatur Oppidum Dinant Leodienſis Eccleſiæ Patrimonium, ubi beneficium obtinet dictus Dominus de Poiticrs Natione Leodienſis, qui parendo ordinationibus Imperii, & Capituli, reverſus fuit ad proprios lares; undè ab eo facienda non eſt illatio ad Eminentiſſimum Dom. Cardinalem, Principem adeò Potentem, Miniſtrum Hoſtis, ejuſque Copiarum diſpoſitorem, ut ipſemet ſuis literis, & proteſtationibus expreſsè fatetur; cùm materia ſit totaliter diverſa, in qua non currit illatio. *l. ultim. in fin. & ibi Bartol. ff. de calumniator. cum concordant.*

20. Hæc omnia fortius procedunt advertendo, quòd hodiè confirmatio petitur à Sereniſſimo Electo, cui propterea ſufficit pro ſubſtinenda ſua electione oſtendere, quòd D. Cardinalis non eſſet vocandus, quòdque electio, eo non vocato, de jure ſit valida ad tuendum ſuum jus, quod electio ei tribuit. *cap. cupientes 16. De elect. in 6. ibi: Petituri ſuarum electionum confirmationes, vel proſecuturi electiones ſuas. Caſtellin. de elect. cap. 14. num. 63. Paſſerin. eodem tractat. cap. 33. num. 39.*

21. Denique ex alio capite omne jus Eminentiſſimi Dom. Cardinalis excluſum apparet. Certùm eſt enim, quòd per Cardinalatum ob notoriam diſpoſitionem Conſtitutionis Sacrorum Canonum, & peculiarem 79. ſan. mem. Sixti V. vacant omnia beneficia minora, & in ſpecie *Canonicatus*, eò quia indecens reputatur ſummæ Cardinalitiæ Dignitati poſt Epiſcopos, in Capitulis, & Choro ſe exhibere: & quamvis Eminentiſſimus Dominus Cardinalis habuerit Indultum retinendi ſimpliciter Beneficia, quæ poſſidebat, tamen hoc Indultum non ſuffragatur, quia ab eadem Conſtitutione litteraliter ſancitum eſt, ex eo generaliter conceſſo non comprehendi hos Canonicatus, & dignitates. ibi: *Per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & omnia beneficia cujuſcumque nominis, & tituli ſint, niſi fuerit data retentio, quæ conceſſa intelligatur, & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, ad Monaſteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad cætera omnia alia Beneficia, quæ videntur convenire dignitati Cardinalatus. Ad alia verò, quæ videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalatus, putà Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia Beneficia, non extendatur, cùm obtinentes hujuſmodi Beneficia teneantur reſidere in Choro, & habere debeant locum poſt Epiſcopum, Cardinalis dignitati non convenientem.* Ex cujus Conſtitutionis clara diſpoſitione conſtat, ipſum nullo titulo vocem habere poſſe in Capitulo: neque ſuffragatur quælibet poſſeſſio etiam triennalis, quia hæc regula

gula ex natura rei, ob dictam Conſtitutionem, & rationem in ea contentam, intrare non poteſt, & in incompatibilibus non procedit. *Wameſ. conſ.* 233. *in addit. ſub num.* 5. *tit. de Præbend. tom.* 1. *Gomez. in regul. de triennal. quæſt.* 10. *per tot. Garz. de beneſ. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 379. *Cockier ad Regul. de triennal.* 35. *ſub num.* 49.

22. Hæc ſunt, quæ ſtrictè ponderata vindicant à contemptu objecto Electionem adversùs omnia ea, quæ opponũtur, quibus ſingularitèr non eſt opus reſpondere: non prætermittendo, quoad prætenſa attentata, quòd appellatio inter Electores non impedit Electionem, quando controverſia eſt ſuper jure eligendi, ſed tantùm inter Electos, ut probat *dec.* 29. *num.* 5. coram Otthobono: & diſtinguendo docent auctoritates ab ea relatæ, nempè *Innoc. in cap. ex parte ſub num.* 4. *de arbitr. Lancellott. de attent. lib.* 22. *limit.* 22. *cap.* 4. *num.* 3. *& ſeqq. uſque ad num.* 12. *Lotther. de Beneſic. lib.* 3. *quæſt.* 17. *num.* 140. *& ſeq.* quibus addo *Ferrett. conſ.* 192. *num.* 15. *Boer. dec.* 2. *num.* 25. & alii in præteritis allegati.

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO NOVA JURIS, ET FACTI

Super contemptu.

1. INhærendo menti Sacr. Congregationis,unicè ſcribimus ſuper puncto Contemptus prætenſi ab Eminentiſſimo D.Cardinali Bullionio, & nunc etiam à Comite de Rekem, ſuper quo neutrius prætenſionem ſubſiſtere,præſertim ad effectum infringendi electionem factam à Reverendiſſimo Capitulo Leodienſi de noſtro Sereniſſimo Principe Joſepho-Clemente Electore Colonieñ, clariſſimè demonſtrabimus, tùm de jure communi, tùm jure ſtatutario Eccleſiæ Leodienſis ſuper Foraneitate.

2. Pro Jure Statutario: objecta exadverſo incertitudine veri Statuti, & ex duplici, quæ circumferebatur compilatione, quænam eſſet in obſervantia, SS. D. N. ad veritatem, pro juſtificatione præſentis Judicii, eruendam, injunxit Illuſtriſſimo D.Nuntio Apoſtolico in Inferiori Germania, ut mandaret D. Halley, integræ fidei, & peritiæ Viro, Decano Inſignis Collegiatæ Sanctæ Crucis Leodii, ut aſſociatus quatuor Canonicis Collegiatarum procederet ad neceſſarias diligentias.

3. Propterea D.Nuntius de ordine Sanctitatis Suæ dedit in mandatis præfato Decano, ut aſſumptis quatuor Canonicis, quorum duos D.Nuntius deſignavit, utpotè ſibi cognitos, tamquam olim Miniſtros Nuntiaturæ, præmiſſa forma ſervata, extrahi faceret articulos Statuti integros in ea parte, quæ Foraneitatem concernit; Animadvertendo tamen, ut hoc fieret ex eo Statuto, quod eſt in obſervantia: Imò obſervantia hæc à quanto tempore eſſet, expreſsè declararetur, prout ex litteris in præſenti *Summ.num.1.*

4. Communicatis Reverendiſſimo Capitulo Cathedralis mandatis Apoſtolicis, Decanus, & Capitulum ad hoc ſpecialitèr congregatum, ſtatim obediendo, mandavit ibidem reproduci Regiſtrum: Ac declaravit illud eſſe Regiſtrum ad quod recurritur, quotieſcumque occurrit materia aliqua in qua agitur de Statutis: Et ea Statuta à tempore immemorabili eſſe in obſervantia reſpectu puncti Foraneitatis: & illa intelligi, cùm de Statutis obſervandis fit Juramentum, ut ex actu vigintiocto Capitularium, inter quos præſertìm Decanus, & alii diſſidentes. *Summ.num.2.*

5. Hinc Delegatus Apoſtolicus cum quatuor Canonicis prædictis, Teſtibus, & Condeputatis, juſſit fieri Extractum, prout factum, fuit juxta tenorem *in Summ. num.3.* quod collationatum cum originali de verbo ad verbum concordat, prout atteſtantur Secretarius Capituli *litt. I.* & Delegati *litt. T.* ſuntque Statuta quæ ſunt in uſu. *litt.L.* & *R.* Nec ſciri alia Statuta deducta in ob-

ſer-

Digitized by Google

ſervantiam, præter iſta'. *litt. N. & S.* Imò Delegati dicunt ea eſſe in obſervantia, ex quo in libris Capitularibus adſunt complura Decreta ſuper obſervantia Foraneitatis. *litt.V.& X.*

6. Statuta hæc compilata fuerunt anno 1560. ut in illorum procemio. *d. Summ.num.*3. Imò cùm Reverendiſſimus Sanfelicius bo.mem. Archiepiſcopus Conſentinus, & Nuntius Apoſtolicus in partibus Inferioris Germaniæ, anno 1656. à ſan. mem. Alexandro VII. juſſus fuiſſet viſitare Civitatem, ac Diœceſim Leodienſem, juxta Breve. *in Summ. num.* 4. idem Nuntius in viſitatione Cathedralis comperiit ſtatuta hæc, compilata dicto anno 1560. eſſe Statuta, quibus Cathedralis regebatur, & hæc eadem inſeruit inter Acta Viſitationis, prout refert Sanctiſſimo modernus D.Nuntius. *Summ.num.*5. Idemque Nuntius, ut pleniùs ſatisfaceret mandatis Apoſtolicis, deſumi fecit ex dictis Actis Viſitationis integram copiam totius corporis Statutorum, prout *in d. Summ. nu.* 5. *litt.B. C.* Eaque ad Sanctiſſimum tranſmiſſa, qualis eſt in *Summ.num.6.* reperitur conformis Extractui, de quo in *Summ. num.*3. & amborum tenores conformes ſunt tenori Statutorum reperto in Regeſto Pii IV. 16. Kalen. Aprilis anno ſecundo.

7. Neque ullam ingerit difformitatem, quòd in Extractu omiſſus dicitur Articulus, qui ſub *litt. C.* legitur in copia deſumpta ex Viſitatione Apoſtolica. *d.Summ.nu. 6.* quoniam ſublato æquivoco reſultante à particula negativa *non*, quæ ſivè per errorem irrepta, ſivè ex quacumque cauſa, legebatur in nuperhic extimatitiis, hodiè pſeudo-Statutis, articulus ille meritò omiſſus fuit, tamquam non pertinens ad Foraneitatem, dum Nuntius conformitèr ad mandata Sanctiſſimi juſſit quidem extractum integrum, ſed in ea parte quæ *Foraneitatem* concernit, prout ex litteris. *d.Summ.num.*1.*litt.F.*

8. Et quidem articulus conceptus his verbis: *Item qui in die B.Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit*, prout eſt admodum rationabile, quia ſcilicet, qui ſe repræſentat, promittit reſidentiam; Ideòque non poteſt petere abſentiam, quia eſſet mentiri, promittendo quod non vult obſervare, & eſſet illudere Statutis; iſte inquam articulus nequaquam pertinet ad Foraneitatem, dum ille qui ſe non præſentat eſt Foraneus, & non qui ſe repræſentat; Ac proindè à tali articulo nullum argumentum deſumi poteſt, prout priùs cum particula *non* antepoſita deſumebatur, & non pertinet ad Foraneitatem, & omittendus.

9. Nec hodiè poteſt ampliùs controverti ſuper hac, vel illa Statutorum compilatione, quia omninò ſtandum eſt compilationi anni 1560. dum de illa habemus tria exempla authentica, ſcilicet per extractum ſolemnem authoritate Apoſtolica. *d.Summ.nu.*3. per copiam deſumptam ex actis Viſitationis Apoſtolicæ anni 1656. cuſtoditis in Archivio Nunciaturæ, tranſmiſſam ad Sanctiſſimum à D.Nuntio, cujus legalitas eſt irrefragabilis. *d. Summ.num.6.* ac tenorem ejuſdem compilationis in Regeſtis Pii IV. conformem tenori tranſmiſſo à Nuntio.

10. Hæc igitur Statuta data *in Summ.num.3.& 6.* ſunt Statuta, ex quibus in præſenti judicandum, dum illa extimatitia anni 1563. numquam habuerunt effectum, & credenda potiùs minuta præparata, ſed non effectuata. Ideoque nulla ex iis copia reperitur authentica: ac propterea, detecta hodiè veritate, in nulla conſideratione habenda ſunt, & unicè ſtandum compilationi anni 1560.

quæ eſt tot authenticis roborata, & quæ eſt in uſu, prout *in Summ. d. num.3. litt.I.& R.* Imò erant in uſu de anno 1656. *ut in Summ.num.5.litt.B.C.* Ideòque D. Cardinalis, qui juravit anno 1672. & Canonicatum obtinuerat anno 1657. Jus cæpit habere ad Canonicatū de tempore, quo anno præcedenti 1656. compertum fuerat hanc compilationem anni 1560. eſſe in uſu.

11. Imò beneficium hoc detectæ inſubſiſtentiæ Statutorum anni 1563. & obſervantiæ Statutorum anni 1560. debemus DD. Agentibus Cauſæ Eminentiſſimi Bullionii, quia ipſi ſemper inſteterunt pro Compulſatione Statuti, *ut in Summ. num.* 7. Undè facta hodiè Compulſatione, veluti ex officio Supremi Confirmatoris, nephas eſt illi contradicere: Ac ſi veritas illuxit ad favorem Sereniſſimi Electi, gratias agimus, quòd nobis beneſecerint.

12. Ex Statutis itaque compilatis anno 1560. judicandum eſt, & ex iis, juxta omnia tria exemplaria, juncta præſertìm obſervantia, conſtat Eminentiſſimum Dom. Cardinalem Bullionium quoad electionem, de qua agitur, fuiſſe *Foraneum* pro tali anno carentem voce; Ac propterea ob non vocationem, & non admiſſionem ad ſuffragandum, Eminentiam Suam non fuiſſe contemptam, ſubindèque Electionem ad ejus inſtantiam non eſſe irritandam.

13. Suppono in primis non eſſe laborandum ſuper articulis in abſtracto: An Cardinales ſubjaceant poteſtati legiſlativæ Capituli ſtatuentis, aliiſvè hujuſmodi quæſtionibus inutilibus, quia ſumus in caſu quo Cardinalis vigore Stipulationis Juratæ ſe obligavit ad contenta in Statuto, prout in ſimili de Eccleſiaſticis contrahentibus ad ſervanda contenta in Statuto laicali, validè obligari firmavit *Rota coram Priolo ſeniore deciſ.*423.*&* 439.

14. Tota itaque diſputatio verſari debet ſuper eò: *An D. Cardinalis ad tenorem Statutorum ſit Foraneus*: & ſuppoſito, quòd in facto non controvertatur Eminentiſſimum Dom. ſe non repræſentaſſe in Capitulo S. Ægidii anni 1693. ut eſt in confeſſo paſſim in informationibus DD. exadverſo ſcribentium, & præſertìm in Summariis Nullitatum, quas propoſuit D. Advocatus Gallus, cui tamquam magis informato credendum eſt in facto. *Summ.num.*8. Eminentiſſimus Bullionius ob hanc ſolam omiſſionem incurrit *Foraneitatem*, quia Statuta decernunt *Foraneum* quemcumque Canonicum, etiamſi ſolummodò defecerit quoad ſui repræſentationem per ſe, vel per Procuratorem.

15. Sublata difficultate, quæ in antecedentibus Cauſæ propoſitionibus oriebatur ex lectura ſtatuti, quam nobis inſtantia Adverſarii detexit erroneā, ubi erroneè pro ſe non repræſentantibus alia pœna præſcripta videbatur, hodiè plana eſt legalis intelligentia Statuti, ex qua Canonicus ſe non repræſentans, eſt *Foraneus*, quamvis deindè inſerviat Eccleſiæ.

16. Siquidem inquit Statutum: *Quicumque volet reſidere, & fructus facere, debebit in feſto B. Ægidii ſe exhibere. Summ.num.*3. *&* 6. utrobique *litt.A.* Et connectendo proſequitur: *quicumque ſe exhibuerit, reſideat eo anno ſex menſes integros, & unam diem, alioqui pro foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat eo anno, ut d.Summ.num.*3.*&* 6. utrobique *litt.D.*

17. Ex prima igitur periodo Statuti *d.litt.A.* ſenſus eſt planus, quòd ergo qui ſe non exhibet in feſto B. Ægidii, ſignum eſt, imò per omiſſionem declarat, quòd non vult reſidere, nec fructus facere. Et ex altera periodo. *d.litt. B.* planus eſt ſenſus affirmativus, quòd ergo qui non vult haberi pro Foraneo, & fructus facere, oportet ut ſe præſentaverit, & ulteriùs reſideat per ſex menſes, & unam diem.

18. Ergo

18. Ergo revolvendo orationem affirmativam in Negativam, ut ſtante dictione *alioqui* de jure eſt ex aurea doctrina *Bartoli in l.1.ff.de condit.& demonſtrat.num.*11. proculdubiò ſenſus erit: *Alioqui quicumque in feſto Beati Ægidii ſe* non *exhibuerit, aut præſentaverit, &* non *reſideat eo anno ſex menſes integros, & unam diem, habeatur pro Foraneo,nec ullos omninò fructus faciat eo anno.*

19. Et hunc eſſe verum, genuinum, & legalem intellectum Statuti negari non poteſt, quia ex verbis Statuti nihil prorsùs eſt immutatum, niſi quòd applicatæ ſunt particulæ negativæ, quæ erant in ventre dictionis *alioqui*, ut virtute illius continentis in ſe Negativam *Si non fuerit ita*, prout docet *Bartolus loco citato*, oratio affirmativa convertetur in Negativam.

20. In utroque intellectu, tàm plano, quàm converſo, ſicuti ad effugiendam *Foraneitatem*, requiritur copulativè repræſentatio, & ſemeſtris reſidentia, ità ad *Foraneitatem* incurrendam ſufficit deficere in repræſentatione, quoniam in duobus copulativè requiſitis ſatis eſt deficere in alterutro, ad hoc, ut dicatur Statutum non adimpletum, per *textum in l.ſi hæredi, ff. de condit.inſtitut.* per hæc verba: *Si hæredi plures conditiones conjunctim datæ ſunt,omnibus parendum eſt, quia unius loco habentur.*

21. Hæc legalis intelligentia corroboratur ab intelligentia, quam habet Leodii, juxtà atteſtationem Sacerdotis, qui diù fuit Amanuenſis defuncti Secretarii Cathedralis, qui Juratus teſtatur à dicto Secretario didiciſſe, illum, qui ipſa die S.Ægidii ſe non repræſentavit, intelligi *Foraneum*, *ut in Summario num.9.*

22. Item alter Sacerdos, qui eſt Cuſtos Horarum, & Clauſtrarius, cui ex officio incumbit adnotare intereſſentes divinis officiis, & intimare Capitularibus, quando celebrandum eſt Capitulum, pari Juramento teſtatur, Canonicos *Foraneos*, etiamſi Horis Canonicis interſint, quod facere poſſunt ex devotione, nequaquam adnotare inter præſentes: Et quamvis morentur in Civitate, non vocare ad Capitulum. *Summar.num.*10.

23. Eidem intelligentiæ adſtipulantur continuatæ repręſentationes ipſius Eminentiſſimi Bullionii, prout in antecedentibus ſatis oſtendimus: Et noſtra propoſitio, quòd per ſolam omiſſionem repræſentationis in S.Ægidio incurratur *Foraneitas*, mirabiliter confirmatur ex tenore Mandati procuræ Eminentię Suæ ad ſe repræſentandum, ubi inquit: *Ad comparendum nomine noſtro in Capitulo proximo feſto S.Ægidii: Noſque ad reſidentiam,* Prout moris eſt, *repræſentandum, & in electionibus, &c. quando in abſentia noſtra vacare contigerit, nomine noſtro ſuffragium dandum. Summ.num.*11.

24. Et exindè plura deduci poſſunt, nempè quòd Eminentia Sua atteſtatur de Conſuetudine. ibi: *Prout moris eſt*. Quòd pro effugienda *Foraneitate* neceſſarius erat iſte actus repræſentationis, dùm cœteroqui, ſi non fuiſſet neceſſarius, non eſt credendum, Eminentiam Suam fuiſſe aſſumpturam hanc ſervitutem conſtituendi ſingulis annis Procuratores, prout feciſſe per annos decem, & ſeptem abſque ulla interruptione oſtendimus in antecedentibus, dùm de tanto Viro præſumi nequeunt actus fruſtranei, quia ſemper actus tribuendi ad Cauſam neceſſariam præexiſtentem obligationi juratæ, non ad meram voluntatem. *l.hujuſmodi* 84.*§.cùm Pater, ff.de legatis primo*. Ac demùm, quòd cum actu repræſentationis ſubſtinetur facultas votandi, dùm in repræſentatio-

tionis ſequelam Procuratores conſtituit ad ſuffragandum.

25. Sed tollit omnem difficultatem obſervantia ſcripta, juxtà quam ſolus defectus repræſentationis facit *Foraneum*, ut eſt caſus Canonici Merode de anno 1652. qui defectu repræſentationis in feſto S.Ægidii inventus fuit Foraneus. *Summ. num.* 12. & inſeri voluerunt Delegati Apoſtolici in Extractu Statutorum. *d.Summ. n.3.litt.T.* proùt etiam eſt caſus Sereniſſimi Magni Magiſtri Ordinis Theutonici piæ me. *Summ.num.*13. & 14. Supplicando in hoc exemplo reflecti primò: declarationem *Foraneitatis* in Theutonico non poſſe dici artificioſam, & politicam, ut exadverſo dicebatur, quando iſto defectu repræſentationis jam fuerat notatus in Septembri 1693. de quo tempore nullus prævidere poterat vacationem ſubſequuturam anno ſequenti, *ut dict.Summar.num.*14.*litt.B.* Secundò, quòd in Theutonico nullus defectus concurrebat, niſi ſolus defectus repræſentationis. *dict. Summ.num.*14. Undè ſolus iſte defectus facit *Foraneum*, proùt etiam in antiquiori exemplo anni 1604. *Summ. num.*15.

26. Undè ſupplico reflecti, quòd ſi pro *Foraneitate* incurrenda, ultra defectum repræſentationis requireretur copulativè defectus ſemeſtris Reſidentię, proculdubiò, cùm annus Capitularis incipiat prima Septembris, nullus Canonicus declarari poſſet *Foraneus*, niſi de Menſe Martii, quando jam non ſupereſſent ſex menſes, & una dies, in quibus poſſet ſatisfacere reſidentiæ per tempus præſcriptum à Statuto; Et nihilominùs obſervantia eſt in contrarium, quia declarantur *Foranei*, etiam quando adhùc ſupereſt opportunum temporis ſpatium, ut videre eſt in allato exemplo Theutonici, juxtà reſolutiones Capitulares, tàm ſi reſpiciatur ad captam 27.Februarii 1694. *dict.Summ.num.* 13. quàm ſi reflectatur ad antecedentem 7. Septembris 1693. *Summ. num.*14. & in exemplo anni 1604. ubi prima Septembris decernitur *Foraneitas*, niſi infrà ſex ſeptimanas doctum fuiſſet de miſſione in tempore mandati, quod dicebatur deperditum. *dict.Summ.nu.*15.& in alio paritèr ipſa prima die Septembris 1652. *dict.Summ.num.*12.

27. Ac proindè, tàm ex legali intelligentia Statuti ſuprà relata, quàm ex intelligentia genuina atteſtata ab Officialibus. *Summ.nu.*9. *ac* 10. quàm ex recognitione ipſius Eminentiſſimi. *Summ.num.*11. quàm ex obſervantia ſcripta, ut ex actis Capitularibus. *Summ.num.*12.13.14. & 15. remanet incontrovertibile, quòd Canonicus deficiens in ſe repræſentando in Capitulo S. Ægidii, hoc ſolo defectu eſt *Foraneus*, juxtà Statuta, & obſervantiam interpretativam, quæ locum haberet, etiamſi littera Statuti repugnaret. *Rota decis.*132.*num.*6. *par.*19.*recent.* ac fortiùs quando Statutum non ſolùm non repugnat, ſed legalitèr interpretatum hanc habet intelligentiam.

28. Cùm itaque Eminentiſſimus Bullionius toto quinquennio in conſueta, ac debita repræſentatione defecerit, ut eſt in confeſſo. *Summ. dict.nu.*8. idem Eminentiſſimus pro anno Capitulari, in quo obtigit Electio, de qua agitur, meritò per Capitulum habitus fuit pro *Foraneo, ut in Summ.num.*16. Ac tamquam talis caruit voce eo anno, juxtà Statuta. *dict.Summ.nu.*3.& 6. utrobique *litt.F.& G.*& juxtà obſervantiam. *Summ.n.*10. Proindèque ex eo, quòd non fuit, neque vocatus, neque admiſſus, non poteſt dici contemptus, quia contempti dicuntur dumtaxat qui vocem habent, ſi non vocentur, non verò, qui actibus Capitularibus intereſſe non debent. *Cap. quia propter* 42. *De Electione.*

29. Ne-

29. Neque dicatur, quòd impeditus fuit de Jure, ac de facto à ſe repræſentando, quaſi ex hoc à *Foraneitate* ſit excuſandus, ut arguit D. de Vaillant relatus *in Summar.dict.num.8.* quia admiſſa propoſitione quoad impedimentum, retorquemus argumentum: ergo, ſi impeditus fuit de Jure, & de facto à conſtituendo, ſeù potiùs reperiendo Leodii Procuratore pro ſe repræſentando, ſeù ab Epiſtola ad repræſentationem mittenda, juxtà mitigationem *in Summar.num.17.* fortiùs fatetur ſe impeditum de facto, & de jure à ſuffragando in Electione, cùm à tempore repræſentationis ad tempus Electionis, rerum Status nequaquam ſit immutatus, nè dicam magis difficultatus, ut eſt notorium.

30. Et hinc ultrà *Foraneitatem* inſurgit altera ratio Canonica, propter quam Eminentiſſimus Dominus non debet dici Contemptus, ſuper qua ratione ſupplicamus benignè reminiſci, quòd uſque ab initio deputationis Sacræ Congregationis pro parte Sereniſſimi Electi, antequam ſcriberent Advocati Urbis, datæ fuerunt inter cæteras duæ Scripturæ, nempè votum Univerſitatis Lovanienſis, quæ deſuper conſulta de Menſe Martii antè Electionem, cenſuit Eminentiſſimum Bullionium propter bella ad futuram Electionem non admittendum, & aliam Scripturam Capituli, quæ inſcripta erat: *Deductio, & Explanatio Rationum, propter quas Capitulum, &c. Eminentiſſimum, &c. non admiſit, ut in Summ.num.19.* ut non graventur recognoſcere, has concordare cum tunc datis, & perſuaſum habere motivum *incommoditatis, & periculi,* fuiſſe rationem non adinventam in Urbe, ſed conſideratam, & examinatam à Capitulo, ibique uſque ex tunc Leodii typis datam, ut in manibus D. Secretarii.

31. Ac propterea dici nequit Capitulum ſe reſtrinxiſſe ad ſolam *Foraneitatem,* itaùt non poſſit alias rationes deducere, quia theorica, quòd ſententia ex falſa cauſa non ſubſtinetur ex vera, non videtur applicabilis caſui noſtro; quia reſolutio Capituli non eſt ſententia, ſed actus extrajudicialis, proùt etiam ſunt Epiſtolæ; Undè cùm in Epiſtolis Capitulum profiteretur adeſſe etiam alias rationes, proùt in *Summ.num.20.* & inſuper pluries obtulerit examinare rationes Eminentiæ Suæ, ſi tranſmiſiſſet combinatis litteris, & reſolutione, Capitulum non ſolùm à *Foraneitate*, ſed ab aliis etiam rationibus motum fuit ad Eminentiſſimum non admittendum.

32. Imò reflectendo, quòd reſolutio ſuper *Foraneitate* fuit 27. Februarii, & finalis excluſio fuit 15. Aprilis. *dict.Summ. num.20.* cùm interim Eminentiſſimus, quot litteras dabat ad Capitulum, totidem titulis ſe declararet Miniſtrum, & Plenipotentiarium ſui Regis, ac magis ſuam inadmiſſibilitatem fundaret, hinc eſt, quòd ſi Capitulum die 27. Februarii excludebat propter *Foraneitatem,* negari non poteſt, quòd ſucceſſivè excluſerit propter alias etiam rationes. *dicto Summ.num.19.& 20.*

33. Sed etiam dato, & non conceſſo, quòd Capitulum ſe reſtrinxerit, certè Sereniſſimus Electus non eſt arctatus, ac ſuam Electionem tueri poteſt rationibus diverſis ab illis eligentium, quia Electus habet jus diſtinctum à Jure Electorum, *Abb.in cap.Exhibita num.1.De Judic.* quamobrem, ſivè pro Reverendiſs. Capitulo, & pro Sereniſſimo Electo, ſivè pro alterutro, aliis etiam rationibus Contemptum excludimus.

34. *Secunda* itaque *ratio*, propter quam Eminentiſſimus Dominus non poteſt dici contemptus, conſiſtit in eo, quòd neque Eminentia Sua, neque

man-

mandatum procuræ admitti poterant ſine incommodo, damno, & periculo Eccleſiæ, & Capituli, ad terminos Sacrorum Canonum.

35. Periculum in jure non æſtimatur à damno jam paſſo, ſed à poſſibili futuro, ut egregiè pro nobis periculum explicat, ſeù exemplificat *Abbas antiquus* in ſolo juſſu Perſonæ potentis, ut ita facerent, aliàs ſcirent ſe ſuam indignationem incurſuros, ut *in cap. bonæ il primo De Elect. colum.* 3. per hæc verba: *Dicas, quòd nemo tenetur promptum periculum, vel diſcrimen expectare infra. Ut lit. non conteſt. accedens. In hoc enim erat promptum periculum, quia Dux mandaverat: Capitulo, quòd Epiſcopum Vormacien. poſtularet, aliàs ſcirent ſe ſuam indignationem incurſuros.*

36. Applicando hanc doctrinam caſui noſtro: Hìc Perſonæ potentes, nempè Imperator, Electores, & Status Imperii mandaverant Statui Leodienſi, uti membro Imperii, nè admitteret quoſcumque Nationales Gallos, ut *in Summar. num.* 21. *litt. N*, multòque minùs Regis Gallorum Oratores, aut Miniſtros. *d. litt. N.* nullumve cum illis commercium, litteras, aut correſpondentiam haberent. *litt. S.* aut in Collegiis, Clauſtris, aut communitatibus ſupportarent. *litt. O.* Aliàs ſcirent ſe bonis, gradibus, honoribus, Dignitatibus, atque etiam vita privandos. *litt. T. Z.*

37. Ergo Capitulum, ſi voluiſſet admittere, ſe expoſuiſſet periculo ſubeundi de facto pœnas, ac damna hujuſmodi abſque ulla excuſatione, tantò magis, quòd Capitulum cum Epiſcopo, & Statibus Patriæ Leodienſis, etiam per modum conventionis, acceptaverat mandata, & pœnas præfatas, illiſque pro Statu Leodienſi legis robur addiderat. *d. Summ. nu.* 21. *litt. A.*

38. Et iſta Ratio periculi, quæ militat, nè Capitulum teneretur admittere D. Cardinalem, æquè benè procedit ad hoc, ut Capitulum non admitteret Procuratorem, & nullus ex Capitularibus procurationis mandatum acceptaret, aut acceptato uteretur; Siquidem egregiè diſtinguit idem *Abbas antiquus in cap. quòd ſicut, col. 2. à verſ. antepen.* tunc ſcilicèt abſentem impeditum accedere ad electionem, removere poſſe impedimentum conſtituendo Procuratorem, quando periculum conſiſtit in perſona ipſius abſentis dumtaxat, ut eſt caſus *cap. Quia propter*; Secùs verò quando periculum eſt commune in eligentibus; Undè applicando ad caſum noſtrum, cùm hìc ratio periculi non eſſet particularis dumtaxat in perſona Cardinalis, ſed communis toti Capitulo, pro non admittendo D. Cardinali eſſet eadem, ac pro non admittendo ejus Procuratore, ſeù mandato procuræ, ſeù pro non reperiendo Capitulari, qui acceptaret; quia in unoquoque ex dictis caſibus, ſivè Capitulum admittens, ſivè Capitularis acceptans contraveniſſet mandatis, & legibus de non admittendis, aut ullo commercio, ſeù correſpondentia habenda cum Miniſtris Chriſtianiſſimi; Ideò nullo modo poterant admittere, neque Perſonam Eminentiæ Suæ, neque mandatum procurationis.

39. Quòd autèm Eminentiſſimus eſſet ex Perſonis, quas Capitulum erat de facto prohibitum admittere, ſeù quovis modo participationem concedere in graviſſimo negocio Electionis, nedùm Epiſcopi, ſed etiam Principis, manifeſtè patet ex eo, quòd ipſemet Cardinalis agnovit hanc veritatem, dùm in ejus proteſtatione impreſſa, *pag. 2. verſ. 4.* dicit: *Capitulum de proximo ſuo adventu in Diœceſim, & Civitatem Leodienſem*, Si ità liceret, *commonefaceret*; Et in ipſis primis literis ad Capitulum datis petiit ſibi procurari paſſa-portus à Princi-

cipi-

cipibus fœderatis. *Summ.num.*22. imò ipſemet diligentias adhibuit pro paſſaportu Imperiali, quem obtinere non potuit. *Summ.num.*23. & clariùs ſibi aditum interclusit ex iis, quæ geſſit exiſtens in Civitate Huenſi. *Summ.num.*24. & fatetur in prædicta proteſtatione, data pro parte Eminentiæ Suæ, *pag.*1.*verſ.* 20.*pag.*3.*verſ.*26.28.31.*&* 33.*&* *pag.*4.*verſ.*19.*uſque ad* 24. in quibus junctis literis in *Summ.dict.num.*24. ſe declaravit Regis Chriſtianiſſimi Miniſtrum Supremum, & Plenipotentiarium, dùm nullus tot, ac tanta ſpondere poterat, niſi tali charactere inſignitus.

40. Hinc epiſtola reſponſiva D. Nuncii Apoſtolici apud Cæſarem, exadverſo data, & a nobis repetita in *Summ. dict.nu.*23. expreſsè facit contra Cardinalem, tùm quia paſſa-portus videtur promiſſus per verba curialia, non ipſius Cæſareæ Majeſtatis, ſed D.Comitis de Vindiſgratz, dùm non oſtenditur obtentus, proùt neque oſtenditur ulterior reſponſio D.Nuncii; tùm quia verba illa: *Lo traſmetti à V. E.quando però il ſuo ingreſſo in Liegi venga ora* Unicamente *impedito dal motivo di eſſer V.E. Franceſe, ed aver aderito alla Francia dopo eſſer pubblicate le avocatorie*, non admittunt interpretationem exadverſo excogitatam, quòd ſcilicèt deindè Imperator non conceſſerit paſſa-portum propter Foraneitatem, quoniam Imperator non ſe intromittebat in Statutis. Et Foraneitas impedire poterat ſuffragium in Capitulo, pro quo paſſaportus non profuiſſet, & nõ ingreſſum in Civitatem, pro quo paſſa-portus exoptabatur: & convincitur ex eo, quòd Sereniſs.Principalis, proùt etiam Sereniſſimi Theutonicus, & Saxo, erant Foranei, & nihilominus erant Leodii; Undè verior gloſſa erit, quòd non ſolùm obſtabat Nationalitas, & non receſſiſſe à Galliis poſt avocatorias, de quibus fit mentio in Epiſtola D.Nuntii; ſed obſtabat ulteriùs tot, ac tanta obtuliſſe pro parte Regis Chriſtianiſſimi, & eaſdem oblationes translatas in linguam vernaculam ſparſiſſe in Vulgus Leodienſe, & in locis publicis affixiſſe, ut in Epiſtolis Eminentiæ Suæ. *dict.Summar. nu.*24. & in proteſtatione. *pag.*3.*verſ.*28.

41. His ſtantibus quoad Perſonam, & ſuppoſita etiam in Eminentiſſimo Domino poteſtate activa conſtituendi Procuratorem, dubitari non poteſt nullum ex Capitularibus futurum fuiſſe Leodii, qui mandatum procuræ Eminentiæ Suæ voluiſſet, aut potuiſſet acceptare, ex quo nullus æſtimandus erat adeò animoſus, ut voluiſſet ſe exponere periculis patiendi in Perſona, & in bonis pro exercenda hac procuratione, & pœnas acceptatas in ſe convocare.

42. Neque replicetur, quòd dicere Procuratorem non inveniendum, ſit divinare, quia præſumere juxtà legales præſumptiones, non eſt divinare. Et de Jure præſumitur nullum velle contravenire legibus acceptatis in loco ubi vivit, & reputari, ut eos, qui ſe periculis exponunt, reputat *Fagnanus in cap. Nè innitaris De Conſtitut.num.*291.

43. Et fortiùs in caſu noſtro, ubi leges Edictales, de quibus in *Summ. d. num.*21. de facto ſunt in viridi obſervantia, ut in recenti exemplo Archidiaconorum, relato per eumdem Eminentiſſimum in ſua proteſtatione.*pag.*4.*verſ.*30. & D.Canonici Bocholtz, qui præſens in Curia teſtatur ob vanas ſuſpiciones contraventionis ſe paſſum fuiſſe carcerationem ſedecim menſium Trajecti. Et magis timendum in caſu, de quo agitur, ubi ſtudia exoptantium hunc, vel illum in Principem, proculdubio ad debilitandam Partem alterutri faventem, non omiſiſſent factum criminari, & ſivè Magiſtratui, ſivè aliis executionem re-

linquere; Et quamvis ſecùs eſſet de Jure, nihilominùs periculum conſiſtit in facto, & in iis, quæ abſque Jure fiunt de facto. Et meritò ab unoquoque prudenti timeri poterat, dùm bellum fervet, & recentes ſunt hoſtilitates facti in Perſonas Eccleſiaſticas, avulſas via facti ab Eccleſiis, & à Choro inter laudes Divinas. *Summ. num.* 25.

44. Neque iterum objiciatur admiſſio Canonici Poitiers, quia repetimus, iſtum eſſe Leodienſem, & pro Leodienſi ſemper habitum, abſque ullo Miniſterio, & ducentem vitam privatam; ideòque ſemper admiſſum in S. Ægidio ad ſe repræſentandum, & nunc admitti potuit ad electionem, quia ab illius interventu nulla ſuſpicio excitari poterat in Confœderatis, & in nullo acceptatis legibus contraveniebatur.

45. Imò pro impoſſibilitate votandi per Procuratorem, res etiam videtur in confeſſo, dùm D. de Vaillant fatetur, Eminentiſſimum non potuiſſe ſe repræſentare propter impedimenta facti, ut in particula ejus Scripturæ hoc noſtro *Summ. num.* 8. Cùm repræſentatio fiat per Procuratorem, uti fatetur non potuiſſe per Procuratorem repræſentare, pari paſſu fateri debet non poſſe per Procuratorem votare; Cùm nulla ſit ratio diſparitatis, imò ſit major ratio pro impotentia ad ſuffragandum in maximo negotio Principatus, ſi fatetur impedimentum in puſillo repræſentationis, quæ fieri poterat etiam per Epiſtolam.

46. Hinc remanet innegabile, quòd Eminentiſſimus Dominus non erat vocandus ad hanc electionem, quia non poterat admitti; ideoque non poteſt dici Contemptus ex quo non fuit neque admiſſus, neque vocatus, quia tunc potiùs dolere poſſet de Contemptu ſi vocatus fuiſſet, dum vocare non admiſſibilem, fuiſſet Vocato illudere.

47. Sed ultrà foraneitatem, incommodum, & pericula facti, propter quas rationes ceſſat querela Contemptus, cùm DD. exadverſo fundare voluiſſent Jus D. Cardinalis ad proſequendum Contemptum ſuper eo quòd eſſet Canonicus Leodienſis, ex quo in Cardinalatu obtinuit retentionem omnium quæ obtinebat, prout in particula eorum Scripturæ, quam damus in *Summ. nu.* 26. Videntes eos dubitare ubi numquam dubitaſſemus, niſi hanc rationem reddidiſſent; hinc excitati fuimus ad perſcrutandum de ſufficientia Retentionis, quoniam illam in genere exadverſo enunciatam ſciebamus non eſſe ſufficientem ratione Declarationis Sixtinæ. Et invento Eminentiſſimo deſtituto ſufficienti retentione, utentes lumine exadverſo ſubminiſtrato, deduximus, & fortioribus mediis repetimus in præſenti.

48. Pro *Tertia Ratione* excludendi Contemptum, E. S. non eſſe amplius legitimum Contradictorem, ex quo detectum eſt fundamentaliter non eſſe Canonicum, & retentio præſumpta ex diuturnitate temporis, vel aliundè, ac prætenſa poſſeſſio clarius convelluntur.

49. Quoad defectum retentionis in ſui primordio dubitari non poteſt, quia exadverſo pro titulo retentionis productum fuit Decretum Conſiſtoriale diei 19. Maji 1670. ubi dicitur ſolummodò: *cum retentione omnium quæ obtinet*, prout videre eſt in præſenti *Summ. num.* 27. & in hoc non diſcordamus, quia nos etiam, ex abundanti, damus litteras Apoſtolicas extenſas, juxta dictum Decretum. *Summ. num.* 28. Et hoc eſt quod dicimus, Retentiones hujuſmodi non ſufficere, quia ita declarat Sixtus V. *Summ. num.* 29. abſque eo quòd Jus varietur reſpectu Canonicatuum Germaniæ, quia Germani retinent, non vigo-

re

re retentionis generalis, ſed propter retentionem expreſsè conceſſam de Canonicatibus, ut, omiſſis cæteris exemplis, videre eſt in titulo Cardinalitio Eminentiſſimi Furſtembergii.*Summ.num.*30.& in Cardinali de Haſſia quando confirmatus fuit in Epiſcopum Uratislaviæ. *Summ.num.*31.

50. Neque D.Cardinalis juvari poteſt Brevi Clementis X. ſuper Præpoſitura, aut alio Diplomate, ubi Canonicatus narraretur, quia oportuiſſet narrare defectum in retentione primordiali, ut firmavit *D.Jacometti* in ultima Reſponſione ſuper contemptu *num.* 15.

51. Et minùs juvari poteſt titulo præſumpto ex diuturna poſſeſſione, quoniam factis de licentia Superioris diligentiis, prout de Jure, in tribus Regeſtis Apoſtolicis Gratiarum Beneficialium, nempè Secreto, Cancellariæ, & Cameræ, cùm in iſtis prætenſa retentio inventa non fuerit, prout ex Relationibus, quas habebit Sac. Congregatio, probata dicitur negativa abſque obligatione recurrendi ad alia Regeſta, quia ſufficiunt diligentiæ in Regeſtis ſolitis. optimè *Amaydenius De Stylo Dataria lib.*1.*cap.*26. *num.*19.cui addi poteſt ratio, quòd in Beneficialibus, ex quo proviſiones, ſeu diſpenſationes non ſuffragantur, niſi litteris expeditis juxtà regulas *Canc.*27.*&* 52. non eſt neceſſe perquirere alibi, niſi ubi litteræ Apoſtolicæ Beneficiales regiſtrantur.

52. Et alia ratio eſt, quia extra ſolitum non præſumitur, cùmque pro defectu Retentionis habeamus perquiſitiones factas in Regeſtis conſuetis, necnon *Concilium Tridentinum cap.*17.*ſeſſ.*24. *de reform.* ubi nominatim diſponitur de Cardinalibus, & declarationem Sixti V. *Summ.num.*29. quæ continet obſtaculum perpetuum inconvenientiæ ſeſſionis Cardinalium poſt Epiſcopos, dicimur habere pro noſtra Negativa intentionem fundatam in Jure; & ideò ceſſat præſumptio Rei inſolitæ, ut benè ad caſum *Romanus ex deciſ.*20. *in antiquis conſil.*499.*num.*4.

53. Sed etiam ſine hujuſmodi perquiſitionum labore, D. pro Eminentiſs. Bullionio Cauſæ Patronus nobis ſavit, producendo titulum in forma authentica, nempè Decretum Conſiſtoriale retentionis in genere. *d. Summ.num.*27. dum per talem productionem eliſa remanet præſumptio tituli, reſultans ex lapſu decennii, aut alterius temporis. *Rota diverſor.deciſ.*731.*par.*1.*num.*18. *&* 19.*Adden.ad Gregorium deciſ.*353.*num.*19.

54. Etenim inter Beneficialiſtas regulare eſt, ut oppugnatus in ſuo Beneficio defendat ſe poſſeſſione dumtaxat abſque tituli productione, quando titulus eſt inſufficiens, quia per poſſeſſionem tueri ſe poteſt titulo potentiali; at productione ſequuta, extincta remanet præſumptio alterius tituli, quia producendo imperfectum, præſumitur non habere meliorem; Ideòque ceſſat titulus præſumptus, ut latè docet *Lotber. de re Beneficiaria lib.*2. *qu.*46. *num.*29. *& ſequentibus.*

55. Cùm itaque titulus exadverſo productus ſit inſufficiens, juxtà Declarationem Sixtinam: ac tàm per productionem, quàm per diligentias excluſus remaneat quicumque titulus præſumptus, Eminentiſs.D.Canonicatu deſtitutus, deſtitutus hodie detegitur Jure agendi de contemptu, qui fundari nequit, niſi in Canonia, ut fatentur DD. exadverſo ſcribentes.

56. Neque caſui noſtro applicari poteſt regula deſumpta ex *cap. cùm Eccleſia Sutrina De cauſa poſſeſſ. & propriet.* ſcilicèt, quòd interim Cardinalis eſt manutenendus, donec defectus petitorii declaretur per ſententiam, quia nos ſu-

ſumus in terminis longè diverſis à relatis in *d.cap.cùm Eccleſia Sutrina*; Siquidem ibi Papa electionem irritaverat, *quoniam depræhenderat Teſtes Capituli extitiſſe varios, atque adverſus finem atteſtationis ſuæ coram Auditoribus vacillaſſe*:& è contra *per Teſtes Partis adverſæ fuerat ſufficientèr oſtenſum, &c.* ut ſunt verba Textus.

57. In caſu autem noſtro termini ſunt omninò oppoſiti, quia pro parte noſtra ſufficientèr oſtenſum eſt, Cardinalem non habere retentionem, & è contra pro Cardinali retentio nec probatur, nec probari poteſt; quia non aliundè peti poteſt auxilium, quàm à Regeſtis Apoſtolicis: Et iſta dare nequeunt, quod oſtenſum eſt non habere.

58. Hinc textus ille non obſtat, & regula exindè, vel aliundè deſumpta pro poſſeſſore non militat; quia oſtenſa fundamentalitèr nullitate petitorii, poſſeſſio vel eſt evacuata, vel adeò diſcolorata, ut Eminentiſſimus non poſſit eſſe legitimus Contradictor, prout in terminis ſtrictioribus *Romanus d. conſil.* 499. *per totum*, & præcipuè *num.6. circa finem*, præſertìm quia in præſenti deductum eſt non ſolùm poſſeſſorium, ſed etiam petitorium, nempè per Cardinalem in proteſtatione *pag.1.verſ.24.&* 27. & per Procuratorem in Informatione, cujus particulam dedimus in *Summ.d.num.*26. Ideòque inſpecto etiam petitorio reſolvendum eſt. *cap.cùm dilectus, De cauſa poſſeſs.& propriet.*

59. Neque dicatur, quòd tunc quando Eminentiſſimus non fuit vocatus, nec admiſſus, tunc habebatur pro Canonico, quia hoc profuiſſet illo tunc ob errorem communem, ſed hodiè detecto errore non ſuffragatur ampliùs, præſertìm in damnum publicum, & Tertii. *Bald. in l. Barbarius, ff.de offic. Prætor. num.*12. Et concludi poteſt cum *Romano d.conſ.*499.*in fine*.ibi: *Ubi deſinit cauſa, propter quam competit actio, vel deſinit intereſſe, propter quod quis agit, deſinit etiam actio ipſo jure competere*, dicit *Textus, ff.de exhiben.l.ſigni, §. fin.*

60. Patet itaque triplici ratione Eminentiſs.D.Bullionio nullum jus, nullamque actionem competere ad dicendum de contemptu, tùm quia ſuffragandi jus exercere non poterat propter incommoda, & pericula Eccleſiæ. *cap.quòd ſicut, cap. quia propter, De elect.* tùm quia ſuffragandi jus non habet ex declaratione Sixti V. ac tunc temporis non habebat propter foraneitatem, juxtà Statuta jurata, & inconcuſsè ſemper obſervata, ut ex præmiſſis.

61. Et quatenùs excluſio quærelæ contemptus non eſſet adeò clara, prout eſt tribus rationibus clariſſima, adhuc in aliqua turbiditate non poterat dici contemptus; quia pro vero contemptu requiritur ſpretus cum odio, ſuperbia, & reflexa voluntate vilipendendi, ut ex *D.Thoma*, & aliis, præſertim *Caſtellin. de elect. in prælud. §.11.de contempt.* deduxit *D.Jandi in reſponſione ſuper puncto contemptus*, pro Sacra Congregatione habita 9. Auguſti proximè præteriti, *num. 6. cum ſeqq.* quorum, cùm nihil evenerit in caſu noſtro, quin imò ſumma reverentia, Eminentiſs.Dominus parcere poterat neceſſitati, qua de facto difficillimis hiſce temporibus Capitulum non poterat admittere.

62. Ac demùm intelligi nequit ad quem finem ordinata ſit præſens proſequutio contemptus; quoniam Sacri Canones non ad alium effectum irritari volunt electionem ratione contemptus, niſi ut ordinetur nova electio, in qua interveniat etiam ipſe contemptus. *Paſſerin. de elect. cap.11. quæſt.12. n.125. in fine.* Jam verò in caſu noſtro, ſivè eſſet facienda electio nova, in qua idem noſter Sereniſſimus eſſet reeligendus, juxtà doctrinam *Panormitan. in cap. bo-*

næ

ne il 2. *De elect. num.* 5. ſivè Eccleſiæ Leodienſi providendum eſſet à Summo Pontifice, juxtà concordata Nicolai V. cum Inclyta Natione Germanica in *§.Itèm placuit, quòd in Metropolitanis, &c.* ſemper in quovis caſu obſtarent Eminentiæ Suæ impedimenta juris, & facti; Itaut videatur labor abſque fructu ordinato à Sacris Canonibus in favorem contempti: atque adeò prætenſus contemptus pro ſolo detrimento Tertii, & Eccleſiæ, non eſſet ad mentem Sacrorum Canonum.

63. Sed veritas eſt, quòd Eminentiſſimus Dominus non fuit contemptus ex duplici, & hodiè ceſſat contemptus ex triplici ratione. *Primò*. De Jure ſtatutario, cujus vigore deficiens in ſola repræſentatione eſt *Foraneus*, tum ex verbis ſtatuti. *Summ. num.* 3. *&* 6. *litt. D.* tum ex obſervantia interpretativa. *Summ.num.*9. 10. 12. 13. 14. *&* 15. prout ex confeſſis Eminentiſſimus in hoc defecit. *Summ. num.*8. Ideòque carebat voce. *Summ.num.*3. *&* 6. *litt.F.& G. & num.* 10.

64. *Secundò*. De Jure Communi; quia de facto non erat admiſſibilis propter incommoda, damna, & pericula paſſivè in Capitulo, & Capitularibus. *Summar. num.* 21. & ex recognitione ipſius Eminentiſſimi, ejuſque Defenſorum. *Summ.num.*8. 22.23. Eòque magis, quia in Eminentia ſua ultra Miniſterium pro Rege Chriſtianiſſimo. *Summ.num.*24.concurrit etiam qualitas augumentativa periculi, ex ea ratione, quæ exadverſo dicebatur omittenda; ſed reverà ad effectum periculi, de quo agitur, motivum non debet contemni. Siquidem eſt indubitatum, quòd Bullionii Ducatus pertinet ad Eccleſiam Leodienſem, quòdque articulus 28. Pacis Neomagenſis nullum Jus tribuere poterat Occupatori; quia Plenipotentiarii Pacis non poterant tranſigere ſuper Jure Tertii: Et proteſtationes aliàs à nobis datæ præſervarunt Jura Eccleſiæ. Imò ratio præcipua,propter quam Epiſcopus, Capitulum, & Status Leodii partes ſuſceperunt in præſenti Bello, & fœdere ſe junxere aliis Principibus, ut Bullionii Ducatus armis recuperaretur pro Eccleſia. Hinc in materiis ſuſpicioſiſſimis, & in quibus inditia habentur loco demonſtrativæ, oportuiſſet credere fatuitatem in Confœderatis, ut non ſuſpicarentur de ſecretis pactionibus, ac de receſſu à fœdere, ſi Capitulum ad electionem Epiſcopi, & Principis, qui pro urgenda recuperatione eligendus erat, admiſiſſet Germanum fratrem Celſiſſimi Detentoris: præſertìm quando Eminentiſſimus Dominus in ſuis epiſtolis obtulerat media Fœderatorum,ſuſpicionem augentia.*dicto Summ.num.*24. Undè quæ in aliis Chriſtianiſſimi Miniſtris ratio periculi fuiſſet generalis,in Eminentiſſimo D. erat,& generalis, & ſpecialiſſima. Ideòque Eminentiſſimus non poteſt dici contemptus, ex quo Capitulum, & Canonici de Jure fecerunt quod de Jure facere debuerunt: Et de facto non fecerunt quod facere de facto non potuerunt.

65. *Tertiò*. quia hodiè Eminentiſſimus detegitur non Canonicus. *dicto Summ. num.* 27. 28. *&* 29. & Canonicatu ſublato,corruit etiam Præpoſitura, & Cuſtodia, quæ ſine Canonicali fundamento ſubſiſtere non poſſunt; Ac proptereà ceſſat hodiè omnis actio proſequendi prætenſum contemptum.

66. Undè, cùm Electio Sereniſſimi noſtri Principalis de ſe ſit valida, ex quo propter contemptum electiones non ſunt nullæ ipſo Jure, ſed ſemper validæ, donec non ſuperveniat irritatio.*Donatus tom.*2.*tract.*4.*quæſt.*11.

67. Hinc cùm in caſu noſtro demonſtratum fuerit, quòd Eminentiſſimus

de

de tempore credulitatis, quòd eſſet Canonicus,non fuit contemptus,tum propter Foraneitatem, tum propter evidentia incommoda, & pericula Eccleſiæ; Verùm etiam quòd ſit extinctum Jus agendi de contemptu: nullo modo electio de Jure valida poteſt irritari, dum ſi quælibet, & unaquæque ex præmiſſis rationibus ſufficeret ad tuendam electionem ab ictibus irritationis, fortiùs hoc triplici ſcuto munita,immunis, & illæſa remanebit.

68. Præmiſſa exuberant ad repellendum majori cum facilitate D.Comitem de Rekem, qui *Primò* à pluribus jam annis reſignavit ſuum Canonicatum: ſupplicatio non ſolùm ſignata fuit, ſed etiam conſenſus irrevocabiliter extenſus, ut ſupplicamus recognoſci ubi oportet; Itaut Canonicale Jus à D. Comite à pluribus jam annis ſit abdicatum. *Secundò*. Neque reſedit, neque ſe repræſentavit in S.Ægidio,ut juſtificavimus in ſcripturis antecedentibus; Undè dupliciter, & duplici defectu eſt *Foraneus*. *Tertiò*. Cùm ipſe ſit nativitate, origine,& feudo Germanus, & Subditus Imperii cum ipſo Canonicatu, & Subdiaconatus ordine, quo inſignitus eſt, veritus non fuit arma gerere in Galliis, & contra Imperium militare,juxta ejus confeſſionem irretractabilem in precibus Summo Pontifici,porrectis. *Summ.num.*32. Undè tanquam Rebellis, & proſcriptus,non poterat admitti ob Edictum in *Summ. num.* 21. & ipſemet fatetur impotentiam ſuæ admiſſionis, quia propter præmiſſa expoſuit eidem Summo Pontifici non eſſe ſibi tutum acceſſum in Germaniam. *dicto Summar. num.*32.ibi: *Et quoad proviſiones committatur quoad primo dictos eidem* Argentinen. *necnon quoad ſecundo, & tertio dictos Canonicatus, attento, quòd ad Eccleſias* Leodien. *& Colonien.* tutus *Oratori* non patet acceſſus.

69. Undè habens Canonicatum in aëre, Foraneus, & inadmiſſibilis, & adhuc degens apud Hoſtes, ut ex data mandati Procuræ,non poteſt dici contemptus; ideòque electio non eſt irritanda.

70. Sublatis itaque omnibus oppoſitionibus, nihil eſt, quod impediat; Ideòque ſupplicamus dignetur Sacra Congregatio ad formam *Cap. Poſtquam* 3. *De Electione*, Capituli, & Principis noſtrorum Principalium, confirmationem petentium,deſideria benignè exaudire.

PETRI

PETRI DE FUSCO
ADVOCATI NEAPOLITANI,
Ac Regii Conſiliarii
ALLEGATIO NOVA
Super puncto contemptus:

1. SAcræ Congregationis juſſu cauſa iſta confirmationis electionis Epiſcopi Leodienſis reſtricta eſt ad punctum contemptus,de quo conqueritur Eminentiſſimus D. Cardinalis Bullionius, allegans ſe Canonicum, & Præpoſitum majorem Leodienſis Eccleſiæ, atque adeò vocari, & admitti debuiſſe ad Epiſcopi electionem.

2. Verùm,perſtringendo articulum, breviter demonſtrabimus, nullum querelæ de contemptu locum eſſe; quia Electores excluſerunt Dominum Cardinalem, non ex cauſa contemptus,ſed ex aliis nedùm probabilibus,& juſtis exiſtimatis (quod ſolùm ſufficeret, ut contemptus evitetur) ſed etiam ex verè juſtis, rationabilibus, & neceſſariis, quales ſunt cauſæ foraneitatis, belli, & hoſtilitatis. Denique D.Cardinalis intentionem deſtitui principali fundamento tituli Canonicatus, & Præpoſituræ; Atque ità querelam ejus de contemptu prorsùs evaneſcere, manifeſtò probabitur.

3. Et quidem, ut Electio irritari poſſit, non ſufficit ſimplex omiſſio vocationis abſentis; quia convocatio abſentium non eſt de ſubſtantialibus formæ requiſitis à Lateranenſi Concilio,ut conſtat ex *cap.Eccleſia 57.il 2.in verſ.denique De Electione*, & ibidem notat *Gloſſ. litt. C. verb. ſicut eſt iſtud, &c.* eadem *Gloſſ. in cap. cùm in Eccleſiis* 33. *lit.C. in verb. ſi commodè,De præbendis, & dignitatibus in* 6. Undè Electio peracta, non vocato eo, qui debuit intereſſe, non eſt ipſo jure nulla. *Gloſſ.in cap.bonæ 36.in verb. expectare,De electione, Boniſac.de Vitalin. in Clementin. Quod circà num.28. & in Clementin. Conſtitutionem num. 26. de electione*, cum aliis adductis per *Samuell. de electione tract.1. diſput.2. controv.7. concluſ.2. & controv.10. concluſ.4. Baixio in director.election. par.3. cap.7. Menoch. conſ.67. num.* 31. *Murga ad Conſtitutionem Alexandri IV.num.*643. *fol.*176. ſed electio reſcinditur, ſivè caſſatur per ſententiam, propoſita querela de contemptu ab eo, qui vocari debuit, & contemptus omiſſus,ſivè excluſus fuit. *cap.bonæ* 4.ibi:*eis contemptis,De poſtulat.Prælat. cap.Venerabilem* 34. *De elect. cap.bonæ* 36.*De elect.cap.ex eo* 32. *De electione in* 6. ibi: *De contemptu conqueri, cap.cum Eccleſia Sutrina* 3. *De cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, cap. quod ſicut* 28. *De electione*. ibi: *Quòd ſi eos vocatos non fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos, infirmanda erit penitùs Electio taliter*

ce-

Digitized by Google

celebrata, niſi poſtea propter bonum pacis curaverint conſentire.

4. Hic autem contemptus ſupponit in Electoribus malam fidem, & certam ſcientiam juris ſuffragii, quod habet ille, qui non fuit vocatus, nec admiſſus, animo faciendi ei injuriam, quia contemnere eſt aſpernari, non curare: & tunc propriè convenit, quando ſine cauſa aliquid non ſervatur, juxtà id, quod notatur in *cap.2.quæſt.7. cap. Menopolitanum, Archidiacon.in cap.1. num.7.de appellation.in 6.* latiſſimè *Schmidius conſil.argentoratenſ.57.nu.204. vol.2.* Quamobrem Sacri Canones, qui ſtatuunt pœnam caſſationis electionis, loquuntur non adverſus Electores, qui ſimpliciter proceſſerunt ad electionem, non vocatis,nec admiſſis illis,qui vocari, & admitti debuerunt, ſed contrà Electores,qui contemptis eis, ad electionem procedere præſumpſerint, ut in *cap. Venerabilem* 34.*De elect.*in illis verbis:*Et ex eo,quòd fautores Ducis,abſentibus aliis,& contemptis,ipſum eligere præſumpſerunt*,& in *cap.cùm Eccleſia Sutrina* 3.*De cauſa poſſeſſionis, & proprietatis*, in illis verbis: *ſuam depoſuere querelam, quòd cùm in Epiſcoporum electionibus ipſi, ac prædeceſſores eorum conſueverint intereſſe, vos, eis renitentibus, & excluſis, ad electionem procedere præſumpſiſtis.* Atqui certiſſimum eſt, verbum illud *præſumpſerunt* ſignificare certam ſcientiam, malam fidem, & temeritatem. *Gloſſ.in cap.ſcriptum* 40.*in verb. præſumptione,De elect.Felin.in cap.Judæi num.8.de teſtibus*,cum aliis collectis per *Auguſtin.Barboſ.de dictionibus,in verb.præſumere,diction.*278.

5. Idque eſt illud, quod communitèr Doctores inquiunt apud *Menoch. conſ.67.nu.31.Samuell.de electione tract.1.diſput.2.controv.7.concluſ.2.Murg. ad Conſtitut.Alexandri IV.d.num.*643. ſcilicèt, abſentium convocationem non eſſe de ſubſtantia electionis, ſed de juſtitia; Exindè ſequitur, quòd ſufficiat Electoribus bona fides, & cauſa probabilis, ſivè juſta exiſtimata, nè eum, qui vocari, & admitti debuit, contempſiſſe cenſeantur. Non enim facit contrà juſtitiam ille, qui bona fide procedit, quamvis jus alterius lædat, ut elegantèr docet *Zaſius ad tit.ff.de juſtitia,& jure num.*2. & latiſſimè *ad l.jus dicentis nu.*4. *& 5.ff.de juriſdictione omnium Judicum.Bald.in l.eos num.4.in fine De appellationibus.* Quarè cauſa juſta exiſtimata tollit contemptum, quamvis illa cauſa eſſet verè injuſta. *Gloſſ.in l.ſatiſque litt.Q. ff. de in jus vocando*, in illis verbis: *Hic non in contemptum, ſed ob aliquam cauſam licèt non juſtam, Scburſ. in conſ.95.num.2.vol.1. Schmidius conſ.argentoratenſ.57.num.215.vol.2.*

6. Rursùs ex contemptu oritur duplex pœna: altera caſſationis electionis per ſententiam imponenda, ſi contemptus fuerit proſecutus querelam de contemptu. *Gloſſ. in cap.bonæ 36.in verb.expectare De elect.* adeò quòd ſi ante ſententiam contemptus moritur, vel transfertur ad aliam Eccleſiam, perit actio de contemptu. *Gloſſ.marginal.in cap. quòd ſicut litt.C.28.de elect.* Altera pœna eſt, quòd ratione contemptus jus eligendi non transfertur in contemptum, nec redit ad Capitulum, ſed electio devolvitur ad Summum Pontificem, ut advertit *Archidiacon.in cap.ſi fortè num.4.diſtinct.65. fol.88.* his verbis: *Is,qui eſt contemptus nõ eliget, nec per ſe poteſt eligere,ſed ad ſuam petitionem Superior ordinabit Eccleſiam:& ſic ſervat, & tenet Curia Romana.* Quibus conveniunt concordata Germaniæ apud *Carolum-Felicem de Matta fol.4.verſ.item placuit*, & apud *Laurentium Nicolarts in proœmio, §.4. & tit.1.de reſervat. dub.1.§.4.* ubi ſtatuitur, quòd ſi electiones Epiſcoporum præſentatæ, minùs Canonicæ fuerint, proviſio ſpectat ad Apoſtolicam Sedem: Idque etiam jure communi di-

diſpoſitum fuerat in Eccleſiis Cathedralibus. *cap. quamquam* 18. *De elect.in* 6. in illis verbis: *Vel per ſententiam, cùm formam traditam per generale Concilium non obſervant, eligendi poteſtate privantur, non ad dictum Superiorem, ſed ad Romanum Pontificem poteſtas eadem devolvetur.*

7. Cùm itaque caſſatio electionis, ratione contemptus ſit pœna, & oriatur etiam altera pœna devolutionis electionis ad Apoſtolicam Sedem, ideò plura inferuntur ad excludendam quærelam de contemptu.

8. Primum ſcilicèt, quòd pœnæ nullus locus eſſe poteſt, quando non ex cauſa contemptus, ſed ex alia probabili, ſeù colorata Electores poſſunt excuſari, juxtà illud effatum, quòd cauſa colorata, qua quis putabat ſibi licere id, quod fecit, excuſat à dolo, & pœna, etiamſi illa cauſa non eſſet plenè probata, ut ex *l.igitur,§.poteſt,ff.de liberali cauſa*, probat *Jo.de Amicis in conſ.*84.*nu.* 6. *& conſ.*138. *num.*11. *Hippolyt.de Marſil.in l.de unoquoque num.* 226. *ff.de re judicata*, cum aliis adductis per *Schmid.d.conſ.argentoratenſ.*57. *num.*212. *&* 213.*vol.*2.*Cravett.conſ.*18.*num.*9.10.*&* 16.*Riminald.jun.conſ.*715.*num.*31.*cum ſeqq.* præclarè *Divus Auguſtinus contra Fauſtum lib.*22.*cap.*43. *tom.*6. ubi excuſat filias Loth ab inceſtu, ex eo, quòd ſe crederent, invenire non poſſe alios viros, velut exuſto illa conflagratione Orbe terrarum, undè prolem quærentes ad conſervationem generis, miſcere ſe Patri voluerunt: & ibi *D. Auguſtinus* tradit generalem regulam, his verbis: *Ratio quippè juſtitiæ non tantùm quid factum ſit, verùm etiam quare factum ſit, intuetur, ut ex cauſis ſuis facta pendentiâ, libramento æquitatis examinet*; Et in terminis omiſſionis vocationis ad electionem, & excluſionis ab ea non ex cauſa contemptus, eſt *text.in cap. cùm Hadrianus* 24.*diſtinct.* 63. in illis verbis: *Indignati ſcilicet, quòd dum præſentes eſſent, non fuerunt invitati, nec optatæ affuturi Præſulis electioni intereſſe meruerunt qui accepta ratione, quòd non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu omiſſum hoc fuerit, &c.*

9. Idque eſt, quod Perilluſtre Capitulum Leodienſe reverenter, & devotè ſignificavit Domino Cardinali in litteris. *Summar. ſuper oppoſitionibus num.*9. per hæc verba: *De cætero, Eminentiſſimæ Celſitudinis veſtræ convocationem, ſuas pati difficultates, plurimum dolemus; licèt enim pro ſua Eminenti Cardinalatus dignitate, ac hujus Eccleſiæ Præpoſituræ, ſingularibuſque ſuis meritis, omnem, quem debemus, reſpectum habeamus, cùm tamen Eccleſiæ noſtra Statuta, & laudabiles conſuetudines hactenùs inconcuſsè obſervatæ, quorum obſervationem quilibet Canonicus in ſui admiſſione juravit, eos, qui in feſto S. Ægidii Capitulo perſonalitèr, vel ad minus per conſtitutionem ſe non repræſentarunt, Foraneos declarent: qui juxtà eadem Statuta, quorum copia hìc jungitur, negotiis capitularibus intereſſe, vel ſuffragium dicere non poſſunt, etiamſi de electione Epiſcopi, Præpoſiti, vel Decani, & quavis alia re ardua ageretur; Speramus, Eminentiſſimam Celſitudinem Veſtram ægrè non laturam, ſi præfatis Statutis, ac juramento noſtro nos conformantes, ab ejus convocatione abſtineamus:* Eademque reverentia hoc ipſum ſæpiùs inſinuavit Capitulum per ſequentes literas. *d. Summ.num.*12.*&* 14.

10. Cauſa igitur ſervandi Statuta, ac Religionem Juramenti, quæ adegit Canonicos Leodienſes, neminem foraneum intereſſe electioni paſſuros, debuit removere Dominum Cardinalem à proponenda omni querela de contemptu, cùm nec ipſe Summus Pontifex exiſtimaverit ſe contemptum à Canonicis

Eccleſiæ Bituricenſis, qui propter Statuta ab ipſis juramento firmata, Mandatis Apoſtolicæ Sedis parere non potuerunt, ut in *cap.conſtitutus* 19.*de reſcriptis*: eò magis, quòd cauſa, qua ſuit motum Capitulum ad eum excludendum verſabatur in quadam facti notorietate; Nam Dominus Cardinalis cùm eſſet (ut aſſerit) Canonicus, & Præpoſitus major Eccleſiæ Leodienſis, & uti talis, etiam poſt promotionem ad Cardinalatus dignitatem, ac poſt diſpenſationem in continua, & perſonali reſidentia ei conceſſam per Breve Apoſtolicum Clementis X. agnoſcens, quòd privilegium, & diſpenſatio in reſidentia non comprehenderet intereſſentiam per ſe, vel procuratorem certa die, & hora, nempè in feſto S.Ægidii hora Summæ Miſſæ in Capitulo Generali (juxtà *Gloſſ.communiter receptam in cap.unico De Clericis non reſidentibus in 6.litt.H.in verb.adfuerint*, & ea, quæ latiſſimè tradidimus in præcedentibus allegationibus editis ſuper reſolutione motivorum) ſingulis annis in eo feſto per procuratorem ſe præſentavit, uſque ad tempus belli moti à Gallorum Rege contrà Imperatorem, alioſque Principes Confœderatos, quorum unus eſt Princeps, idemque Epiſcopus Leodienſis, & ab eo tempore, quo voluit adhærere Regi Chriſtianiſſimo, & eſſe à conſiliis ejus, ac Plenipotentiarius in re bellica, ceſſavit ſe præſentare in feſto S.Ægidii. *Summ.novo num.*24. Quare non poteſt conqueri ſe contemptum, cùm ex alia cauſa fuerit excluſus. *d.cap.cùm Hadrianus* 24.*diſtinct.*63. Eòque magis, quòd excluſio ex cauſa belli, & hoſtilitatis eſſet neceſſaria (ut infrà demonſtrabimus) Undè contemptus penitùs tollitur. *cauſa* 17. *qu.*4.*cap.nullus res Eccleſiæ*, *juncta Gloſſ.ibidem*, *in verb.non poſſit.*

11. Secundum ex eo, quòd caſſatio electionis ſit pœna contemptus, infertur contrà Dominum Cardinalem, qui talem pœnam petit, ipſum, ſcilicet, debere eſſe extrà omnem pœnam, idque priùs liquidò conſtare oportere, ut notat *Dionyſ.Gothofred.ad l.cùm pater* 77.*§.liberti litt.V. ff.de legat.* 2. his verbis: *Qui petit pœnam, extrà omnem debet eſſe, qui non facit quod non debet, percipit quod non oportet; Hæc enim natura pœnarum eſt, & legitimarum, & conventionalium, ut liquida ſit cauſa priùs quàm pœna petatur*; Pœnam autem, extrà quam omnem diximus debere eſſe ipſum, qui pœnam petit, non intelligimus illam, quæ ſtatuta eſt in *cap.ſæpè Principes* 23.*quæſt.*8. in illis verbis: *Quia verò à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant Regibus fieri judices, ubi jure jurando ſupplicii indulgentia promittitur, non ubi diſcriminis ſententia præparatur; Si quis ergò Sacerdotum contrà hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud Eccleſiam perdat proprium gradum*; Sed loquimur de foraneitate inducta per Statuta, & conſuetudines Eccleſiæ Leodienſis, quæ Statuta, & conſuetudines ipſe Dominus Cardinalis tempore ſuæ admiſſionis ad Canonicatum juravit ſe obſervaturum. Itemque de pœna, quæ de facto ſervatur contrà Perſonas Eccleſiaſticas cujuſcumque gradus, & dignitatis, adhærentes Regi Galliæ, bellum gerenti adversùs Imperatorem, alioſque Principes Confœderatos, ut numerentur inter hoſtes publicos, ità quòd nullum commercium per ſe, nec per Procuratorem habere valeant in terris Imperii, & in Regione Leodienſi, cujus Epiſcopus recognoſcit Principatum in temporalibus ab Imperio Germanico, ſub fidelitate, nunc à Capitulo, Sede Epiſcopali vacante, repræſentatum. Itaque debet liquidò conſtare priùs, Dominum Cardinalem de facto extrà has pœnas eſſe, ut pœnam contemptus petere poſſit, juxtà doctrinam

Dio-

*Dionyſ.Gotbofred.ad d.l.cùm pater 77.§.liberti litt.V.ff.de legatis 2.*quæ confirmatur ex *cap.conſtitutus 7.de pœnis*,& aliis juribus per ipſum adductis.

12. At verò impoſſibile eſt Agentibus partes Domini Cardinalis, liquidò demonſtrare, illum extrà has pœnas eſſe; Imò & contrarium apertiſſimè conſtat, dum ab anno 1689. Dom. Cardinalis non ſe repræſentavit in feſto Sancti Ægidii in Capitulo generali, quemadmodum annis præcedentibus ſe præſentavit per Procuratorem. *Summ.antecedenti nu.6.& 7.* Atque ità ob defectum repræſentationis in eo feſto, numerari debebat inter foraneos, nec vocem in electionibus habere poterat, ſecundùm Statuta Eccleſiæ Leodienſis, ad quorum formam Capitulum declaravit, Dominum Cardinalem pro foraneo habendum, atque adeò ſuffragium dicere non poſſe in electionibus,dum ad officium Capituli ſpectabat cognoſcere eos, qui haberent vocem in Epiſcopi futuri electione, juxtà *cap.bonæ, il primo in fine De poſtulatione Prælatorum*,in illis verbis: *Cum bis,qui vocem in electione habere noſcuntur.*

13. Et quamvis ex Statutis Eccleſiæ Leodienſis,ſivè attendatur compilatio anni 1560. confirmata per Signaturam Apoſtolicæ Sedis, ſivè inſpiciatur compilatio anni 1563. quæ non fuit perfecta, & abſoluta, ſecundùm utramque manifeſtè conſtaret juſtitia decreti Capituli, quo Dominus Cardinalis fuit habitus pro foraneo,ut latè oſtenſum fuit in *allegationibus editis ſuper reſolutione motivorum*: nihilominùs ad majorem Cauſæ cognitionem, & ſatisfactionem Partium, ex officio fuit injunctum Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico in Inferiori Germania, ut faciendum curaret extractum Statutorum ſpectantium ad foraneitatem, quæ impræſentiarum obſervantur, & hactenùs fuerunt obſervata; Undè fuit à Domino Nuncio tranſmiſſum extractum Statutorum reſpicientium foraneitatem, juxtà compilationem anni 1560. *Summar.novo num.3.* cum atteſtationibus Officialium Capituli, ad quos ſpectat, de inconcuſſa obſervantia ab antiquo, & immemorabili tempore. *d.Summ.nu.3.9.& 10.* de quo etiam teſtatur plenum Capitulum,juxtà mãdatum ei factum à Domino Nuncio, ad ſciendum quæ,& à quanto tempore Statuta eſſent in obſervantia. *Summar. novo num. 1.* Et inſuper Dominus Nuncius tranſmiſit copiam integram Statutorum juxtà compilationem anni 1560. exiſtentium in Cancellaria ejuſdem Nunciaturæ, relatorum in acta viſitationis Cathedralis Leodienſis anno 1656.per Nuncium Apoſtolicum Sanſelicium Archiepiſcopum Conſentinum, ex delegatione ſpeciali divæ mem.Alexandri VII. *Summ.novo num.4.*

14. Quarè ceſſat motivum de nova compilatione anni 1563. quæ facta fuerat ad declarationem, correctionem, reformationem, & ſupplementum veteris compilationis, ſicut in ea aſſeritur. *Summ. antecedenti num.1.* Hæc enim nova compilatio non fuit perfecta, & abſoluta,& numquàm ſervata, & nullibi authentica reperitur; ideò firma remanſit compilatio anni 1560. confirmata per Signaturam Apoſtolicæ Sedis. *cap. conſuetudinis 9.De conſuetudin.*

15. Undè etiam nullius momenti eſt quod opponitur, nempè compilationem Statutorum anni 1560. non fuiſſe confirmatam à Sede Apoſtolica; Nam per ſolam Signaturam confirmatio perfecta cenſetur, etiam litteris non expeditis. *Rota Romana decif.625. num.4.recent. par.1.* Eademque compilatio conſtat ex Statutis uſu antiquiſſimo receptis, & confirmatis per Apoſtolicos Legatos,ut habetur in principio ejuſdem compilationis: idque etiam aſſeruit Dominus Cardinalis in impetratione diſpenſationis ſuper reſidentia per Apoſto-

licum Breve Clementis X. adeòque nullum objectum pati poſſunt. *Gloſſ. in cap.cùm aliqui 4.in verb.firmitate alia litt. F. de reſcriptis in 6.* Et de illorum receptione, & uſu ab immemorabili tempore, conſtat ex ſcripturis a Domino Nuncio tranſmiſſis. *Summar.novo d. num.4.* & aliis per totum. Quare ſumunt etiam robur à conſuetudine, & uſu. *cap. cùm aliqui 4. De reſcriptis in 6.* ubi *Gloſſ.in verb.conſuetudinis*, eadem *Gloſſ.in cap.finali, verb.conſuetudo litt.A. de conſuetud.in 6.* Imò & Statuta, quæ pertinent ad præſentationem in feſto Sancti Ægidii, ut qui non ſe præſentant in eo feſto, foranei cenſeantur, & veluti foranei vocem non habeant in electionibus, fieri potuerunt à ſolo Capitulo abſque conſenſu Epiſcopi, dum non tangunt jus Epiſcopi, ſed ipſorum Capitularium. *Gloſſ.in cap.conſtitutionem 2.§.cæterum in verb. ſtatutum litt. H. de verborum ſignificatione in 6.ex cap.cùm aliqui 4.de reſcriptis in 6.* ubi *Gloſſ. in verb.ſtatutis lit.D. eadem Gloſſ.in cap.1.in verb.conſtitutum De his,quæ fiunt à majori parte Capituli.*

16. Neque continent magnum gravamen, dùm non aliud imponunt, quàm actum momentaneum præſentationis in eo Feſto per ſe, vel Procuratorem: & minus oneroſa ſunt in hac re, quàm jus commune,quo inſpecto,jus dicendi ſuffragium in electionibus non inhæret dignitati Canonici, nec beneficio (ut Adverſarius ſupponit) ſed pertinet ad aliquod officium Eccleſiaſticum, ideòque faciliùs evellitur. *Gloſſ.in cap.beneficium in verb. conferendum, circà finem,De Regularibus in 6.Felin.in cap.Apoſtolicæ num.16.de conſtitution.Giballin.de Sacra Juriſdictione diſquiſit.7.quæſt.12.conſect.4.nu.9.fol.321.* Quinimo, ut jus habendi vocem in Capitulo competat, nedùm requiritur, quòd Canonicus reſideat,ſed etiàm quòd interſit Divinis Officiis,dùm Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.cap.4.de reformatione*, expreſsè ſtatuit, quòd non habeant vocem in Capitulo illi, qui non interſunt Divinis Officiis, ultrà alias graviores pœnas ab Epiſcopo imponendas.

17. Cui diſpoſitioni Concilii non obſtat illa concluſio, quòd Canonicus abſens poteſt ſuffragium dicere per Procuratorem. *cap.quia proptèr 42. §.illud De electione*, & ſic non eſt neceſſe, quòd reſideat, & interſit Divinis Officiis; Nàm reſpondetur, eam concluſionem non refragari, quia intelligitur de eo, qui intereſſentiam in Divinis Officiis adimplevit, ſed tempore electionis reperitur legitimè abſens, puta de licentia Capituli, vel ex cauſa infirmitatis,aliavé juſta, de qua debet fidem facere juramento, ut expreſsè diſponitur in *dict. §.illud*, & declarant *Carolus-Felix de Matta ad concordata Germaniæ num.58.fol.34.Cabaſſutius juris Canonici Praxis lib.1.c.7.n.3.& lib.2.cap.22.num.2.*

18. Inſuper Statuta ſunt juramento confirmata, dùm Canonici ſinguli cùm admittuntur, jurant eorum obſervantiam, & ſic per tempus immemorabile fuit ſervatum: Atque ipſe D.Cardinalis in ſui admiſſione ad Canonicatum juravit ſe ea ſervaturum. *Summ.antecedenti num.4.* Sed confirmatio Statutorum per juramentum æquiparatur confirmationi per Apoſtolicam Sedem. *cap.dilecto filio 25.verſ.Prætereà,De Præbendis, & Dignitatibus*, in illis verbis: *Niſi fortè Statutum aliquod obviaret, quod eſſet juramento firmatum, vel cui Sedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſiſſet*; Imò, etſi à lege fuiſſet derogatum alicui Statuto, vel conſuetudini, ſi tamèn quis juraverit illa obſervare, ligatur juramento. *Gloſſ.in cap.cùm non deceat 30.in verb.effectus, De electione in 6.* Nec ſit diſtinctio inter juramentum in genere, vel in ſpecie,quando Statuta,

tuta, vel conſuetudines ſunt bonæ, & licitæ. *Gloſſ. in cap. 1. in verb. juramento, De his, quæ fiunt à majori parte Capituli*; Propterea Conſtitutiones Eccleſiæ Leodienſis, juxtà compilationem anni 1560. approbatam, & receptam, non cenſentur immutatæ per compilationem anni 1563. quæ non fuit abſoluta, & nunquam ſervata fuit. *cap. conſuetudinis 9. de conſuetudine.*

19. Hinc ceſſat alius ſcrupulus, qui injiciebatur ex compilatione anni 1563. de qualitate Foranei, conjunctà cum aliis qualitatibus, ut copulativè omnium qualitatum concurſus requireretur ad excludendum Canonicum à voce activa in electionibus. *d. Summ. antecedenti num.* 1. Qui certè ſcrupulus omninò tollitur ex compilatione anni 1560. approbata, & recepta, ex qua apertiſſimè conſtat, qualitatem Foranei non ſtare conjunctim, ſed principalitèr, & ſeparatim, ut ſola qualitas Foranei ſufficiat, nè Canonicus in electione ſuffragium dicere poſſit. ibi: *Item Canonicus foraneus; Item qui impetrata gratioſa abſentia, ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit; Item qui in Sacro Subdiaconatus ordine non eſt conſtitutus, nullo modo, etiam ſi de electione Epiſcopi, &c. tractetur, negotiis capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere non poterit. Summ. novo d. num.* 3. Hoc ipſum importat nomen Foranei ex ſui propria ſignificatione, quòd qui eſt Foraneus, ſcilicèt extraneus, peregrinus, & alienus à Capitulo, nullum judicium ferre valeat. *Gloſſ. in cap. Romana* 1. *de Officio Ordinarii in* 6. *verb. Foraneos, in fine litt. C.* in illis verbis: *Vel Foraneos, quia de foris veniunt, ut advenæ, vel peregrini dicantur, quorum ſunt reprobata judicia. c. 3. qu. 6. cap. peregrinus, & cap. ſeq.*

20. Quòd autèm ille, qui non ſe præſentavit in Feſto S. Ægidii in Capitulo generali, pro Foraneo habendus ſit, conſtat ex eiſdem Statutis, juxtà compilationem anni 1560. contentis in extracto tranſmiſſo à D. Nuncio. *Summario novo d. num.* 3. & in libro integro Statutorum relatorum in acta viſitationis Cathedralis Leodienſis per Apoſtolicum Nuncium Sanfelicium Archiepiſcopum Conſentinum. *Summ. novo num.* 5. *&* 6. Nàm ſub titulo *de ſecunda reſidentia* in primo capite ità diſponitur: *Quicumque in Eccleſia Leodienſi, facta prima reſidentia, velit reſidere, & fructus facere, debebit in feſto Divi Ægidii antedicto perſonalitèr in Capitulo generali ſub hora Summæ Miſſæ ſe ſe exhibere: & ſi fortè anno præcedenti non reſederit, ſe expreſſis verbis ad reſidentiam offerre, & præſentare, &c.* ex his verbis conſtat, principium, & fundamentum ſecundæ reſidentiæ, quod principalitèr à Statuto requiritur, eſſe præſentationem in Feſto S. Ægidii, & ſic etiam in tertia, quarta, & ſequentium annorum reſidentia; nam omnes dicuntur ſecundæ reſpectu primæ, ut demonſtravimus in prioribus allegationibus editis ſuper reſolutione motivorum; In ſequenti verò capite ità decernitur: *Item quicunque in dicto feſto S. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, vel præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes, & unam diem continuò, vel diſcontinuò, alioqui pro Foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat eo anno, niſi illum de licentia Capituli abeſſe contingat, &c.* Illa dictio, *alioqui*, continet in ſe ipſa orationem, & inducit conditionem contrariam præcedenti diſpoſitioni, & ſecundùm propriam ſignificationem exponitur, *alioqui*, ideſt, *ſi non fecerit prædicta*, prout docet *Bartol. in l. legatis, quæ* 1. *ff. de condition. & demonſtration. num.* 11. *Oſaſchus deciſ. Pedemont.* 145. *num.* 5. poſt *Salycet. in l.* 2. *in princip. ff. ſi certum petatur, Parpurat. in d. l.* 2. *num.* 19. qui omnes ex *Speculatore* referunt ità Papam Innocentium pronunciaſſe.

21. Sed

21. Sed in diſpoſitione, quæ præcedit dictionem, *alioqui*, expreſsè conſtitutum eſt, quòd quis ſe debeat præſentare in Feſto Sancti Ægidii in Capitulo generali, & quòd cùm ſe præſentaverit, debeat reſidere eo anno per ſex Menſes; Undè contraventio inducta per dictionem, *alioqui*, reſpicit tàm illum, qui nullo modo ſe præſentaverit in eo Feſto, ut pro Foraneo habeatur, quàm illum, qui ſe præſentaverit, & non reſederit eo anno per ſex Menſes; Neque enim poteſt aſſignari ratio diverſitatis, quarè magis ad unum, quàm ad aliud referatur, undè ad omnia præcedentia refertur, etiam remotiora, ut latiſſimè docet *Rota Romana in deciſ.709.recentior.par.1.à num.2.* ubi idem inquit procedere in odioſis, & ſtrictè interpretandis. Imò major ratio eſt, ut referatur ad illum, qui nullo modo ſe præſentaverit in eo Feſto, nè ſequerentur abſurda, quæ conſideravimus in præcedentibus allegationibus editis ſuper reſolutione motivorum.

22. Et cùm uterque caſus de eo, qui nullo modo ſe præſentaverit in dicto Feſto, & de eo, qui ſe præſentaverit, & non reſederit, non poſſit ſimul concurrere, quia, qui non ſe præſentavit in dicto Feſto, non poteſt eo anno reſidere, ità quòd, etiam ſi præcedenti anno reſederit, requiritur, quòd ſe præſentet, ut expreſsè cautum eſt in dicto Statuto, ideò contraventio in utroque caſu inducta per dictionem, *alioqui*, neceſſariò convertitur disjunctivè, ſcilicèt alioqui, qui non ſe præſentaverit, vel ſi ſe præſentaverit, non reſederit, pro Foraneo habeatur, juxtà naturam eorum, qui ſimul concurrere non poſſunt. *Addit.ad Oldrad.conſ.161.lit.B.Seſſe deciſ.Aragon.238.num.3.*

23. Idque etiàm liquet ex Statuto ſub titulo *de Capitulis Ordinariis, & ſpecialibus*, juxtà compilationem anni 1560. *Summar. novo num.* 3. ubi inter eos, qui non habent vocem activam in electionibus, numeratur ille, qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit; Sed annualis reſidentia poſt primam non poteſt abſolvi, niſi incipiat per præſentationem in eo Feſto, ex Statuto ſuperiùs memorato ſub titulo, *de ſecunda reſidentia*; Igitur ſolus defectus repræſentationis impedit abſolutionem annualis reſidentiæ poſt primam, nè poſſit haberi vox activa in electionibus, quia dictio illa, *Niſi*, inducit obligationem, & diſpoſitionem. *Bald. in conſ.447.num.2.vol.2.* cum aliis adductis per *Rotam in deciſ.639.nu.2.recent. par.1.*

24. Quæ omnia redduntur certiſſima, nedùm ex eo, quòd Capitulum ſemper ità intellexit Statuta ſecundùm legalem, & propriam verborum ſignificationem, ut nunquam de hoc fuerit dubitatum, ut conſtat ex litteris Capituli, ubi disjunctivè convertitur uterque caſus. ibi: *Quin autem Statuta, & memoratæ conſuetudines eos, qui in die Beati Ægidii ſeſe non præſentaverint, vel ſi ſe præſentaverint, eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem non reſederint, foraneos declarent, eademque à voce activa foraneos excludant, apud nos nunquam fuit dubitatum, ut illud ipſum Eminentiſſima Celſitudo Veſtra perſpiciet ex eorumdem extractu. Summario antecedenti nu.*12. Sed etiàm ex obſervantia præteriti temporis inducta per Decreta Capitularia, quibus declarata eſt foraneitas per ſolum defectum repræſentationis, ut patet ex novis Scripturis, quæ diſertiſſimè deducuntur in *Summario novo num.*9. 12.13. 14.& 15.

25. Ceſſat quoque alius ſcrupulus, qui movebatur ex compilatione anni

1563.

1563. in eo articulo, quo ſtatuebatur contrà illum, qui non ſe præſentaverit in Feſto Sancti Ægidii, nè poſteà petere poſſet gratioſam abſentiam, Nam juxtà compilationem anni 1560. receptam, & approbatam, articulus ille non loquitur de eo, *qui non ſe præſentavit, ſed abſque negativa loquitur de eo, qui ſe præſentavit* in dicto Feſto ad reſidentiam, ut is poſteà nequeat gratioſam abſentiam petere, ut apparet ex Libro Statutorum, relato in acta Viſitationis Eccleſiæ Leodienſis anno 1656. per Apoſtolicum Nuncium Sanfelicinm, cui concordat eadem compilatio exiſtens in Regeſtis Romanæ Curiæ, confirmata per Signaturam; Atque ità ceſſat omnis ſuſpicio, ac probatio redditur indubitata. *Caſtrenſ. conſil.* 344. *num.* 1. *volum.* 1.

26. Nec inveriſimile videtur Statutum in iſto capite, quòd ille, qui ſe præſentavit in eo Feſto non poſſit poſteà petere gratioſam abſentiam; Nam loquitur de petitione facienda poſt præſentationem, & oblationem ad reſidentiam actualem, ut manifeſtè liquet ex illa dictione, *poſteà*, quæ denotat petitionem ex intervallo poſt actum repræſentationis. *Alciat. de præſumpt. regul.* 3. *præſumpt.* 35. *num.* 3. *Theſaur. deciſ.* 30. At verò ſi gratioſa abſentia petatur in actu præſentationis, tunc arbitrio Capituli conceditur, ſicuti cautum eſt Statuto ſub titulo *de gratioſis abſentiis*, his verbis: *Qui primam reſidentiam perfecerit, ſi quidem 25. annos ætatis ſuæ compleverit, & in Feſto B. Ægidii per ſe, vel Procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialitèr pro illo anno mandatum habentem, gratioſam abſentiam ſibi dari petierit, arbitrio Capituli conſtituetur, & concedetur*, ut in copia tranſmiſſa à Domino Nuncio, ut exindè conſtet, fundamentum, ac principium reſidentiæ tum veræ, tum fictæ per gratioſam abſentiam, eſſe præſentationem in feſto Sancti Ægidii in Capitulo Generali, principalitèr à Statuto requiſitam, ut latè demonſtravimus in præcedentibus allegationibus ſuper reſolutione motivorum.

27. Nec obſtat, quòd in extractu tranſmiſſo à Domino Nuncio, fuit omiſſum iſtud capitulum de eo, qui ſe præſentavit, ne poſſit poſteà petere gratioſam abſentiam; Nam reſpondetur, meritò fuiſſe omiſſum, quia commiſſio de extractu limitata erat ad Statuta, quæ ſpectabant ad foraneitatem ex defectu præſentationis in feſto Sancti Ægidii; At verò capitulum iſtud non loquitur de foraneitate, nec de eo, qui non ſe præſentavit in feſto Sancti Ægidii, ſed de eo, qui in eo feſto ſe præſentavit, atque ità non pertinebat ad commiſſionem extractus; Sed utcumque ſit, jam conſtat ex Libro integro Statutorum relatorum in actu Viſitationis Cathedralis Leodienſis, ac exiſtente in Archivio illius Nunciaturæ Apoſtolicæ, tranſmiſſo à Domino Nuncio Apoſtolico cum ſuis litteris, atteſtantibus, Librum illum relatum in acta Viſitationis, ut ſuprà, conſervari in prædicta Cancellaria: & quamvis deſit legalitas, illa tamen non requiritur pro forma, ſed pro ſummaria informatione extrajudiciali per atteſtationes Officialium illius loci, ſivè alias perſonas publicas, ut notat *Caravit. ad Ritum Magnæ Curiæ* 188. *num.* 1. & 11. quare majori fide ſuppletur per litteras Apoſtolici Nuncii, cum quibus prædictus Liber tranſmiſſus fuit ad Apoſtolicam Sedem, præſertim quia Liber præfatus concordat cum Regeſto Curiæ Romanæ, quod pleniſſimam probationem facit, ut in puncto tradit *Caſtrenſ. d. conſ.* 344. *num.* 1. *vol.* 1. ſicque fruſtrà quæruntur aliæ copiæ in Partibus, dum Statuta, quæ obſervantur, apparent ex Signatura Pii IV. in eodem Regeſto, cùm ſola facti veritas attendatur, ut in *Clementin. diſpendioſam* 2. *de judiciis*,

diciis, ubi *Gloſſ.* id notat *in verb.electionibus*; Imò & inſtrumento minùs ſolemni propter diſtantiam locorum credi ſolet. *Anton.Fab.Codicis lib.4.tit.14. de probationibus definit.8.in allegation.num.7.*

28. Quò verò ad id, quod ſubjiciunt Adverſarii, illum ſcilicèt eſſe propriè, & verè Foraneum, non habentem vocem in Capitulo, qui primam reſidentiam non abſolvit, ut in *titulo de Foraneis*; alios verò, qui non ſe præſentaverunt in feſto Sancti Ægidii non eſſe verè,& propriè foraneos,ſed pro foraneis haberi, & ſic ſictè, & per interpretationem, undè ad iſtos non poſſe extendi pœnam excluſionis vocis activæ in electionibus: Reſponſio patet ex eiſdem terminis.

29. Nam à titulo, ſive rubrica,quæ non habet orationem perfectam, nullum argumentum ſumi poteſt, juxtà notata *in l.1. ff.ſi certum petatur:* Imò & in corpore, ſivè ſub nigro illius tituli de *Foraneis*, nil aliud habetur, quàm quòd Canonicus donec primam reſidentiam fecerit, nullos fructus lucretur in Eccleſia, nec quidquam ei concedatur gratioſæ abſentiæ, ut in præfato libro tranſmiſſo à Dom. Nuncio, nec ullum adeſt verbum de foraneitate, nec de voce Capitulari; At verò ſub *titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus* ſecundùm compilationem anni 1560. receptam, & approbatam, inter eos, qui non habent vocem activam in electionibus,numeratur ille, qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit; Non tamen is numeratur ſub qualitate foranci generali, ſed ſub ſpeciali, & diſtincta, ut patet ex illis verbis: *Item Canonicus foraneus. Item, qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit. Item, qui in ſacro Subdiaconatus ordine non eſt conſtitutus, non poſſit ſuffragium dicere in electionibus,&c.*

30. Hæc verba *niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit*,certiſſimè excludunt illum, qui non ſe præſentavit in feſto S. Ægidii, dum non poteſt abſolvi annualis reſidentia poſt primam, niſi inceperit per præſentationem in feſto Sancti Ægidii, ut expreſſum eſt in ſtatuto ſub *titulo de ſecunda reſidentia*; Et tamen iſte, qui non ſe præſentavit in eo feſto, quamvis impetraverit gratioſam abſentiam, non habet vocem activam in electione, etiam juxtà ſenſum Adverſariorum,quòd iſte non ſit propriè foraneus,ſed pro foraneo habeatur; Aliàs enim fruſtratoria,& inutilis eſſet ea declaratio ampliativè facta per Statutum ſub *titulo de ſecunda reſidentia*, quòd ille, qui non ſe præſentavit in eo feſto, habeatur pro foraneo, & fructus ſuos non faciat, & denegetur ei gratioſa abſentia, quæ omnia ſtant ampliativè. *l.ea tamen 46.ff. de legat.* 3.

31. Porrò repræſentatio in dicto feſto Sancti Ægidii requiritur pro declaratione animi, ut eo loco domicilium retineatur, & hæc declaratio magis neceſſaria eſt ei, qui diſpenſatus eſt in reſidentia; nam iſte diſpenſatus non ſortitur domicilium in eo loco,ubi beneficium,vel dignitatem obtinet,ut in puncto docet *Abb.in cap.quia in tantum num.3.De præb. & dignit.* quare debet eſſe animo deſtinato in eo loco per repræſentationem in eo Feſto, juxtà *text. in l.ejus,qui manumiſit 27.ff. ad municipal.* in illis verbis: *Ibi feſtos dies celebrat*, juncto *§. Celſo,ejuſdem legis,Gloſſ.in cap.dilectus 29.in verb.domicilium De reſcriptis*; Hinc Eminentiſſimi DD. Cardinales, qui pro tempore fuerunt Canonici Eccleſiæ Leodienſis, qui diſpenſati erant in pluralitate, & reſidentia, ac præſertìm Eminentiſſimus D.Cardinalis de Furſtembergh,diſpenſatus ſpecificè

ſuper

Digitized by Google

ſuper Canonicatu, ſinguli per procuratorem ſe repræſentaverunt in eo Feſto, etiam cùm exiſterent Romæ in Conclavi pro futuri Summi Pontificis electione. *Summ.antecedenti num.6.*

32. Undè corruit alia objectio, quòd ſecunda reſidentia non ſit principalitèr deducta in præceptum, ſed maneat in libera facultate, ex illis verbis Statuti: *Quicumque volet reſidere,& fructus facere, debebit in feſto B.Ægidii antedicto perſonalitèr in Capitulo generali ſub hora ſummæ Miſſæ ſe exhibere, &c.*atque ità inquiunt Adverſarii, Dominum Cardinalem, qui non vult reſidere,utpotè diſpenſatus ſuper reſidentia per Apoſtolicum Breve Clementis X. non debere ſe præſentare in eo Feſto;Hoc enim argumētum continet æquivocationem in multis, quia diſpenſatio in reſidentia non efficit, ut diſpenſatus nolit, ſed ne teneatur reſidere: qua ratione non ſortitur domicilium in eo loco, ubi beneficium, & dignitatem obtinet, juxtà doctrinam *Abb.d.cap.quia in tantùm num.3.de præbend.& dignitat.*Itemque Statutum voluit allicere,& invitare Canonicos ad ſe ſe præſentandum in eo Feſto,ne dum ſub ſpe lucri fructuum, & aliorum commodorum, quæ reſidentia tribuit, ſed etiam metu foraneitatis, & excluſionis vocis activæ in electionibus, & denegationis gratioſæ abſentiæ, ut in ſequentibus capitulis diſponitur; quare ſi nolunt lucrari fructus, & percipere commoda reſidentiæ, ob ſolum defectum repræſentationis, pro foraneis habentur, ità quòd vocem activam in electionibus habere nequeant, ſicuti in *Clementina ut ii,De ætate, & qualitate.*Non eſt deductum in præceptum, quòd Canonicus aſſumat Sacros Ordines, ſed ſub ſpe habendi vocem in Capitulo allicitur ad ſuſcipiendos illos, & ſic conſecutivè ſi volet habere vocem in Capitulo, neceſſe eſt, quòd ordinetur in ſacros Ordines, aliàs à voce Capitulari excluditur, ut declarat *Bonifacius de Vitalinis in d. Clement. ut ii,De ætate, & qualitate num.11.& 12.*

33. Rursùs diſpenſatio in reſidentia nō efficit, quòd diſpenſatus nolit reſidere, imò operatur, quòd diſpenſatus habeatur pro reſidente, & præſente,ſicut alii Canonici, qui actualitèr reſident, & ſunt præſentes, ut docet *Gloſſ. communiter recepta in cap.unico De Clericis non reſidentibus in 6. litt.H. in verb. adfuerint*. At verò Canonici, qui actu reſident, & ſunt præſentes, tenentur ſe præſentare in feſto Sancti Ægidii in Capitulo generali, ex eodem Statuto ſub *tit.de ſecunda reſidentia. Summ.novo nu.3.* ubi expreſſa ſit diſtinctio, quòd ſi anno præcedenti reſederint, ſufficiat eis, ſimplicitèr ſe ſe exhibere in eo feſto; ſi verò non reſederint, debent, ultrà repræſentationem, expreſſis verbis ſe offerre ad reſidentiam; ideòque diſpenſatio ſuper reſidentia non comprehendit intereſſentiam certa die, & hora, qualis eſt præſentatio in feſto S. Ægidii ſub hora ſummæ Miſſæ, ut egregiè declarat eadem *Gloſſ. in d.cap.unico,De Clericis non reſidentibus in 6.litt.H.in verb.adfuerint.* ibi: *Nota, quòd ſi quis impetrat, quòd in abſentia percipiat proventus ſuos, ac ſi præſens eſſet, diſpenſatio faciat eum reputari pro præſente, ſed non pro intereſſente Divinis Officiis; ſed ſi præſens eſſet, & officiis non intereſſet, has diſtributiones non perciperet, ut hic; ergò nec diſpenſationis vigore perciperet; ſed ſi diceretur in gratia, quòd reciperet,ac ſi præſens eſſet,& Divinis Officiis intereſſet,tunc ſecùs, ratione prædicta.*

34. Hinc etiam evaneſcit motivum, quòd præſentatio in feſto S. Ægidii requiratur ob reſidentiam,& ſit de connexis, & acceſſoriis illius; Undè diſpenſatio conceſſa D. Cardinali ſuper reſidentia ob Præpoſituram, comprehendere

debeat præſentationem in feſto Sancti Ægidii; nam (ut ſuprà demonſtravimus) præſentatio in eo feſto eſt principalitèr deducta in Statutum; & ad illam tenentur etiam Canonici, qui actu reſident, & ſunt præſentes; Quare diſpenſatio ſuper reſidentia non comprehendit intereſſentiam certa die, & hora, & ſic præſentationem in eo feſto in Capitulo generali ſub hora ſummæ miſſæ, ex *Gloſſ. in cap. unico De Clericis non reſidentibus in 6. litt. H. in verb. adfuerint*, & ex aliis rationibus adductis in *præcedentibus allegationibus editis ſuper reſolutione motivorum*, præſertìm, quia eſt actus non ſucceſſivus, ſed inſtantaneus, qui per Procuratorem adimpleri poteſt, & habet diverſam rationem ab impedimento Cardinalitiæ dignitatis, ob cujus cauſam fuit conceſſa diſpenſatio ſuper continua, & perſonali reſidentia; Ideò præſentatio in eo feſto, etiam ſi eſſet de connexis, & acceſſoriis reſidentiæ, non comprehenderetur ſub diſpenſatione; quia non valet argumentum de principali ad acceſſoria, & connexa, quando militat diverſa ratio. *Gloſſ. in cap. præterea 5. verb. ex eo, quòd cauſa, litt. M. De officio, & poteſtate Judicis delegati.* Nec verum eſt, quòd qui non tenetur per ſe, neque teneatur per Procuratorem, ut Adverſarii aſſerunt; Nam ex hoc ſequeretur, quòd diſpenſatus ſuper pluralitate Eccleſiarum, & ſic ſuper reſidentia, non teneretur conſtituere Vicarium in illa Eccleſia, ubi non reſidet, contra diſpoſitionem Sacrorum Canonum. *cap. cùm ex eo 34. De electione in 6. verſ. porrò, &c.*

35. Inſuper ea eſt conſuetudo, & obſervantia Eccleſiæ Leodienſis, ut Canonici etiam diſpenſati ſuper reſidentia, ſicuti Eminentiſſimi Domini Cardinales, qui pro tempore fuerunt Canonici dictæ Eccleſiæ, ſemper ſe præſentaverint per Procuratorem in eo feſto, & Eminentiſs. Dom. Cardinalis Bullionius in conſtitutione Procuratoris expreſsè dixit: *Ut moris eſt. Summar. novo num. 11.* Quare ceſſat omninò argumentum de principali ad acceſſorium, ex *Gloſt.* adducta in prioribus allegationibus, in *cap. quia in tantùm 5. De præbendis, & dignitatibus, in verb. plures*, qua *Gloſſa* modò Adverſarii utuntur, ſed ſuppreſſis illis verbis: *Niſi conſuetudo Eccleſiæ approbata, faceret in contrarium.*

36. Ex quibus manifeſtè conſtat, cauſam, ob quam Perilluſtre Capitulum Leodienſe cenſuit, Dom. Cardinalem pro Foraneo habendum, atque adeò juxtà Statuta ſuffragium dicere non poſſe in electionibus, eſſe verè juſtam, & rationabilem, ideòque querelam de contemptu ceſſare; Nam qui juribus ſuis inhæret, non delinquit, nec contemnit, nec ulli facit injuriam. *cap. cùm Eccleſia 31. de Electione, cap. quia per ambitiones ad finem diſt. 64. ubi Gloſſ. finalis* hos verſus ponit:

Cuilibet eſt homini licitum ſua jura tueri:
Quòdque reſiſto tibi, non potes inde queri.

37. Sed quatenus ea cauſa Foraneitatis, ex Statuto inducta, non militaret (quod nullo modo concedimus) adſunt tamen aliæ rationes procedentes ex cauſis hoſtilitatis, & belli, ex quibus ſivè de jure, ſivè de facto non debebat, nec poterat juxtà Sacros Canones Dom. Cardinalis vocari, nec admitti ad Epiſcopi electionem.

38. Nec in ordine cognitionis obſtat, quòd cùm non militat cauſa Foraneitatis expreſſa in Decreto Capituli, appellatio D. Cardinalis non ſit frivola, atque adeò per eam impediretur proceſſus ad electionem.

39. Etenim reſpondetur, cauſas hoſtilitatis, & belli, conſtare ex eadem appel-

pellatione, & proteſtatione D. Cardinalis; undè ſi cauſæ eædem hoſtilitatis,& belli excludebant dictum Dom.Cardinalem, appellatio ex ſui facie eſt inanis,& fruſtratoria, nec impediebat electionem canonicè faciendam, non vocato, nec admiſſo D.Cardinali ex cauſis belli, & hoſtilitatis; tunc enim electio futura eſſet etiam canonica, quamvis non militaret cauſa Foraneitatis, ex *Gloſſ. notabili in cap.conſideravimus 10.de elect.in verb.poſt appellationem litt.C.* his verbis: *Appellare ne fiat electio, non valet; ſed ne fiat, niſi canonica, tunc benè valet.*

40. Rursùs dum electio fieri poterat, excluſo Domino Cardinali ex cauſis belli, & hoſtilitatis, & ſic ex aliis, quàm ex cauſa Foraneitatis, certè electio non præiudicabat appellationi à declaratione Foraneitatis, contrà quam Dom. Cardinalis deduxit jus ſuum in appellatione; Atque ità appellatio non impedit actum, qui non præjudicat juri appellantis. *cap.quòd ſicut 28. verſ.nec appellatio De electione*; Jus enim, ſi quod habet D. Cardinalis contra Foraneitatem, ſemper ei ſalvum remanet, ac reſervatum, quando excluſio ejus ab electione ſuſtinetur ex cauſis belli, & hoſtilitatis; Nam etiam in negotio judiciali, & contentioſo,tunc propter appellationem in uno articulo, ſuperſederi debet etiam in cauſa principali, quando ſine illo articulo cauſa principalis terminari non poteſt. *cap.ſuper eo 10.de appellation.*Secùs verò ſi terminari poſſit ex aliis articulis ſeparatis, & non connexis. *Decius in d.cap.ſuper eo, & in conſ. 33.num.4.Riminald.jun.conſ.113.à num.43.*

41. Nec obſtat, quòd Capitulum non cognovit de cauſis belli, & hoſtilitatis, ob quas D.Cardinalis non debebat, nec poterat vocari, & admitti ad electionem; Nam reſpondetur, contrarium conſtare apertiſſimè, quia Capitulum conſuluit Collegium Lovanienſe, an Dominus Cardinalis ex cauſis belli, & hoſtilitatis deberet vocari, & admitti ad electionem, quod ſub die 20. Martii 1694. negativè reſpondit, ex rationibus ſumptis non ex Statutis Eccleſiæ Leodienſis, ſed ex jure communi, & canonico. *Summ. novo num.*18. Et ſic de his cauſis cognovit Capitulum, quas etiam generalitèr expreſſit D. Cardinali. ibi: *Et ex aliis cauſis ſuo loco, & tempore proponendis*, ut in *Summariis præcedentibus*. Neque enim licuit ob honeſtatem, & majorem reverentiam ergà D. Cardinalem explicare, & in acta publica referre rationes ſpeciales ex bello, & hoſtilitate procedentes, quibus non debuit, nec potuit Dom. Cardinalis vocari, nec admitti ad electionem; Illæ enim exprimendæ erant, prout Capitulum expreſſit in genere, & ſub nube, ſicuti tradit *Ancharan.in conſil.154.num.3.in fine*, quas modò Adverſarii cogunt nos vel invitos infrà ſubjicere.

42. Sed & cauſa hoſtilitatis, & belli, ex qua oriuntur rationes infrà ſubjiciendæ, notoria eſt, ac deducta in actis, & in epiſtolis E.S. Undè quamvis de ea non cognoviſſet Capitulum, debet tamen in confirmatione electionis à Superiore ſuppleri. *Gloſſ. in cap. in Geneſi 55. De electione in verb.nec præmiſſi duo litt.H.& in cap.bonæ 3.litt.C.in verb.curavimus allegare De poſtulatione Prælatorum, & in cap. cùm nobis olim De elect.* latiſſimè *Henricus Boich. in d. cap. bonæ 1.num.4. in fine, & num.5. De poſtulatione Prælatorum*, ubi docet de eo, quod eſt notorium Judici, ut Judici, ut quia illud factum continetur in actis, & apparet, tunc de tali facto Judicem ſupplere, etiam ſi pars aliqua non innitetur rationi illi, quæ ex facto reſultat, quia non crederet relevari, ex *cap.cùm dilectar De conſuetudine.cap.cauſam De electione. cap. cùm Bertoldus De re judicata. cap.ex parte De conceſſione præbendæ.*

43. Quinimò in terminis ſortioribus, etiam ſi Capitulum vocaviſſet aliquem ad electionem, & eo non expectato eligeret, poteſt electus allegare, & deducere jus, quo non debuiſſet vocari ille, qui fuit vocatus, atque ità nequeat impugnare electionem: docet *Henricus Boich. in cap. cùm intèr univerſas nu. 8. in fine De electione, poſt Innocent. Hoſtienſ. Jo: Andr. & Abb. ibidem.*

44. Quamplures verò ſunt rationes ductæ ex cauſa hoſtilitatis, & belli, quæ ſingulæ ſufficiunt, nè D. Cardinalis debuiſſet, vel potuiſſet vocari, & admitti ad electionem.

45. Primò, quia Eccleſia Leodienſis ratione ſupremi Principatus in temporalibus, quem ſub fidelitate tenet ab Imperio Germanico, habet bellum cum Rege Chriſtianiſſimo, qui eam pluribus Oppidis ſpoliavit; Certiſſimum autem eſt, quòd obtinens beneficium, vel dignitatem ab aliqua Eccleſia, ſi in cauſa temporali ſuſcipiat patrocinium contra eam Eccleſiam, & faveat, ac inhæreat ejus adverſario, ſpoliari debet beneficio, & dignitate, quam ab eadem Eccleſia tenet, ex *cap. cùm Sacerdotis 3. de poſtulando*; Nàm ille, qui tenet ab Eccleſia beneficium, æquiparatur Feudatario, & militi quo ad obſequia, & fidelitatem, ut docet *Gloſſ. in d. cap. cùm Sacerdotis, in verb. contrà Eccleſiam*; Et notentur verba *tex. in d. cap. cùm Sacerdotis: tamquàm ingratus poteſt hujuſmodi beneficio ſpoliari*; Undè immeritò conqueritur Dominus Cardinalis, ipſum abſque ordine judiciario fuiſſe ſpoliatum voce activa in electionibus, quando cum illo benigniùs actum fuit, dùm tanquam exiſtens à Conſiliis Regis Galliæ, Plenipotentiarius in re bellica, eique favens, & adhærens, poterat ſpoliari dignitatibus Canonicatus, & Præpoſituræ, quas tenere aſſerit in Eccleſia Leodienſi.

46. Secundò, quià Dominus temporalis ſaltèm de facto habet exceptionem, nè admittatur Prælatus, de quo timet, nè ſcrutetur, & prodat hoſti ſecreta ejus Principatus. *Gloſſ. Zenzellini in extravagant Jo. xxii. Execrabilis, in verb. diverſorum Regnorum littera O. de Præbendis, & Dignitatibus*. Idquè ſervatur de facto adversùs perſonas Eccleſiaſticas cujuſcumque gradus, & dignitatis, ex vi defenſionis naturalis, ac virtute œconomicæ poteſtatis, quam habet Princeps in ſuo Regno, & Statu, ſicut Pater-familias in domo ſua, ut demonſtravimus *in præcedentibus allegationibus ſuper reſolutione motivorum*, quibus nunc addimus alios Theologos, & Canoniſtas pleniſſimè relatos *à Murga in tract. de Beneficiis, quæſt. 10. concluſ. 3. à num. 78. ad 82. fol. 730.* Quantò fortius timendum erat de eo, qui adhæret Regi Galliæ, ejuſque partes ſequitur, cùm admitteretur ad negotium electionis, in quo agebatur de ſummâ rei, ſcilicèt de eligendo Epiſcopo, ac Principe Leodienſi, nè involveret electionem, ſivè curaret eligendum aliquem, qui Regi Galliæ faveret, cum periculo Eccleſiæ Leodienſis, & Principatus ei annexi; Siquidem Sacri Canones, qui ſtatuunt, non eſſe convocandum illum ad electionem, qui ſine periculo, vel commodi intereſſe nequit. *cap. quia propter, §. illud autem De electione, cap. quòd ſicut 28. De electione, cap. ſi quis 46. De electione in 6. cap. cùm in Eccleſia 33. de præbendis, & dignitatibus in 6.* certè reſpiciunt principalitèr favorem, commoditatem, & indemnitatem Eccleſiæ, juxtà communem, & receptam ſententiam apud *Tamburin. de Jure Abbat. tom. 1. diſp. 5. qu. 3. num. 15. Murg. ad Conſtit. Alexandri IV. num. 632. fol. 174. Henric. Boich. in cap. cùm intèr univerſas num. 8. De electione, poſt Hoſtienſ. in cap. quòd ſicut, & in cap. quia proptèr De elect.*

47. Tertiò, quia ratione Principatus temporalis, quem Eccleſia Leodienſis

ſis tenet ab Imperio Germanico ſub fidelitate, non poterant Canonici, ſivè Capitulum eiuſdem Eccleſiæ recipere D.Cardinalem adhærentem hoſti publico Imperii; Ea enim admiſſio ſinè licentia Imperatoris habuiſſet figuram, vel ſimilitudinem mali, undè Capitulares potuiſſent timere, nè de facto offenderentur à Copiis Imperatoris, & aliorum Principum Confœderatorum, ut tradit *Andr.de Iſernia in cap.1.num.22.circà finem, quæ ſit prima cauſa beneficii amittendi*, in illis verbis: *Abſtinendum eſt à malo, & à ſpecie mali, ſecundùm Apoſtolum, ideſt ab eo, quod habet figuram, vel ſimilitudinem mali, quod habet facere ſubditus loqui cum inimico Regis, quamvis poſſet eum inclinare, & reducere ad partem Domini ſui, timeat de facto offendi à Rege. l. nèc timorem, ff. quòd metus cauſa.*

48. Quartò, quià verba Sacrorum Canonum de his, qui *commodè*, vèl *ſine periculo* convocari non poſſunt, intelliguntur de impotentia, tàm de jure, quàm de facto, ut in terminis clauſulæ, *ſi intereſſe nequiveris,eſt tex.expreſſus in cap.ſciſcitatus 13. de reſcriptis*; Atqui perſonæ Eccleſiaſticæ de terris Principum belligerantium, quamvis de jure habeant ſecuritatem, ut in *cap. 2. De treuga,& pace*, nihilominùs id non ſervatur de facto, adeòut perſonæ Eccleſiaſticæ de Regno unius Principis, nullum commercium habere poſſint in terris, neque cum ſubditis alterius Principis, durante intèr eos bello, ſicuti teſtatur *Zoeſius ad titulum Decretalium De treuga,& pace nu.4.*

49. Undè Dominus Cardinalis, nec per ſe, nec per procuratorem poterat intereſſe electioni, quia nemo abſque licentia Principis poteſt eſſe procurator hoſtis publici. *Anton.Fab.Cod.lib.2.tit.8.de procuratoribus, definit.8. nu.3. in allegat.* & ex aliis rationibus, quas adduximus in *præcedentibus allegationibus ſuper reſolutione motivorum*, demonſtravimus, Dominum Cardinalem, nec voluiſſe, nec potuiſſe procuratorem conſtituere, & nunc addimus *Henric.Boich. in cap.bonæ num.5.De electione*, in illis verbis: *Si velit procuratorem conſtituere, aliàs major pars poterit eligere, ipſius abſentia, vel appellatione non obſtante.* Impotentiam verò facti agnovit ipſe Cardinalis, dùm à tempore cæpti belli ceſſavit ſe per procuratorem præſentare Capitulo generali in feſto S.Ægidii, quemadmodum anteà conſueverat: idque proceſſit, quia ob cauſam belli, & hoſtilitatis non potuit per procuratorem ſe præſentare, ut expreſsè fatetur Adverſarius In ſcriptura edita.*Summ.novo num.8.*

50. Et circà ſalvum-conductum, de quo Illuſtriſſimus D. Nuncius Apoſtolicus apud Cæſarem in ejus literis miſſis ad Dominum Cardinalem dicit, habuiſſe ſpem ab uno ex præcipuis Miniſtris Cæſaris, quòd ille concederetur D. Cardinali, ſi nihil aliud ei obſtaret, *quàm quòd eſſet Gallus, & adhærens Regi Chriſtianiſſimo*, certè fuit ea modeſta negatio per reſponſionem dubiam, obſcuram, & conditionatam. *Gloſſ.in l.mutus.43.lit.O.in verb.forſitàn, ff. de procuratoribus.* Alia enim obſtacula, prætèr illud, quòd D.Cardinalis eſſet Gallus, & adhærens Regi Galliæ, poſſunt multa intelligi, ſivè quòd eſſet ejuſdem Regis Plenipotentiarius in re bellica, ſivè timor, nè electio turbaretur, & involveretur, vel nè ea fieret de perſona, quæ Regi Galliæ faveret, & ſimilia; Quæcumque ſint, non poteſt eſſe declaratio foraneitatis, ut modò dicunt Adverſarii, quia de ea re nil pertinebat ad Cæſarem reſpondere; Imò, & Capitulum in literis ad Dominum Cardinalem ſcriptis, inhærens rationibus allatis ſuper puncto foraneitatis, quibus D. Cardinalis pluriès rogatus non dùm ſatisfecerat,

cir-

circa tranſmiſſionem ſalvi-conductus, reſpondit in hæc verba: *At equidem in omnem caſum priùs à Sac. Cæſarea Majeſtate, & à Principibus confœderatis pro conſequenda debita ſecuritate, eſſet obtinendus. Summario antecedenti nu. 16. lit. A.* Ponderentur ea verba *in omnem caſum*, & dictio illa *priùs*, quia unum impedimentum removere non ſufficit, ubi plura removenda ſunt. *Caſtrenſ. in l. Avia, quæ nepotem 77. §. mutiana cautio, ff. de conditionibus, & demonſtrationibus*. Neque Capitulum pro facienda electione tenebatur expectare, quòd Dominus Cardinalis impetraret ſalvum-conductum, & removeret omnia impedimenta ſuperiùs commemorata, quæ obſtabant ejuſdem convocationi, nè aliàs ſequerentur illa abſurda, quæ conſiderat *Gloſſ. in Clementin. Ut ii, verb. conſtitutus lit. B. verſ. ſed fortiùs quæro, &c. de ætate, & qualitate*; Atque ità dùm ex cauſis belli, & hoſtilitatis D. Cardinalis convocari non debuit, nec potuit *commodè, & ſine periculo* ad Epiſcopi Electionem, immeritò de contemptu conquæritur, juxtà Canones ſuprà relatos.

51. Denique intentio Domini Cardinalis deſtituitur fundamento tituli Canonicatus, & Præpoſituræ; Nàm cùm allegaſſet, ipſi, tempore promotionis ad Cardinalatum, conceſſam fuiſſe retentionem omnium beneficiorum, concedi ſolitam DD. Cardinalibus per Apoſtolicum Breve, id cauſam dedit recognoſcendi breve ei conceſſum circa retentionem, & in eo nullum verbum fit de Canonicatu; Quarè per promotionem ad Cardinalatum ea dignitas vacavit *ex Sixti V. Conſtitutione 79. Bullarii tom. 3. Summario novo num.* 29. qua decernitur, per promotionem ad Cardinalatum vacare omnes Eccleſias, & omnia beneficia cujuſcumque tituli, niſi conceſſa fuerit retentio, quæ conceſſa intelligatur ad omnia, quæ videntur convenire dignitati Cardinalatus; *ad alia verò* (ſubdit Conſtitutio) *non extendatur, quæ videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalis, nempè Archipresbyteratus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia beneficia; cùm obtinentes ea teneantur reſidere in Choro, & habere debeant locum poſt Epiſcopum, Cardinalis dignitati non convenientem.* Atque ità retentio conceſſa Domino Cardinali omnium, quæ obtinebat. *Summario novo num.* 28. certiſſimè porrigi non poteſt ad Canonicatum Cathedralis Leodienſis, juxtà *expreſſam Sixti V. Conſtitutionem*.

52. Nec Domino Cardinali ſuffragatur Breve Apoſtolicum Clementis X. Non enim continet aliud, quàm diſpenſationem ſuper reſidentia, & ſuper certis articulis contentis in juramento præſtando ratione Prepoſituræ ejuſdem Eccleſiæ Leodienſis, ut illius poſſeſſionem adipiſci potuiſſet: Ad quam Præpoſituram fuit canonicè electus ipſe Dominus Cardinalis, uti de gremio Capituli, dùm per unum, & eundem de dictæ Eccleſiæ Leodienſis Canonicis, etiam abſque diſpenſatione Apoſtolica, obtineri conſuevit; Sed in hac parte, ubi de canonica electione ad Præpoſituram fit mentio, adeſt expreſſa clauſula: *Ut aſſerebas*. Atque ità diſpenſatio iſta ſuper reſidentia nihil novi juris tribuit in beneficiis, ſed vetus jus, ſi quod eſt, conſervat, & prorogat; quia ſemper intelligitur, ut fuit aſſertum, ſi Canonicatum, & Præpoſituram canonicè obtineret. *c. ſi gratiosè 5. in fine De reſcriptis*, ubi *Gloſ. in verb. Canonicè litt. O. eadem Gloſs. in cap. quia 15. in verb. Beneficiorum ſuorum litt. Q. de reſcriptis in 6.*

53. Porrò cùm ob defectum reſidentiæ, & inobſervantiam articulorum contentorum in juramento præſtando, amittebatur beneficium, ideò diſpenſatio ſuper reſidentia, & obſervatione dictorum articulorum, inducit ſolummo-

dò

dò prorogationem Beneficii, quæ non confirmat poſſeſſionem Beneficii injuſtam, & vitioſam, *ut ex l.Legata inutilitèr in primo reſponſo*, *ff.de Legatis primo*, advertit *Gloſſ.marginalis in dicto cap.Si gratioſè* 5. *litt.A. de reſcriptis in* 6. Quarè neceſſe eſt, quòd Papa ex certa ſcientia confirmet. *Gloſſ. in cap.dudum* 54.*in verb.expreſſa, De electione.*

54. Inſuper cùm à tempore promotionis ad Cardinalatum vacaverat jam Canonicatus, ideò Dominus Cardinalis illum non potuit poſſidere,atque adeò injuſtus poſſeſſor, ſivè intruſus cenſendus eſt; Undè efficiebatur inhabilis ad illud idem beneficium legitimò impetrandum, niſi individualis mentio fieret vacationis,& intruſionis. *Felin.in cap.poſtulati num.* 14. *&* 15. *de reſcriptis, Selva De benefic.par.*3.*quæſt.*11.latè *Sanchez opuſc.lib.*2.*cap.*2.*dub.*21. *num.*8. *Theſaur.de pœnis Eccleſiaſt.par.*2.*cap.*1.*verb.Intruſio num.*6.*fol.*199.

55. Quod verò dicitur, Dominum Cardinalem, etiam poſt promotionem ad Cardinalatum fuiſſe receptum uti Canonicum, & interfuiſſe præcedenti Epiſcopi electioni, & geſſiſſe alios actus poſſeſſivos, uti Canonicum,& Præpoſitum majorem Eccleſiæ Leodienſis, nullo modo ei ſuffragatur,quando titulus eſt evidentèr nullus,& vitioſus, juxtà *Text.expreſſum in cap.dilecto filio* 25.*De Præbendis, & Dignitatibus*, in cujus ſpecie concurrebant omnia prædicta, & majora his, ac ſignantèr, quòd ille uti Canonicus Trecenſis interfuerit tàm Decani, quàm Epiſcopi electioni, aliiſque tractatibus, & tamèn ob vitium evidens tituli, fuit remotus à præbenda, & condemnatus ad reſtitutionem fructuum; quia nec admiſſio, nec patientia facit aliquem Canonicum,niſi canonicus titulus.*Gloſſ.in dict.cap.Dilecto filio* 25.*in verb.recepiſti,De præbendis, & dignitatibus,& in cap.Cumana* 50.*in verb.jàm præſcripta, De electione.*

56. Nec obſtat, quòd ut competat vox activa in electionibus, vel pro collatione, ſufficiat ſola poſſeſſio, ut in *cap. quærelam De electione, cap. cùm olim, De cauſa poſſeſſionis,& proprietatis,cap.conſultationis,De jurepatronatus,Gloſſ. in cap.in Geneſi* 55.*in verb.poſſeſſione, vel quaſi, De Electione.*

57. Reſpondetur enim,ea jura procedere, quando ille, qui poſſidet interfuit electioni, & in ea ſuffragium dixit: tunc ut valeat votum, & electio,ſufficit poſſeſſio cum bona fide, quam requirit *Gloſſa in dicto cap. in Geneſi* 55. *in verb.poſſeſſione, vel quaſi*; Quæſtio verò noſtra verſatur in Poſſeſſore Canonicatus, qui non interfuit electioni, non vocatus, nec ad eam admiſſus, an cùm impugnat electionem, poſſit contrà eum objici de defectu notorio tituli,& juris in proprietate.

58. Et certè cùm Dominus Cardinalis deduxerit etiam petitorium, dum in ejus ſcripturis allegavit principalitèr ſe Canonicum, & Præpoſitum majorem Eccleſiæ Leodienſis, eique dignitati inhærere vocem Capitularem, & quòd ex privilegio jure communi Cardinalibus conceſſo competat ei retentio plurium beneficiorum, ut in Scripturis exadversò datis, & nunc pro ejus parte fuit exhibitum Decretum Conciſtoriale,ex cujus tamèn facie conſtat,non fuiſſe conceſſam ei retentionem Canonicatus. *Summario novo nu.*27. ideò dici debet cauſa poſſeſſorii, & petitorii ſimul, ut in terminis eſt *Text.in cap.cùm Eccleſia Sutrina* 3. *de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis*, ubi per Summum Pontificem deciſa fuit cauſa poſſeſſorii pro illis, qui conſueverunt intereſſe electioni, & non fuerunt vocati; Sed quia ſimul fuerat deductum petitorium,in quo nullum jus habebant,ideò cōtrà eos ſimultanea ſententia in judicio proprieta-

tis

tis fuit pronunciatum, & ſic Decretum poſſeſſorii contrà electionem remanſit nudo nomine tantùm, & ſine aliquo effectu, ut notat *Gloſ. in dicto cap. cùm Eccleſia Sutrina 3. in verb. reducentes, litt. D.* his verbis: *Verbo tantùm, & non re, cùm jam conſtet de proprietate, & ſequitur in littera.*

59. Rurſùs poſſeſſio Canonicatus, etiam ſi ſola fuiſſet deducta in judicium, & non cumulata ſimul cum petitorio, nihilominùs non eſſet manutenibilis pro intruſo; quia in beneficialibus quodlibet poſſeſſorium habet admiſtam cauſam proprietatis; undè debet produci titulus ſaltem coloratus, juxtà communem, & receptam ſententiam apud *Cravett. in conſil. 258. num. 9. & conſil. 484. nu. 9.* Sed in noſtro caſu agitur de Poſſeſſore dignitatis incompatibilis, quo caſu ſi nullam diſpenſationem producit, vel ſi diſpenſatio exhibita, non eſt ſufficiens ex ſui facie, & evidentèr, poſſeſſio non eſt manutenibilis, per *Text. in cap. Ordinarii 3. verſ. quòd ſi forte De officio Ordinarii in 6. juncta Gloſ. ibidem in verb. nullam*; Nec regula de triennali tuetur intruſum, nec illum, qui non habet titulum ſaltèm coloratum, nec malæ fidei poſſeſſorem, ut ex ipſa patet. latè *Cravett. conſil. 565.* cum aliis apud *Mandoſ. ad regul. 21. quaſt. 12. & ad regul. de triennali.* Atque ità non poteſt impugnare electionem ille, cujus poſſeſſio non eſſet manutenibilis, per *Text. in cap. cùm veniſſent 2. in fine, juncta Gloſ. ibidem lit. C. in verb. Electionem, De in integrum reſtitutione*, ubi allegat *Text. in dicto cap. cùm Eccleſia Sutrina*, in cujus ſpecie fuit mota quæſtio poſt electionem.

60. Ex his, fundamentum querelæ de contemptu omninò deficere: ac ità juris eſſe exiſtimamus. Sub cenſura, &c. Romæ die 2. Septembris 1694.

FRANCISCI

FRANCISCI STANCHI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO NOVA

Super contemptu.

1. QUia lapis angularis, cui tota moles Partis adverſæ nititur, eſt aſſertus contemptus Eminentiſs. Dom. Bullionii, ideò omiſſa prolixitate, & melius ſolvendo in auro, vel argento, quàm in ære dotem huic articulo debitam, ut inquit *Card. de Luc. in relat. Curiæ diſcurſ. 46. num. 31. tom. 15.*

2. Strictè dico, quòd in præsẽti hypotheſi, termini de contemptu remanent prorſus extranei, quoniam omnis umbra doli, aut injuriæ, vel injuſtitiæ, ſine quibus agitur de ſubjecto non ſupponente, ut tradunt *Barboſ. in cap. 2. nu. 4. De poſtulat. Prælat. Card. conſ.* 11. *de verbor. ſignific. Bordon. var. reſol. tit. de elect. reſol.* 61. *num.* 8. *Lavor. var. Lucubrat. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 7. cæterique apud *Paſſerin. de elect. cap.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 14. evaneſcit ex ſequentibus.

3. *Primò*, quia diſcurrere de dolo prohibet qualitas inſignis Capituli, conflati Perſonis Nobiliſſimis, ac integerrimis; nam ſi dolus, aut fraus non præſumitur in perſonis indifferentibus, teſte locupletiſſimo *Ulpiano in l. quoties, §. qui dolo, ff. de probat. Maſcard. eodem tract. concluſ.* 531. *num.* 1. *cum ſeqq. num.* 9. Quanto minus in Eccleſiaſticis, & in univerſo concordi Capitulo. *Menoch. præſumpt.* 20. *num.* 44. *&* 45. *lib.* 5. *Andreol. controv.* 66. *num.* 18. *Dunozzet Jun. deciſ.* 332. *ex num.* 17. *& deciſ.* 1365. *nu.* 3. *& in recent. deciſ.* 423. *nu.* 19. *part.* 18.

4. Dixi concordi Capitulo, quia à decreto declarante foraneum dictum Eminentiſſimum, nemo ex Capitularibus diſcrepavit, veluti nec diſcrepabat ab opinione, & credulitate, quòd foraneus, juxta Statuta, intelligeretur qui in feſto B. Ægidii nullo modo ſe repræſentaverat, ut expreſsè proteſtatum fuit idem Capitulum in una ex Epiſtolis tranſmiſſis eidem Eminentiſſimo, quæ proindè communis opinio abundaſſet ad excludendum dolum, & injuſtitiam, quando etiam dubia, aut erronea fuiſſet. *Andreol. d. controv.* 66. *nu.* 25. *Menoch. præſumpt.* 3. *num.* 31. *&* 35. *lib.* 5. *Coccin. deciſ.* 1820. *num.* 10. ibi: *Veluti ſi quis errore motus fuerit, exiſtimando ſibi licere, & in recent. deciſ.* 320. *ex nu.* 2. *par.* 2. melius *deciſ.* 608. *num.* 12. imo, quòd excuſentur agentes id, ad quod agendum invitabat rumor, & fama. comprobant variis exemplis *Cravett. conſ.* 319. *ſub num.* 3. *&* 4. *Franc. Marc. deciſ. Delphin.* 732. *nu.* 3. *& deciſ.* 775. *nu.* 1. *ac ultimo.*

5. *Secundò*, quia declaratio foraneitatis non emanavit præcipitãter, abſque conſilio Sapientum, ſed eo præhabito, cum matura deliberatione, ut fatetur D. *Vaillant* in ſua ſcriptura ſuper contemptu, quæ matura deliberatio per ſe ſola pariter fraudem, & injuſtitiam excluderet. *Bart. in l. bonorum, ff. de bonor. poſſeſs. Florian. in l. Regula, §. ſed & juris, ff. de jur. & fact. ignor. Rot. deciſ.* 337.

num.17.part.5.recent.ac deciſ.13. ſub num.6.cum ſequentibus part.14.

6. *Tertiò*, quia omnia geſta, & gerenda, notificata fuerunt Eminentiſſimo Contradictori longè ante Electionem, cui inſuper 30. diebus ante illum ſtabilitæ Electionis, exhibita fuit prompta diſcuſſio omnium ejus rationum: imò pro illarum transmiſſione inſtetit Capitulum, *ne videretur, quòd Eminentia Sua inaudita procederet*; quomodò igitur excogitari poteſt injuria, aut injuſtitia in Decreto propalato, antequam emanaret, & revocari exhibito, quatenùs rationes revocandi tranſmittantur, dum machinationes doloſæ, & injuſtæ fieri ſolent in abſcondito non antē palàm? *Menoch.præſumpt.3.n.107.lib.5.Maſcard.concluſ.531.num.43.* optimè *Rot.deciſ.375.num.4.par.16.* Et cujus culpa conſiderari debeat, an Capituli inſtantis, vel Cardinalis negligentis, colligi poteſt ex *Felin. in cap.irrefragabilis num.1.De offic.ordinar. Tuſch.concluſ.36. num.2.& 4.cum ſeqq.litt.N.tom.5.Menoch præſumpt.91. num.15. lib.2.& præſumpt.44.num.8.lib.5.*qui firmant negligentem potiùs contemnere, quàm contemni; nam contemnere is ſolùm dicitur, qui aſpernatur, & non curat, ut in *cap.cupientes extr.de elect.Alberic.in dictionar.jur.litt.C.verſ.contemnere dicitur,& verſ.contemptus vitium demonſtrat.*

7. Nec applicantur *text.in cap.in Geneſi De elect.* cæterique exadverſo allati; Etenim in illis tractatum non fuerat, utrum excluſi eſſent admittendi: multòque minùs invitati fuerant ad rationes deducendas, nec concurrebant præmiſſæ circumſtantiæ, & aliæ inferiùs ponderandæ, ex quibus aſſequitur veritas, ut ait *Coccin.deciſ.2030.num.11.*

8. *Quartò* demum, quia diſſipatæ remanent caligines omnes circa foraneitatem per adventum Solis, nempè per novum Statutorum extractum, de ordine Sanctiſſimi factum, eidemque tranſmiſſum à Reverendiſſimo Nuntio, cui talis data fuerat incumbentia; quippè ſicuti dubitari haud amplius contingit, quin foraneus verè ſit, qui ſe nullo modo repræſentavit in feſto S.Ægidii, ac proindè jure votandi careat in illo anno, ita nec amplius ambigi valet, quin Eminentiſſimus Bullionius licèt non vocatus, attamen ſpretus dici nequeat, cùm vocandi minimè ſint voce carentes. *cap.quia propter 42.De elect. Gloſſ.in cap.bonæ il 1.verb.qui vocem De poſtulat.Prælator.Roman.conſ.483.ſub nu.16. cum ſeqq.& conſ.499.ſub num.5.& 6.Cravett.conſ.134.num.11.erg.fin.*

9. Aſſumptum, quòd foraneus evadat, qui repræſentare ſe negligit in feſto Sancti Ægidii, probatur in primis ex veroſimili, & iuridico intellectu eorumdem Statutorum, ponderato in facto, *§.ſiquidem,& ſ.qq.* ubi optimè advertitur, quòd nulla verba improprientur, ſicuti impropriari poſſent, ut convenirent menti ſtatuentium, & ſubjectæ materiæ. *l.non omnis in princip.ff.ſi cert.petat. Gemin.conſ.122.ſub num.3.Corn.conſ.138.num.3.lib.3.Pariſ.conſ.76. num.20. lib. 3.* ſed duntaxat oratio affirmativa revolvitur in negativam, quod paſſim permittitur in Statutis, arguendo à contrario ſenſu. *Fenzon.ad Stat.Urb.c.143. num.29.Roman.exemplificans conſ.399.num.1. uſque ad 6. Buratt. deciſ.116. num.7.* melius *deciſ.7.num.16. part. 17. recent.* maximè concurrente dictione illa *alioquin*, cujus natura eſt inducere conditionem contrariam diſpoſitioni præcedenti, & ſic affirmativam convertere in negativam. *Bartol. in l.1.nu.11. ff.de condit.& demonſtr.* cujus doctrinam mirabilem dicunt *Alberic. in Dictionar.jur.d.verbo alioquin verſ.de hac dictione.Bertachin.in repertor.eodem verb. fol.101. Soccin.conſ.51.num.9.lib.1.*

10. Undè

10. Undè ſicuti ad evitandam foraneitatem opus eſt repræſentari, & reſidere per ſemeſtre, ita ad illam incurrendam ſufficit non repræſentari; quia ex duobus copulativè requiſitis, ſatis eſt deficere in alterutro, ne dicatur adimpleta diſpoſitio, ſive ſit legis, ſive hominis, ſive affirmativa, ſive negativa, ut per *text. in l. ſi hæredi plures, ff. de condit. inſtitut.* tradunt *Hippolit. Rimin. conſil. 208. num. 37. tom. 2.* egregiè *Gratian. diſcept. 70. num. 42. cum duobus ſeqq. & diſcept. 546. num. 52. Surd. dec. 228. num. 3.*

11. Fortius autem hìc, ubi repræſentatio eſt primum, & verè neceſſarium requiſitum, cùm ſine illa dari non poſſit reſidentia ſemeſtralis, quæ incipit poſt repræſentationem in feſto Sancti Ægidii, à qua die ſumit initium annus Capitularis; Propterea defunctus Magnus Magiſter Ordinis Theutonici, declaratus fuit foraneus ex ſolo defectu dictæ repræſentationis, antequam laberetur tempus ſemeſtris aſſignatum pro reſidentia; quia nihil ſuffragari valet ſecundum requiſitum reſidentiæ, quatenus deficiat primum repræſentationis: & quamvis iſte ſolus actus præciſæ obſervantiæ ſatis eſſet ad reddendam clariorem prædictam Statutorum intelligentiam, juxtà *text. in l. ſi de interpretatione, ff. de legib. Cravett. conſ. 101. ſub num. 4. Rota in Leodien. coram Cavaler. deciſ. 497. num. 5. & coram Pamphil. deciſ. 695. num. 6. ibique Adden. num. 11.* Attamen dantur alii duo actus in *Summ. num. 12. & 15.* qui clariſſimam reddunt eamdem intelligentiam, & ſuperant omnem alteram, licèt de jure veriorem (quod hìc non verificatur) *Honded. conſ. 35. num. 45. & conſ. 92. num. 30. lib. 1. Buratt. dec. 944. num. 6. Bich. deciſ. 668. num. 7. & in recent. dec. 132. num. 6. p. 19.*

12. Ita quòd ſuperfluum videatur addere atteſtationes Amanuenſis defuncti Secretarii Cathedralis, deponentis ab illo didiciſſe, quòd foraneus intelligitur, qui in die Sancti Ægidii ſe non repræſentavit, & Cuſtodis horarum, necnon Clauſtrarii, ad quem ſpectat adnotare intereſſentes Divinis Officiis, & convocare ad Capitulum, qui pariter deponit, foraneos non vocari, etiamſi extent in Civitate, nec adnotari inter præſentes, licèt Chorum frequentent ex devotione: Quibus atteſtationibus emanatis prævio juramento à Sacerdotibus, & circà pertinentia ad eorum Officium, plena fides datur. *l. apparitores 5. C. de exact. tribut. lib. 10. Spad. conſ. 167. num. 3. lib. 2. Card. Celſ. deciſ. 395. n. 10. & in recent. deciſ. 348. num. 14. par. 16.* Concurrentibus præſertìm aliis recenſitis adminiculis, immo demonſtrationibus, ut ad propoſitum *Buratt. dec. 306. num. 6.* cæterique apud *Adden. ad Ludoviſ. deciſ. 214. ſub num. 3.*

13. Similiter ſuperfluum videtur ſuperaddere mandatum Procuræ ipſius Eminentiſſimi ad ſe repræſentandum, ex cujus tenore, relato in *Sũm. n. 11.* conſtat quòd Eminẽtia Sua teſtatur de cõſuetudine, per illa verba, *prout moris eſt*, nempè quòd pro evitanda foraneitate neceſſarium eſt ſe repræſentare ſaltem per Procuratorem, quæ neceſſitas ſi ipſi non innotuiſſet, equidem tot annis conſtitutiones Procuratorum ad dictum effectum nequaquam feciſſet. *Cravett. conſ. 149. num. 12. Corn. conſ. 283. ſub num. 6. lib. 4.* optimè *Cyriacus controverſ. 207. ex num. 40. & controv. 479. ex num. 5. Rota deciſ. 339. num. 3. par. 12. recent.* multòque minùs dixiſſet *prout moris eſt*, quæ verba important confeſſionem non admittentem probationem in contrarium. *cap. per tuas De probat.* & excludunt arbitrium, inducunt neceſſitatem, ac declarant actum geſtum, prout geri debebat juxta ſolitum *Bald. eleganter in l. quicumque, C. de ſerv. fug. Innoc. in c. olim in princ. de verb. ſignif. Tambur. de jur. Abb. to. 1. diſput. 12. q. 2. n. 4. & ſeqq.*

14. Et nihilominus accedit caſus individuus Canonici Arnoldi de Merode, qui fuit inventus foraneus, ob ſolum defectum repræſentationis in feſto Sancti Ægidii anno 1652. *Summ.num.*12. quem caſum Statuti, tanquam caſum legis, omnem dubietatis umbram elidere, dixit in ſpecie *Rot.dec.7.num.*14. *par.*17.*recent.*

15. Nec dicatur Statuta non fuiſſe integrè extracta, nec ſatis legaliter; etenim *extractus demandatus fuit integer à Reverendiſſimo Nuncio, quoad Capitula dumtaxat reſpicientia foraneitatem*, ideò omiſſus fuit articulus eam nihil concerniens, ut in facto §.*neque ullam ingerit difformitatem*, & ut in jure *Cardin.de Luca De judic.diſcurſ.*31.*num.*20.*Rot.deciſ.*106.*num.*15.*cum ſeqq.part.*5.*recent.* Legalitas verò abundans derivat ex eo, quia extractio facta fuit à Decano Delegato Apoſtolico, una cum quatuor aliis Canonicis, de ordine ejuſdem D. Nuntii, cui tale munus fuerat injunctum à Sanctiſſimo ſub dicta præciſa forma, & ad effectum ſciendi, *quæ Statuta, & à quo tempore eſſent in obſervantia. Summ.num.*1.2.*&* 3. Undè nefas eſt dubitare de legalitate; nam Delegatis Apoſtolicis, tamquam repræſentantibus Delegantem, major fides præſtatur, quàm mille Notariis. *Canoniſtæ omnes in cap. ſanè il ſecondo De offic. & poteſt. judic.Deleg.Roſa De exequ.litt.Apoſt.part.*2.*cap.*1.*num.*5.*cum ſeqq. Gratian. diſceptat.*167.*num.*56.*& ſeqq.*

16. Certius quia præfati Canonici non permiſiſſent extractum minus verum, nec teſtati fuiſſent de obſervantia Statuti extracti, & ſic etiam, uti teſtes, tantum conſiderati probarent in ſpecie. *Bartol. in l.in tantum, ff. de rer.diviſ. Bald.in cap.inſuper num.*3.*de teſtibus. Rot.dec.*320.*num.*13.*par.*9.*recent. & deciſ.*7.*num.... par.*17.

17. Certiſſimè quia Sanfelicius Archiepiſcopus Conſentinus, Delegatus pariter Apoſtolicus ad viſitandam Leodii Cathedralem, comperiit Statuta cōpilata anno 1560. eſſe illa, quibus dicta Cathedralis regebatur, quæ proindè inſeruit inter acta viſitationis, ut refert Sanctiſſimo præfatus Illuſtriſſimus Nūtius. *Summ.num.*5. quod ſolum ſufficeret, ut de legalitate dubitandum non eſſet.in terminis *Rot.dec.*573.*part.*2.*Rec.dec.*230.*par.*9.*& dec.*200. *apud Poſtb. de manut.ubique ſub num.*4.

18. Et quando hæc non ſatisfaciunt Parti adverſæ, quæ videtur nugari, controvertendo ſplendorem Solis in meridie, meliùs ſatisfieri poterit in Regeſtis Apoſtolicis Pii IV. in quibus adſunt Statuta, quæ concordant cum copia ſumpta per dictum Archiepiſcopum Sanfelicium in viſitatione, & per Nuntium tranſmiſſa, ut notat in puncto *Rub.in ſingular.ad Rot.tom.*1.*tit. de compulſor.num.*6.*fol.*166. *Seraphin.deciſ.*1192. *num.*3. *Cavaler.deciſ.*79. *ſub num.*2. Sed gaudemus, quòd objiciantur nimis frivola, & inſubſiſtentia, ut clarior appareat unica ſpes dilationis, quæ ſi vana redditur, quando vani ſunt prætextus in omni materia. *Cæſar de Graſſis deciſ.*1.*&* 2. *de dilat.* quanto magis in materia iſta electionis, ubi Sacri Canones celeritatem expoſcunt, cùm dilatio ſit Eccleſiæ viduatæ damnoſa, ut monuit *Gregor. X. in cap. ut circa* 4. *De elect.* & ſtatuit *Innocent.III.in generali Concilio relato in cap.*41. *tit.eodem*, & refert *Barboſa De jur.Eccleſ.univerſ.lib.*1.*cap.*19.*num.*145.*&* 254. quæ damna nunquam fortaſſe imminere, adeò proxima, ſicuti in tempore præſenti, quo Diœceſis illa ab Armis hoſtilibus devaſtatur, non ſine periculo Catholicæ Religionis, & ſic urget *textus in cap. ubi periculum De.elect. in* 6. ſatiſ-

que

que ad propoſitum *Adden. ad deciſionem 46.num.82.part.9. recent.*

19. Minùs dicatur, quòd excuſandus ſit à foraneitate prædictus Eminentiſſimus, uti impeditus de jure, & de facto, ut arguit *D.Vaillant Summ.num.8.* quoniam idem, immo majus impedimentum vigebat de tempore Electionis; quapropter ſi anteà impeditus fuerat conſtituere, & reperire Procuratorem Leodii, pro ſe repræſentando, ut fatetur ipſe Eminentiſſimus in ſua proteſtatione, & appellatione, *§.ſed cùm propter.* Equidem multò magis poſteà impeditus erat à ſuffragando, tàm de jure, quàm de facto. *auth.multò magis, C.de Sacroſ.Eccl.* ideòque contemptus dici nequit ſi Capitulum exiſtimavit eum non vocandum, nec admittendum; nihil enim aliud mali fecit, quàm adhærere eidem impedimento vigenti, jam declarato per eumdem Eminentiſſimum. *Gobb. conſult.88.num.24.*

20. Atque hinc oritur altera ratio, ob quam ceſſat contemptus, quia nimirum jam ſumus in confeſſis, *quòd commodè, & ſine periculo* Cardinalis accedere non poterat, nec à Capitulo recipi, ut fusè firmavimus in præteritis ſcriptis, & plenè cōfirmat Dom.Cauſæ Patronus *à numerò 34.uſque ad numerum 46.* Quatenus verò fuiſſet à Capitulo exhibita acceptatio Procuratoris, tunc illuſio, & calliditas exadverſo exagerata apparuiſſet, cùm illudere dicatur, qui offert, vel promittit id, quod obſervare prohibetur. *Abb.in rubric.titul.de colluſ.detegen.Rota deciſ.247. num.9. par. 15.* Tantò magis, quia nemo quidem auſus eſſet acceptare Procuram contra Edicta Imperii, promulgata pro lege ab ipſo Capitulo, cujus ſolùm aliquis Capitularis deputari poterat Procurator. *cap.quia propter, §.illud,* ibique *Gloſſ.verb. venire De elect.* & cujus unus tantùm feciſſet de facto incidere in pœnas totum Capitulum. *Suarez De cenſur.lib.5.diſput.36.ſect.2.ſub num.9.& 10.*

21. Nec talis aſſertio, eſt divinatio, ſed præſumptio juris moraliter infallibilis, cùm nemo fatuus, aut temerarius cenſeatur, ut velit gravi, & evidenti periculo ſe exponere, contraveniendo legibus acceptatis ad alterius favorem. *Fagnan.in cap.ne innitaris num.291.De Conſtit. de Luca De Canonic. & Capitul.diſc.27.num.17.* eleganter *Scacc.de commerc.§.1.quæſt.7.par.1.num.17. & 65. verſ.3. reſpondeo:* Præcipuè advertendo, quòd opus haud erat revocare ad memoriam antiqua exempla SS. Silverii, & Martini Pontificum, Stanislai, & Thomæ Cantuarien. aliorumque Prælatorum, qui ſub Principibus Chriſtianis de facto, vel occiſi, vel ad Inſulas deportati, ſeù Carceribus mancipati, inter quos ſuperiori ſeculo Georgius ab Auſtria Epiſcopus Leodien.juſſu Franciſci Regis Galliarum, Lugduni per quam diutiſſimè carceratus, licèt hi omnes exempti à Juriſdictione laicali, dum recentia aderant narrata *in facto n. 71.* quæ exempla quaſi digiti oſtendunt, & tactui ſubjiciunt verificationem ejuſdem periculi in ſimilibus caſibus. *Bald.conſ.358.ſub num.4. lib.1. Maceraten. var.reſol.lib.2.cap.56.num.26.& 27.*

22. Conſtat igitur, Capitulum manus habuiſſe ligatas agendi pluſquam egit erga Suam Eminentiam, conſequenter intrat axioma allatum per dictum *D.Vaillant, quòd neceſſitas reddit licitum quod per ſe eſt illicitum,* & alterum, quòd propter periculum receditur à regulis juris, & permittuntur etiam prohibita. *l.1.ff.de damn.infect.Dec.in cap.prudentiam num.55.De offic.Judic.deleg.* nam priùs ſibi, & ſuis, poſteà aliis conſulendum eſſe, dictat ratio naturalis. *Roman.conſil.364.num.2.Cravett.conſ.8.num.18.Mantic.deciſ.10.num.7.* & nemini

ni

Digitized by Google

ni irrogat injuriam, qui præcepto ſui Principis, aut Magiſtratus obtemperat. *Cagnol.in l.non videtur,§.qui juſſu num.1.ff.de reg.jur. Maſcard.de probat.concluſ.531.num.89.& 90.*

23. Nihilque adaptatur exemplum Canonici Poitiers;iſte enim erat Leodienſis, vitam privatam ducens, abſque ullo miniſterio Regis inimici, proindè ſemper fuit admiſſus ad ſe repræſentandum: nec cadere poterat ulla ſuſpicio in Confœderatis per illius interventum in Electione, neque ulla contraventio edictis. Ulteriùs non erat Frater occupantis Ducatum Bullionii, qui ſpectat ad Eccleſiam Leodien. non refragante reſponſione, quòd ei relictus fuerit in tractatu Pacis Neomagenſis, quia hoc non eſt verum, ut patet ex prædictæ Pacis Inſtrumento *artic.* 28. & dicta prætenſa dimiſſio impugnata fuit expreſsè ab Epiſcopo, totoque Capitulo; undè cùm termini ſint omninò diverſi, impoſſibilis eſt paritas illationis. *vulgat. l.Papinianus, ff.de minor.* benè *Rot.dec.* 633.*num.*21.*par.*18.*& deciſ.*235.*num.*12.*par.*19.

24. Nihil pariter juvat repetere, quòd Clerici non ſubjacent Edictis Laicorum, tum quia experientia de facto, & in facto docuit contrarium, juxtà exempla recenſita ſub §. *nec talis aſſertio*, & ubi proceditur de facto Tyrannus dicitur factũ.*Alex.ad Bart.in l.in bello,§.facta,ff.de captiv.* Tum quia quando, ſicuti in præſenti, eodem jure contra quoſcumque Eccleſiaſticos uſus eſt, & utitur alter Princeps hoſtis, tunc æquo animo tolerandi ſunt transgreſſus reciproci. *l.juſtitia,ff.de juſtit.& jur.Card.Tuſch.concluſ.*49.*per tot.litt.Q.* Tum, & tertiò, quia ſi non ſubjacebant Cardinales Edicto, utique ſubjacebat Capitulũ, quod illud acceptaverat, eique legis robur addiderat, & quod proindè Eminentiam Suam admittere non poterat, ſiquidem periculum, & commoditas refertur ad Eccleſiam non ad perſonas vocandas. *Tambur. de jur.Abb.tom.*1.*diſp.*5.*qu.*3.*num.*15.*Barboſ.de jur.Eccleſ.univ.lib.*1.*cap.*19.*num.*89.*in fine.Paſſer. de elect.cap.*11.*num.*33.

25. Nihil demũ juvat addere, quòd Cardinales nõ includantur ſub Statutis Capituli; etenim pretermiſſis reſpõſionibus aliàs datis, abſidat hæc una, quòd per ſtipulationem juratam Eminentia Sua reperitur adſtricta ad obſervantiam Statuti, itaut obligatio non à Statuto procedat, ſed à voluntaria conventione. *Priol.dec.*423.*num.*16.*& dec.*439.*num.*6.*& in recent.dec.*159 *ſub n.*9.*part.*16.

26. Objectum, quòd excluſio prædicti Cardinalis reſtricta fuerit ad foraneitatem, non ſubſiſtit in facto, nec in jure; non quidem in facto, quia longè ante electionem, & antequam cauſa agitaretur in Urbe, conſulta fuit à Capitulo Univerſitas Lovanien. quæ reſpondit eumdem Cardinalem, propter Bella, ad futuram Electionem non admittendum, quæ veritas comprobatur ex alia Scriptura Capituli data D. Secretario, & ex Epiſtolis ejuſdem Capituli declarantibus, *alias adeſſe excluſionis rationes*; quapropter inepta remanet concluſio, quòd ſententia lata ex una falſa cauſa non ſubſtinetur ex altera vera, dum reſolutio Capituli non eſt ſententia, ſed actus extrajudicialis, nec ſententiam proferendi juriſdictionem habuiſſet Capitulum. *Abb.in cap.cùm olim De major. & obed. Fagnan. in cap.bis, quæ num.*54.*cum ſeqq.tit. eodem,* ultrà quòd dicta aliarum rationum præſervatio ſubſtinuiſſet etiam ſententiam. *Coccin.dec.*1817.*num.*5. & in fortioribus *Bart.in l.*1.*num.*16.*C. quando provocare, &c. Buratt. deciſ.*251.*num.*10.*cum ſeqq.*

27. Non in jure, quia ſicuti Electus habet diſtincta jura ab illis electorum.
Abb.

*Abb.in cap.exhibita num.*1.*de Judic.* ita tueri valet Electionem,& contradictores rejicere ex quacunque nova cauſa. *Innoc. in cap. veniens il ſecondo De teſt. Panorm.in cap.dudum De elect.Sperell.deciſ.*182. *num.*49. *Ridolphin.in prax. par.*2.*cap.*4.*num.*94. & 98. dummodò in confirmatione citentur coram Superiore, qui confirmare, vel infirmare debet Electionem,priùs non citati, nec vocati. *Gloſſ.in cap.venerabilem* 34.*litt.A.De elect. Paſſerin.eodem tract. cap.*14. *qu.*8.& *num.*51.

28. Additur exabundanti tertia ratio excluſiva contemptus, nempè inſufficientia Indulti pro retentione Canonicatus poſt promotionem ad Cardinalatus dignitatem, ut declarat Conſtitutio *Sixti V. la* 79. *Bullar. tom.*2. quæ iterum datur *in Summ. num.* 29. non ſuffragante varietate Juris Germaniæ, quippè illa derivat ex ſpeciali retentione aliquando concedi ſolita etiam Canonicatuum, ut in exemplis. *Summ. num.*30. & 31. ſolitum autem concludit tantùm probabilitèr non neceſſariò, ut apud *Everard.* in ſuo loco. Immò ſolitum hoc includit in ſe, ut etiam alitèr concedi poſſit retentio. *Rota in Patavina Penſionis* 14. *Martii* 1664.§. *quia ex his, coram Card.Taya.* in puncto *Roman.conſ.*499.*num.*4.*verſ.tamen illud.*

29. Minùs ſuffragante narrativa Canonicatus in Brevi Clementis X.quia oportebat narrare defectum in retentione primordiali, alioquin dicitur Pontifex circumventus ſub involucro verborum, juxta *Regul.Cancell.*57. *Felin. in cap.ſuper litteris num.*8.*De reſcript.*& *cap.in noſtra ſub num.*15. *eodem tit. Rot.in Gerunden.Beneficii* 11.*Decembris* 1679.§.*tum quia coram Card.Vicecomite*, ubi punctualitèr de Canonicatu Cathedralis.optimè etiam in *deciſ.* 363. *num.*25.& 26.*par.*10. *recent.* ubi non ſufficit, quòd ex generalitate narrativæ, defectus potuerit innoteſcere Papæ.

30. Nihil tandem ſuffragante præſumptione alterius Indulti ob diuturnitatem temporis; quoniam talis præſumptio evanuit ex negativa probata per revolutionem trium Regeſtrorum,in quibus hujuſmodi indulta deſcribi ſolent. *Bart.in l.Titiæ Textores* 36. *ff.de legat.*1. & *in l.final.C.de rebus credit.* nec opus eſt perquirere in Regeſtris inſolitis. *Amayden.de ſtyl.Datar.lib.*1. *cap.*26. *num.* 19. nam qui allegat poſſibilitatem inſolitam,probare tenetur eam uti inveriſimilem. *Bart.in l.ſi major num.*1.*Cod.de legit.hæred. Albert.in l.ex his ſub nu.*5.& 6.*ff.De legibus.Roman.conſ.*499.*ſub num.*4. *Caſſador.ſuper regul.triennal.deciſ.*5.*num.*6.& *deciſ.*8.*num.*2.*Caputaq. deciſ.*45.*num.*3. *cum ſeqq.part.*3. Maximè ubi contra impugnantem probationem negativæ,militat præſumptio Juris, videlicet dicta Bulla Sixtina, & *Concil.Trident.cap.*17.*ſeſſ.*24. *De reformat.Rot.*ut declaratur *in deciſ.exadverſo allegata* 175. *num.*48.52.66.& *ſeqq. part.*9.*recent.*

31. Hic autẽ dicta Juris præſumptio militans pro negativa,redacta fuit ad veritatem ex productione Decreti Conſiſtorialis,concedentis retentionẽ in genere;nam productio tituli expreſſi, tollit præſumptionem alterius taciti,orientem ex temporis lapſu:& quatenus aliud melius indultum interceſſiſſet,utique illud productum exadverſo fuiſſet, aut ſaltem modò produceretur. ità diſcurrendo concludunt *Cravett.conſ.*134.*ſub num.*44.& *conſ.*290.*ſub nu.*6. *Lotter. de re benefic.lib.*2.*qu.*46.*num.*29.*cum ſeqq.Rota deciſ.*731.*num.*19.*par.*1.*diver.* & *coram Dunoz.jun.deciſ.*119.*num.*6.*ac deciſ.*731. *num.*55. & *poſt Merlin. de pignor.deciſ.*44. *ex num.* 9. Igitur ex defectu etiam Canonicatus,præcluſà re-

manet

Digitized by Google

manet via agendi de contemptu, quem ſuper Canonia dumtaxat initi, falſi ſunt DD. exadverſo ſcribentes.

32. Quamvis autem de tempore, quo Eminentiſſimus non fuit vocatus, nec admiſſus, eſſet in poſſeſſione Canonicatus, & reputaretur Canonicus, attamen dicta poſſeſſio, & reputatio profuiſſet pro ſubſtinendo actu ſuffragii tunc dato, ſecùs verò pro impugnanda Electione nunc, poſtquam detectus eſt erroneus, atque inſufficiens titulus, propter quem competebat actio, & intereſſe. *Roman.d.conſ.*499.*per tot.*ſignantèr *in fin.ex gratia viden.Hoſtien.& Abb. in cap.illud De præſumpt.ambo col.*3.*in fin.Gabriel.eodem tit.concluſ.*1. *num.*62.*in med.Rot.deciſ.*79.*num.*11. poſt *Torr.de pact.fut.ſucceſs.*

33. Quocumque proindè ex tribus præfatis fontibus copulativè, vel disjunctivè derivet inſubſiſtentia contemptus, confirmatio Electionis erit in tuto; alterum enim ſatis eſſet etiam ad excludendum Comitem de Rekem, contra quem fortiùs militant omnia præmiſſa, ut in facto §. *ultimo.* Quoniam abſque ulla etiam ex eiſdem tribus urgentiſſimis rationibus contemptus remaneret excluſus, cùm pro eo requiretur ſpretus cum odio, nulla cauſæ legitimæ umbra coloratus, ut præter adductos in §. 1. *& pluribus ſeqq.* advertit *Caſtell. de elect.in prælud.*§.11.*de contemptu.*

34. Cæterum percipi non poteſt, quare tanta machina erigatur ſuper dicto contemptu, dum ſivè nova facienda eſſet Electio, ſivè alio modo providendum Eccleſiæ, juxta concordata Germaniæ cum Nicolao V. Bullar.nov.*tom.*1. *conſtit.*1. ſemper obſtarent Eminentiſſimo, necnon Domino Comiti de Rekem, nedum recenſita fundamenta, verùm quoque impedimenta Facti, quæ adhuc vigent, & utinam non vigerent, per quæ os clauſum remanet tàm agendo, quàm excipiendo, & appellando. *Scacc.de appell.quæſt.*5.*num.*95.*Rota dec.*303. *in fin.par.*8.*recent.& dec.*508.*num.*13.*par.*14.

35. Quando tamen ſufficit, quòd non vocati, nec admiſſi poſſint poſteà convinci non fuiſſe vocandos, ut contemptum allegare nequeant, licèt anteà diſcurſum non fuerit de eis. *Barboſ.de jur.Eccleſ.univerſ.cap.*19. *ſub num.*89. *verſ.qui quidem lib.*1. *Coccin.deciſ.*2021. *num.*37. Hinc autem abundans diſcuſſio interceſſit, ut demonſtravi in *num.*5. *cum ſequentibus*: & quando inſuper in dubio etiam confirmanda venit Electio, præſertìm conſpicuæ Perſonæ de Inclyta illa Domo, Religionis Catholicæ Vindice ſemper acerrima. *de Luca De Regular.diſc.*11.*num.*11.*Coccin.deciſ.*2082.*ex num.*1.*Priol.deciſ.*205.*num.*29.

OCTAVII

Digitized by Google

OCTAVII DE JANDIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO NOVA

Super contemptu.

1. STrictè, juxta ordinem hujus Sac. Congregationis, ad excluſionem aſſerti contemptus, regula eſt, quòd Electio, aliquibus abſentibus non vocatis, ſeù contemptis, nequit dici nulla, ſed valida; quia vocatio abſentium non eſt de forma ſubſtantiali Electionis, ſed de juſtitia, & ſolemnitate pro eorum jure, ſi quod habent: & proindè, dum Electio non peccat in potentia, quæ reſidet penès eligentes, minuſque in forma ſubſtantiali, dum ea aliàs apparet canonica, omni jure valet, quamvis utpotè injuſta, ſi talis verè contra abſentium jura probetur, retractari, ſeù caſſari poſſit. ita ex *cap. quòd ſicut* 28. *cap. bonæ* 36. *& cap. Eccleſia veſtra* 57. *De elect.* docent Canoniſtæ communitèr, ac plenè in *cap. quia propter* 42. *eod. tit.* ubi in ſpecie *Abb. ſub num.* 12. clarè firmat, *quòd contemptus aliquorum non inducit nullitatem Electionis; quia præſentia, ſeù vocatio abſentium non eſt de forma ſubſtantiali*, cum cæteris, quos refert, & ſequitur ibi *Fagnan. num.* 38. qui ait, *non peccare Electionem, neque in ſubſtantia conſenſus, neque in forma ſubſtantiali*, idem *Abb. in d. cap. bonæ ſub num.* 9. *verſ. ad ſecundum*, addit, quòd *ſi talis præſentia eſſet de forma ſubſtantiali, Electio ipſo jure nulla remaneret, quòd nemo dicit Gomeſ. in cap. ut animarum §. Statuto num.* 22. *De conſtit. in* 6. ubi, *quòd de jure non eſt ſancitum eſſe nullam. Gonzal. in cap. cùm inter* 18. *num.* 10. *De elect. Pyringh. in Jus Canonic. lib.* 1. *tit. de elect. ſect.* 3. *num.* 140. *Menoch. conſ.* 67. *nu.* 31. qui ex *Bero, & Felino* tradit paritèr, *contemptum iſtum non reddere Electionem nullam; quia vocatio abſentium non eſt de forma ſubſtantiali. Petr. de Baiſ. in director. Elect. par.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. *inter tractat. magn. tom.* 15. *part.* 1. *pag.* 492. *Samuel. de elect. tit.* 1. *controverſ.* 7. *concluſ.* 3. benè *Lavor. eodem tractat. cap.* 17. *num. pariter* 17. inquiens, *quòd iſta Electio non peccat in potentia, dum facta eſt à majori parte, penès quam eſt poteſtas eligendi: minùſque in forma, dum eſt Canonica. Guimier. ad Pragmat. Sanction. tit. de elect. in cap. ſicut, verſ. dic, fol.* 96. latiùs proſequens hanc materiam *Tamburrin. de jur. Abbat. diſput.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 2. *Ricc. in prax. par.* 4. *reſolut.* 45. *Rot. coram Coccin. deciſ.* 2021. *num.* 37. ubi quòd *vocatio abſentium non eſt de ſubſtantia, & non inducit nullitatem. Rota in Leodien. Electionis* 23. *Januarii* 1677. *§. nullitas verò, coram R.P.D. Bourlemont.*

2. Et hujuſmodi Electio eſt ita de jure valida, ut ſi contrarium, eam nempè eſſe nullam, Statuto aliquo Eccleſiæ, vel Epiſcopi diſponeretur, tale Statutum non valeret, cùm efficere non poſſit quòd Electio, tum ex poteſtate Eli-

gentium, tum ex forma ſubſtantiali valida, & perfecta, infringatur, & reddatur nulla. *Abb.in d.cap.quia propter ſub eodem num.*12.*verſ. nec valeret Statutum inducens nullitatem propter defectum non vocatorum*, ſubdens rationem, *quia non poteſt Statutum infringere electionem validam*: idque confirmat *Barbat.in cap.cùm dilectus* 8.*ſub num.*103. *De conſuetud.Felin. in cap. quod ſuper* 9.*ſub nu.*9.*verſ.item quæritur*, ubi quòd *ita fuit determinatum in Curia ſuper quadam Electione facta in Eccleſia Rutenſi. Imol.in cap.ex tua* 11.*De Cleric.non reſiden.Gomeſ.in d.cap. ut animarum*, §. *Statuto eodem num.* 22. *De Conſtitut.in* 6.*Oldrad.conſ.*259.*num.*3.*Botte.de Synod.part.*3.*art.*1.*num.*67. *Sigiſmund. à Bonon.de Elect.dub.*9.*n.*3.*Samuel.eodem tract.tract.*1.*diſput.*2.*controverſ.*7.*n.*7. *Lavor.cap.*17.*num.*15.*Barboſ.de jur.Eccleſiaſt.lib.*1.*cap.*19. *num.*116. *Sperell. deciſ.*182.*num.*48. ubi quòd Capitulum non poteſt ſtatuere, ut electio ex aliquorum contemptu ſit nulla.*Garz.de Benefic.par.*3.*cap.*2.*nu.*576. & poſt eum *Rota in Toletana Canonicatus,coram ſan.mem.Clemente VIII.*apud *Garz.par.*5.*cap.*4.*ſub nu.*166.*poſt medium, verſ.quemadmodum enim,repetit.*apud *Marcheſan.de commiſſion.par.*1.*pag.*288.*ſub num.*7.

3. Agitur ergo in præſenti de caſſanda, & retractanda electione valida, & perfecta,ad inſtar Ædificii licitè extructi ſolo æquandi, & demoliendi,ad quem effectum non niſi potens cauſa ex formali contemptu requiritur, cùm aliàs Electionibus non minùs, quàm Ædificiis licitè extructis ſit ſavendum ob publicam utilitatem. Quapropter in hoc verſatur judicium Confirmatoris, qui benè libratis Juribus abſentis, & circumſtantiis facti,judicare debet, an verè contemptus adſit, & an ſufficiens ſit ad retractandam, & deſtruendam hanc Electionem; Nam ſatis eſt coram eo de non jure,ſeù de non contemptu poſſe convinci, juxta communem Doctorum ſententiam, de qua in *cap.gratum* 2. *de poſtulat.* ubi *Innocent.ſub num.*2. ibi: *Sat eſt poſt electionem conſtare.Barbat.n.*16. ibi: *Satis enim ſi poſteà convinci poſſit*, cum aliis relatis per *Barboſ.num.*3. *Fermoſin.in cap.illa quotidiana* 31.*num.*10.*&* 11.*De elect.Lavor.eodem tract. tit.*4. *cap.*17.*num.*17.

4. Prout idem Confirmator agnoſcet,an potuerit commodè vocari,& num adfuerit, vel ne,periculum Eccleſiæ,ſive Capitularium, juſtuſque timor in vocatione, & præſentia abſentium. benè *Abb.in cap.coram ſub nu.*3. *De elect.*ibi: *Bonus Judex arbitrabitur ſecundùm pericula imminentia,& diſcrimina rerum, ſi fortè immineret periculum Schyſmatis, ſeù intruſionis, vel abuſus laicæ poteſtatis, vel quid ſimile propter guerras*, & ſubdit: *Is ad quem ſpectat confirmatio erit idoneus Judex ſuper hoc argumento.* hoc ipſum comprobat *Jo:Andr.in cap. publicato* 63. ibique *Anton.de Butr.num.*21.*eodem tit.Hoſtienſ. in Summ.tit.de Elect.*§.*qualiter ſit facienda electio columm.*2.*verſ. quidquid dicatur.* ibi: *Si ergò aliquis dicat ſe eſſe contemptum, bonus Judex extimabit utrum commodè, & ſine periculo potuit vocari.Petr.à Baiſ.in citat.director.cap.*8.*par.*3.*num.*2.*&* 3. qui paritèr docet, *quòd ſuper hoc dubio is,ad quem ſpectat confirmatio, erit idoneus Judex, & de eo cognoſcere poterit.Fermoſin.in cap.illa quotidiana* 31.*n.*10. *&* 11.*de elect.Sigiſmund.à Bonon.de elect.dub.*8.*num.*9. *Cucch.Inſtit.Canonic. tit.de elect.num.*54.*Paſſerin.de elect.cap.*11. *num.*34.

5. Certè nequit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de aliquo ſui contemptu electionem iſtam convincere; quippè ſi eum objicit, ex quo non fuerit à Capitulo vocatus ad intereſſendum, quilibet contemptus illicò deficit;

Nam

Nam, quemadmodum in præterita diximus, hæc formalitas erga ipſum nullatenùs erat neceſſaria, dum conſtat ex tot Epiſtolis Capituli, & reſponſivis ejuſdem, quòd optimè noverat, non tàm mortem Epiſcopi, quàm diem præciſam indicti Capituli pro electione facienda, ad quam, nì alia obſtitiſſent, illicò ſe conferre poterat, uti degens in Oppido Huyenſi, quatuor horis Leodio diſtante; quando autem abſens aliàs ſcit vacationem, & diem electionis, non eſt citandus, quia formalitas citationis eſt pro ſimplici notitia, eaque ſtante, non requiritur, ſed abſens venire debet, ſi vùlt intereſſe, & ſi non venit, cenſetur nolle, ſibique imputet: nec poteſt objicere de contemptu, prout animadvertit *Abb.in cap.cùm Eccleſia veſtra 57.num.19. De elect.* qui rejicit contraria, repetens, quòd *vocatio non èſt de forma, ſed pro ſimplici notitia*, & pleniùs in *cap.inter univerſas num.10.eodem tit.Petr.à Baiſ.in citat.director.electio.par.3.cap.10.num.4.Caſtellin.dè election.cap.8.nu.10.Paſſerin.eodem tractat.cap.11.n.66.* adducens alias rationes, ſignantèr quia *certus non debet certiorari*, quia *præſens de jure habendus ſit ille, qui ſcit, & non venit, &c.* Verùm potiùs credo de contemptu potuiſſe redargui vocationem ipſam; nam dum uti Gallus, actuque Miniſter Regis Chriſtianiſſimi, & imperans ipſis militaribus Copiis, Statum Leodienſem invadentibus, recipi non poterat, injuria fuiſſet eum vocare, & poſteà non recipere.

6. Minùs autem contemptus allegari valet, ex quo Capitulum declaraverit Eminentiſſimum Dom. Cardinalem Foraneum, & voce carentem; Etenim in hoc Capitulum totum proceſſit nemine diſcrepante, & certè cum ſumma reverentia, & exiſtimatione erga eumdem Dom. Cardinalem, ut patet ex tot ejus obſequentiſſimis Epiſtolis, & his modis ſummi reſpectus uſum ſuit jure proprio vigore ſui Statuti efficientis Foraneos, voceque carentes illos, qui ſe eo anno non repræſentant in feſto Sancti Ægidii perſonalitèr, vel per Procuratorem. ibi: *Quicumque volet reſidere, & fructus facere, debebit in feſto Beati Ægidii ſe exhibere. Summ.præſenti num.3. & 6.* utrobique *litt.A.* & connectendo. ibi: *Quicumquè ſe exhibuerit reſideat eo anno ſex menſes integros, & unam diem, alioqui pro Foraneo habeatur*, ut in *eodem Summ.* Quod Statutum duo concernit affirmativa, quòd quis debeat ſe exhibere, & quòd debeat reſidere per ſex menſes: & per conſequens duo ſunt contraria negativa, quòd ſcilicèt quis non ſe exhibeat, & quòd non reſideat: in hoc utroque caſu eſt impoſita pœna Foraneitatis per illa verba: *Alioqui pro Foraneo habeatur*, quæ dictio utrumque hunc caſum litteralitèr exprimit negativè, & in utroque Foraneitatem inducit, & extra dubium in caſu non repræſentationis, ſine qua reſidentia ipſa fieri non poteſt ex ejuſdem Statutis, juxta theoricam *Bartol. in l.1.nu.11. ff.de condit.& demonſtrat.* qui ait, quòd *iſta dictio mirabilis eſt, & non ſolùm facit orationem conditionalem, ſed in ſe ipſa orationem continet, & inducit conditiones contrarias præcedenti diſpoſitioni.* Exponitur enim, alioqui ſi non fecerint prædicta, ubi *id oſtendit per multa jura*, quæ allegat, ſubdens etiam, *quòd idem pronunciavit Papa ex Speculator.tit.de citation. §.1. verſic.ſed pone*, idem repetunt, & ſequuntur *Soccin.ſen.conſil.51.num.9.lib.1.* ubi quòd *exponitur aliàs, ideſt ſi non ſic factum fuerit, vel non contra factum fuerit*, & alii plures, quos referunt, & pariter ſequuntur *Cacheran. deciſ.Pedemont.145.num.5. Tiraquell. de retract.lignag.§.8.Gloſſ.6.num.1. Mart.de ſucceſs.legal.par.4.quæſt.2.artic.4. num.53.* & prædicta dictio appoſita in Statuto, diſpoſitionem reſolvit, ſi quali-

tates præcedentes in caſibus enumeratis non concurrunt. *Rot. in recent.deciſ. 183.num.*11.*&* 12.*par.*8.

7. Veritas hujus intelligentiæ magis convincitur, & probatur, ne dum ab iis, qui fuerunt Miniſtri ad iſtas Reſidentias notandas, & decernendas; Iſti enim plenè teſtantur, Foraneum ſemper eum fuiſſe habitum, & intellectum, qui in Feſto Sancti Ægidii ſe non repræſentavit perſonalitèr, vel per Procuratorem. *Summ. num.*9. *&* 10. quibus in hac materia ſtandum eſſe non dubitatur. *Rot. deciſ.*41.*num.*17.*deciſ.*79.*num.*28.*& deciſ.*110.*num.*30.*part.*12.*deciſ.*98.*nu.*26. *par.* 19. *coram Dunozzett.jun.deciſ.*376.*num.*5.& alibi paſſim. Sed etiam ab obſervantia, & ſolito, dum religiosè iſta præſentatio ſemper obſervata fuit, & obſervatur, & præcisè à Cardinalibus prætendentibus ad Reſidentiam non obligatis, atque ab ipſo Dom.Cardinali Bullionio, qui in Mandatis Procuræ eam committit ad finem præciſum evadendi Foraneitatem, & votandi in Electione, ut in Facto, ubi recenſentur caſus declarationum, nempè caſus Canonici Merode de anno 1652. qui defectu repræſentationis in Feſto Sancti Ægidii inventus fuit Foraneus. *Summ.num.*12. & inſeri voluerunt Delegati Apoſtolici in Extract. Statutorum. *d.Summ.num.*3. *litt. T.* prout etiam eſt caſus Sereniſſimi Magni Magiſtri Ordinis Theutonici piæ mem. *Summ.num.*13. *&* 14. ſupplicando in hoc exemplo reflecti . Primò, declarationem Foraneitatis in Theutonico non poſſe dici artificioſam, & politicam, ut exadverſo dicebatur, quando iſto defectu repræſentationis jam fuerat notatus in Septembri 1693. de quo tempore nullus prævidere poterat vacationem ſubſequuturam anno ſequenti, ut in *d.Summ. num.* 14. *litt.B.* Secundò, quòd in Theutonico nullus defectus concurrebat, niſi ſolus defectus repræſentationis. *d. Summ. num.*14. Undè ſolus iſte defectus facit Foraneum, prout etiam in antiquiori exemplo anni 1604. *Summ.num.*15. quæ obſervantia eſt optima interpres cujuſvis Statuti, ut ex *cap.cùm dilectus De conſuetud.* & aliis probat *Honded. conſ.*1.*n.*36. *&* 37.*lib.*2.*Rot.in recent.deciſ.*75.*num.*7.*par.*18.

8. Hinc patet ex hac juſta declaratione totius Capituli ſuper Foraneitate Eminentiſſimi Dom. Cardinalis, emanata vigore Statuti, & obſervantiæ, & adeò modeſtè, ac reverentèr etiam inſinuata, nullo modo poſſe contemptum objici, & tamen ad hunc excludendum ſatis eſſet ponderare, quòd Capitulum uſum fuiſſet jure ſuo, cum iſta credulitate; nam dum Canones loquuntur de contemptu pro annullando actu, & Electione, intendunt contemptum formalem, injurioſum, & vilipendentem, qui eſt Sacris Canonibus exoſus; pro hoc namque requiritur, quòd ſit non admiſſio, ſeù vocatio doloſa, in odium, cum ſpretu injurioſo, non autem ſine eo, & ſi detur aliqua cauſa, nedum veriſimilis, ſed etiam injuſta, colorata tamen, qualis certè hic innegabilis ſemper eſſet, non intrat injuria, & contemptus. optimè *Felin. in cap.ſi quis* 2.*ſub nu.* 7.*de majorit.& obedien.* ubi dicit, *quòd per ignorantiam excluditur contemptus: ſimiliter ſi ſine dolo, ſeù quis faciat cum aliqua cauſa, non dicitur contemnere, etiamſi ſit injuſta,* & allegat *Gloſſ.in cap. Metropolitanum* 2. *quæſt.* 7. idemque docet *Cardin.conſil.*1.*de verbor.ſignific.Anton.de Burgos in cap. Canonum Statuta De conſtitut.num.*118.*inter repeten.Canonic.tom.*2.*pag.*77. *à t.Beat.Anton. in ſuo tractat.de Excommunicat.cap.*47.*ſub num.*11. *inter tractat.magn.penult. edition.tom.*16.*pag.*216.*Paſſerin.de elect. cap.*14.*ſub num.*48. *verſic. & agere,* ubi quòd *agere de contemptu eſt agere de injuria , & per conſequens de dolo.*

Ber-

*Bordon.variar.reſolut.tit.de Election,reſolut.*61.*num.*8.*Cardin.de Lugo reſponſor.moral.lib.*4.*dub.*24.*num.*2.*&* 3.

9. Etenim contemptus, ut alias diximus ex *D.Thoma* 2.2.*qu.*186.*art.*9. *in corpore*, eſt actus non ſimpliciter contra legem, ſeù hominem geſtus, ſed ille, qui præcisè, & formaliter fit in odium, & injuriam, & hac præciſa voluntate contemnendi, & vilipendendi, & alias refert authoritates, præſertìm *S. Auguſtini lib. de natur. & gratia cap.*29. circa medium, aſſerentis, quòd non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ.

10. Quod illuſtratur à *Cajetano in calce ſui Cõmentarii ad eumdem artic.* dũ inquit: *peccare ex contemptu, ſecundũ doctrinam præfatã D.Thomæ, duo importare, actum ſcilicet peccati, & cauſam peccandi; itaque ad contemptum non ſufficit actus contra legem, vel hominem, etiamſi eſſet multiplicatus, ſed neceſſariò requiritur, quòd quis peccet ex cauſa formaliter, quòd non vult deliberatè ſubjici Legi, vel homini, & in ejus injuriam, ſeù odium*, prout latiùs explicat *Caſtellin.de Election. in prælud.* §.11. *de contempt. in Tranſgreſſor. leg. Suarez de legib.lib.*3. *cap.*28.*num.*18. *Valentia commentar.tom.*2.*diſputat.*7. *quæſt.*5. *de leg.human. punct.*6. §.4. *pag.*822.*columm.*2.*litt.B. verſ. primus caſus*, inquiens: *quòd peccatur ex contemptu, non quando ex malitia peccatur, ſed quando ex ſuperbia, tumore animi, data opera in Legem, vel hominem formaliter invehitur*: & infert, *ab hoc contemptu excuſare omnem bonam fidem, & cauſam coloratam, etiàm ex probabili ignorantia. Barboſ. de Jure Eccleſiaſt. lib.*1. *cap.*19. *num.*88. firmans, *contemptum Electoris non vocati funditùs ceſſare ex qualibet cauſa probabili. Rot.coram Ninot.deciſ.*88.*num.*8. perbellè tradens, quòd *iſte contemptus vendicatur, vel ex probabili ignorantia, vel juſtis aliis cauſis.*

11. Potiſſimè verò quia hæc ipſa declaratio, nì alia obſtitiſſent, nihilominùs vetuit Eminentiſſimo Domino Cardinali venire, & deducere jura ſua, prout Capitulum recognoſcere ſe obtulit: imò etiam ſe præſentare Electioni, pendente appellatione facta, & in hoc conſiſtere ſaltèm conſtituendo Procuratorem ad eligendum; quare dum hæc omiſit, contemptum objicere non valet, quia non agitur de aliqua formali ejectione, & præſertìm injurioſa, & vilipendente ipſius, vel Procuratoris à Capitulo in votando, ſed de puta declaratione, pro qua omnis proprii Juris allegatio excuſat; ut enim inquit *Paſſerin. de Election. cap.*11. *ſub num.*73. *verſ.adjungitur*: *Aliud eſt expellere vocalem ne eligat, & aliud eſt illum non vocare* (& ego addam, *declarare inhabilem*) *Nam per primum privatur poſſeſſione eligendi, &c. ſed eum non vocare* (ſeù addam, *inhabilem declarare*) *non eſt privare poſſeſſione, ſed ut habet Innocent. in cap. Vintonien.*25.*De Election.num.*6. *ſolùm eſt dicere, & facto exprimere, quòd non vocatus non habet vocem, cùm ſit inhabilis; Ideòque non fit injuria tali Vocali, ſi non citatur*, & addam *per conſequens, ſi ſit declaratus inhabilis, quia non habet jus, ut non dicatur verbo, & facto, quòd eſt inhabilis, cùm ejus inhabilitas probari poſſit in judicio*, ſubiungens: *non habet jus, ut vocetur ad electionem, quamvis poſſit habere jus, ut non ejiciatur, & ſua poſſeſſione non privetur; Talis enim ſi habet jus, ut non auferatur ab eo, quod habet, non habet jus, ut detur ei, quod non habet*, & magis ad propoſitum *cap.*14. *num.* 14. animadvertit, quòd *Capitulum utens jure ſuo, & non vocans, ſeù excludens modo debito, & legali, quem aliàs non tenetur admittere, nullam ei facere injuriam, imò neque in illum eſſe injuſtum, ita ut non habeat undè agat de contemptu*, &

ſub

ſub *num.52.verſic. circà eum verò*,tradit: *Circà eum, qui ſibi non conſtat certò jus habere, minuſque certò ſuffragari poſſeſſionem aliquam, Capitulum agere poſſe quod ſibi videbitur, neque exindè reſultare contemptum*,& antea *quæſt.8. ſub num.72.* innuit rationem, *quia jus abſentis hoc caſu videtur infirmum, & non relevans.*

12. Excluſo contemptu præſertìm formali, ſicuti caſſari, & deſtrui nequit Electio, quæ ex conſenſu, & poteſtate eligentium, atque forma Electionis valida, & Canonica reperitur, ità confirmatio eidem de neceſſitate debetur, ut communitèr tradunt *Doctores in cap.poſtquàm 3.De Election.* & præſertìm *Abb. num.1. Dec.eadem num. Butr. num.5. Joannes Andr. num.15.Barboſ.num.1.* & *Gonzal.num.8.*cum aliis cumulatis per *Sigiſmund.à Bonon.de Election. dub.45. num.1. Caſtellin.eod.tractat.cap.14. num.1. Lavor.cap.25.num.42.Lottber.de re beneſic: lib.1. quæſt.27. num.2. Camerat. reſponſ.deciſ.15. num.38. tom.1. Rota coram Greg.dec.240. num.12, & coram Rembold. deciſ.591. num. 9. Adden. ad Pampbil.deciſ.517.num.9.*

13. Quinimò quando,proùt hìc, Electio non peccat in naturali conſenſu ex poteſtate eligentium, & in forma ſubſtantiali; defectus ſolemnitatis Juris poſitivi non valet impedire confirmationem. *Imol. in cap. quod ſicut 28. ſub num.23. De Elect. Abb.in cap. cùm ſupèr num.4. De cauſ. poſſeſſ. & proprietat.* idem *in cap.ad probandum num.5.De ſentent.& re judicat. Brixien.in ſuo Apparatu verb. Electio patiens*. ibi: *Electio patiens defectus Juris naturalis, ſivè conſenſus,non cõfirmatur,ſecùs Juris poſitivi.Lavor.de Elect.c.21.n.23.*& in terminis, ut debeat etiam confirmari electio non attento unius, vel alterius contemptu, dùm de eo dubitari poteſt, cùm aliàs electio valida ſit, probat *Facbin. conſ.55.ſub nu.39. verſ.quartò dato,& n.40.& 41. juncto antecedenti n.34.verſicul. ſecunda exceptio lib. 1.* inter cætera dicens, ad id optimè facere quod habetur *de ſententia, quæ etſi nulla,debet confirmari ſi ſit juſta, ex l. final. §.final. ff.quod met.cauſ.*& anteà firmaverat *Anan.in cap.quòd ſicut num.7.De Election.* & facit etiam *Pariſ.conſ.97. num.22.lib.4.*dicens,*quòd quando Electio fuit benè geſta, non poteſt dici injuſta per omiſſionem alicujus ſolemnitatis*; undè abſque ullo dubio,omnique jure debet confirmari Electio noſtri Sereniſſimi Principalis, quia nullus adeſt contemptus,nulluſque defectus ſolemnitatis, & Juſtitiæ.

14. Neque hodiè revocari poteſt in dubium verus tenor Statutorum,quia benè juſtificatum eſt in facto, quòd Statuta, quæ ſunt in obſervantia, ſunt illa compilata de anno 1560. Undè cùm iſtorum Authographum extet in Urbe ſignatum à Pio IV. in Regeſtis Apoſtolicis: & facta ex officio à D. Secretario Sac. Congregationis collatione, compertum fuerit concordare cum datis *in Summario novo*,fruſtrà quæritur de Statutis aliundè aſportandis,dùm alia non adſunt, & omninò judicandum ex præſentibus, quia fruſtrà quæritur de copia ubi habetur original. *Rot. coram Buratt. dec.294. num.12.& 13. Duran.deciſ. 265.num.13.* cùmque ex his tùm de ſe ſolis, tùm eò fortiùs juncta obſervantia demonſtrata etiam in facto, Eminentiſſimus ſit verè Foraneus non habens vocem, nequit dici contemptus.

15. Hujuſmodi Electio eodem Jure confirmari debet,ex quo nil vetat confirmari electionem factam de inhabili, quæ continet valdè majus vitium,quàm ex unius, vel alterius contemptu. *Abb. in cap. Quia diligentia num.5. de Election. Lavor.eod.tit. citat.cap.25.num.72.* ſeù confirmatur altera,in qua adſunt

Vota

Vota per vim, & metum extorta, dummodò major pars liberè elegerit. *Innocent. in cap. quòd ſicut* 28. *num.* 10. *De Electlion. Samuel. tractat.* 1. *diſputat.* 2. *controv.* 5. *n.* 13. *& controv.* 7. *n.* 2. *Paſſerin. pariter De Electlion. c.* 4. *n.* 18. *&* 19.

16. Omnium quippè prædictorum ea viget ratio, quòd attenta poteſtate Eligentium, & forma, actus validus ſemper eſt in ſubſtantialibus: & ideò ſivè inhabilis eligatur, ſivè quis metu votet, aut contemnatur, cùm adſit omne principium electionis, Confirmator habet ſemper fundamentum ſuæ confirmationis, licèt actus peccet in Solemnitate aliqua merè extrinſeca, quæ non eſt attendenda. *Bertacchin. de Epiſcop. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *tit. de effect. Confirmat. quæſt.* 27. *num.* 20. *inter tractat. magn. penult. edition. Lugdunen. Anni* 1549. *tom.* 2. *pag.* 156. *à tergo*. Signanter ad evitandos circuitus, & diuturnam Eccleſiæ vacationem, cùm ſemper ſolemnitate, ut hìc merè extrinſeca, haud ſervata, iterum Electus foret eligēdus ab Electoribus, & per Superiores ad id Electores ipſi compellendi, qui propoſitum mutare non poſſunt, neque ab Electo variare, juxta *Reſcriptum Gregor. IX. in cap. Publicato* 63. *De Electlion.* ubi *DD.* communiter, *Zabarell. in Clement.* 1. *in princip. in* 4. *notab. de Jurepatronat. Bertacchin. in ſuo Repertor. verb. Electus forma non ſervata, ſub num.* 50. qui refert *Innocentium IV. in publico Conſiſtorio ità determinaſſe*; Undè nil prodeſt contempto allegare hanc nullitatem ad retardandam Confirmationem, dum Electores perſiſtunt, vel perſiſtere tenentur in eadem voluntate: & nil vetat electionem ipſam confirmari ex eodem conſenſu primoeligentium, non attento contemptu, qui talem conſenſum de ſe retractare non valet, ut benè tradit *Petr. de Ancharan. in cap. bonæ* 36. *num.* 1. *verſ. quintò nota*, ubi quòd nil prodeſt contempto agere, dum vel formiter Electores perſiſtunt in eodem conſenſu, vel talis conſenſus haberi poteſt pro durante, quod docet etiam *Hoſtien. in eod. cap. ſub num.* 4. *verſ. vel poteſt dici*, idemque repetunt, *Bellamer. ſub num.* 4. *§. ſecundò opponitur, verſ. vel poteſt dici. Anton. de Butr. num.* 11. & ideò cùm valida ſit, optimè confirmatur. *Imol. in cap. quòd ſicut num.* 12. *De Electlion. Lavor. eod. tit. cap.* 11. *num.* 23.

17. Præstereà ex alio æquè validiſſimo fundamento ceſſat quilibet contemptus Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii; nàm ut pariter in aliis firmavimus, & eleganter, latèque in facto hodiè comprobatur, Eminentiſſimus Dominus Cardinalis, uti Gallus, Princepſque adeò potens, & Miniſter Regis Chriſtianiſſimi, actu imperans, tunc ejus Exercitui Statum Leodienſem dilanianti, ut patet quia offerebat armiſtitia, ſecuritates, Copiarum receſſus, & plura alia in ſuis Epiſtolis contenta, non poterat vocari ſine evidenti periculo Eccleſiæ, & ipſorum Capitularium, & quidquid eſſet de Jure, de facto prohibita jam omni communicatione cum Gallis, & Miniſtris Chriſtianiſſimi Regis, Capitulares erant obnoxii de facto pœnis Ordinationum Imperialium, quæ ab ipſo Epiſcopo, & Capitulo renovatæ, & publicatæ fuerunt, non minùs quàm ex ejus adventu Eccleſia ipſa periculis ſeditionum, ſaltèm in Fœderatis, ex quo timore Domin. Cardinalis non debuit vocari, & electio remanet valida, neque de contemptu redargui poteſt, ut communi ſenſu *Doctores* tenent, ex *Text. & Gloſſ. in cap. quia propter* 42. *verb. commodè*, & præcipuè docet ibi *Abb. num.* 5. & *in cap. coràm num.* 3. *de Electlion. Butr. in cap. quòd ſicut num.* 24. & *in cap. vel intèr n.* 16. ibique *Imol. num.* 6. *eodem tit. Mandagot. de Electlion. nov. Prælat. par.* 1. *cap.* 5. *inter tractat. magn. tom.* 15. *par.* 1. *fol.* 410. ibique *Boer.* adducens plures *Canoniſtas.*

Bar-

Barboſ.de Jur.Eccleſiaſt.lib.1.cap.19.num.109.& De Canonic. cap.39.num.4.in fin. Tamburrin.de Jur.Abbat. lib.1. diſput.5. quæſt.3. num.15. Samuel.de Electiondiſputat.2.controverſ.3. num.13. Sigiſmund.à Bonon.eodem tractat.dub.9. cap.2.num.7. Lavor.de Election.tit.4.cap.17.num.12. Caſtellin.cap.8.de vocand. ad Election. num.5. ubi quòd ſi imminet aliquod periculum Eccleſiæ, non eſt ſervanda etiam conſuetudo jurata vocandi abſentes, & *num.6. Paſſerin.eodem tractat.de Election.cap.11.num.33. Pyriugh.in Method.Jur.Pontific.lib.1.tit.6. ſect.3.num.127. Zoes in Decretal.eodem tit.num.67. Coſm. Guimier. in Pragmat.Caroli VII.Reg.Franc.tit.de Authentic.Concil.General. in cap.Sacroſancta col.2.litt.E.vol.1.fol.68. Baron.de citat.in addict.ad quæſt.19.num.9.*

18. In ſpecie autem ubi timetur periculum Schyſmatum, intruſionum laicæ poteſtatis, ſeditionum, & ſimilium, ac præſertim propter Bella, quòd abſens nullo modo vocari debeat, neque de ſui contemptu Electionem redarguere valeat, firmant *Abb.in cap.coram 35.num.3.De Elect.* inquiens: *Niſi fortè immineret periculum Schyſmatis, intruſionis, vel abuſus laicæ poteſtatis, vel propter guerras imminentes non poteſt fieri de facili vocatio. Bald. in cap.cùm inter 18. num.2.eodem tit.* ibi: *Poſſunt eſſe in loco vicino, tamen eſt guerra in medio, ità quòd non poſſunt tuto vocari. Tholoſan.ad tit.de Election.cap.14.num.13.* ibi: *Darentur factionum, & corruptionum aditus. Lavor.eodem tractat. tit.4.cap.17. num.12.* ibi: *Daretur anza corruptionis, & tumultibus,* ſubdens: *quia cum hoc periculo non ſunt vocandi abſentes. Paſſerin.de Election.cap.11.num.33.* tradens, *Abſentes non eſſe vocandos, ubi imminet periculum intruſionis, abuſus laicæ poteſtatis, vel non poſſunt vocari propter bella*: Et in puncto præciſo alterius Leodienſis Electionis, quòd non debuiſſent vocari, & admitti Canonici adhærentes hoſtibus Capituli, & Eccleſiæ Leodienſis, egregiè probat *Card. de Luca De Regular.diſc.53.num.9.10.11.& 12.*& facit *Fagnan. in cap. cùm ex injuncto De nov.oper. nunciat.*

19. Haud ſubſiſtente, quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis erat vocandus, ut Procuratorem conſtitueret; Etenim Monitio iſta conſtituendi Procuratorem de Jure non eſt ſcripta, ſed ſola citatio ad intereſſendum, neque continetur in formula citationis, quam ponit *Mandagot. de Election. nov.Prælat.par.2.cap.59.form.4.& Caſtellin.eodem tractat. c.8.n.16.* in qua de hac Procuratoris conſtitutione nulla fit monitio; cùm nemo ſit citandus, quòd mittat Procuratorem, & de directo repugnat diſpoſitioni Sacrorum Canonum, & communi omnium ſententiæ, determinantibus hoc caſu abſentes cum periculo Eccleſiæ non eſſe vocandos, & abſque ipſorum vocatione Electiones eſſe validas, neque dari poſſe de contemptu; Iſta quippè omnia vana forent, ſi abſentes eſſent citandi ſpecialiter, quòd Procuratores conſtituerent, vel mitterent: & ideò ad tollendum æquivocum ſupplico ponderari, quòd tunc tantùm Canonicus abſens eſt vocandus, quando non abeſt propria culpa, ſeù defectu, ac legitimè eſt impeditus, & poſſet ſine periculo Eccleſiæ intervenire; non poteſt tamen propter aliquam inimicitiam timens de ſua perſona, vel ex alio ſuo perſonali obſtaculo, hoc caſu poteſt mittere Procuratorem, qui non eſt caſus noſter; ſed quando Canonicus abeſt propria culpa, & proprio defectu, nec poteſt venire ob periculum Eccleſiæ, ut hìc, quia adhæret hoſtibus, & eſt inter inimicos conclamatos, tunc nullo modo vocari debet, neque poteſt conſtituere Procuratorem, ut ultrà ſuperiùs citatos, benè ex *Innocent. in cap.2.num.1.de nov. oper.*

Digitized by Google

oper.nunciat. & *Bartol.in l.omnes populi ff.de Juſtit.* & *Jur.* diſtinguit *Abb. in cap. cùm omnes 7. num.7. col. 3. verſic. diſtingue tamen hunc articulum, Felin. ſub num.22. colum.pariter 3. §. ſed ſumitur De conſtitut. Petr. à Baiſ. in ſæpè citat. director. Elect. par.3. cap.9. num. 9. inter tractat. magn. tom. 13. part. 1. pag.* 494.

20. Siquidem abſentes, qui propria culpa ſunt expulſi, habitique ſaltem de facto pro hoſtibus, ammittunt Jura ſua, & remanet omnis poteſtas apud præſentes. *Bartol.in dicta l.omnes populi ſub num.17. ff.de Juſtit.* & *Jur.* & præciſè, ut ille ex cujus vocatione imminet periculum Eccleſiæ non ſit vocandus, neque valeat mittere Procuratorem, ſed tantùm quòd valeat conſtituere Procuratorem ille, qui ceſſante hoc periculo Eccleſiæ eſt vocandus, ſed non poteſt venire ex aliquo ſuo periculo perſonali, tradit *Innoc.* ab *Abbate* non citatus in *cap.Quòd ſicut 28.n.2.in fin.De Elect.*ibi: *Nota, quòd ſi quis non poſſet vocari ſine periculo, vel venire, nihilominùs præſentes poſſunt procedere in eorum abſentia; ſed hoc ultimo caſu citandus eſt,* & *citatus vices ſuas poteſt committere:* En ergò, quòd in caſu antecedenti, quo quis non poteſt vocari ſine periculo Eccleſiæ, ſicuti non eſt citandus, ità non poteſt conſtituere Procuratorem: & in ſecundo caſu poſſe eum conſtituere quando eſt citandus, ſed venire nõ poteſt ex ſuo periculo perſonali. idem ad verbum repetit *Zabarell.in cap.ſi autẽ ſub n.1. verſ.2. oppono De Election.*ibi: *Si quis non poteſt vocari ſine periculo, vel non poteſt venire ſine periculo, nihilominùs præſentes poſſunt procedere; ſed hoc ultimo caſu citandus eſt,* & *poterit vices ſuas committere. Bero in d.cap.cùm omnes num.82. ante medium, verſ.Abbas,* pariter diſtinguit *periculum Eccleſiæ,* & *abſentiam ex propria culpa à periculo perſonali ſine culpa erga Eccleſiam:* & *hoc ſecundo caſu ait eſſe citandum abſentem, ac poſſe mittere Procuratorem,* quod confirmat *Henric.Boich.in cap.Bonæ memoriæ num.4.* & *5.De Election.* pleniùs hoc idem expendens, & *Jo:Andr.in cap.Quod ſicut num.30.* & *Butr.num.24.* pariter dicit, *quòd ſi non poſſunt vocari ſine periculo Eccleſiæ,* & *non ſunt vocandi: aut periculum eſt ipſorum in veniendo,* & *ſunt vocandi, quia poſſunt conſtituere Procuratorem.*

21. Et eſt indubitatum, quòd is, qui vocatus eſt legitimè impeditus, poteſt mittere Procuratorem, non autem qui non vocatus, ſeù non vocandus. *Abb. in cap.Bonæ memoriæ 23.num.20.De Elect.*ibi: *Quis ſi citatur, ut veniat ad Electionem faciendam, impeditus debet mittere Procuratorem, ſi vult, aliàs procedetur ad Electionem eo abſente, ut in cap.Quia proptèr, infrà eod. tit.* & reddit rationem, *quia non debet impediri proviſis Eccleſiæ propter impedimentum iſtius,* & magis ſtrictè tradit *Innocent.in dict.cap.2.De nov.oper.nunciat.ſub nu. 2.verſ.ſecùs*, firmans, quòd ille *poteſt conſtituere* Procuratorem, qui propter particulares inimicitias ſuas non poteſt ire ad Eccleſiam.ibi: *Si propter ſuas inimicitias non poſſunt ire ad Eccleſiam, quia tunc poſſunt conſtituere Procuratorem,* & iſta impedimenta perſonalia, quia ſunt legitima, & ſine culpa abſentis erga Eccleſiam, & ſine ejus periculo, non privant abſentem Jure votandi per Procuratorem, ut ſunt, quando quis abſens gravi præmitur corporis infirmitate, vel eſt detentus in Carcere, ſeù Caſtro, vel propter proprium periculum, & inimicitias, vel quia non patet acceſſus ob Peſtem, Guerram, & ſimilia, quæ ſolum adventum impediunt, de quibus *Gloſſ.in cap.quia proptèr, §.illud, verb. venire De Election.* & ibi Doctores communitèr, *Caſtellin. de Election. cap.5.*

*num.*91.quod non accidit in eo, qui illegitimè,& cum propria culpa,& ex proprio delicto eſt abſens, & non niſi cum periculo Eccleſiæ vocari poteſt;is namque pro extraneo habendus eſt, & non vocandus, neque mittere valet Procuratorem, ut ſpecialitèr probant *Felin.Abb.Baiſ.* & alii ſupra relati.

22. Ex his auctoritatibus duo caſus diſtinguuntur, unus ſcilicèt,quando vocalis venire nequit ob impedimentum perſonale, ac tunc dumtaxat dicunt poſſe mittere Procuratorem; Alter verò caſus eſt, quando ex admiſſione ſequeretur periculum Eccleſiæ, ac tali caſu concludunt poſſe Capitulum procedere de ſe ſolo, ideòque ſine abſente, & ſine ejus Procuratore, ex quo tali caſu non eſt vocandus ſtante periculo Eccleſiæ: Et taliseſt caſus noſter, in quo Eminentiſſimus propter Eccleſiæ periculum non erat vocandus, neque admittendus, ac propterea neque conſtituere Procuratorem, juxtà diſtinctionem ex *DD.* præallegatis.

23. Jus ſiquidem conſtituendi Procuratorem dependet à Jure vocationis; nam ſi quis non habet jus, ut vocetur, neque eſt vocandus, ut hic, ratione periculi Eccleſiæ, vel quando commodè vocari non poteſt, non habet jus conſtituendi Procuratorem.*Barboſ.*plures referens in *cap.Quia proptèr* 42.*§.illud nu.* 32.*& de Jur.Eccleſiaſt.lib.*1.*cap.*19.*num.*108. *Mandagot.par.* 1. *cap.*10. ibique *Boer.*benè *Paſſerin.dict.cap.*10.*num.*37. qui etiam alios citat.

24. De facto autem Eminentiſſimus Dominus Cardinalis, neque conſtituere valebat aliquem Procuratorem, quia neminem mittere poterat à latere ſuo,ut ipſe pluries fatetur, tàm in epiſtolis, quàm in proteſtationibus appellationum,& nemo ex Leodienſibus,eòque minùs ex Capitularibus,poterat ſuum mandatum acceptare,ſeù exequi,attentis prædictis Ordinationibus,vetantibus omne commercium,omnemque communicationem,nè de facto contingeret acceptanti id, quod ipſemet Eminentiſſimus Dominus Cardinalis accidiſſe refert in ſuis Epiſtolis, anno præterito, illis quatuor Canonicis, qui ex ſola, ſimplicique propenſione quadam ad armiſtitium fuerunt de facto traducti ad Carceres, ubi unus ex eis Archidiaconus Leodienſis,ſupremum diem obiit,tanquam ordinationum contraventores, & communicantes cum Hoſtibus; Et imò his ceſſantibus nemo tenebatur acceptare, & poterant omnes rejicere, ut clarè probat *Gloſſ.in dict.cap.Quia proptèr 42.§.Illud De Electionib.verb.venire, verſ. ſed quod*, ubi, quòd Canonici non tenentur acceptare Mandatum, neque admittere extraneum etiam Religioſum; Sed pro remotione hujus objecti ſatis eſt,quòd non debuerit vocari propter periculum Eccleſiæ, itaùt multò minùs valuerit conſtituere Procuratorem.

25. Neque dicatur,quòd Capitulum ſe reſtrinxerit in ſuo Decreto ad excludendum Eminentiſſimum Dominum Cardinalem ex ſola foraneitate,& ideò non poſſit hodie de hoc alio impedimento periculi Eccleſiæ opponere. Quandoquidem licèt in Decreto fuerit expreſſa foraneitas, & circa eam latè poſt Decretum diſcuſſum in Epiſtolis,tamen non ex hoc Capitulum cecidit à Jure ſuo in iſta Electione, dùm foraneitatem expreſſit modeſtiùs agendo cum Eminentiſſimo Domino Cardinali, & credendo eam ſatis, ſuperque fuiſſe. Cæterum ante ipſam electionem Capitulum, etiam formalitèr reſpexit ad non vocationem ex periculo Eccleſiæ, & ſuper eo requiſivit judicium Facultatis Lovanienſis, cujus datur Votum uſque tunc ante Electionem, editum à tali Facultate, de qua erant quatuor Canonici Leodienſes: quod Votum ex tunc firmavit,

mavit, Eminentiſſimum Dominum Cardinalem ob periculum Eccleſiæ non fuiſſe vocandum: & rursùs adeſt alia Scriptura Capituli ſtatim edita poſt Electionem ſuper hoc eodem motivo non vocationis, & validitatis Electionis, quæ in Urbem venerunt, una cum ipſa electione pro confirmatione, & ſtatim diſtributæ fuerunt, & hodie repetuntur in *Summario num.*18. *&* 19. hæc autem omnia demonſtrant Capitulum ſuper præciſo motivo periculi Eccleſiæ etiam non vocationem fundaſſe: idque clarè patet ex ultimis Epiſtolis aute Electionem, & tempore congruo, ac re ipſa integra miſſis, in quibus expreſſit non ſolùm ex capite Foraneitatis, ſed etiam ex aliis cauſis omne jus Eminentiſſimi D.Cardinalis excludere. ibi: *Propter alias rationes uberiùs poſtmodùm deducendas, & ubi opus fuerit inſinuandas.Summar.num.*20. quæ verba ſatis exprimunt rationes iſtas ultra foraneitatem expreſſam, cùm indicent alias rationes ab expreſſis diverſas, juxtà traditionem *Bart.in l. ſi quis, §.fin.ff.de leg.*2. quem refert, & ſequitur *Honded.conſ.69.n.25.lib.2.Rot. coram Royas deciſ.41.num.6.*

26. Verùm pro obtinenda Confirmatione ceſſat omnis hæſitatio, quandoquidem pro ea inſtat Sereniſſimus Princeps electus, cui, cùm ex hac Electione quæſitum fuerit jus, vel in re ipſa, vel ad rem, & actu etiam Prælaturæ, juxtà *Text.in cap.cùm inter* 21. ubi *Gloſſ.verb.reſilire De Election. cap. Dilectiſſimo 8.qu.1.Gloſſ.in cap.Quanto, verb.relatio, diſtinct.63.Abbas conſ.47. num.2.tom.1.Ricc.collect.*1648.*Barboſ.vot.35.à num.2. Lavor.de Elect. cap.25. ſub num.2. Caſtellin.eod.tract.cap.14.nu.63. Paſſerin. pariter De elect.cap.33. nu.6.* Poteſt omni Jure proſequi ſuam Electionem, ejuſque validitatem pro obtinenda confirmatione, ad *Text.in cap.Cupientes* 16.*De Election.in* 6.ibi: *Proſecuturi Electiones ſuas*, & ibi *Gloſs. in verb.poſt obtentam, ac Geminian.num.13.col.4.Imol. in cap.exbibita num.* 1.*de Judic.*ubi etiam *Abb.num.pariter* 1.*Hoſtien.in cap.licèt 5.num.1.de Offic.Legat.Jo:Andr.in cap.Publicato, verſus finem De Election. Butr.in cap.cùm inter 21.num.2.eod.tit.Mandagot.de Election.par.2.cap.59.tit. de forma, Caſtellin.eod.tractat.cap.14.num.*53. Eamque omni Jure tueri, ac defendere adversùs nullitates, & omnia objecta, & adversùs ipſoſmet Electores, utpotè habens jus non dependens ab illis. *cap.exbibita* 19. *de Judic.* ubi *Abb. num.1.Innocent.in cap.veniens il 2.de Teſt.Geminian.in dict.cap.Cupientes dict. column.4.Mandagot.d.part.2.cap.59.tit.de forma. Caſtellin. de Election. cap.14. nu.63.Sperell.deciſ.182.num.149.*

27. Haud ſubſiſtente, quòd Dominus Cardinalis potuiſſet admitti, prout admiſſus fuit Canonicus de Poitiers, qui degebat in Gallia, à qua de facto occupatur Oppidum Dinant, Leodienſis Eccleſiæ Patrimonium, ubi Beneficium obtinet dictus Dom.de Poitiers Natione Leodienſis, qui parendo Ordinationibus Imperii, & Capituli, reverſus fuit ad proprios lares; undè ab eo facienda non eſt illatio ab Eminentiſſimum Dom. Cardinalem, Principem adeò potentem, Miniſtrum Hoſtis, ejuſque Copiarum diſpoſitorem, ut ipſemet ſuis Litteris, & proteſtationibus expreſsè fatetur, cùm materia ſit totaliter diverſa, in qua non currit illatio. *l.Papinianus, ff.de minor.l.ultim. in fin. & ibi Bartol. ff. de calumniator.cum concordantibus. Rot.deciſ.633.num.21.part.18.& dec.235. num.12.part.19.recent.*

28. Demum pro excludenda quacumque prætenſa irritatione ex aſſerto contemptu Eminentiſſimi Domini Cardinalis, ſatis eſt advertere, quòd ipſe futuræ Electioni, dato per impoſſibile, quòd juxtà ſenſum Partis eſſet deve-

niendum, intervenire non poſſet non tantùm ex rationibus ſuprà deductis, quàm etiam ex eo quòd hodiè detegitur carere ipſo Canonicatu, eumque à multo tempore fuiſſe vacatum, ex notoria Conſtitutione 79. ſan.me. Sixti V. demandante Canonicatus hujuſmodi vacare, non attento generali etiam Indulto retinendi, eo quia non deceat Cardinalitiæ dignitati poſt alios Canonicos, & Epiſcopum, Cardinales locum, inceſſum, & Stallum habere. ibi: *Per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & omnia Beneficia cujuſcumque nominis, & tituli ſint, niſi fuerit data retentio, quæ conceſſa intelligitur, & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, ad Monaſteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad cætera omnia alia Beneficia, quæ videntur convenire Dignitati Cardinalatus. Ad alia verò, quæ videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalatus, puta Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia Beneficia non extendatur; cùm obtinentes hujuſmodi Beneficia teneantur reſidere in Choro, & habere debeant locum poſt Epiſcopum, Cardinalis dignitati non convenientem.* Prout etiã latiùs in facto deducitur, ubi reſpondetur omnibus indultis pro retentione obtentis: & propterea cum Contempto non interſit, & intervenire non valeat Electioni, nullum jus habet pro ea annullanda; res enim, ut dicunt, devenit ad eum Statum, à quo incipere non poteſt. ita probat *Ancharan. in cap. cùm veniſſent num. 2. De reſtitut. in integr. Prob. ad Monac. in cap. 1. num. 45. De præben. Roman. conſ.* 499. *in fine.* ibi: *Quòd, ubi deſinit cauſa, propter quam deſinit actio, vel deſinit intereſſe, quo quis agit, deſinit etiam actio ipſo jure competere,* allegans *text. in l. ſigni, §. final. ff. ad exhiben. Sperell. dec.* 182. *num.* 25. ubi, quòd quis debet poſſe intereſſe jure electionis, ut contemptum allegare valeat, & faciunt *Hoſtienſ. & Abb. in cap. illud De præſumpt. & amb. col.* 3. *in fin.* & faciunt *Gabriel eod. tit. concl.* 1. *num.* 62. *& Rot. deciſ.* 79. *num.* 10. poſt *Torr. de pact. futur. ſucceſſ.*

29. Nil refragante præſumptione particularis Indulti ex lapſu temporis; nam illa præſumptio ceſſat ex perquiſitione, & inſpectione Regeſtrorum, ex quibus negativa diſpenſationis probata reſultat. *Caſtador. ſuper regul. dec.* 5. *nu.* 3. *Verall. dec.* 45. *num.* 5. *par.* 3. *Gregor. deciſ.* 13. *nu.* 10. *Celſ. dec.* 130. *nu.* 12. & 13. ubi quòd hoc caſu *veritas excludit hanc præſumptionem.* Accedente præſertim decreto conſiſtoriali exhibito, quod dumtaxat ſolam retentionem in genere præfert, ex cujus exhibitione ceſſat præſumptio cujuslibet alterius tituli melioris, & particularis. *Lotther. de re benef. lib.* 1. *qu.* 46. *num.* 29. cum ibi citatis, ac per *Rot. in recent. deciſ.* 210. *num.* 3. *par.* 2. *& deciſ.* 336. *num.* 30. *par.* 10. *& deciſ.* 154. *num.* 17. *par.* 12. coram *Carill. deciſ.* 44. *num.* 4. *Merlin. deciſ.* 702. *n.* 34. *Celſ. deciſ.* 239. *num.* 11. *& Priol. deciſ.* 40. *num.* 16.

30. Minuſque juvante poſſeſſione, nam cùm hodiè agatur pro annullatione exadverſo, & pro confirmatione ex noſtra parte, & ante eam conſtet de defectu proprietatis, quidquid eſſet, ſi ageretur de ſubſtinendo Voto jam tradito ratione poſſeſſionis, ſeù de ejiciendo poſſeſſore, licet hoc caſu, quo agitur petitorio, & poſſeſſorio, dum petitur annullari petitorium abſorbet poſſeſſorium, itaut retardari non poteſt confirmatio. *DD. in cap. cùm Eccleſia Sutrina* 3. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* ubi *Innocent. num.* 1. ubi quòd contemptus petens caſſare Electionem, poſſeſſorium, & petitorium intentat. *Abb. ibidem num.* 1. *verſ. unde non confirmari. Hoſtienſ. num.* 2. & 3. *Imol. ſub num.* 5. *Ancharan. num.* 23.

ad-

addens *num.*24. quòd contra petentem confirmationem non poteſt opponi exceptio ſpoliationis. latè *Jo:Andr.*& alii. Prout videmus in præſentato, cui non impeditur inſtitutio ex contemptu præſentantis, ſi ante eam conſtet de non jure ipſius non attenta poſſeſſione. DD. in *cap. conſultationibus De Jurepatronat. Dec.conſ.*127.*num.*1.*Rot.deciſ.*167.*num.*10.*part.*2.*diverſ.& in rec.dec.*374. *num.*4.*par.*1.*& deciſ.*423.*num.*13.*par.*14. coram *Priol.deciſ.*113.*nu.*34.*&* 35. atque optimè *Coccin.annot.*304.*nu.*5. Et id abſque difficultate procedit, quando, prout hic, jus ipſum reſiſtit poſſeſſioni, quia tunc nec minùs acquiritur poſſeſſio. *Covarr.practicar.cap.*17.*num.*5.*quæſt.*11.*verſ.*4. *Menoch.de retinend.poſſeſſ.remed.ult.num.*24.*Coccin.d.annot.*304.*num.*5.

31. Ex prædictis itaque tria pro excluſione contemptus urgent validiſſima fundamenta; Primum, quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis non erat vocandus, dum ſciebat vacationem, & diem Electionis, quòdque ex declaratione Foraneitatis nullo modo reſultat contemptus; Secundum, quia Eminentiſs.Dom.Cardin. vocari non debebat ob periculum Eccleſiæ; & Tertium, quia hodiè ex vacatione Canonicatus ceſſat omne intereſſe, & jus ipſius, quorum unumquodque per ſe ſufficit, ne ſit ampliùs retardanda Confirmatio, ut tandem bono, & tranquillitati huic Eccleſiæ conſulatur, reſpectu cujus, quiſque videt, *quàm triſtia fuerint, quàm periculoſa ſint, & quantò periculoſiora imminent tempora*, ut utamur verbis, quibus *Joannes Sariſburienſis Epiſt.*299. allocutus fuerat Alexandrum III. nomine Prioris, & Capituli Cantuarienſis, ſupplicando, ***ut quem elegerant Paſtorem authoritate Apoſtolica adversùs eos, qui ruinas Eccleſiarum perpetuare machinantur, roborare dignaretur.***

32. Quoad Dominum Canonicum de Rekem obſtant omnia prædicta, ac duo etiam alia ſpecialia; Alterum nempè quòd ipſe non ſe præſentavit in feſto Sancti Ægidii, neque reſedit, & ideò eſt, & non poteſt controverti, Foraneus ex ipſamet inſubſiſtenti opinione DD. exadverſo ſcribentium; Alterum quia contrà Imperium, ſuamque Eccleſiam, & Canonicalem profeſſionem aſſumpſit militiam, & quod magis repugnat, in ſervitium Regis Chriſtianiſſimi, Præfectus unius Legionis adversùs propriam Patriam pugnavit, ex quibus nemo dicet eum fuiſſe vocandum, & uti hoſtem, & uti notoriè, & ipſo jure beneficio privatum. *Gloſſ.in cap.fin.in verb.redierint De Cleric.non reſiden. Imol.* qui de communi teſtatur in *cap.fin.num.*6. *De vit.& honeſt.Clericor. Barbat. conſ.*11.*col.fin.verſ.præterea*, facit *Gigas De penſ.quæſt.*55.*num.*2. *Clar.in §.fin. quæſt.*73.*num.*6.*ſub verſ.item Clericus, Farinac.par.*1. *Fragment. crimin.in verbo Clericus*, ſeù ſaltem ſuſpenſum. *Pellizar.in manual.Regular.tract.*9. *cap.* 2.*ſect.*2.*num.*86.*tom.*1.

GEORGII

GEORGII DE FIRMANIS

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO

Juris, & Facti ſuper contemptu.

1. SUper duobus ſcribitur exadverſo, nempè ſuper meritis Contemptus, & ſuper Dilatione prò nova compulſatione. Et in hoc ſecundo præſentiunt malam cauſam fovere, ut ſcripſit Bonifacius I. ad Epiſcopos Galliæ *in cap.nullus* 4.*De Præſumpt.* & Gelaſius itidem I. *Can. Chriſtianis cauſa* 11. *quæſt.*1. per hæc verba: *Quiſquis dilationibus judicium refugit, eum apparet de Juſtitia diffiſum.*

2. Et in ordine ad merita, clariſſimè æquivocatur in aliquo Juris principio, & ſuper intellectu Statuti manifeſtè confunditur, ut mox demonſtrabo, poſtquam documenta, quæ dedimus in *Summario* à frivolis exceptionibus vindicavero.

3. Extractus in *Summario noſtro nu.* 3. impugnari non poteſt ex defectu partis non citatæ, quia miramur inter bellorum fragores prætendi poſſibilitatem alicujus interventus pro parte Eminentiſſimi Bullionii in Civitate Imperii, & Confœderata, ac prætendi obſervantiam ſtyli forenſis Pragmaticorum in circumſtantiis adeò ſingularibus, in quibus Pontifex Summus Canonum, ac Legum Moderator, aliter procedendum cenſuit, & procedi mandavit; dum ideò Princeps eſt lex animata, ut tamquam regulam lesbiam procedendi modos loco, tempori, aliiſque rerum circumſtantiis adaptet, ad tradita per *Solorzanum Emblem.*63.

4. Et quatenùs temporum difficultas non concurreret: Satis eſt, quòd Extractus factus fuerit de Mandato Papæ, ut optimè *Butrius* relato *Hoſtienſ. in cap.Pervenit De fidejuſſor.num.*10.ibi: *Etiamſi fiat ſine ſolemnitate, dummodò fiat de mandato Papæ auctoritate Judicis*, *exemplatio obtinet vim Inſtrumenti publici, & probat.*

5. Neque impugnari poteſt prætextu defectus integritatis, quia Illuſtriſſimus Dominus Nuntius demandavit extractum in concernentibus foraneitatem, ſuper qua diſputabatur; ideòque ſervanda regula *Text. in cap. contingit De fide Inſtrument.*ibi: *Ità quòd, ſi ſuper uno tantùm Capitulo quæſtio fuerit, illud ſolummodò deſcribatur*, *& adverſæ parti copia ejus fiat*, ubi *Myſingerius num.*11. concludit hanc regulam nullam pati limitationem, *quando Capitula Inſtrumenti ſunt ſeparata, diverſamque materiam comprehendunt*; quoniam tali caſu jam docuerat *n.*7. *Non totum cuique Codicem rationum*, *totaſque Membranas inſpiciendi, deſcribendique poteſtas fiat; ſed ut ea ſola pars rationum, quæ ad inſtruendum aliquem pertinet, inſpiciatur, & deſcribatur.*

6. Et ſolùm articulos in extractu deſcriptos concernere foraneitatem,

mox

mox oſtendetur, cùm Statutum interpretabimur.

7. Minùs verò excipi poteſt adversùs Copiam ab Illuſtriſſimo Nuntio plico obſignato per Secretariam Status tranſmiſſam ad Sanctiſſimum; Imò fateor exceptiones datas à Domino de Vaillant cum indebitis ſuſpicionibus, videri nimis audaces, dum Legatis Principum, præſertim Apoſtolicis, nephas eſt non præſtare fidem. *Can. Nobiliſſimus 97. diſt.*

8. Sed multò minus, ampliùs revocari poteſt in dubium verus tenor Statutorum, dùm Romæ habemus anthographum in regeſtis Apoſtolicis; Itàut Leodium ab Urbe, non Urbs à Leodio indigeat extractu.

9. Illud ſanè certum eſt, quòd Statuta, quibus gubernatur Eccleſia Leodienſis, quæque hodie, & ab initio obſervantur, alia non ſunt, niſi compilata anno 1560. ut probatur: *Primò*, quia Decanus, & Capitulum ad juſſum Nuntii ità capitulariter faſſi ſunt. *Summ. noſtro num. 2. Secundò*, quia ità teſtantur Secretarius Capituli, & Delegati Apoſtolici *Summ. num. 3. litt. L. & R. Tertiò*, quia iſta compilatio reperitur inter acta Viſitationis Apoſtolicæ de anno 1656. ex quo erant in obſervantia. *Quartò*, quia idem Illuſtriſſimus D. Nuntius de eodem expreſsè teſtatur. *Summ. num. 5.*

10. Stante igitur, quòd iſta ſunt Statuta, quæ vigent, quæque ſignata manu ſan. mem. Pii IV. reperiuntur in regeſtis Apoſtolicis, & collationata per Dominum Secretarium permiſſu Eminentiſſimi Domini Cardinalis Prodatarii, conſonant de verbo ad verbum cum datis in *Summario num. 6.* planum eſt, opus ampliùs non eſſe tenorem Statutorum aliunde petere.

11. Et ne Adverſariis, dilationes dumtaxat aucupantibus, ullum prorſus diffugium ſuperſit, promptè exhibemus in manibus Domini Secretarii extractum integrum, authorizatum ab uno ex Delegatis ab Illuſtriſſimo Nuntio: Et iſtud etiam collationatum cum regeſto Apoſtolico, compertum eſt, eſſe ejuſdem tenoris, ut idem Dominus Secretarius teſtari non gravabitur. Undè habemus jam tot authentica, & omnia inter ſe conformia, eademque conſonantia Autographo Apoſtolico, ut nulla remaneat dubitandi occaſio ſuper vero tenore Statutorum.

12. Poſito tenore, prout in noſtro *Sum.* tàm *n. 3.* quàm *n. 6.* Valdè æquivocatur exadverſo ſuper pūcto Juris, quòd hoc Statutū ſit odioſum, & contra jus, quia veriùs conformatur *Conc. Trid. in c. 4. ſeſſ. 22. de refor.* ubi poſtquā adversùs moroſos in Sacris Ordinibus ſuſcipiendis innovavit diſpoſitionē *Clement. Ut ii, qui De ætat. & qualit.* Statuentis, *ut nullus vocem in Capitulo habeat, niſi ſaltem in Subdiaconatus ordine fuerit conſtitutus*: Idem *Concilium* ſubdit: *Cogantque Epiſcopi eos diebus Statutis dictos Ordines per ſe ipſos exercere.* Et cōtinuando proſequitur: *Ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu Divino præſtare* ſub eiſdem, *& aliis etiam* gravioribus pœnis *arbitrio eorum imponendis.*

13. Imponere igitur pœnam privationis vocis in iis, quæ mandantur pro ſervitio Eccleſiæ, non eſt Statuere contra jus, ſed potiùs procedere cum Juris conformitate, dùm Concilium ſub eiſdem pœnis, nempè carentiæ vocis, & aliis gravioribus, decernit conſulendum Eccleſiæ. Et ità, permittente Jure, Statutum valet in caſu noſtro, quia comparitio in die S. Ægidii concernit maximum Eccleſiæ ſervitium, dum tali die celebratur Capitulum Generale, in quo decernuntur negotia graviora, & ſtatuuntur obſervanda toto illo anno, abſque eo, quòd obſtet mitigatio ſubſequuta interveniendi per Procuratorem; quia con-

conceſſum ob motiva particularia trahi non debet ad Statuti deſtructionem: Et adhuc Procuratores muniri conſueverunt opportunis facultatibus pro deliberationibus in Capitulo faciendis, & pro ſuffragio ferendo in Electionibus, proùt recognoſcitur ex mandato ejuſdem Eminentiſſimi. *Summ. dato num.* 11.

14. Propterea de validitate Statuti non poteſt dubitari. *Primò*, quia conforme Concilio Tridentino. *Secundò*, quia fieri potuit à Capitulo, juxtà irrefragabilem ſententiam Sac. Congregationis Concilii, & *Fagnani in cap. cùm omnes De Conſtitut. num.* 39. *Tertiò*, quia ad effectum validitatis ſufficit ſupplicationem ſignatam fuiſſe à Pio IV. ut firmavit *Rota* allegata per *Dom. de Faſco deciſ.* 625. *num.* 4. *par.* 1. *recentior. Quartò*, quia iſta compilatio, non ſolùm excerpta eſt ex Statutis antiquiſſimis, ut apparet ex illorum proœmio. *dict. Summ. num.* 3. & 6. verùm etiam à die compilationis in antea per centum, & ultra annos obſervatum, & juratum fuit; ideòque vim habet conſuetudinis, qua ſola ratione Honorius III. mandavit Cap. Pariſienſi, ut obſervaret Conſtitutiones Eccleſiæ. *Cap. cùm conſuetudinis* 9. *de conſuet. Quintò*, quia Dom. exadverſo ſcribens, facto recedens, ab indebita opinione Domin. de Vaillant, admittit Statutum pro obſervando, & copiam Dom. Nuntii pro authentica, dùm illa utitur in *Summ. novo n.* 7. & dùm ex illa declarat deſumpſiſſe. *Sextò*, quia ipſemet Eminentiſſimus Bullionius in ſuis precibus porrectis Clementi X. ſan. memor. recognovit in Eccleſia Leodienſi vigere hujuſmodi Statuta, & pro illis non obſervandis, eſſe neceſſariam derogationem Apoſtolicam, proùt ex Brevi in primo *Summ.* ex adverſo dato *num.* 15. & hæc ſola confeſſio removet omne dubium.

15. Poſita validitate Statutorum, ſolùm remanet inſpicere de illorum intelligentia, pro qua explananda Statutum dividendum eſt in plures periodos, quarum *Prima* diſponit de Canonicis, qui ſe debent exhibere in Capitulo Sancti Ægidii: *Secunda* de Canonicis, qui non reſederunt anno præcedenti: Et de iſtis diſponit, quòd debeant ſe præſentare, & offerre ad reſidentiam, verbis expreſſis.

16. Supplicamus igitur reflecti, Statutum conſiderare Canonicos in duplici Statu: *Primò* ſcilicet, in eo Statu, in quo, in nullo defecerunt: Et *Secundò* in eo, in quo comperti ſunt defeciſſe anno præcedenti.

17. De iis, qui non defecerunt, Statutum diſponit per verbum *exhibere*: Et in iis, qui defecerunt, diſponit per verbum *præſentare, & offerre ſe ad reſidentiam* verbis expreſſis. Illi, qui non defecerunt, ad effectum adimplendi Statutum, ſatis eſt quòd *ſe exhibeant in Capitulo*, nempè, ut compareant in ipſo Capitulo; dum *exhibere* nihil aliud in jure ſignificat, niſi copiam ſui facere, ſeu ſe in publico oſtendere. *l. exhibere, ff. ad exhibendum*, vel in publicum producere, & videndi hominis facultatem præbere. *l.* 3. *§. ait Prætor, ff. quod vi, aut clam*: Et in caſu noſtro nihil aliud importare poteſt, *niſi publicè comparere in Capitulo S. Ægidii.*

18. Pro iis verò, qui anno præcedenti non reſederunt, Statutum non contentatur de pura, & ſola comparitione, ſed præciſè requirit, ut *ſe præſentent, & expreſſis verbis offerant ſeſe ad reſidentiam*: Et meritò conſtituta eſt hæc differentia, ut defectuoſi, tanquam contumaces, *petant veluti veniam ſeſe præſentando: Et promittant emendationem* in futurum; Et ideò requiritur, ut expreſſis verbis offerant ſeſe ad reſidentiam: ut in exemplis in *Summ. num.* 3. *litt.X.*

Digitized by Google

litt.X. extractis per Delegatos Apoſtolicos, qui non exceſſerunt fines mandati, ut opponitur exadverſo, quia Sanctiſſimus D.Nuntio, & iſte Delegatis præcisè injunxerat, ut explorarent ſuper obſervantia, ut *in Summ. dato num.*1.

19. Retenta diſpoſitione Statuti cum hac diſcretiva inter obſervantes, & defectuoſos, totum quod ſequitur uſque ad verba: *petere non poſſit*, pertinet ad Canonicos contumaces. Siquidem de his decretum eſt, nullam eis exceptionem ſuffragari. ibi: *Nulla exceptione, &c. ſuffragante*. Et proſequendo circa eoſdem Contumaces Statutum ſubnectit duas limitationes pro duobus caſibus, in quibus excuſantur: *Prima* ſcilicet *graviſſimæ infirmitatis*. ibi: *Niſi ſi quis graviſſimè ægrotet*. Et explicat quibus modis probanda eſt infirmitas. *Secunda limitatio eſt* de iis, qui abſunt pro negotiis Capituli, & cum licentia ſufficienti. ibi: *Aut ſi quem in negotiis Eccleſiæ de ſpeciali Capituli mandato, &c.*

20. Rursùs, proſequendo adverſus eoſdem contumaces, expreſsè diſponit, ut iſti non poſſint petere abſentiam gratioſam, ut patet. ibi: *Item qui in die Beati Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit*; quoniam loquendo per verbum *præſentaverit*, quod eſt verbum à Statuto adhibitum in Canonico defectuoſo, proculdubio diſpoſitio intelligitur de eodem, cui verba conveniunt, & de quo per eadem verba diſpoſitum fuerat, *ut ſe præſentaret, & verbis expreſſis offerret ad reſidentiam*. Et ideò in pœnam præteritæ contumaciæ non poteſt petere Indultum non reſidendi. Undè ceſſat ſcrupulus omnis, qui priùs deſumebatur ex negativa *non*, dum diſponendo adverſus Canonicos contumaces, diſpoſitio eſt pluſquam rationabilis ſine negativa.

21. Poſtquam Statutum diſtinxit duas hujuſmodi ſpecies Canonicorum, nempè obſervantium, qui ſolummodò tenentur ſe exhibere, & contumacium, qui tenentur ſe præſentare, & expreſsè offerre ad reſidentiam: Reaſſumit diſponere ſuper utraque ſpecie, dicendo: *Item quicumque in feſto Beati Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit*: Iſti ſunt obſervantes: *aut præſentaverit*: Iſti ſunt contumaces: *Reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem continuè, vel diſcontinuè*; *Alioqui pro* Foraneo *habeatur*; Et ultrà Foraneitatem addit, & aggravat alias pœnas. ibi: *Nec ullos omninò fructus faciat eo anno*, cum reliquis, quæ ſequuntur, ad caſum noſtrum non pertinentibus.

22. Hinc ſatis apparet Statutum noſtrum expreſsè, & directè diſponere, ut Canonici compareant in Capitulo Sancti Ægidii, & poſtquam comparuerunt reſideant; dum reliqua interjacentia à verbo *exhibere*, uſque ad verba: *Item quicumque*, omnia ſtant veluti intrà parentheſes; Ac propterea clara ſequitur intelligentia, quòd qui in Capitulo ſe non exhibuit, ſeu ſe non præſentavit, ſeu ſe exhibuit, aut præſentavit, ſed non reſedit, habeatur pro *Foraneo*, ut Capitulum uſque ab initio reſpondit Eminentiſſimo Bullionio. *Summario antiquiori num.*12.*litt.A.* & in nova juris Domini *de Fuſco num.*24.& *in Epiſtolis* exadverſo impreſſis *pag.*13.*verſic.*28.*uſque ad* 33. Quidquid ſit, quòd poſterioribus temporibus per uſum loquendi promiſcuè adhibitum fuerit verbum præſentare pro utraque ſpecie Canonicorum, quod nequaquam alterat diſcretivum loquendi modum à Statuentibus adhibitum ad effectum diſcretivè explanandi Statutum.

23. Hine dici non poteſt, caſum ejus, qui ſe non exhibuit, ſeu non præſen-

ſentavit, eſſe caſum omiſſum à Statuto; quia dum Statutum in ſui principio ſtatuit diſpoſitivè de exhibitione per hæc verba: *Debebit perſonalitèr ſe exhibere*, nullatenùs dici poteſt, quòd caſus illius, qui ſe non exhibet, non eſt caſus Statuti, non ſecus, ac ſi diceremus, quòd ex quo in Decalogo præcipitur per affirmativam Ama Deum, caſus illius, qui non amat, ſit caſus omiſſus. Quod eſt maximum, & ſolemniſſimum abſurdum; Ideòque par eſſet abſurdum dicere, quòd in Statuto diſponente, ut ſe præſentet, non comprehenditur qui ſe non præſentat.

24. Et de iſto caſu diximus Statutum intelligi, quòd per non præſentationem incurritur Foraneitas, de qua hodiè non poteſt ampliùs controverti; quia habemus obſervantiam interpretativam de anno 1652. in extractu facto per Delegatos. *Summ.num.3.litt.X.* & rurſus. *d.Summ. num.* 12. ac de Sereniſſimo piæ mem.Theutonico. *Summ.num.*13. & 14. in quibus ſolus defectus repræſentationis in S.Ægidio induxit Foraneitatem.

25. Et quidem exemplum Sereniſſimi Theutonici optimè adaptatur Eminentiſſimo; quia in Sereniſſimo nullus omninò defectus concurrebat, niſi quòd ſe non repræſentaverat anno 1690. ut in *Summ.num.*14.ibi: *Anno autem 1690. non apparet de repræſentatione neque perſonali, neque per Conſtitutionem*. Imò, quamvis annis ſubſequentibus admiſſæ fuiſſent repræſentationes: Nihilominùs, animadverſo errore de anno 1693. Capitulum recuſavit admittere mandatum procuræ: & cùm deindè peteret admitti ad reſidentiam, cenſuerunt admitti non poſſe, & habendum pro *Foraneo*, ut in *Summ.num.*13.quod optimè, imò potiori ratione quadrat Eminentiſſimo Bullionio, qui per integrum quinquennium ab annuis repræſentationibus defecit.

26. Neque ad hunc effectum ſuffragari poteſt Eminentiſſimo Breve Clementis X. quia licèt excuſare poſſit à reſidentia, nequaquam extendi poteſt ad eximendum à repræſentatione in S. Ægidio; quia repræſentatio ordinata fuit à Statuto per diſpoſitionem diſtinctam à reſidentia. ibi: *Debebit in Capitulo Generali ſe exhibere*. Et ſuper iſta parte Eminentiſſimus non fuit diſpenſatus a Clemente X. ac propterea trahi nequit ad articulos non expreſſos, & Pontifici incognitos. *Rota coram Greg.deciſ.*109.*num.6.*

27. Eòque magis, quia Eminentiſſimus fatetur hanc eſſe conſuetudinem, ut ex ejus mandato procuræ. *Summ. num.* 11. ibi: *Prout moris eſt*; præſertìm quando Eminentiſſimus etiam poſt obtentum Breve, diligentiam ſe repræſentandi religioſiſſimè ſervavit uſque ab Bellum. *Summ. antecedenti ſuper oppoſitionibus num.6.*

28. Minus dicatur à nobis afferri ſolùm quatuor actus miſerabiles ſuper obſervantia interpretativa Statuti: quòdque deberemus afferre centurias; quoniam multipliciter reſpondemus: *Primò*, ad obſervantiam interpretativam pauciores etiam actus ſufficere. *Rota coram Cavalerio deciſ.* 497. *num.5.* *Secundò*, In hac ſpecie, quia obſervantia emanavit à Statuentibus, & inter ipſos Statuentes unicus actus ſufficit, quia eſt declaratio authoritativa. *Tertiò*, paucos admodum inveniri negligentes in omittendo adimplemēto tam facili, a quo multum dependet, prout videmus tot Cardinales gravioribus, & arduiſſimis negociis implicitos, etiam tempore Conclavis fuiſſe diligentiſſimos, prout etiam fuit ipſemet Eminentiſſimus Bullionius. *d. Summ.ſuper oppoſitionibus num.6.* & nunquam intermiſiſſet, niſi bellum afferens impedimenta facti, & impoſſibili-

li-

litatem habendi Procuratorem Leodii ſuperveniſſet, ut fatetur *D. de Vaillant* relatus *in Summ. noſtro num.* 8. *Quartò*, quia in partitis extrahendis ſatis fuit extrahere eas, quæ loquebantur explicitè; dum cæteroqui inter partitas importantes Foraneitatem numerari poſſunt etiam illæ, quæ extant *in Summ. ſuper oppoſitionibus num.* 7. de non repræſentationibus Eminentiſſimorum Bullionii, & Furſtembergii, & Comitis de Rekem: ſupplicando reflecti, Capitulum non teneri ad ſingulos Canonicos non repræſentantes, ſuperflua repetitione adnotare, quòd ſe non repræſentavit, & ideò eſt Foraneus; ideòque caret voce; quia ſatis eſt, quòd appareat de non repræſentatione, dum pro reliquo cantat Statutum, non ſecus, ac in libris Parochialibus non eſt neceſſe ad ſingulos adſcribere, quòd non ſatisfecit Paſchali præcepto; Ideoque eſt excommunicatus, dum ſatis eſt, quòd appareat deſcriptio nominis in libro, & deſit linea deſignans reſtitutionem bollettini, quia exindè ſufficienter apparet de inobedientia præcepto Eccleſię, & quod extet *Canon omnes utriuſque ſexus De pœnit. & remiſſ.* ut dicatur excommunicatus. Adverſus obſervantiam contrariam exadverſo prætenſam, prout ad reliqua omnia, quæ in materia facti dicuntur à *D. Vaillant*, vel ab aliis, non eſt opus reſpondere, quia nihil datur in Summario; Imò nullus apparet fumus.

29. Ceſſat etiam redargutio, quòd Capitulum, dum juſſu D. Nuntii cogebatur reſpondere ſuper obſervantia Statutorum, nihil dixerit, quòd ſola non præſentatio facit Foraneum; quia D. Nuntius juxtà mandatum Sanctiſs. interrogabat de obſervantia, non de intelligentia Statutorum, ut in *Summ. nu.* 1. Ideòque reſpondere non debebat, niſi ſuper interrogatis, ut reſpondit *Summ. num.* 2. Cæterùm ſuper intelligentia ſatis dixerat in Epiſtola relata poſt *D. de Fuſco num.* 24. *& in Epiſtolis* exadverſo impreſſis *pag.* 8. *verſ.* 15. *pag.* 13. *verſ.* 20. & magis expreſsè *à verſ.* 28. *uſque ad* 33.

30. Et ſpernenda non eſt atteſtatio in *Summ. num.* 9. quia Sacerdotis, & cum juramento, abſque eo quòd obſtet exercuiſſe officium Amanuenſis; quia atteſtationibus deponentium ratione Officii, *Sacra Rota* ſemper fidem habuit *deciſ.* 348. *num.* 14. *par.* 16. Et Officium hoc in Secretarìa nobiliſſimi Capituli Condominii in ſupremo Dominio, non eſt contemnibile, & in materia obſervantiæ interpretativæ probant teſtes ſingulares. *Dec. conſ.* 51. *num.* 84. *lib.* 1.

31. Et revertendo ad verba Statuti, de quo in ordine ad præſentationem prætenditur non eſſe obligatorium, ſed merè facultativum, ex quo Statutum utitur verbo: *Volet*. Et in ordine ad foraneitatem illam in ſe non repræſentante, prætenditur eſſe ſimilitudinariam, ex quo utitur verbo *habeatur*, quamvis hoc pertineat ad Advocatos, qui *D. de Vaillant* dicentem nunquam hæc voluiſſe intelligere, facili negotio confutabunt, ego etiam pro poſſe meo ſatisfaciam.

32. Et quidem ad primum de actu facultativo, dictio illa *reſidere* non eſt adeò vacua, ut de ſe nihil ſignificet; quia reſidere importat haberi velle inter reſidentes, & pœnis non reſidentium teneri, ut colligitur ex particula, *&*, quæ ſubſequens ad dictum verbum, *reſidere*, importat, effectum ſequentem percipiendi fructus, eſſe quid diſtinctum à ſignificato importato per verbum *reſidere*, quod clarius colligitur infrà ex eodem Statuto, ubi perceptio fructuum diſtinguitur ab effectu foraneitatis, per dictionem *nec*, quæ eſt augmentativa præcedentis. Ac propterea dicendum eſt, tàm fructus facere, quàm reſidere

proponi voluntati, ſed tanquam conditionem, ſeù requiſitum neceſſarium ad fruendum effectibus reſidentiæ, & faciendi fructus ſuos, & non reſtituendi etiã eos, quos jam fecit ſuos, ut diſponitur in Statuto uniformiter ad *Conc. Tridentinum cap. 12. ſeſſ. 24. de reform. §. prætereà*.

33. Jam verò voluntarium ſub hac forma, poterit benè eſſe conditio proteſtativa; ſed inſimul, niſi talis proteſtativa adimpleatur, nequaquam conſequi poterit præmium pro tali adimplemento propoſitum, vel effugere pœnam pro non adimplemento inflictam. *l. conditionum, ff. de condit. & demonſtr. cap. de illis 3. de condit. appoſitis. cap. Romana 1. de cenſibus.* ibi: *Quilibet Archiepiſcopus ſuam volens viſitare Provinciam, prius Eccleſiæ ſuæ Capitulum, ac Civitatem, & Diœceſim propriam plenè viſitare procuret.* Ubi proponitur ſub dictione *volens* viſitatio, ſed tali voluntate, ut non poſſit viſitare Suffraganeos, niſi priùs adimpleverit, quod ejus voluntati remittitur. Et de hoc etiam voluntatis genere ultra Symbolum S. Athanaſii, loquitur Evangelium S. Matthæi 19. verſ. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*. Ergo etiam Canonicus, ſi vult ingredi Capitulum, ſervet Statuta.

34. Ad ſecundum de foraneitate impropria, & ſimilitudinaria deducta ex dictione *habeatur*, reſpondet Alexander III. tali modo loquendi importari etiam eſſentiam, & non ſemper ſimilitudinem, ut eſt *text. in cap. tanta 6. qui filii ſint legitimi.* ibi: *Poſt contractum matrimonium, legitimi habeantur, & in cap. ex parte 10. de conceſſ. præb.* ibi: *Prædictos Clericos pro Canonicis faciatis haberi.* Undè haberi pro Foraneo veram, & non fictam foraneitatem importat vigore Statuti. *d. Summ. num. 3. & 6. litt. D.* Et foraneitatem cum carentia vocis in electione Epiſcopi. *d. Summ. litt. F. & G.* Idcircò ratione foraneitatis Eminentiſs. Dom. Cardinalis Bullionius non debet dici contemptus, quia contemptus non eſt, qui non erat vocandus. *cap. quia propter 42. de elect.*

35. Hæc dicta ſint pro defenſione Capituli, & Capitularium in ea parte, quæ foraneitatem concernit: Eaque clariſſimè demonſtrata per ſe ſola ſufficiens eſt ad elidendã querelam prætenſi cõtemptus. Cæterùm, quia, tam in iſta, quàm ſi aliæ celebrandæ forent electiones, etiamſi Eminentiſſimus Dominus non eſſet, vel non fuiſſet Foraneus, ſemper tamen idem Eminentiſſimus eſſet inadmiſſibilis: prout etiam, quia in Scena præſentis controverſiæ, primam, & primariam perſonam agit Sereniſſimus Electus noſter Principalis. Ipſeque Electus nõ recedens à Juribus Capituli, ſibique reſpectu Capituli competentibus, expreſſè inſiſtit, ut ad ejus inſtantiam, primo loco examinetur, & excludatur prætenſus contemptus ex ratione Canonica incommodi, & periculi; Propterea in hac iterum inſiſtimus.

PRO SERENISSIMO PRINCIPE ELECTO.

36. Super hoc puncto DD. exadverſo ſcribentes, ex quo non valent evitare potentiam hujus motivi, fingunt ſe longiùs ire: Et iſte vocat *figmenta*, & *machinam aeream*, alter *nugas*, alter *vanum timorem*, & alter alia, quæ nodum difficultatis non ſolvunt, omneſque verbis nihil ſignificantibus, & non rationibus reſpondent, quaſi nihil legerint ex iis, quæ ſuper hoc puncto dedimus in *Summario*. Imò quaſi non viderint litteras Eminentiſs. Bullionii, quas ipſimet peculiariter impreſſerunt, fingunt non videre pericula, quæ ſunt evi-

den-

dentia; Undè cogimur per ipſaſmet literas Eminentiſſimi Bullionii, ea, quæ negant demonſtrare.

37. Proponimus primo loco hanc propoſitionem, ſcilicet, quòd *Eminentiſſimus Dominus munitus erat facultatibus ampliſſimis, & ſecretis inſtructionibus pro parte Regis Chriſtianiſſimi.*

38. Probatur primò, quia Eminentiſſimus non illicò, ſed paulatim juxtà hanc, vel illam circumſtantiam, ſuas facultates à Rege Chriſtianiſſimo ſuſceptas, propalavit, ut convincitur ex Epiſtolis *pag.*24. *verſ.*10. per hæc verba: *huc uſque huncce Regiæ voluntatis declarationem mittere ad vos diſtuli, ſpe fretus, me ipſum poſſe ad Capitulum deferre.* Et in poſtremis litteris *pag.* 32. *verſ.*28. per hæc verba: *Ut in hacce Civitate Huenſi Electio celebretur, offero, & ſpondeo nomine Regis Chriſtianiſſimi, præter Salvos-conductus jam oblatos, Copias omnes etiam à Caſtellis receſſuras.*

39. Cæcutire oporteret: Et in materiis politicis (in quibus umbræ ſufficiunt) non intelligere quid importent, & quid ſibi velint verba præinſerta. Siquidem, dum Eminentiſſimus Regium Diploma *non manifeſtavit, niſi in tempore*: Nullus poterit negare, quòd ità operaretur ex receptis inſtructionibus, quia nullus, & præſertim Vir tantæ prudentiæ, unquam caſualiter operatur.

40. Rursùs allata excuſatio, quòd manifeſtare vellet perſonaliter in Capitulo, nihil relevat, imò magis aggravat; Quoniam, poſtquam Eminentiſſimus liberum ingreſſum in Civitatem habuiſſet, fruſtranea erat exhibitio Regii Diplomatis: Et hinc frivola excuſatio, vel exhibitio ordinata erat ad alium effectum, & cum ulterioribus inſtructionibus oretenùs explicandis: Et hinc ſuſpicio magis augetur. Prout ex alia oblatione dimittendi Copias omnes, etiam ex Arcibus, quis eſt, qui non recognoſcat Regias inſtructiones, & Plenipotentiariam?

41. Secunda propoſitio eſt, quòd *timor, & periculum ſeditionis non erat vanus*: Imò *ad ſeditionem fomenta jam fuerant ſuppeditata.* Et hanc propoſitionem hactenus intelligentiæ legentium epiſtolas reliquimus. Modò tamen, quia DD. exadverſo utuntur hoc termino *ſeditionis*, licebit etiam nobis de illa diſcutere.

42. Et probatur ex eiſdem Epiſtolis Eminentiſſimi, ubi, quamvis reticere velit, ac propriis verbis nebulas injiciat; dum adhuc ſub nube refulgent inſtructiones, & conſilia, ad quæ properabat, ut patet ex allegata Epiſtola *pag.* 24. *verſ.*30. per hæc verba: *Vobis ex animo profiteor, me de oppreſſione, quam patimini, ingemiſcere. Illam certè amoliri liceret, ſi mihi adlaborare, & cum aliqua animi conſtantia, & fiducia quid ſentiatis circa violentias, quæ vobis incutiuntur, & minas, quæ vobis quotidiè intentantur, explicare conſideretis.*

43. Quid ſonent iſta verba, abſque ullo Interprete benè cognoſcitur: Et quamvis profiteatur nolle conſulere receſſum à fœdere: talis profeſſio eſt proteſtatio contradictoria, quia eſt impoſſibile adhærere conſiliis præfatis, & fœdera non reſcindere.

44. Et clariùs explicatur in eadem Epiſtola *pag.*25. *verſ.*4. per hæc verba: *Saltèm Populis Leodienſibus innoteſcere poterit, me totis viribus tentaviſſe, ut calamitates, quibus Patria Leodienſis jam dudum premitur, ſiſtere poſſem.* Ex his, quæ non pertinent ad electionem, apertè intelligitur quibus periculis Patria exponeretur, quoniam in ordine ad Leodii libertatem verba hujuſmodi ve-

verificari non poterant, niſi, vel per receſſum à fœdere, vel vim vi repellendo, vel commovendo Urbem, vel Urbe commota potentiam Gallorum adhibere pro Leodio liberando; Ac tali pacto bellum, novo bello inſtaurare. Et bellatorum perſonas, ſed belli mala non mutare.

45. Sed periculum aggravatur ſequentibus verbis *pag.25. verſ. 6.* ibi: *Sique contingat inpoſterum illa infortunia augeri, non immeritò illorum progreſſus in authores ſpretarum, & rejectarum conditionum oblatarum rejicient, & refundent*; Exindeque negari nequit in tota iſta negotiatione Eminentiſſimum Dom. Bullionium geſſiſſe partes modò ſuaves, modò minaces, non ſecùs ac cum Gothofredo Bullionio gentili ſuo geſſit Alethef. Et exindè ſecretas inſtructiones non arguere, vel non cognoſcere, eſt impoſſibile.

46. Veritatem hanc negare non potuit ipſemet Eminentiſſimus, dum in poſtremis litteris *pag.* 30. *verſ.* 22. conceptarum de facultatibus, & inſtructionibus Regiis ſuſpicionum, profert hæc verba: *Et res eò deveniſſe, ut ſinceritas eorum, qui vellent animi ſui ſenſus explicare, in crimen, & ſcelus imputaretur.*

47. Super his verbis libentèr interrogarem DD. exadverſo ſcribentes, qui credunt allata pericula eſſe in Urbe adinventa, ut reſpondeant Dilemmati, ſcilicèt: aut Eminentiſſimus fatetur ejus oblationes imputatas ſibi fuiſſe in crimen, & ſcelus, ex quo fœderati ita interpretarentur: Et res eſt inconſeſſo ex ore ipſius Eminentiſſimi, quòd ex quocumque interventu Eminentiæ Suæ in electione Principis Leodien. imminebant gravia pericula, præſertìm contra Capitulum, & Capitulares admittentes. Aut ita loquitur, ex quo ita præſentit in corde: & exindè etiam duplex oritur conſequentia, ſcilicèt, quòd, aut excuſatio non petita eſt accuſatio manifeſta, aut periculi timor, quem ipſemet Eminentiſſimus præſentiebat, vanus non erat.

48. Sed timor periculorum innegabiliter augebatur ex facto ipſius Eminentiſſimi, prout in eiſdem Epiſtolis *pag.20. verſ.24. Et ut omnibus etiam vulgi hominibus, præſertìm Leodienſibus, latinæ linguæ penitus ignaris, ſi repulſam à vobis iterum patiar, innoteſcere deinceps poſſit quid perilluſtri Capitulo per hancce Epiſtolam ſignificaverim, præſertìm ad ipſius Capituli nunc oppreſſi, & ſingulorum Capituli membrorum futuram defenſionem, & tuitionem: hancce Epiſtolam de Latino in Gallicum Sermonem verti curavi.*

49. Et addendum Epiſtolis id, quod legitur in proteſtatione *pag.3. verſic. 26. Et inſuper declarationem authenticam Majeſtatis Chriſtianiſſimæ ipſi Capitulo ſignificaverit, & etiam in publicum prodire curaverit per affixionem ad Valvas Eccleſiæ Leodien. & locorum conviciniorum.*

50. Hæc cælari non poſſunt, prout neque alia pariter in Epiſtolis *pag. 19. verſic.31. pag.23. verſic.32. & pag.24. verſic.1.* Et ſuper his Eminentiſſimi Patres, quibus notiſſima ſunt jura Gubernii politici, reflectere dignentur, quid iſta ſignificent, quò tendant, ad quem effectum, & qua poteſtate, ſeu jure ordinata, dum hæc non reſpiciunt electionem, neque tuitionem prætenſi juris ſuffragandi, ſuper quo, ſi quid ei competeret, ſimpliciſſima appellatione tutiſſimum remanebat abſque evulgationibus, & affixionibus, quæ aptæ erant Populi iram excitare in gubernantes, dum contra eos Populo annunciabatur: *Sique contingat inpoſterum illa infortunia augeri, non immeritò illorum progreſſus in authores ſpretarum, & rejectarum conditionum oblatarum rejicient, & refundent*, ut in Epiſtolis *pag.25. verſ.6.*

51. An

51. An iſta dici debeant, prout exadverſo dicitur, *figmenta, nugæ, & machinæ aereæ*, dicant qui ſapiunt! Et in his circumſtantiis,in quibus ex confeſſione ejuſdem Eminentiſſimi, Principes confœderati ſuſpiciones conceperant, idemque Eminentiſſimus ſparſis in mobile vulgus litteris, fomentum ſubmiſerat, poſſet abſque timore concedi Eminentiæ Suæ participatio aliqua in electione futuri Principis Leodienſis,ſeu Capitulum imprudenter ſe ſubmittere periculis, quæ prudenter timebantur, & imminebant.

52. Nihil refert, quòd Eminentiſſimus non intendebat ingredi *cataphractus*, ſed tantùm ſimplici famulatu ſtipatus; quia certè, etiamſi pluſquam mille homines ſecum duxiſſet, timor non reſultabat ex numero iſtorum, ſed ex authoritate ipſius, & ex inclytis qualitatibus Magni Principis; atque ex iis, quæ ſuperindicata ſunt in Epiſtolis, quæque cum aliis ſecretioribus inſtructionibus Leodii poterant inſinuari: Et quando ab infimæ conditionis hominibus graviſſima pericula in momento emerſere, ut paſsim in Hiſtoriis, multò magis in caſu noſtro timendum erat.

53. Neque ulla pietati Eminentiæ Suæ irrogatur injuria, quia non ſemper pericula proveniunt activè, ſed etiam quandoque paſſivè, præſertim pro viris pietate conſpicuis, ut de S.Joanne Chriſoſtomo legit Eccleſia ſub die 27.Januarii: *Sed paulò poſt propter ejus deſiderium ſeditione Populi facta,admirabili Civitatis plauſu ab exilio revocatur.*

54. Hinc inutile eſt diſcurrere de imperiali paſſa-portu,tum quia in Epiſtola exadverſo data D.Nuncius loquitur per conjecturam. ibi: *Devo arguire*:tùm quia quatenùs pervenerit ad manus Legati Cæſarei exiſtentis Leodii; Dum ad Eminentiſſimum non pervenit, hoc idem confirmat Maieſtatis Suæ Miniſtrum (cujus prudentiæ credendum eſt) Cæſarem ſe remiſiſſe;ideò non tranſmiſiſſe, quia ſciebat in loco pericula, quæ exindè reſultaſſent,& non propter Foraneitatem, ut dicebamus in nov. facti *num.*40. Fortiùs ſi Paſſa-portus regulabatur ad terminos litterarum D.Nuntii, ubi ſupponitur, dumtaxat de obſtaculo Nationalitatis, & de avocatoriis in genere, prout reſpiciunt nudum Nationalem,abſque ulla reflexione ad præmiſſas ſuſpiciones,exortas ex geſtis Eminentiæ Suæ, dum Paſſa-portus expeditus pro caſu ſimplici: *Quando venga unicamente impedito dal motivo d'eſſer Franceſe, e d'avere aderito alla Francia*, ſuffragari non poterat in caſu mutato ob noviſſimè geſta, quæ longè plus erant, quàm antiquitus Chriſtianiſſimo adhæſiſſe.

55. His ſtantibus, & ex iis, quæ exadverſo deducuntur pro admiſſibilitate Mandati Procuræ,ex illiſmet convincimus veriſſimam eſſe noſtram propoſitionem, quòd nullus uſurus fuiſſet Mandato Procuræ Eminentiſſimi Bullionii.

56. Dicitur exadverſo, quòd Canonicus Poitiers attulit ſecum Mandatum Procuræ Eminentiſſimi Furſtembergii: Et in hac parte credimus confeſſioni Partis adverſæ; ſed in eo, quod ſubdit, Mandatum hoc rejectum fuiſſe à Capitulo ex capite Foraneitatis, expreſsè negamus, quia hoc abſque ullo fundamento gratis omninò aſſeritur exadverſo. Et ex Inſtrumentis electionum,tàm noſtri Sereniſſimi ſub *litt.*F. benignè reaſſumendo, quàm alio piè defuncti Sereniſſimi Theutonici, convincitur contrarium, dùm in utroque Inſtrumento apparet lecta fuiſſe Mandata procuræ in Capitulo exhibita DD.Libov, & Baronis de Bocholtz, illaque comperta ſufficientia; Undè pari modo lectum fuiſſet mandatum Eminentiſſimi Furſtembergii, ſi Canonicus Poitiers illud exibuiſſet.

57. Re-

57. Retorqueremus igitur allatam confeſſionem, & eruimus conſequentiam; ergo mandatum Eminentiſſimi Furſtembergii non fuit rejectum ex capite foraneitatis, quia in Inſtrumentis appareret de illius lectura, & rejectione; Ergò dùm non apparet, indè ſequitur, quòd potiùs Canonicus Poitiers noluit ſe exponere periculis adversùs ipſum exindè proventuris: Et conſequenter ſubſumimus aliam conſequentiam, quòd pari modo uſus non fuiſſet Mandato procuræ Eminentiſſimi Bullionii.

58. Undè dicere, quòd Eminentiſſimus Bullionius non habuiſſet Procuratorem, qui ejus mandato uſurus fuiſſet, non eſt divinatio. *Primò*, quia in mandato Eminentiſſimi Furſtembergii, ità comprobavit experientia. *Secundò*, quia ut dicebamus in nova Facti, *num.*42. præſumere proùt Jura præſumunt non eſt divinare. Et hoc motivum mirabilitèr dilucidatur ab Eminentiſſimo Domino in Epiſtolis *pag.*19.*verſic.*1. ibi: *Potentiam eorum, qui minacem furorem poſſunt oſtendere ſi veſtræ ſententiæ ipſis grata non habeantur, prævalere adversùs omnes leges*, dùm, ut paritèr dicebamus in eadem nova Facti, *num.*43. non defuiſſent ſtudia partium iram Edictorum adverſus mandato utentem excitare juxtà ſenſum ipſius Eminentiſſimi loco mox citato; Undè nullus credendus erat adeò fatuus, ut mala hujuſmodi pro abſentibus ſibi pararet, incurrendo reprehenſionem *Fagnani in cap. ne innitaris De Conſtitut. num.*291.

59. Neque Dominus exadverſo ſcribens effugere debebat difficultatem impugnando unam Edicti partem prò altera, & ità diſcurrere quaſi in Edicto prohiberetur dumtaxat mercantile commercium, cùm adſint aliæ Edicti partes, quæ loquuntur de quacumque correſpondentia citrà litteras Cambii, præſertim ſub *litt.E.* ubi loquitur de adhærentibus Franciæ, & de adhærentium adhærentibus, ibiq. prohibet: *Nè avere corriſpondenza, ò cõmercio veruno con eſſi, meno di ſoffrire appreſſo di ſe i loro Miniſtri, ò ſervitori, ò dare loro alcuno ajuto, ò ſollievo, mà più toſto debbano fare loro ogni diſpiacere poſſibile*, & hinc, & ex aliis Edicti partibus ad ſervandam diſpoſitionem Juris in *l.* 24. *ff. de leg.* videndum eſt, an prohibita omni prorsùs correſpondentia, intelligatur excepta correſpondentia pro electione Principis; Et injuncta obligatione diſplicendi, an ille, qui mandato uſus fuiſſet faciendo rem gratam Eminentiſſimo, debuiſſet, necnè de Edictis timere.

60. Ac demùm omitti exadverſo potuiſſent tot allegationes ad firmandum perſonas Eccleſiaſticas ſecularium legibus non comprehendi; quia nos etiam non ſolùm ità ſentimus, ſed etiam defendimus, nullamque Eccleſiaſticorum, multòque minùs Eminentiſſimi S.R.E. Cardinalis immunitatem violare intendimus, quia diſtinguimus de Jure ità procedere debere, ſed de facto ſemper, & ubique abſque ullo perſonarum diſcrimine practicari, & practicatum fuiſſe contrarium de facto: Cùmque pericula conſiſtant in facto, & non in Jure, de facto timendum erat, quamvis contrarium eſſet de Jure; quia Jus a facto non liberat.

61. Ac rursùs periculum, de quo loquimur, declaravimus, & intendimus paſſivè, & merè paſſivè in perſonis Capitularium, & reſpectu Eccleſiæ, & Capituli: Et in his terminis defendimus, nullum ex Capitularibus uti potuiſſe, ſeù uti auſurum Mandato procuræ Eminentiæ Suæ, proùt comprobatum eſt ex caſu Eminentiſs. Furſtembergii.

62. Et ulteriùs, quòd abſque ullo documento in Summario aſſerit in facto unus ex Dominis exadverſo, nempè Eminentiſſimum Bullionium habere Leodii

dii Canonicum, Cathedralis Eminentiæ Suæ Vicarium, pro exercenda juriſdictione competenti Præpoſituræ, nihil probat, quòd iſte uſurus fuiſſet Mandato procuræ, quia reſpectu iſtius militant eædem rationes periculi.

63. Imò dicimus iſtum Canonicum nullam ampliùs habere correſpondentiam cum Eminentiſſimo Bullionio, & juriſdictionem exercere ex antiqua deputatione, & continuare pro bono Civitatis, & ob curam animarum, quæ nullam connexionem habet cum Principatu temporali, parum referret, etiamſi facultas ſumeretur ab Eminentia Sua pro validitate Sacramentorum.

64. Id eſt adeò verum, ut exadverſo adhùc nomen iſtius Canonici ignoretur. Item ſi Eminentiſſimus cum hoc Vicario Dignitatis ullam correſpondentiam conſervaſſet, procul dubio ad eundem tranſmiſiſſet mandata procuræ pro ſe repræſentando, proùt anteà faciebat; Undè convincitur DD.exadverſo non ſolùm nihil juſtificare in facto; verùm etiam admodum inveriſimilia prætendere, imò firmam, & inconcuſſam remanere rationem incommodi, & periculi, ſubindeque Eminentiſſimum, neque perſonalitèr admittendum, neque inventurum fuiſſe Procuratorem, qui mandato uteretur; Ac propterea, ſicuti, ſi mandatum tradidiſſet, ſeù tranſmiſiſſet, & Procurator, præſcindendo à periculis, ejus mandato uſus non fuiſſet, nequaquam conqueri potuiſſet de contemptu, pari modo conqueri nō debet in caſu, quo Procurator eo uti non poterat propter periculum, quia paria ſunt non habere uſum Procuratoris ex defectu, ſeù negligentia perſonæ conſtitutæ, ſeù non habere, ex quo perſona conſtituta exercere non poterat propter periculum; ac tali caſu iſte abſens non poteſt dicere de contemptu, juxtà *gloſ. in cap. ſi quis juſto*, ubi rejicitur *Goffredus* per hæc verba: *Sed non eſt verum; à principio enim nullus compellitur Procuratorem recipere, C. de Procurat. invit. Inſtit. mandati, §. mandati.*

65. Ex duplici itaque titulo perempta cognoſcitur querela contemptus propoſiti pro parte Eminentiſſimi Bullionii: Et quilibet de per ſe ſuperabundat ad defendendam validiſſimam electionem Sereniſſimi noſtri Principalis ab irritationis timore.

66. Sed his accedit tertia ſecurìtas ratione defectus legitimi Contradictoris, quam ingenuè fatemur Romæ perſcrutatam, ſed per viam nobis ab Adverſariis apertam, ſcilicèt Eminentiſſimum Dom. non habere ſufficientem retentionem Canonicatus, ideòque non eſſe Canonicum, neque Contradictorem legitimum, ut concludentèr demonſtravimus in nova facti, *num.* 48. *cum ſeqq.* ubi quæcumque nunc exadverſo deducuntur, plenè confutata ſunt.

67. Et nihil aliud fit exadverſo per novas titulorum retentionis productiones in eorum *Summar. nu.* 5. niſi, quòd attenta eorumdem inſufficientiam, magis, magiſque fortificatur noſtra concluſio, quòd ſcilicèt eliſa remanet omnis præſumptio tituli melioris, ad tradita per *Lotter. in inform. allegatum lib.* 2. *quæſt.* 46. *num.* 31.

68. Et licèt *Dominus Corradini in ſua ſecunda Juris, in num.* 53. conetur reſpondere: nihilominùs non ſolvit argumentum; quia verum quidem eſt ejus dictum, ſcilicèt, quòd per productiones titulorum non excluditur poſſibilitas alterius tituli; Sed etiam eſt verum, quòd excluditur à beneficio præſumptionis melioris tituli, quia una præſumptio deſtruit alteram: Et præſumptio, quòd poſt productionem tituli non habeat titulum meliorem, eſt fortior præſumptione poſſibilitatis tituli, ut docet idem *Lotther. alleg. quæſt.* 46. *ex*

46. *ex pluribus Rotæ deciſionibus num.*31. Ideòque onus probandi retentionem refunditur in ipſum retinere prætendentem; & niſi producat illum titulum poſſibilem, proùt producere non poteſt, nunquam erit Canonicus,& ejus contradictio devenit ad caſum, à quo incipere non poteſt,& in quo non eſt attendenda, proùt pleniſſimè oſtenſum eſt in novis Facti, & Juris pro Sereniſſimo Principe.

69 Ac propterea attento, quòd Eminentiſsimus Dom. erat foraneus, ideòque carebat voce: Et quando foraneitas non obſtitiſſet, adhùc propter damna, & pericula, & diffidentias demonſtratas ex litteris ejuſdem Eminentiſſimi, ejus perſona non erat admiſſibilis, & Procurator non erat invenibilis, non poteſt dici contemptus, quia, vel carebat voce, vel non erat vocandus. Et hodiè non poteſt ampliùs contradicere.

70. Ideòque Electio ab omnibus oppoſitionibus vindicata, confirmanda eſt, nec permittenda diuturnior Leodien. Eccleſiæ viduatio.

PETRI

PETRI DE FUSCO

ADVOCATI NEAPOLITANI,

Ac Regii Conſiliarii

RESPONSIO JURIS

Super contemptu.

1\. QUamvis magnus ſit ſcripturarum numerus editarum à doctiſſimis Advocatis Eminentiſſimi Domini Cardinalis Bullionii aſſerti Canonici, & Præpoſiti majoris Leodienſis Eccleſiæ ſuper ejus prætenſo contemptu in electione Epiſcopi Leodienſis, ad impugnandam juſtitiam decreti Perilluſtris Capituli, quo Dominus Cardinalis habitus fuit pro foraneo, atque ità excluſus à voce activa in electionibus, juxtà Leodienſis Eccleſiæ Statuta: cuncta tamen in eis contenta ad unicum fundamentum reſtringuntur, nempè, quòd ex Statuto *ſubtitulo de ſecunda Reſidentia*, juxtà compilationem anni 1560. receptam, & approbatam, non ſit in præceptum deducta ſecunda reſidentia apud Eccleſiam, ſcilicet reſidentia ſequentium annorum poſt primam, ſed poſita ſit in mera facultate Canonici, qui primam reſidentiam abſolvit, cùm Statutum loquatur per verbum *volet*. ibi: *Quicumque in Eccleſia Leodienſi, facta prima reſidentia, volet reſidere, & fructus facere, debebit in feſto B. Ægidii antedicto perſonalitèr in Capitulo generali ſub hora ſummæ Miſſæ ſe exhibere, &c.* Atque ità (inquiunt) ſi quis reſidere noluerit, & lucrum fructuum recuſaverit, minimè debebit ſe præſentare in eo feſto; Undè dum Statutum in ſequenti capite ità decernit: *Quicumque in feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem continuò, vel diſcontinuò, alioqui pro foraneo habeatur*, negant, pertinere ad illum, qui noluit reſidere, fructuſve ſuos facere, cùm iſte non teneatur ſe exhibere in eo feſto, & conſequentèr non poſſit pro foraneo haberi. Addunt etiam, majori odio, & pœna dignum fore eum, qui ad ſecundam reſidentiam ſe obtulit in eo feſto, & poſteà non reſedit, contraveniendo propriæ oblationi, & promiſſioni, quàm ille, qui noluit reſidere, ac nullo modo in feſto S. Ægidii ſe præſentavit. Exindè effingentes talem Canonicum, qualis eorum cauſæ inſerviat, qui ſcilicèt nolit reſidere, recuſet percipere fructus, & intereſſe divinis officiis, ità quòd ſolùm habeat vocem activam in electione, facilè inferunt, Dominum Cardinalem non potuiſſe pro foraneo haberi, ob defectum repræſentationis in eo feſto, dum ille noluit reſidere, fructuſve ſuos facere, atque ità non tenebatur in eo feſto ſe præſentare.

2\. Sed hoc fundamentum undique vanum, repugnat verbis, & menti ſta-

tuentium, inconcuſſæ obſervantiæ, Canonicis inſtitutionibus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ; Undè omnis apparatus ſuper eo poſitus, neceſſe eſt, ut corruat, & evaneſcat.

3. Et quidem reſidentia in Eccleſia, de qua agit Statutum, non eſt actus indifferens, ſed imperatur à virtute Religionis, & obedientiæ. *Concilium Agathenſe can.64.cap.ſacrorum diſtinct.70.cap.relatum 4. cap.cùm ſint 16. de Clericis non reſidentibus. Gloſſ.in cap.inter quatnor 10.verb. ſine juſta cauſa De Clericis non reſidentibus*; Ideò voluntas reſidendi ſub illis Statuti verbis: *Quicumque in Eccleſia Leodienſi volet reſidere, & fructus facere, debebit in feſto Sancti Ægidii ſe ſe præſentare, &c.* intelligitur de voluntate, prout eſt cauſa vitii, vel virtutis. *cap.naſci in fine diſtinct.56.cap.8. quæſt.1. cap.ſciendum, cap.15. quæſt.1.§.ex voluntate, in principio quæſtionis*. Exindè voluntas reſidendi non poteſt intelligi de mera facultate, ità quòd contraria voluntas libertati dimittatur, ſed per ſtatutum dirigitur, & excitatur bona voluntas reſidendi, ut ſimul contraria prohibetur, & cogatur ad bonum, & ità voluntas accipitur in materia virtutis, & vitii, ut exemplis pluribus, ex ſacris litteris probat *Divus Auguſtinus*, relatis in *cap.23.qu.4. cap.diſplicet*, & nolenti reſidere adimuntur fructus, ut ità fiat indirectè volens. *Gloſſ.in cap.cùm ſint 16.in verb. venerint De Clericis non reſidentibus.*

4. Sed, & reſidentia ſupponit principalitèr voluntatem, & deſtinationem animi in Eccleſia. *cap.7.quæſt.1. cap.ſi quis Presbyter*, ideoque Statutum ad ſignificandam eam voluntatem, & animi deſtinationem, requirit præſentationem in feſto S.Ægidii in Capitulo generali, per illa verba: *Quicumque in Eccleſia Leodienſi volet reſidere, debebit ſe præſentare, &c.* Atque ita omiſſio præſentationis in eo feſto, ſignum eſt contrariæ voluntatis, nempè, quòd quis reſidere nolit, etiam ſecundùm ſenſum Adverſariorum, qui fatentur, eum, qui non ſe præſentat, nolle reſidere; At verò id totum revolvitur contrà Adverſarios; Nam qui verbo, vel facto declarat ſe nolle reſidere, & non eſſe animo deſtinato in eo loco, certè juxtà Sacrorum Canonum diſpoſitionem cenſetur eſſe pluſquam foraneus, nam hoc ipſo, quòd declarat nolle reſidere, tunc abſque ullo ordine judiciario, & monitione, non admittitur ad beneficium, quod reſidentiam exigit; Si verò eſt admiſſus cum promiſſione de faciendo reſidentiam, & facto contraveniat, quia recedit, tunc præmiſſa monitione removetur, ut ex Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. ſtatutum eſt in *cap.relatum 4.De Clericis non reſidentibus*, juncta *Gloſſ.ibidem in verb.amoveri, & in verbo diffugium*; Ideò maiori ratione verba Statuti in ſequenti capite *alioqui pro foraneo habeatur*, debent referri ad eum, qui nullo modo ſe præſentavit in feſto Sancti Ægidii, & re ipſa declaravit nolle reſidere, quia voluntas contraria reſidentiæ eſt etiam prohibita, & repugnat admiſſioni ad beneficium, juxtà proprietatem, & litteralem ſignificationem dictionis *alioqui*, quæ exponitur, ideſt, *ſi fecerit contra prædicta. Bartol.in l.legatis, qu.1.ff.de condition. & demonſtrat. num.11.Oſaſcb.decif.Pedemont.145. num.5.* poſt *Salycet.in l.2. in princip. ff.ſi certum petatur. Purpurat.in d.l.2.num.19.*

5. Hinc etiam evincitur manifeſtè, quod Adverſarii dicebant, nempè, illum, qui ſe præſentaverit, & non reſederit, majori pœna, & odio dignum eſſe, dum contravenit oblationi de reſidendo, & fidei datæ (ut loquuntur) Nam in ſpecie, de qua agit *text.in d.cap.relatum*, promiſerat ille, qui fuit admiſſus ad bene-

neſi-

neficium, de faciendo reſidentiam, & tamen ſi recedit, & facto contraveniat, non removetur, niſi præcedente monitione; At verò qui noluit ſe offerre ad reſidentiam, non fuit à Summo Pontifice admiſſus ad beneficium, ob malam voluntatem ejus à principio, de qua ſufficit ſolùm conſtare, ut abſque ulla monitione admitti nequeat, ſicuti conſtat ex *d.cap. relatum 4.de Clericis non reſidentibus*, juncta *Gloſſ. ibidem in verb. amoveri, & in verb. diffugium*; Porrò, qui declarat nolle reſidere, nec eſſe animo deſtinato in Eccleſia, habet Eccleſiam pro derelicta, quo caſu cùm de hoc conſtat, abſque ulla monitione à beneficio removetur, illudque alteri conferri poteſt. *Gloſſ. in cap. Clericus 17. lit. O. in verb. redierint De Clericis non reſidentibus.*

6. Exindè in contrarium revolvitur adagium illud, quòd Dominus *Turchus in ſecunda facti* allegavit: *Turpiùs ejicitur, quàm non recipitur hoſpes*, quaſi quòd hoſpes admiſſus mereatur hanc pœnam, quòd turpiùs ejiciatur, quā ille, qui non fuit admiſſus; ſed vulgaris ſenſus adagii non eſt iſte, quo Dominus *Turchus* utitur, ſed vera, & communis intelligentia adagii eſt, quòd majori turpitudine notatur qui ejicit hoſpitem admiſſum, quàm qui non admittit hoſpitem, & ſic majori turpitudine, & abſurditate notarentur ſtatuentes, qui præſentatum, & admiſſum ad ſecundam reſidentiam pro foraneo haberent; Illum verò, qui nullo modo ſe præſentavit, & non fuit receptus, non numerarent inter foraneos; Utcumque ſit, jam ipſe Adverſarius allegans illud adagium ſatis fatetur, quòd Canonicus, qui noluit reſidere, & nullo modo ſe præſentavit, numerandus ſit inter non admiſſos ad beneficium, atque ita pluſquam foraneus cenſendus ſit, juxtà *text. in d.cap. relatum 4. De Clericis non reſidentibus.*

7. Illud verò, quòd cùm Canonicus nolit percipere fructus ſuæ Præbendæ, nullam habeat obligationem reſidendi, repugnat ex diametro Inſtitutis Sacrorum Canonum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ; Nam beneficia Eccleſiaſtica, & fructus indè provenientes conceduntur propter officium, ſivè ſervitium, & obſequium Eccleſiis debitum. *cap. fin. de reſcriptis in 6.* & beneficium ejus, qui non vult reſidere, nec fructus percipere, conferretur alteri, qui ſervire vellet, aliàs enim contrà intentionem ſtatuentium, declaratam in præfatione Statutorum, diminueretur Divinus cultus, quia quantò plures actualiter ſerviunt, tantò augumentatur cultus Divinus. *Gloſſ. in cap. 1. De conſuetudine in 6. in figuratione caſus*; Quo circà contra non reſidentes, etiam poſt pœnam ſubtractionis fructuum, privantur beneficiis, eaque aliis conferuntur, ex *Sac. Concil. Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. verſ. prætereà obtinentibus, De reformatione.* ibi: *Privetur omnibus fructibus; creſcente verò contumacia, contrà eos, juxtà Sacrorum Canonum Conſtitutionem, procedatur*, ideſt ad privationem beneficii, ut notat *Garzias De. Beneficiis cap. 2. num. 140. cap. ex geſtis 2. cap. relatum 4. cap. inter quatuor 10, cap. cùm ſint 16. de Clericis non reſidentibus*, ubi *Gloſſ. optima in verb. venerint*, advertit, ſubtractionem fructuum eſſe directam non ad hoc, ut ei, cui fructus ſubtrahuntur, licitum ſit non reſidere, nam adhuc eſt contumax, & inobediens, ſed adimuntur ei fructus, ut qui non reſidet, fiat indirectè volens, & in Eccleſia reſideat.

8. Rursùs talis Canonicus, qualis ab Adverſariis effingitur, qui dum nolit percipere fructus, licitè poſſit deſerere Eccleſiam, nec in ea reſidere, nec intereſſe Divinis Officiis ad hoc ſolùm, ut vocem Capitularem habeat in electionibus, ex diametro repugnat diſpoſitioni *Tridentini ſeſſ. 22. cap. 4. de reformatione*, ubi

ubi contrà eos, qui non interſunt Divinis Officiis, ſtatuitur, ne vocem in Capitulo habere valeant, ultrà alias pœnas graviores ab Epiſcopis imponendas; Undè confirmatur communis ſententia, quòd vox Capitularis non inhæreat Dignitati, ſeu titulo Canonicatus, ſed ſpectat ad aliquod officium Eccleſiaſticum, ideòque faciliùs evellitur. *Gloſſ. in cap. beneficium in verb. conferendum circa finem De Regularibus in 6. Felin. in cap. Apoſtolicæ num. 16. de Conſtitution. Giballin. de Sacra Juriſdiction. diſquiſit. 7. quæſt. 12. conſectan. 4. n. 9. f. 321.* Cui concluſioni non repugnat, quòd ſuſpenſus à beneficio poſſit intereſſe electionibus, quia ſuſpenſus à beneficio non eſt ſuſpenſus ab officio, nec à miniſterio, ſecùs verò ſi eſſet ſuſpenſus à beneficio, & officio, vel ab officio tantùm; tunc enim non haberet jus dicendi ſuffragium in electionibus, juxtà communem, & receptam ſententiam apud *Giballin. de ſacra Juriſdictione diſquiſit. 7. quæſt. 12. conſect. 4. nu. 9. & per tot. fol. 321. Theſaur. de pœnis Eccleſiaſticis part. 2. verb. Electio cap. 1.*

9. Quæ omnia redduntur indubitata ex diſpoſitione expreſſa Statuti ſub *titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus*, juxtà compilationem anni 1560. receptam, & approbatam. *Summ. novo num.* 3. ubi inter eos non habentes vocem activam in electionibus numeratur ille, qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit: atque ità, ut quis habeat vocem activam in electione, non ſufficit, quòd primam reſidentiam abſolverit, ſicuti perperam Adverſarii ſupponunt, ſed requiritur etiam, quòd poſt primam abſolutæ ſint reſidentiæ ſequentium annorum, quæ certè abſolutio non poteſt fieri, niſi incipiat per præſentationem in feſto Sancti Ægidii, ex Statuto ſuperiùs memorato ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, quæ repræſentatio etiam requiritur, ut poſſit quis impetrare gratioſam abſentiam, ſicuti cautum eſt Statuto ſub titulo *de gratioſis abſentiis*; Igitur tunc habet Canonicus vocem activam in electione, quando præcedentium annorum reſidentiam abſolverit, & præſenti anno, verbi gratia, quo contingit fieri electionem, ſe præſentaſſet in Feſto Sancti Ægidii, ac impetraſſet gratioſam abſentiam, & iſte eſt caſus expreſſus in Statuto prædicto, quo per ſpeciem diſtinctam à genere Foranei præcipitur contra eumdem, quòd non habeat vocem activam in electionibus, per hæc verba: *Item Canonicus foraneus. Item qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit*; verba enim *niſi primam, & annualem abſentiam abſolverit*, inducunt obligationem, & diſpoſitionem. *Bald. in conſ. 447. num. 2. vol. 2.* cum aliis adductis per *Rotam in deciſ. 639. num. 2. recent. par. 1. Manevte in conſ. 36. à num. 7.*

10. Et ità ſemper inconcuſsè fuit practicatum, & obſervatum, etiam per Eminentiſſimos Dominos Cardinales, qui pro tempore fuerunt Canonici Eccleſiæ Leodienſis; Nam quamvis abſolviſſent primam reſidentiam, & fuiſſent diſpenſati ſuper pluralitate, & reſidentia, nihilominùs ſinguli ſemper ſe præſentaverunt in feſto Sancti Ægidii per Procuratorem, etiam dum exiſterent Romæ in Conclavi pro futuri Summi Pontificis electione. *Summ. antecedenti num. 6.* Ipſeque Dominus Cardinalis Bullionius idem obſervavit, & in conſtitutione Procuratoris ad ſe præſentandum in eo Feſto, expreſsè dixit, *ut moris eſt. Summ. novo num.* 11. Satis enim cognoverunt, quòd diſpenſatio in reſidentia non faciebat eos nolentes reſidere (ut modò Adverſarii dicunt) ſed quòd haberentur pro reſidentibus, veluti ex juſta cauſa impediti, ne facerent perſo-

na-

nalem, & continuam reſidentiam, juxtà *Gloſſ. in cap. unico De Clericis non reſidentibus in 6. in verb. adſuerint litt. H.* Nam & aliàs diſpenſatio non fuiſſet conceſſa ex juſta cauſa, & non eſſet diſpenſatio, ſed diſſipatio; quia *diſpenſare* eſt diverſa penſare, & ſic ſcrutari cauſam tollendi jura. *Abb. in cap. quia in tantùm 5. num. 2. De præbend. & dignitat.* Atque ità taliter diſpenſati cùm haberentur pro reſidentibus, & præſentibus, ſicut alii Canonici, qui actu reſident, tenebantur ſe præſentare in eo Feſto in Capitulo generali ſub hora Summæ Miſſæ, ex dicto Statuto ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, ubi fit expreſſa diſtinctio de his, qui reſident, ut ſufficiat eis ſimplex exhibitio, & præſentatio in eo feſto; Aliis verò, qui præcedenti anno non reſederint, non ſufficiat ſimplex exhibitio, ſed ultrà præſentationem requiritur, quòd expreſſis verbis ſe offerant ad reſidentiam; Quare Domini Cardinales, qui per diſpenſationem habebantur pro reſidentibus, ſimpliciter per Procuratorem ſe præſentaverunt in eo feſto, quia diſpenſatio ſuper reſidentia non comprehendit intereſſentiam certa die, & hora, ad quam reſidentes tenentur, ex *Gloſſ.* communiter recepta, in *cap. unico De Clericis non reſidentibus in 6. in verb. adſuerint lit. H.* & ex aliis rationibus adductis *in allegatione ſuper reſolutione motivorum, & in alia ſuper contemptu.*

11. Proptereà nil eſt quod exadverſo dicitur, ſcilicèt Dominum Cardinalem, abſoluta prima reſidentia, nullam aliam ſequentium annorum reſidentiam feciſſe, & tamen certum eſſe, quòd ille interfuerit prædeceſſoris Epiſcopi electioni; Nam ex prædictis patet reſponſio, quia Dominus Cardinalis ob diſpenſationem ei conceſſam ante electionem Epiſcopi prædeceſſoris habebatur pro reſidente, nec obſtabat ei defectus præſentationis, quia ſingulis annis per Procuratorem ſe præſentavit in eo Feſto. *Summ. antecedenti num. 6.* At verò poſt electionem Epiſcopi prædeceſſoris deſiit ſe præſentare à tempore moti belli per Regem Chriſtianiſſimum adverſus Cæſarem, aliosque Principes confœderatos, & omiſſio præſentationis fuit ſingulis annis in libris Capituli Leodienſis annotata: Et fruſtrà Adverſarii requirunt, quòd tunc debuiſſet Dominus Cardinalis declarari foraneus; Sufficit enim ſola annotatio in libris, ut ità conſtaret defectus præſentationis in eo Feſto, undè ceſſaret animi deſtinatio in Eccleſia Leodienſi, vel quòd illam haberet pro derelicta, vel quòd tamquam adhærens, & favens hoſti, cenſeretur, Civitatem Leodienſem dereliquiſſe, ità ut haberetur in numero eorum, qui non admiſſi, vel remoti ſunt. *Gloſſ. in cap. Clericus 17. lit. O. in verb. redierint De Clericis non reſidentibus. Andr. de Iſern. in cap. unico num. 82. quæ ſint regalia.* Atque ità ob defectum repræſentationis apparet manifeſtè juſtitia decreti Capituli Leodienſis, quo declaravit, Dominum Cardinalem pro foraneo habendum eſſe, atque adeò in electionibus ſuffragium dicere non poſſe; Ideò ceſſat querela de contemptu, nam qui juribus ſuis inhæret, non delinquit, nec contemnit, nec ulli facit injuriam. *cap. cùm Eccleſia 31. De elect. cap. quia per ambitiones in fine diſtinct. 64. Gloſſ. fin. ibidem.*

12. Sed ad tollendum contemptum ſufficit ſolùm cauſa probabilis, ſeù colorata, ac juſta exiſtimata, nè Dominus Cardinalis contemptus cenſeatur, quia Sacri Canones pro irritanda electione, ultrà defectum convocationis, & excluſionem illius, qui vocari, & admitti debuiſſet, requirunt etiam contemptum, ut in *cap. bonæ 4. De poſtulatione Prælatorum, cap. bonæ 36. De electione. cap. ex eo 32. De electione in 6. cap. venerabilem 34. De electione, cap. cùm Eccleſia*

Su-

Sutrina 3. *De cauſa poſſeſſ. & propriet.* Idque etiam perſpicuè patet, quòd loquuntur contrà Electores, qui contemptis vocandis, ad electionem procedere præſumpſerint, ut in dicto *cap.venerabilem* 34.*De electione*, *& in d. cap.cùm Eccleſia Sutrina* 3. Verbum autem *præſumere* ſupponit in Electoribus malam fidem, certam ſcientiam juris ſuffragii, quod haberet ille, qui vocandus eſſet, ac temeritatem. *Gloſſ.in cap.ſcriptum* 40. *in verb.præſumptione De electione, Felin.in cap.Judæi, num.*8. *de teſtibus*,cum aliis collectis per *Auguſtin.Barboſ.de dictionibus, in verb.præſumere, diction.*278.

13. Quare dùm Adverſarii utuntur authoritate eorundem Sacrorum Canonum ad probandum, quòd ſola omiſſio convocationis, abſque ulla alia cauſa inducat contemptum, certè Sacri Canones eiſdem adverſantur, dùm ultrà omiſſionem convocationis, & excluſionem, requirunt etiam contemptum, & ex aliis rationibus adductis in præcedenti noſtra allegatione ſuper contemptu, ubi etiàm allegavimus *Text. in cap. cùm Hadrianus* 29. *diſtinct.* 63. quo loci dùm Legati Cæſaris conquererentur, quòd dùm præſentes eſſent,non fuerunt invitati, nec optatæ à ſe futuri Præſulis electioni intereſſe meruerunt, Summus Pontifex excuſat Electores à contemptu, ea ratione: *Quòd non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu omiſſum hoc fuerit, nè videlicèt Legatos Principum in electione Romanorum Præſulum expectandi mos per hujuſmodi fomitem inoleſceret.*

14. Et minùs rectè Adverſarii ad hunc *Text.*reſpondent, quòd Legati Imperatoris nullum jus habebant in electione; Nàm Summus Pontifex non utitur ea ratione, præſertim,quia tunc vigebat jus Imperatoribus ex privilegio Sedis Apoſtolicæ conceſſum, quod poſteà amiſerunt, vel propria renunciatione, vel quia per legem Eccleſiaſticam fuit poſteà ſublatum proptèr abuſum, & alias rationes, ut conſtat ex *cap.in Synodo* 23.*diſtinct.* 63. & demùm jus illud fuit nonnullis perſonalitèr conceſſum, ut in *cap.in nomine, diſtinct.* 23. in illis verbis: *Salvo debito honore, & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui impræſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, ſperatur,ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica Sede perſonalitèr hoc jus impetraverint*: Et ità etiam loquitur, & intelligenda eſt *Gloſſ. in dict.cap.cùm Hadrianus in princip.*

15. Hinc doctiſſimus Vir, & præſtantiſſimus Jure-conſultus conatus eſt reperire aliquem juris locum, quo probari poſſit, ex ſola omiſſione vocationis induci contemptum, nec credidit alium invenire, quàm *text.* quem ad hoc inducit in *cap.bonæ memoriæ, il ſecondo, De electione*; Sed tamèn textus ille favet noſtræ ſententiæ, dùm in ea ſpecie Electores habebant certam ſcientiam juris ſuffragii competentis ei, qui vocandus erat, adeò quòd illum vocaverunt ad electionem,ſed antequam Eccleſia vacaret,nempè Epiſcopo in extremis agente, cùm de convaleſcentia ipſius deſperaretur, & poſt mortem Epiſcopi proceſſerunt ad electionem, non vocato eo, quem ante mortem Epiſcopi citaverunt; Quare in Electoribus perſpicua fuit mala eorum fides, & temeritas,ut expreſsè innuit *text.idem in d.cap. bonæ memoriæ, il ſecondo*, in finalibus verbis: *Nec prædicta debet dici citatio valuiſſe, quia cùm Epiſcopi mortem prævenerint, temeraria nimis extitit, & ideò non potuit arctare citatum.*

16. Quæ verò authoritates adducuntur ad probandum, quòd inhabilitas ad eligendum, ut quis ex ea poſſit contemni, & ab actu electionis excludi, debeat

beat eſſe liquida, & manifeſta, non probant id, ad quod inducuntur; Nam loquuntur de eo caſu, quo non fuiſſet diſcuſſum, an is, qui omiſſus fuit, haberet vocem in electione, & abſque ulla cognitione, & diſcuſſione fuiſſet omiſſus, & excluſus, & ità expreſsè loquitur *Abb.in cap.2.num.*15. *De poſtulatione Prælatorum*, & ità intelligendi ſunt, qui Abbatis doctrinam ſequuntur, ut *Peyrin. quæſt.Regular.tom.*1.*quæſt.*1.*cap.*31.§.6.*in princip.* & alii adducti; At in noſtro caſu pleniſſimè fuit cognitum, & diſcuſſum à Capitulo de Foraneitate Domini Cardinalis, pluries rogati per litteras ſucceſſivas, ut dignaretur ſatisfacere articulo Foraneitatis juxtà conſuetudines,& Statuta Eccleſiæ Leodienſis, quorum extractum ad eundem Dominum Cardinalem omni, qua decebat, reverentia, Capitulum tranſmiſit; Undè quamvis articulus Foraneitatis eſſet dubius (qualis non eſt, ſed clariſſimus) id ſolùm ſufficeret, ne querelæ de contemptu ſit locus; Nam pro Decreto Capituli ſemper præſumendum eſt, cùm præſertìm agitur de Statutis, & moribus ejuſdem Eccleſiæ, quæ nullus creditur magis noviſſe, & calluiſſe, quàm Capitulum ipſum; Atque ità in re ambigua (ſi talis eſſet coram Confirmatore) judicandum eſſet pro Decreto Capituli, contrà querelam de contemptu, & appellationem. *Bartol.in conſ.*150. *nu.*5. *&* 6.*Cravett.conſ.*668.*num.*18. *Afflict.deciſ.*45.*in fine.Burſat.conſ.*113. *nu.*1. *&* 2. Et eo tantùm caſu non ſufficeret, rem eſſe dubiam, quando non fuiſſet cognitum de cauſa inhabilitatis ejus, qui fuit omiſſus, & excluſus ab electione; tunc enim ad evitandum contemptum, oporteret, apud Confirmatorem certò, & liquidò conſtare, & convinci eum, qui fuit omiſſus, & excluſus ab electione, quòd non haberet vocem activam in electione. *Abb.exadverſo adductus in cap.2.num.*15.*De poſtulatione Prælatorum.*

17. Idque etiam liqueſcit ex ipſa appellatione extrajudiciali, quam Dominus Cardinalis interpoſuit à Decreto Foraneitatis, dum in ea nullam Cauſam gravaminis expreſſit, niſi quòd ſimul appellaverit à Statutis Eccleſiæ Leodienſis, quæ per tantum tempus obſervavit ex vi juramenti præſtiti de illis obſervandis; Atque ità appellatio fuit nulla. *cap.cordi nobis De appellatione in* 6.*cap.conſtitutis* 46. *De appellatione. cap.quamvis* 10.*De appellatione in* 6. *cap. cùm inter* 16.*verſic.nos attendentes De electione.Gloſſ.in cap.relatum* 4.*in verb. diffugium De Clericis non reſidentibus, & in cap.eum,qui,in verb. non teneris De dolo,& contumacia.*

18. Sed & cùm adſunt aliæ Cauſæ diſtinctæ, & ſeparatæ ab articulo Foraneitatis, ob quas Dominus Cardinalis non fuiſſet vocandus, nec per Procuratorem admittendus eſſet ad vocem dicendum in electione; Ideò quamvis Cauſa Foraneitatis non militaret, & appellatio à Decreto Capituli non eſſet frivola (quod non concedimus) tamen ex dictis aliis cauſis diſtinctis, & ſeparatis, electio futura eſſet etiam canonica, non vocato, nec admiſſo Domino Cardinale, ex *Gloſſ.* notabili, quam in *noſtra allegatione ſuper contemptu* adduximus in *cap.conſideravimus* 10. *De electione in verb.poſt appellationem litt.C.* his verbis: *Appellare ne fiat electio, non valet; ſed ne fiat, niſi canonica, tunc benè valet.* Et nunc addimus *Peyrin.de Regular.tom.*1.*cap.*31.§.12.*in fine fol.*162. Plures verò ſunt cauſæ diſtinctæ, & ſeparatæ à Foraneitate, ob quas Dominus Cardinalis non erat vocandus, nec admittendus ad electionem.

19. Primò, quia Dom.Cardinalis tempore vacationis Eccleſiæ per mortem Epiſcopi, commorabatur Pariſiis, & ſic erat abſens extrà Provinciam Leodienſem,

ſem, quo caſu non erat vocandus, nec Procuratorem conſtituere poterat ad ſuffragium dicendum, ità ut in uno ſolo caſu ad electionem admittendus eſſet, quando ex loco remoto perſonalitèr veniſſet ad Eccleſiam, ut ibidem tempore electionis reperiretur præſens, ità quòd non ſufficiat, veniſſe ad Civitatem Huyenſem de Diœceſi Leodienſi, ſed venire debuiſſet Leodium ad Eccleſiam perſonalitèr, quando tempore vacationis erat abſens extrà Provinciam. ità *Gloſſ. in Clementin. ut ii, in verb. conſtitutus litt. B. De ætate, & qualitate*; Præſens autem in loco non dicitur eſſe qui eſt in Provincia, ſed qui eſt in loco Eccleſiæ, ubi electio eſt celebranda, ità ut per ſonum Campanæ Capituli ſit convocandus. *Henric. Boich. in cap. cùm inter univerſas num. 4. De elect.*

20. Atque ità dum tempore vacationis Eccleſiæ eſſet abſens extrà Provinciam, non habebat uſum Procuratoris. *cap. quia propter 42. §. illud De electiona. Gloſſ. in cap. ſi quis juſto 46. in verb. detentus litt. H. De electione in 6. & in cap. beneficium, verb. conferendum circà finem De regular. in 6. Tiraquell. de retract lignager. §. 1. Gloſſ. 8. num. 37.*

21. Neque conſuetudo vocandi abſentes extrà Provinciam, quam Dominus *Turchus* allegat *in ſecunda facti*, probatur ex inſtrumento electionis, quod citat. *Summ. noſtro præcedenti num. 1.* Nam ex eo inſtrumento non conſtat, abſentes extrà Provinciam fuiſſe vocatos; Capitulum enim ſi velit, poteſt admittere Procuratorem conſtitutum à Capitulari, quamvis tamquam abſens in loco remoto non ſit vocandus, nec fuerit vocatus. *Gloſſ. in d. cap. ſi quis juſto 46. in verb. detentus litt. H. de elect. in 6.*

22. Secundò, quia D. Card. tamquam adhærens Regi Galliæ, ejuſque Miniſter, & Plenipotentiarius in re bellica, nullum commercium de facto habère poterat in Civitate Leodienſi, durante bello moto à Rege Chriſtianiſſimo adversùs Imperatorem, alioſque Principes Confœderatos, quorum unus eſt Epiſcopus, idemque Princeps Leodienſis à Capitulo repræſentatus ratione Principatus temporalis, quem Eccleſia Leodienſis tenet ſub fidelitate ab Imperio Germanico; undè Dominus Cardinalis de facto erat in numero hoſtium, ac de facto implicitus banno Imperiali, ſicuti demonſtravimus in præcedenti *allegatione ſuper puncto contemptus*; Quare neque poterat habere uſum Procuratoris abſque licentia Principis. *Anton. Fab. Codicis lib. 2. tit. 8. de Procurator. definit. 8. num. 3. in allegation.* & in negotio electionis validum eſt argumentum de mandato judiciali ad extrajudiciale. *Gloſſ. in cap. beneficium in verb. conferendum De regular. in 6.*

23. Nec obſtat quod Dominus *Turchus* in *ſecunda facti* aſſerit, nempè ex banno Imperiali fuiſſe prohibitum ſolùm commercium mercaturæ; nam convincitur ex verbis expreſſis banni, quibus prohibitum eſt etiam omne negotium, atque ità comprehenditur omne negotium, ſivè judiciale, ſivè extrajudiciale, quia latiùs patet. *l. 1. ff. de negot. geſtis. cap. forus 10. de verb. ſignific.* & quòd electio ſit negotium, ſivè judiciale, ſivè extrajudiciale, conſtat ex *cap. ſi poſtquam 33. de electione in 6.* ibi: *Pro electionis ſuæ negotio proſequendo. cap. provida 44. De electione in 6. cap. ſi quis juſto 46. De electione in 6.* ibi: *In electionis negotio nequeat commodè intereſſe, ubi Gloſſ. in verb. admitti litt. F.*

24. Et quod inquit de commercio per litteras permiſſo Religioſis, præſentandas tamen Superiori, ſi non eſſent ſuſpectæ: Id certè infert prohibitionem commercii per litteras in negotio electionis Epiſcopi, & Principis Leodien-

dienſis,in quo maxima omnium ſuſpicio verſabatur, ut dicetur infrà.

25. Et in hac re diſtingui oportet Capitulum à ſingulis Capitularibus,juxtà *cap. in Geneſi* 55. *verſ. nec etiam electio De elect.* Nam quod licitum fuit Capitulo, Principatum etiam temporale repræſentanti, vacante Sede Epiſcopali, diſcutere per litteras cum Domino Cardinali articulum foraneitatis, certè non licebat ſingulis Capitularibus, qui ſunt ſubditi, & tamquam alii Cives nullum commercium, nec tractatum habere poſſunt cum his, qui de facto interhoſtes publicos numerantur. *Andr.de Iſern.in cap.*1.*num.*22. *quæ ſit prima cauſa beneficii amittendi.*

26. Propterea nullius momenti eſt quod Adverſarii dicunt,nempè,in Eccleſia Leodienſi adeſſe Vicarium Domini Cardinalis, per quem exercetur Præpoſitura; Nam Vicarius fuerat conſtitutus à Domino Cardinali ante bellum motum, atque ità continuavit, & continuat curam animarum, & exercitium aliorum ſpiritualium Præpoſituræ annexorum, tacitè confirmatus ab Epiſcopo, & Capitulo; Id enim ſpectat ad officium Ordinarii tàm in beneficiis curatis, quàm in dignitatibus, & perſonatibus, quæ obtinentur ab illis, qui non reſident etiam ex diſpenſatione, ne cura animarum negligatur, neve beneficia ipſa debitis obſequiis defraudentur.*cap.Ordinarii* 3.*verſ.cæterum*,ubi *Gloſſ.lit. T.in verb.Ordinarii De officio Ordinarii.cap.cùm ex eo* 34.*verſ.porrò De elect. in* 6.

27. Sed & exercitium ſpiritualium ratione Præpoſituræ per Vicarium,nil commune habet cum electionis negotio, in quo agebatur de ſumma rei, propter Principatum temporalem Eccleſiæ Leodienſi annexum; Omnis enim ſuſpicio, timor,ac periculum ob bellum, & hoſtilitatem,verſabatur in damno, vel amiſſione Principatus temporalis annexi Eccleſiæ; Quare argumentum de exercitio Spiritualium Præpoſituræ per Vicarium, ad negotium electionis Epiſcopi, ejuſdemque Principis Leodienſis, continet æquivocationem de ſimplicibus ad ſecundum quid, atque ita nullo modo eſt validum. *Gloſſ. in l.ea eſt natura* 66.*ff.de regulis juris*,*Speculator lib.*2.*par.*2. *tit.de diſputat. & allegat. Advocatorum*,§.4.*num.*22.*Riminald.jun.in conſ.*265.*num.*17.

28. Quod verò ſubdit idem Dominus *Turchus in eadem ſecunda Facti*, nempè, Canonicum Poitiers recepiſſe mandatum Eminentiſſimi Dom. Cardinalis de Furſtembergh etiam adhærentis Regi Galliæ, ac de facto impliciti Bannò Imperiali, ex inſtrumento electionis, quod allegat, revolvitur manifeſtè contra Adverſarios; Nam ex eo loco patet, Canonicum Poitiers non auſum fuiſſe eò mandato uti,nec illud Capitulo oſtendere. *Summ.noſtro ſuper puncto electionis num.*1.*litt.F.*

29. Tertiò Dominus Cardinalis non poterat *commodè,& ſine periculo* vocari, nec admitti ad electionem; quare nullus querelæ de contemptu eſt locus. *cap.quia propter §.illud autem De electione. cap.quòd ſicut* 28 .*De electione. cap.ſi quis* 46.*De electione in* 6.*cap.cùm in Eccleſia* 33. *De præbend.& dignit. in* 6. quorum Canonum diſpoſitio certè reſpicit principaliter favorem, commoditatem, & indemnitatem Eccleſiæ, juxtà communem, & receptam ſententiam apud *Tambur.de jure Abbatum tom.*1.*diſput.*5.*quæſt.*3. *num.*15.*Murg.ad Conſtitutionem Alexandri IV.num.*632.*fol.*174.*Henric. Boich.in cap.cùm inter univerſas num.*8.*de electione*, poſt *Hoſtienſ. in cap.quòd ſicut, & in cap. quia propter De electione. Lavorius lucubrat.variar.tit.*4,*de elect.canon.cap.*17.*nu.*2.

30. At verò nullus caſus, in quo majus incommodum, & major timor periculi, & damni Eccleſiæ Leodienſis conſiderari poteſt, quàm iſte, qui nunquam evenit, propter Principatum temporalem annexum eidem Eccleſiæ, quæ illum tenet ab Imperio Germanico ſub fidelitate, ſi convocatus, & admiſſus fuiſſet Dominus Cardinalis, Miniſter, & Plenipotentiarius Regis Galliæ in re bellica, qui eam pluribus Oppidis ſpoliavit; Porrò Capitulum contraveniſſet fidelitati, quam ratione Principatus temporalis debet Imperatori, ſi tantum Regis Galliæ Miniſtrum admiſiſſet ad negotium, in quo de ſumma rei agebatur, nempè de electione Epiſcopi, & Principis Leodienſis, cum duplici periculo amittendi Principatum temporalem: alterum, quo dum contraveniebatur fidelitati debitæ Imperatori, id eſſet cauſa amittendi Principatum temporalem, juxtà *cap. 1. §. item qui Dominum, verſic. ſed quia natura &c. quæ fuit prima cauſa beneficii amittendi*. Alterum, quo Dominus Cardinalis per ſe, vel per aliquem Capitularem ſub occaſione mandati etiam generalis eidem Capitulari injungendi, potuiſſet electionem involvere, vel quòd ea fieret de perſona, quæ Regi Galliæ faveret, cum damno, & periculo Principatus temporalis Eccleſiæ annexi; Solus enim timor, & ſuſpicio actus operatur idem quod agit exiſtentia ipſius actus, ut docet, ac pluribus exemplis demonſtrat *Cravett. conſil. 268. num. 2. & 3. verſic. Nemo conſidero, &c. & in conſil. 319. num. 5. Riminald. jun. conſ. 245. num. 2.*

31. Demum ea, quæ de ſpe obtinendi Salvum-conductum ab Imperatore Adverſarii ſubjiciunt, jam confutata fuerunt in præcedenti noſtra *allegatione ſuper contemptu*, & magis evaneſcunt ex his, quæ diſertiſſimè in nova facti deduxit Dominus *Georgius de Firmanis*: nunc addimus, quòd Salvus-conductus à Cæſare impetrandus tollebat ſolùm impedimentum, & periculum, quod proveniebat ex fidelitate Imperatori debita ratione Principatus temporalis annexi Eccleſiæ Leodienſi, ne per admiſſionem Fautoris, & adhærentis hoſti publico caderet Eccleſia à Principatu temporali, & ille devolveretur ad Imperium Germanicum; Sed non tollebatur alius timor, & periculum, quod erat maximum, & proximum, ne occuparetur Principatus temporalis Eccleſiæ à Rege Chriſtianiſſimo, quando per admiſſionem Domini Cardinalis potuiſſet involvi Electio, vel ea fieri de perſona, quæ Regi Galliæ faveret; Quare Capitulum in litteris ſcriptis ad Dominum Cardinalem, cautè dixit ea verba de Salvo-conductu: *At equidem in omnem caſum, priùs à Sacra Cæſarea Majeſtate, & à Principibus confœderatis, pro conſequenda debita ſecuritate, eſſet obtinendum. Summ. antecedenti num. 16. litt. A.* ſub quibus verbis Capitulum etiam ſe ipſum comprehendere voluit, dum Sede Epiſcopali vacante ipſum Capitulum repræſentabat Principem Leodienſem, unum ex Principibus confœderatis. Atque ità unum impedimentum removere non ſufficit, ubi plura ſemovenda ſunt. *Caſtrenſ. in l. Avia, quæ nepotem 77. §. mutiana cautio, ff. de condit. & demonſtrat.*

32. Nec oportere exiſtimamus aliquid replicare his, quæ Adverſarii conati ſunt probare circà retentionem Canonicatus, & Præpoſituræ Eccleſiæ Leodienſis incompatibilis cum dignitate, & gradu Cardinalatus; Undè retentio conceſſa Domino Cardinali omnium beneficiorum, quæ obtinebat, cum expreſſione Præpoſituræ in genere, intelligitur de illis, quæ compatibilia ſunt cum gradu, & dignitate Cardinalis, nec extenditur ad illas dignitates, ob quas ra-

ratione aſſiſtentiæ in Choro deberet Cardinalis habere locum poſt Epiſcopum, dignitati, & gradui Cardinalis non convenientem, ex *Conſtitutione expreſſa Sixti V.79.Bullar.tom.3.Summar.novo num.29.*

33. Undè nil refragatur, quòd ſit expreſſa Præpoſitura in genere; ea enim poteſt intelligi de Præpoſitura, quæ ſit nullius Diœceſis, vel exempta, ità ut obtinens illam habeat jura Epiſcopalia, atque ità compatibilis cum gradu, & dignitate Cardinalis, & harum Præpoſiturarum exemptarum mentionem facit *Sac.Concilium Tridentinum De reformatione ſeſſ.21.cap.8.*

34. Ex his, & aliis adductis per doctiſſimos Collegas, manifeſtè patet, nullum querelæ de contemptu eſſe locum: & ità juris eſſe exiſtimamus. Romæ die 14. Septembris 1694.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI STANCHI

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super contemptu.

1. REdarguit noſtra ſcripta de prolixitate, & prætextu dilationum *Dominus de Vaillant in numer.* 7. quando nos, & ego præ cæteris, ipſum, alioſque exadverſo Scribentes redargueram de modo ſcribendi non ad cauſæ opportunitatem, ſed ad confovendam mentem Judicantis, inutili lectura defatigatam, ut inquit *Dec. conſ.* 404. *&* *Card.de Luc.in relat.Curiæ diſc.*46.*num.*30. *&* 31.

2. Quòd is dilationes perquirat, verba, & facta demonſtrant: Verba, quia nos ſemper in ſcriptis, & in voce ſupplicavimus pro celeritate, eo quod dilatio damnoſa ſit Eccleſiæ viduatæ: Facta, quia Pars adverſa inſtetit, & iterum inſtat, non ſine admiratione, pro compulſoriis, ad effectum extrahendi integra ſtatuta annorum etiam, necnon Capitulationes, quas aſſerit illicitas, & quæ licèt probatæ vitiarentur, ſed non vitiarent electionem, ut *in cap.*3. *De elect.* optimè *Card. de Luca De Canonic. diſc.*29.*num.*2. *&*3. *ac num.*9.*&* 10.

3. Dixi non ſine admiratione, quia ſtatuta concernentia foraneitatem, & extantia in viridi obſervantia, jam extracta fuerunt à Reverendiſſimo Nuntio, juxta legem ei præſcriptam à Sanctiſſimo, cui extractioni quidquid gratis, & ſine ulla auctoritate exadverſo dicatur, ſtandum eſt omninò, maximè quia concordant cum Autographo originali, quod aſſervatur in libris Dataríæ, faciliter ab Adverſariis inſpiciendum, atque indubitanter, quia Archiepiſcopus Sanfelicius eadem ſtatuta de anno 1656. inſeruit inter acta Viſitationis, & in libris Eccleſiæ Leodien. quibus etiam fides præſtatur, ut plenè firmavi in poſtrema informatione, *à num.* 15.*vſque ad num.*19.

4. Nec iſta ſunt dubiæ Lucis crepuſcula, ut inquit *D. Vaillant numer.* 14. ſed Luminaria clariſſima; nam prædicta inſertio facta per Sanfelicium tam reſpectu Perſonæ, ſcilicet Delegati Apoſtolici, quàm reſpectu temporis, nullam patitur ſuſpicionis labem. *Menoch.conſ.* 221.*num.*1.*& ſeqq.lib.*3.*idem præſumpt.*20. *ex num.*44. *lib.*5. *Adreol. controv.*66. *num.*18. Atteſtationes etiam Clauſtrarii, & Amanuenſis Secretarii Defuncti, deponentes circa proprium officium, augent ſplendorem. *Spad.conſ.*167.*num.*3.*lib.*2.*Celſ.deciſ.*395. *num.*10. illumque ſuperauget præſentia Canonicorum, qui extractionem minus verum non permiſiſſent: & quamvis de Capitulo, attamen cùm ageretur de intereſſe ipſius Capituli univerſalitèr, non autem Canonicorum uti ſingulorum, optimè probant in puncto. *Bart.in l.in tantum,ff.de rer.diviſ.Farinac.de teſt. quæſt.*60. *num.*405. *Rot.deciſ.*7. *num.*17. *par.*17.*rec.* Præſertim adminiculati ex dicto viſitationis actu, & tranſmiſſione Nuntii, ut ampliando tradit *eadem Rot. deciſ.* 320.*num.*13. *cum ſeqq. par.*9.

5. Suſ-

5. Suſpicare verò de mutatione, ſeù alteratione, eſſet improprium etiam in vili Perſona; etenim delicta ſimilia nunquam præſumuntur. *Menoch. dicto conſ.*221.*Ciriac.controv.*131.*num.*12. multoque minus in Nobilibus,& in Dignitate conſtitutis.egregiè *Peutinger.dec.*54. *nu.*20.*&* *dec.*72.*num.*7. ubi concordantes, quibus arridet *Dominus Sardinius in numer.*86. Undè ceſſant aſſertivæ *D.Vaillant in numer.*24.87. *&* 96.

6. Quòd autem nulla amplius ambiguitas cadere poſſit ſuper intelligentia Statutorum,demonſtravit *D.de Firmanis in ſua ſcriptura numer.*16.*cum ſeqq.* & quòd dictio *alioquin* expoſcat concurſum utriuſque requiſiti, firmavi ego *in numer.* 10. *cum ſeqq.* & confirmatur in *reſtrictu* ſub §. *Minus autem.* Proindè perperam laboraverunt *DD.* exadverſo ſcribentes, ſignanter dictus *Dominus Vaillant*, ſatagendo ſuadere contrarium in *numer.* 61. *&* *numer.* 71. quia ſtatuta interpretanda ſunt ne contineant abſurdum, aut iniquitatem, & ne reprehendi poſſint à Sapientibus. *Surd. deciſ.*43. *num.* 11. *Peutinger.dec.*79.*num.*9.*&* 10.

7. Tandem ſufficit, ni fallor, lectura, & diſpoſitio litteralis illius Statuti de Capitulis ordinariis,& ſpecialibus,incipien. *Item Canonicus foraneus*,ubi concluditur, quòd intereſſe, & votum dare non poſſit; Undè videndum quis ſit foraneus, juxtà ſubjectam materiam, & quidem ille eſt, vel qui non fecit primam reſidentiam, vel qui non ſe exhibuit in feſto S. Ægidii, nec fecit reſidentiam ſemeſtralem, vel qui eſt extra Civitatem,ut egregiè *Dominic.Macro in ſuo Prolex.Sacr.verb.foraneus,ſol.*277.*&* *Alberic.in Dictionar.Jur. eod. verbo*, *&* *verbo extrinſecus*. Videant ergo doctiſſimi Judices utrum ſub aliquo ex dictis caſibus ſit incluſus Eminentiſſimus Bullionius, advertendo ad actus, & atteſtationes per nos datas ad declarandam veritatem.

8. Neque ad probandum uſum, vel obſervantiam opus eſt conſuetudine præſcripta, ſed aliquibus actibus, immò unico probatur. *Butr.in cap.final. de conſuet. Dec.in cap. cùm M. Ferrarienſis De conſtit. Cravett. conſ.*101. *num.*4. *Rot.deciſ.*316. *num.*14.*&* 15.*par.* 9. *recent.* & obſervantia in una parte arguit obſervantiam in aliis. *Celſ.deciſ.*125. *num.*8. & admittit prolixiſſimus *Dominus Sardinius numer.*40. gratiſque aſſeritur, actus eſſe æquivocos per interpretationem proprio marte datam, dum verba multoque magis facta, ſemper, & ubique interpretantur juxta ſubiectam materiam. egregiè *Surd. deciſ.* 322. *num.*29.*&* 30.

9. Nullumque Statutum remittit obſervantiam in voluntatem, & ad libitum ſubditorum (quod toties inculcat prædictus *D.de Vaillant*) ſed obligat per neceſſitatem, cùm dicatur lex municipalis ſuperans jus commune. *Pariſ. conſ.* 86.*in fin.lib.*1.*&* *conſ.*20.*ex num.*5. *lib.*2.*Joſeph.Ludovic.deciſ.Peruſ.*9. *n.*30. *Celſ. dec.*125.*num.*5. Et proindè prius ſemper ſe repræſentaverat Eminentiſs. Adverſarius per Procuratorem.

10. Verba demum *pro foraneo habeatur*, ideò fuerunt à Statuto probata, quia *foraneus* non eſt ſemper, qui repræſentare ſe neglexit in feſto S. Ægidii, ſed tantùm pro illo anno; undè dictio illa *pro*, importat veritatem pro eodem anno,& fictionem in reliquis,cùm habeat diverſos ſignificatus ſecundùm ſubjectam materiam. *Barboſ.tract.var.dict.*287.*num.*2. *&* 11.

11. Addit *Dominus Corradinus ſub numer.* 55. quòd adeſt Statutum dans

dans facultatem Decano diſſolvendi Capitulum. Gaudemus quia amplius controvertere nequit ſcientiam Statutorum nobis in hac parte ignotam, prout ignotum eſt quid ex tali Statuto colligere prætendat, niſi forſan, quòd Capitulum procedere non poterat ad electionem, poſtquam Decanus receſſerat, ſed fruſtra, quia poſt convocatum Capitulum, & unitum in die ſtabilita de conſenſu ipſius Decani, eoque interveniente, non eſt locus diſſolutioni, niſi ita volente majori parte, ut latè firmavi in ſcriptura ſuper puncto electionis, *numer.* 8. *cum ſeqq. & numer.* 15. & in hoc adaptantur concluſiones exadverſo adductæ, quòd Statutum interpretari debeat, ut confirmetur cum jure communi, ſed id non concernit contemptum, ſicuti nec illud concernunt ea, quæ repetit *Dominus de Vaillant numer.* 108: neque ulterius inſiſto, quia *Dominus meus Fuſcus* latiùs omnia circa foraneitatem, egregio ſolito more, comprobavit.

12. Verùm quando etiam recurrendum eſſet ad jus commune, ſuper quo figit pedes idem *D.Vaillant*, adhuc illud nobis adſiſteret; quia vocandi non ſunt, & conſequenter ſpreti nequaquam dicuntur qui *commodè, & abſque periculo* intervenire nequibant. ad *Text.apertum in cap.quia propter in fin.de elect.* ubi ſcribentes omnes, & *D. Corradinus in num.*58. Ratio eſt naturalis, quia illuſio manifeſta, immò iniuria eſſet vocare, & poſtea non admittere, ut dixi in Informatione ſub *numer.* 20. nam turpius ejicitur, quàm non recipitur hoſpes. *Bellett. diſquiſit. Cleric. tit.de diſciplin.* §.29. *numer.*7. *Seraphin.deciſ.*1483. *in fin.*

13. Nec repeto demonſtrationes aliàs recenſitas ad oſtendendum *incommoditatem, & periculum*, quia ſufficit legere, & ponderare Epiſtolas Eminentiſſimi Contradictoris, ejuſdemque proteſtationes, ad convincendam hujuſmodi veritatem; etenim inter cætera aſſerit, *quòd ſtatim audita morte Leodienſis Epiſcopi, diſceſſit ab aula Chriſtianiſs.Regis*, nempè à loco hoſtili, & quòd perventus ad Oppidum Huenſe, *in præſidio dicti Regis*, miſit Virum nobilem Leodii *non ingreſſum, ſed expulſum*; undè poſteà coactus fuit, more bellico, *uti Tubicinis* pro tranſmiſſione Epiſtolarum, quas *lingua vernacula traduci fecit, & affigi* Leodii; ad quem autem finem dicta traductio, & affixio demandata fuerit, ſatis eruitur ex tenore ipſarum Epiſtolarum, continentium *oblationes Legionis Militum, ſecuritates, aliaſque auctoritatis, & plenipotentiæ jactationes pro excitanda Plebe ad ſeditionem, & Capitulum ad neutralitatem*: & quamvis aliqua verba urbana, & captioſa per *Dominum Sardinium* ponderata *in numer.*9. *& numer.* 81. concurrant, attamen notum eſt axioma: *latet anguis in herba*.

14. Igitur nemo non videt oculis intellectus, quòd Eminentiſſimus ampliorem viam talibus Epiſtolis aperuit propriæ excluſioni, dum Capitulum eum admittendo, aut aliquis ex Capitularibus acceptando ipſius procuram, ſtatim de facto incidiſſet in pœnas edicti Imperialis, & dum certiſſimum eſt, quòd *Commoditas* ex parte Eccleſiæ adeſſe debet, & ex parte ejuſdem abeſſe *periculum*, ut fusè, diſtincta materia, & conciliatis caſibus, in quibus permitti debet, ſeù denegari conſtitutio Procuratoris, firmatur in *reſtrictu* §. *Præterea, uſque ad* §. *Neque dicatur*, per quam conciliationem ceſſant omnia longo calamo exarata per *Dominum Corradinum numer.*10. *& ſeqq.* qui tandem deſcendit in noſtram ſententiam, *num.*16.

15. In

15. In nihilo opitulante, immò obſtante exemplo, quatenus verò Eminentiſs. D. Cardin. de Furſtembergh, quem ſupponitur conſtituiſſe Procuratorem Canonicum Poitiers, non admiſſum ob ſolam Conſtituentis declaratam foraneitatem; Quippè ex eo datur intelligi, quòd etiam D.Card. Bullionius, licèt declaratus foraneus, facere poterat eamdem deputationem; undè vel ſibi debet imputare omiſſionem, vel tolerare foraneitatis effectum, prout toleravit dictus Card. Furſtembergh, qui tãquam Germanus, ideòque melius informatus de Statuto, & ſtylo Capituli, dictæ declarationi acquievit; ut etiam Pars adverſa fatetur, quæ normam à prædicto exemplo percipere debet. *Bald. conſ.* 358. *ſub num.*4.*lib.*1.

16. Nec intrat dilemma *Domin. Sardini ſub numer.*85. Quoniam non ex capite tantùm impreſſionis, & abuſus ſecularis poteſtatis, aut inimicitiæ particularis, quæ conſiderata non fuit, & conſideranda non eſſet in perſona prædicti Cardinalis, ſed etiam ex altero inimicitiæ generalis inter totam Germaniam, totamque Galliam, cujus cauſa generaliter etiam prohibiti erant de facto quicumque actus commercii, licèt remoti. videatur quæſo *Graſſ.de effect.amicit.effect.*34. *num.*129. *uſque ad* 143.

17. Minùs applicantur exempla allata per *Dom. Vaillant numer.* 134. quia hoſtilitas inter Chriſti fideles, licèt varios pariat malos effectus, non tamen peſſimum parere poteſt, impediendi juriſdictionem Epiſcopis in locis propriæ Diœceſis, licèt occupatis ab hoſte; id enim eſſet privare Epiſcopos indirectè mitra, & baculo paſtorali.

18. Reſponſio, quòd Capitulum reſtrinxerit decretum ad cauſam derivantem à jure municipali, ac per conſequens allegare non poſſit cauſas procedentes à jure communi, ſatis, ſuperque remanet enervata ex replicationibus datis in mea Informatione *numer.* 26. & in *Reſtrictu* §. *Neque dicatur, cum ſeqq.* quæ reſponſiones haud ſunt præſtigia, & cavillationes, ut eas appellat *Dominus de Vaillant in numer.* 103. Verùm ſolida Juris principia, innixa ſuper inſtrumento ſolemnis electionis, quocumque poſſibili modo tam per Electores, quàm per Electum tuendæ, itaut ſufficiat turbiditas oppoſitarum exceptionum, ut electio valida declaretur. *Innocent.in cap.innotuit num.*3. *de elect. Gemin.in cap.licèt Epiſcopus num.*12.*De præbend.in* 6.& ut in dubio confirmari debeat. *De Luc.de Regular.diſcurſ.*11.*num.*11. *Priol.deciſ.*205.*num.*29.

19. Et ad noſtram reſponſionem, quòd electus nova jura, novaſque rationes deducere valeat independenter à deductis per Electores, nullam reperio datam exadverſo replicationem, quia verè dari juridica nequit.

20. Similiter non aliam video datam extinctioni Canonicatus ob ſuperventam dignitatem Cardinalatus, & inſufficiens retentionis indultum quoad Canonicatum ibi non expreſſum, ac per conſequens non incluſum juxta Bullam Sixti V. niſi illam reputationis, & quaſi poſſeſſionis in jure votandi: quam reſponſionem incongruam pro actibus explendis, poſt detectam erroneam reputationem, & ineptum retentionis titulum, demonſtravi in Informatione *numer.* 32. & latiùs in *Reſtrictu* §. *Demum, uſque ad* §. *Ex prædictis itaque*.

21. Ultra quòd dùm Canonicatus expiraverat uſque ab anno 1659. per promotionem, fruſtrà adducuntur actus poſteriores, incipiendo à Præpoſitura; iſta enim infundere novum ſpiritum Canonicatui jamdiu extincto, nullatenus

poterat: & quamvis Papa tale miraculum facere valeat, attamen feciſſe minimè præſumitur abſque clara narrativa ſecutæ extinctionis, ut dixi in Informatione *numer.*29.& in *Reſtrictu* §. *Minuſque fol.ultimo*, optimè *Ludoviſ. deciſ.*353. *ſub num.*14.

22. Nihilque juvat, immò nocet qualitas Eminentiſſimi Bullioni primaria gaudentis dignitate in Capitulo poſt Epiſcopum; etenim illa adauget abſurdum, & indecentiam conſideratam in dicta Bulla Sixtina, nimirum, quòd Cardinalitiæ dignitati præcedat Epiſcopalis, quæ indecentia, & abſurdum non tollitur lapſu temporis, cùm habeat tractum ſucceſſivum, ideòque ceſſant concluſiones de triennali, & decennali pacifico poſſeſſore, allatæ per *Dominum meum Philippuccium numer.* 28. & ſemper obſtaret productio Indulti inſufficientis exadverſo facta, excludens omnem alium titulum meliorem, ſivè verum, ſivè præſumptum, ut in eadem Informatione *numer.* 31. & tradunt etiam *Gabriel.de præſumpt.concluſ.*1.*ſub num.*62. *Adden.ad Gregor.deciſ.*353. *num.*19. *Poſth.de manutent.obſervat.*42.*ſub num.*49.*Rota poſt ipſum deciſ.*540. *num.*21. *Penia in contrarium allat.deciſ.*1004.*num.*8.*in fin.*

23. Igitur deluſoria Viris cordatis videri non potuit hæc objectio, ſicut aſſerit *D. Vaillant nu.*121.ſed quidem inevitabilis; præcipuè, quia non conſtat de litteris Apoſtolicis, quæ, juxta *regul.* 27. *Cancellar.* expediri debent ad gratiæ perfectionem, & ad verum titulum acquirendum, ex quibus litteris appareret, an fuerit conceſſa retentio Canonicatus incompatibilis cum Cardinalatu. *Roſa De execut.litter.Apoſtolicar.part.*1.*cap.*2.*per tot.ſignanter ſub nu.*4.*&* 16. ubi, quòd nec ſuffragantur regulæ de annali, vel triennali, &c. abſque dicta expeditione litterarum.

24. Concludo, quòd ſi eſt verum, prout veriſſimum eſſe tradunt *Barboſ. de jur.Eccleſ.univer.lib.*1.*cap.*19.*ſub num.*89. cæterique in *Reſtricta* §.*Agitur ergo*; ſufficere, quòd poſteà coram Confirmatore conſtet de aliqua legitima cauſa excluſiva contemptus, ſicuti admittit etiam *D.Becchettus in numer.* 7. *in fin.* Equidem confirmatio amplius retardari non poterit; cùm non tantùm ex una, ſed ex pluribus cauſis nunc appareat, Eminentiſſimum Bullionum nequaquam dici poſſe contemptum, ut concludit in puncto, etiamſi cauſæ viderentur dubiæ, *Facbin.conſ.*55. *ſub num.*33.34.40.*&* 41. *Coccin. deciſ.*2021. *num.*37. *& ſeqq.*

OCTAVII

OCTAVII DE JANDIS

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super contemptu,

1. FRuſtrà DD. exadverſo Scribentes,in principio Scripturarum, tanquam pro capitali Cauſæ fundamento, deducunt agi de appellatione ad Sanctam Sedem interpoſita, dequè actu Electionis ſubſecutæ in illius ſpretum attentato, ſic vertentes inſubſiſtentem contemptum Eminentiſſimi D. Càrdinalis in illum Sanctæ Sedis: Verùm iſtæ exagerationes, inſpecta Juris Canonici diſpoſitione, illicò diluuntur; Eo enim ſtatutum eſt, Electiones, tanquàm actus neceſſarios proptèr haſce Electorum appellationes extrajudiciales,non retardari,neque dici poſſe attentatas, de quo ſunt *Text.litterales in cap.Cùm inter* 21. in illis verbis: *Non obſtante appellatione*, & in *cap.Quia propter* 42.*De Election.* paritèr ibi:*Nullo prorsùs appellationis obſtaculo interjecto,cum concordantibus.*

2. Adeòque appellatio ſemper in his terminis intelligitur habere clauſulam ſalutarem, ſi & quatenus Electio non ſit canonica, ut declarat *Gloſſ.in cap. Conſideravimus*, *verb. poſt appellationem*, *litt.C.* ibi: *Appellare ne fiat Electio non valet, ſed ne fiat niſi canonica. Anan.in cap.Cùm nobis num.*1.ibique *Butr, num.*2.*Bellamer.num.*6.*De Election.Altaſerr. in Decretal. Innocent. III. lib.*1. *tit.*6.*cap.*19.

3. Rursùs eò minùs attentatam reddere valuit appellatio Eminentiſſimi D.Cardinalis Electionem, & illam ſuſpendere,dùm inſtabat terminus eidem de Jure præfixus, in quo ſtatu Electores, non obſtante quacumque appellatione, valent omni Jure procedere ad Electionem;neque alitèr expectare tenentur revocationem appellationis, ſed coram Confirmatore poſt Electionem appellans debet juſtificare,& legitimare ſuam appellationem prætenſam.*Fermoſin.in cap. Cùm inter* 16.*nu.*1.*&* *cap.Cùm nobis* 19.*De Election.Paſſerin. de Election.cap.* 32.*ſub num.*6.*verſ.eſt etiam conſiderandum*, qui individualitèr ait, Electores non teneri expectare declarationem Superiorum, quòd quis habeat vocem, & revocationem appellationis, ſeù oppoſitionis. *Rota coram Coccin.deciſ.*1431. *num.*17.

4. Præterea eò minùs valebat hujuſmodi appellatio Eminentiſſimi Domini Cardinalis retardare Electionem,tanquam deſtituta requiſito ſubſtantiali Juramenti, quod præſtare adſtrictus eſt ille, qui prætendit vel ex contemptu, vel ex alio capite Electionibus opponere, illaſque per oppoſitiones,vel contrà ſubſtantiam, vel contrà formam impedire, quemadmodùm ſancitum eſt in *cap. Ut circà* 4.*&* *cap.Is qui* 19.*De Elect.in* 6. ubi *Canoniſtæ* communitèr; ſignantèr

verò *in cit.cap.Ut circà. Geminian.ibid.num.3.Franc. num.9. cum aliis relatis à Barboſ.num.1.* quibus addo *Sigiſmund.à Bonon.De Elect.dub.46.nu.11.Pirrun.de Subdit.par.1.cap.31.§.1.Caſtellin.de Election.cap.16.nu.2.14.& 15.Paſſerin.eod.tract.cap.32. num.54.* & hanc ſententiam probavit *Rot.coram Coccin. deciſ.2088.num.40.& ſeqq.* repetit. *in Recent.deciſ.289.par.6.*

5. Neque refragatur *Text.in cap.Conſideravimus 10.De Election.* in contrarium allegatus; Nam ut ibi *Gloſſ.verb.poſt appellationem* explicat, appellatio non reddit Electionem attentatam, neque ipſo Jure nullam. benè *Innocent.* ibi ſub *num.2.Abb.ibidem num.1.* qui ait: *nota, & tene menti, quòd Electio facta poſt appellationem extrajudicialem non eſt ipſo Jure nulla*, idque ampliat etiamſi appellatio legitima fuerit. *Ancaran.num.1.Imol.num.3.* ubi hoc ait maximè procedere, quando appellatio reſpicit Injuſtitiam Electionis, ad quam reducitur contemptus, qui ab Innocentio parificatur cum appellatione, itaùt utrumque non reddat Electionem ipſo Jure nullam, & per conſequens attentatam, & in ſpretum, ſed appellatio regulatur à natura Cauſæ in eadem expreſſa, ſicuti contemptus à cauſa, quæ ſi frivola ſit, ſeù poſtmodum appareat minùs ſubſiſtens, non refragatur validitati Electionis, & confirmationi, ex traditis per DD. præfatos, quibus addo *Bald.in cap.Conſtitutus 47.De Election.* firmantem, quòd qui petit caſſari Electionem ob ſuam appellationem, debet probare cauſam ſufficientem. *Innocen.in cap.Cùm nobis 19.nu.1.De Election.* & *Imol.in cap.Auditis nu.7.eod.titul.* ubi quòd appellatio etiam legitima non reddit attentatam Electionem, ſed tanquàm extrajudicialis, eſt mera provocatio, quæ ſolùm devolvit cognitionem ad Superiorem.

6. Totum ergò momentum Cauſæ ad articulum jam agitatum reducitur, videlicet: An D.Cardinalis poſſit dici contemptus, & an coram Confirmatore Electio de ipſius contemptu valeat convinci, juxtà tradita per *Innoc. cap.Gratum 2.De Poſtulat.ſub num.2.* ibi: *Sat eſt poſt Electionem conſtare. Barbat. nu.16.* ibi: *Satis enim ſi poſteà convinci poſſit*, cum aliis per *Barboſ.ibid. n.3. Angel.de Clavaſ.in ſumma.verb.Electio num.3.Fermoſin.in cap. Illa quotidiana 31. num.10.& 11.De Election.Lavor.eodem tractat.tit.4.cap.17. num.7.*

7. Hujuſmodi contemptus ex non vocatione certè, ut dictum eſt, deduci nequit; Quando Eminentiſſimus D. Cardinalis jam ſciebat, nedùm vacationem, ſed diem indictæ Electionis, ut patet ex ejus Epiſtolis, & ſignantèr ex illa 30.Martii in impreſſis *pag.25.§.Mihi enim*. ibi: *Cùm modicum adhùc temporis ſuperſit uſque ad diem Electioni faciendæ præfixum*, & clariùs in declaratione Regis Chriſtianiſſimi ab eodem miſſa pro armiſtitio, *pag.27.* ibi: *Non ſolamente ſino alli venti d'Aprile, giorno aſſegnato all'Elettione*, & rursùs in Epiſtola diei 10.Aprilis, *pag.31.§.Cùm modicum tempus ſuperſit uſque ad diem à vobis Electioni pertractandæ præfixum*. Qua ſcientia ſtante non erat vocandus, ſed debebat venire, ſi volebat, & non veniendo ſibi imputet, ut ex *Abb. Baiſ.Caſtellin.Paſſerin.* & aliis, plenè fuit firmatum in aliis: & licèt *Abb.& Petr.de Baiſ.* loquantur etiam de eo, qui ſe abſentavit, tamèn in genere firmant, quòd ſcientes diem indictæ Electionis non ſunt vocandi, ea ratione, *ex quo ſciunt diem aſſignationis, certiorari non debent*, ſunt verba *Petr. à Baiſ. in director.Election.cap.10.par.3.num.4.* & licèt *Compoſtellan.in cap.Cùm inter univerſas 18. De Election.* videatur contrarium firmare, eumque referant ibidem *Joan.Andr.Butr.* & alii exadverſo allegati, tamen hujuſmodi opinio communi-

ter

ter rejicitur, ut ipſemet *Abbas* ibi, *num.* 10. exadverſo pariter citatus, expreſsè tradit in illis verbis: *Sed ego dubito de hoc ultimo; quia, ex quo ſciunt vocationem Eccleſiæ, & diem aſſignatum ad electionem faciendam, non video, ad quem effectum fieri debeat vocatio.*

8. Minùs autem contemptus educi poteſt ex declaratione Foraneitatis; Hæc enim non impedivit, quin Eminentiſſimus Dom. Cardinalis potuiſſet venire, ni alia ei obſtitiſſent, & inſtare ut pendente appellatione non ejiceretur à ſua prætenſa poſſeſſione, quo caſu, ſi fuiſſet ejectus, forſan potuiſſet dare de cõtemptu; Cæterùm in hac declaratione non adeſt contemptus, non in modo, quia fuit plena reſpectu, non in re, quia hæc Foraneitas declarata fuit ad tenorem Statutorum, & conſuetudinis, & ſufficit pro excludendo contemptu, Capitulum uſum fuiſſe jure ſuo, & juſta, ſeù probabili, aut veriſimili credulitate talem declarationem edidiſſe, prout etiam poterat facere in dubio, ut latiùs in *Reſtricta §. potiſſimè*, & tradit *Paſſerin. de election. cap.* 14. *ſub num.* 52. ubi ait, *quòd circà eum, qui ſibi non conſtat certò Jus habere, minuſque certò ſuffragari poſſeſſionem aliquam, Capitulum poſſe agere quod ſibi videbitur, neque exindè reſultare contemptum*, repetendo ſemper, quòd ad effectum annullandi Electionem, quæ ex ſe etiam aliàs cum contemptu valida eſt, requiritur contemptus formalis, injurioſus, ac vilipendens, & potens ad deſtruendum Ædificium jam licitè conſtructum, & perfectum.

9. Ad arguendum hunc contemptum ex dicta declaratione, controvertitur ipſa extractio, ejuſque legalitas, & ſolemnitas ab aliquibus ex *DD.* in contrarium Scribentibus, aliis eam non impugnantibus, & quidem omne ratione, utpotè factam adamuſſim, juxtà mandatum Summi Pontificis ab Illuſtriſſimo Nuncio, ejuſque deputatis, quod ſatis ex ſe ſolum illam reddit legalem, & ſolemnem, ut tradunt *DD.* communiter *in cap. pervenit* 2. *de fidejuſſor.* ibique *Barbat. num.* 18. inquiens, *quòd in exemplatione facta ex mandato Papæ cum authoritate Judicis, non requiritur alia ſolemnitas. Butr. num.* 10. firmans, *quòd etiam ſi fiat ſine ſolemnitate, dummodò fiat de mandato Papæ authoritate Judicis exemplatio obtinere vim Inſtrumenti publici, & probat. Imola num.* 35. qui pariter ait: *ſi fiat exemplatio ſine illa ſolemnitate dummodò fiat de mandato Papæ, & authoritate Judicis exemplatio obtinebit vim publici Inſtrumenti, & probabit. Rota coram Verall. deciſ.* 351. *num.* 4. *par.* 2. *Coccin. deciſ.* 1358. *num.* 20. & 23. & *in recent. deciſ.* 422. *num.* 3. *part.* 1.

10. Rursùs negatur Statutum eſſe original, & quod inauditum fuit, in dubium revocatur ipſamet integritas Illuſtriſſimi Domini Nuncii, & identitas Scripturarum, & Plici ab eo tranſmiſſi tanquam alterati; Verùm hæc omnia unica reſponſione cadunt; Original enim Statuti anni 1560. quod obſervatur, non adeſt Leodii, quia Original eſt in Urbe in Regeſtis Pii IV. ubi apparet ab eodem confirmatum, & ſignatum, & de ejus obſervantia Capitulum, Secretarius, Extractores, & Nuncius teſtantur; & deſuper adeſt evidens probatio ob ejus inſertionem in Viſitatione R. P. D. Sanfelicis, & ipſius Illuſtriſſimi Nuncii relationem, ex quibus omnibus reſultat veritas locorum extractorum, totaque littera Statuti, ad quam recurri poteſt in omnibus dubiis; Et quia adſunt tria exemplaria concordantia, nempè unum in Dataria, ſecundum miſſum à Nuncio, & tertium authenticum nuper etiam tranſmiſſum, de illius exiſtentia, tenore, & veritate non ſine evidenti calumnia dubitari nequit, dum concur-

currunt tria documenta publica, & authentica, & præcipuè illud in Dataria, quod eſt Original, & aliud in Viſitatione Sanfelicis, quæ reddunt illius fidem indubitatam, & operantur, ut non ſit ampliùs cauſa differenda cum petitione Compulſorialium, quæ ſemper denegantur, ubi in Curia adſunt ipſa Originalia, vel documenta publica ante litem extracta. *Rot. coram Seraphin. dec.* 1236. *num.* 3. *& deciſ.* 1481. *num.* 1. *Buratt. deciſ.* 878. *nu.* 7. *Coccin. deciſ.* 2358. *nu.* 21. *& in recent. deciſ.* 125. *num.* 13. *par.* 6.

11. Abſque eo quod neceſsè fuerit extrahere aliquid ex prætenſis Statutis anni 1563. ſeu 1641. nam iſta non ſunt Statuta perfecta, & obſervata, ſed imperfecta, quæ remanſerunt incompleta, & Statutum quod obſervatur eſt illud anni 1560. prout teſtatur totum Capitulum, Secretarius, & Illuſtriſſimus Nuncius, quod extractum fuit, & cujus Original reperitur in Dataria, undè incaſſum pro aſſertis Statutis ſupradictis petuntur Compulſoriales, quæ pro imperfectis Scripturis, & irrelevantibus concedi non debent. *Veſtr. in prax. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 12. *in med. Scacc. de judic. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 840. *verſ. debet enim. Rot. coram Duran. deciſ.* 376. *num.* 3. *Merlin. deciſ.* 596. *num.* 1. *Celſ. dec.* 299. *n.* 1. *Priol. deciſ.* 339. *num.* 1. *in recent. deciſ.* 189. *num. pariter* 1. *par.* 11. *& deciſ.* 485. *num.* 6. *par.* 14.

12. Indebitè etiam ſed æquè torquetur ejuſdem Statuti intelligentia, & tenor nō ſolùm in interverſione, & tranſpoſitione haud tolerabili §. *illius*. Item, qui in dicto tranſpoſito poſt ſequentem §. *item quicumque*, ſed in ſenſu ipſo, cùm clarum ſit pro Foraneo habendum eſſe Canonicum ex *d. cap. de ſecunda reſidentia*, §. *item quicumque eum*, qui in Feſto Beati Ægidii ad ſecundam reſidentiam ſe non exhibuerit, ex latè jam firmatis juncta illius obſervantia, quæ nuper abundè fuit juſtificata, tum ex depoſitionibus Teſtium, tum ex caſibus ſecutis, abſque eo quod iſti de paucitate redarguantur, quando hujuſmodi exhibitio, ſeù repræſentatio eſt adeò facilis explenda per Procuratorem, vel Nuncium, ut nemo illam certè omittere valeat, imò mirabile eſt, quòd hujuſmodi caſus inventi fuerint.

13. Ad majorem comprobationem, quòd Foraneus non ſit ſolùm ille, qui primam reſidentiam non fecerit, ſed quolibet anno is, qui in Feſto B. Ægidii non ſe exhibuerit, vel præſentaverit, hodiè ſupplicamus ponderari, quòd præfatum Statutum duos caſus diverſificat. Alterum, quo Canonicus in præcedenti anno reſederit, & ſic obſervans fuiſſet: & alterum quo non reſediſſet, & ſic non obſervans, ſed contumax. In eo, qui obſervavit, Statutum diſponit, quòd debeat ſimplicitèr comparere. ibi: *Quicumque facta prima reſidentia volet &c. debebit in Feſto Sancti Ægidii, &c. ſe exhibere*, quod verbum nil aliud ſignificat, quàm ſui copiam facere, ſeſeque oſtendere. *l.* 2. *ff. ad exhibend. l.* 3. §. *hoc interdictum, ff. de Tabul. exhiben.* & in publicum producere, & ſeſe videndi facultatem præbere, ut in *l.* 3. §. *ait Prætor, ff. de liber. hominum exhiben. l. plus* 22. *& l. final. ff. de verb. ſignif. Speculat. lib.* 2. *part.* 2. *de diſput. & allegat. Advocat.* §. 5. *ſub num.* 22. *verſ. quia exhibere. Gregor. in Syntagm. Jur. par.* 3. *lib.* 29. *cap.* 7. *nu.* 2. *&* 3. Quapropter in iſto caſu nil aliud præfert, quàm publicè comparere, & præbere ſui oſtentationem.

14. De hac verò comparitione, & ſimplici oſtentatione non contentatur pro non obſervantibus, & contumacibus, qui anno præcedenti non reſederunt, ſed præcisè requirit præſentationem formalem cum oblatione reſidendi, ibi:

ibi: *Ut ſe præſentent*, & verbis expreſſis *offerant ſe ſe ad reſidentiam*; Et jure quidem meritò ità petendo veniam, & promittendo emendationem in futura reſidentia, veluti uberiùs conſtat ab exemplis relatis in *Summ. num.* 3.

15. Poſita hac diſtinctione, & diſcretiva inter non obſervantes, & obſervantes, totus §. *quicumque volet, &c.* tangit Canonicos primos, ideſt non obſervantes, quibus etiam addit nullam Cauſam ſuffragari præter neceſſarias, quas enumerat, & de his non obſervantibus loquitur Statutum proſequendo in illis verbis juxtà verum ejuſdem tenorem: *Item, qui in die Beati Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit*, quia loquendo per dictum verbum *præſentaverit*, à Statuto adhibitum pro Canonico contumace, & defectuoſo, abſque difficultate diſpoſitio intelligitur de eodem, cui verbum dictum convenit, & quem aliàs ſuprà deſignavit in eodem ſenſu, & intellectu, maximè dum etiam ex ſubſequentibus idem ſenſus habetur, & ſic uti in medio poſita dicta verba ab antecedenti, & ſubſequenti eorum ſenſu, magis hanc intelligentiam probatur, ex traditis per *Rotam* coram *Pamphil. deciſ.* 728. *num.* 12. *Bich. dec.* 19. *num.* 12.

16. Poſtquam ergò Statutum hanc diſtinctionem litteralitèr adhibuit, obſervantium videlicèt, quibus onus ſimplicitèr comparendi injunxit, & non obſervantium, qui ſunt adſtricti formalitèr ſe ſe præſentare, & verbis expreſſis offerre ad reſidentiam, ſeu pœnitentiam, reaſſumit diſponere de utraque ſpecie, dicendo: *Item quicumque in Feſto Beati Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit*, iſti ſunt obſervantes, *aut præſentaverit*, iſti contumaces, *reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem continuè, vel diſcontinuè, alioqui pro Foraneo habeatur*, & ultrà foraneitatem aggravat. ibi: *Nec ullos omninò fructus faciat eo anno*. Ex quibus patet à Statuto diſponi, quòd Canonici compareant in Feſto S. Ægidii, & poſtquam comparuerint reſideant, ità quòd illa, quæ intermediant à verbo *exhibere*, uſque ad verba *quicumque*, omnia ſtent de per ſe, veluti intra Parentheſim ſenſum in alienis præferentem; Et verus ſenſus eſt à primo ad ultimum, quòd Foraneus habendus eſt ille, qui in dicto Capitulo ex obſervantibus *ſe non exhibuit*, & ex non obſervantibus, & contumacibus *ſe non præſentaſſet, vel ſi ſe præſentavit, non reſidit*, quemadmodum Capitulum ipſum his verbis reſpondit Eminentiſſimo Dom. Bullionio. *Summ. antiquiori num.* 12.

17. Valdè extranea eſt intelligentia illa, conficta iis verbis: *Alioquin pro Foraneo habeatur*, quòd ſcilicet præferant foraneitatem impropriam, ad inſtar ſimilitudinariam non identificam, verificabilem in ſola privatione fructuum; Quandoquidem hæc repugnat diſpoſitioni juris ipſius Statuti: De jure ſiquidem hujuſmodi verba *Pro foraneo habeatur*, in Legibus, & Statutis, quorum jus eſt, & poteſtas qualitatem inducere, verè diſponunt, & illam inducunt, & talem eſſe decernunt, ut evidentèr probat *Juſtinian. in l.* 2. §. *quòd ſi Actor, verſ. ſin autem reus, C. de Juram. propt. calumn. dand.* ibi: *Sin autem Reus hoc Sacramentum ſubire recuſaverit in iis Capitulis, quæ narratione comprehenſa ſunt, pro confeſſo habeatur*, quæ verba diſponunt reum verè confeſſum, dum ſubdit: *Et liceat Judici ſententiam proferre, quemadmodum ei, & ipſa rei qualitas ſuggeſſerit*, idque repetiit *Innocentius III. in cap. final. §. pœna eod. tit.* ibi: *Pœna verò recuſantis hoc Juramentum cùm præſtandum fuerit eſt, ut Actor ab inſtantia cadat actione, reus autem haberi debeat pro confeſſo*, & tradunt *Jo: Andr. in cap.*

2. *de*

2.de Confeſt.in 6. ibique *Ancharan. num.3. & Geminian.* qui prædictam reddunt rationem,quòd in Statutis,& Legibus, quorum eſt diſponere verba præfata, qualitatem veram,& identificam inducunt, & ſignificant talem eſſe, quibus addo *Ancharan.quæſt.39.num.6.part.1.Cyriac.controverſ.21.num.55.*& faciunt ad idem *text.in cap.ex parte 9.de Sponſal.*ibi: *Juravit ſe illum pro marito habiturum,in cap.tanta 6. qui fil.ſint legitim.*ibi: *Poſt contractum matrimonii legitimi habeantur,in cap.ex parte 10.de conceſſ.præbend.*ibi: *Prædictos Clericos pro Canonicis faciatis haberi, cum concordantibus.*

18. Repugnat itidem hæc ſimilitudinaria interpretatio diſpoſitioni Statuti; Statutum quippè forancitatem inducit, & poſtea ultrà eam augumentativè aggravat, & decernit privationem fructuum. ibi: *Alioquin pro Foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus ſuos faciat eo anno*, quæ verba *nec ullos omninò fructus* ſunt de ſe disjunctiva, & licèt continuativè adjecta legantur in ſequelam, tamen aliud diſponunt, & inducunt qualitatem præcedenti diverſam. ita ex *Bartol.in l.final.§.cui dulcia, ff. de vin.oleo,tritic. legat.* reprobante *Dynum* tradit *Ruin. conſ. 119. num.2. tom.4.* ſubdens hanc dictionem *nec* eſſe ampliativam, & augumentativam alterius diverſæ rei, ac ſi dictum fuiſſet *nec etiam fructus ullos percipere. Pariſ.conſ.36. num.3. vol.3. Menoch.conſ.542. num.1.lib.2.*

19. Et omiſſis aliis, quibus ſatis reſponſum eſt, mirabilis apparet alia interpretatio, ut ſcilicet Foraneitas contrahatur ab eo, qui non ſe præſentavit, itaùt major ſit favor contumacis, quàm obſervantis; ideò quamvis agatur de Statutis hoc ita evidens abſurdum operatur, quòd verus ſenſus dictorum verborum *alioquin pro foraneo habeatur*, ex vi hujus dictionis caſus negativos includentis, inducat foraneitatem tam in caſu non exhibitionis, quàm exhibitionis ſine reſidentia, ut latè probatum eſt.

20. Verùm declaratio Capituli ſuper hac foraneitate Eminentiſſimi Domini Cardinalis, quæ adeò fantaſticis tranſpoſitionibus, argumentis, & interpretationibus Statuti contra litteram, & obſervantiam impugnatur, non eſt in præſenti criticanda, examinandaque rigorosè, & judaicè, ſed tantùm benignè delibanda, ad effectum dumtaxat videndi an ex ea reſultet ille contemptus, qui in ſuo eſſe formali, injurioſo, & vilipendente requiritur ad effectum ex eo annullandi, & irritandi Electionem aliàs validam, tùm ex poteſtate eligentium, tùm ex forma ſubſtantiali obſervata, & ad effectum deſtruendi ædificium licitè fabricatum, pro quo effectu evitando,& excludendo, ſatis eſt, quòd Capitulum in ea Jure ſuo uſum fuerit, neque dolosè, aut ſine juſta, vel probabili cauſa ad talem declarationem devenerit, & in ſubſtantia, ex *D.Bernardo non ſpreverit, ut ſperneret, neque detraxerit, ut detraheret*; nam, ut firmavi,ad evitandum contemptum ſatis eſt credulitas rationabilis,& cauſa etiam minus juſta.

21. Alii ex DD. exadverſo ſcribentibus benè agnoſcentes veritatem, admittunt, neque controvertunt hanc indubiam concluſionem; ſed alii eam oppugnant uti hactenus Juris Canonici ſtudioſis incognitam, contemptum reſtringentem ad ſolam non vocationem: Ut verò pleniùs probetur,Sacr.Canones requirere hunc contemptum, malitioſum, & doloſum, verè aſpernantem, & delictum ſecum ferentem, ſupplico ponderari, quòd Summi Pontifices non loquuntur, neque firmant ſimplicitèr, quòd Electio non vocatis abſentibus,

iiſque

iiſque non admiſſis ſit irritanda, proùt de facili loqui potuiſſent, ſi non vocatio ſimplex, ſimplexque uon admiſſio contemptum, de quo agitur, operaretur, ſed ſemper aggravant nou vocationem, & admiſſionem cum qualitate, & expreſſione contemptus, ut in *cap. quòd ſicut* 28. ibi: *Non vocatis, ſed contemptis, in cap. venerabiles* 34. ibi: *Abſentibus aliis, & contemptis, in cap. bonæ memoriæ* 36. ibi: *Inventus eſt N. fuiſſe contemptus, cum cæteris De Election. cap. ex eo* 32. *eod. tit. in* 6. ibi: *De contemptu conqueri. Cap. cùm Eccleſia Sutrina* 3. ibi: *Eis renitentibus, & excluſis De Cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Et ultrà hanc expreſſionem contemptus per verbum, *præſumpſerint*, procedunt, ut in dicto *cap. cùm Eccleſia Sutrina* 3. *de Cauſ. puſſeſ. & propriet.* ibi: *Querelam, &c. quòd vos eis reultentibus, & excluſis ad electionem procedere præſumpſiſtis*, & in dicto *cap. venerabilem* 34. *De Election.* ibi: *Fautores Ducis abſentibus aliis, & contemptis ipſum eligere præſumpſerunt*. Hæc autem verba *contemnere*, & *præſumere* in Sacr. Canonibus ſignificant, & denotant verum contemptum aſpernativum, & vilipendentem, atque actum malitioſum dolo, malaque fide, & cum temeritate, ac delicto geſtum, ut de verbo *Contemnere*, ſunt plures *Textus*, præcipuè in *cap. quorumdam* 23. *De Election.* ibi: *Contemptis honoribus, abjectis divitiis, ſpretiſque deliciis. Cap. cùm parati* 19. *De appellation.* ibi: *Cùm ad ejus vocationem contempſiſſes accedere, in perſonam tuam excommunicationis ſententiam promulgavit*, cum quo concordat *cap. eos qui* 22. *De ſentent. excommun. in* 6. *cap. cupientes* 16. *De Election. cap. de Conſtantinopolitano, diſtin.* 22. *cap. Metropolitanus* 7. *qu.* 7. ibique *Gloſſ. cap. quicumque diſtin.* 81.

22. Et de verbo *præſumere* eſt *Textus in cap. ſi Religioſus* 27. *De Election.* ibi: *Si Religioſus Electioni ſui Superioris, non petita licentia, & obtenta, præſumpſerit conſentire, conſenſus ſic præſtitus non teneat, & in pœnam præſumptionis illius, electio ipſo facto juribus vacuetur omninò. Cap. ſcriptum* 40. *De Election.* ibi: *Niſi forſan omnes, aut major pars poſtulantium præſumptione damnabili poſtulaverint ſcientèr indignum. cap.* 2. *de Judic.* ibi: *Laici Eccleſiaſtica tractare non præſumant*, ibique *Dec. num.* 6. prædictiſque concordant *cap. cùm Laici De Jurepatronat. cap. primo* 9. *qu.* 2. *cap. præcariæ* 10. *quæſt.* 2. *cap. ſanè De Privileg.* cum aliis per *Anguian. de legib. lib.* 2. *controv.* 28. *num.* 13. ubi quòd hoc verbum ſemper ſonat in delictum, & in malam partem; Undè ſi tàm *contemnere*, quàm *præſumere*, denotant malam partem, malitiam, dolum, & delictum ex ſe, quantò magis id importare dicendum eſt in caſu iſto, ubi Canones hæc verba copulant, & proindè eorum eſt major efficacia. *l. Baliſta, ff. ad Trebell.* cum aliis vulgaribus.

23. Quòdque verè in hoc contemptu requiratur injuria, ſpretus, dolus, malitia, & delictum, non eſt dubitandum, ut ultrà citatos in præteritis benè probat ipſemet *Compoſtellanus* exadverſo allegatus in *cap. quia propter colum.* 14. *circa finem, verſ. credimus tamen De Election.* ibi: *Credimus tamen, quòd ſi ex condicto Capituli, vel partis majoris ſit factum, nè vices præſentiam recipiantur, quòd ob hoc abſens poſſit dici contemptus, & poteſt peti Electionem caſſari, ne poſſet de malitia ſua gaudere, præcipuè cùm in Electionibus omnis fraus, & dolus abeſſe debeat. Hoſtien. in cap. Eccleſia veſtra* 57. *ſub num.* 3. *De Elect.* pro contemptu conſiderat omiſſionem vocationis ex malitia. ibi: *Non ne eſt ex malitia Capituli, ſi ità non citat. Innocent. in cap. quòd ſicut* 28. *verſic. dolus eod. tit.* ubi, quòd dolum, & delictum continet contemptus, & *cap. quia propter nu.* 7.

vult, quòd vocatio non omittatur ex malitia. ibi: *Si electio ità fieret, eſſet malitia, quæ in electionibus eſt vitanda. Abb.in cap. bonæ memoriæ* 36.*ſub num*.9. ibi: *Eligentes aliquo contempto delinquunt contra proximum eod. tit. de Elect. Butr.in d.cap.Eccleſia veſtra* 57.*ſub num*.17. *in medio eod.tit.*ibi: *Appareat malitia ſua*, æquiparans malitiam Capituli in non citando, malitiæ Canonici in latitando ne citetur. *Ancharan.in cit.cap.bonæ memoriæ* 36.*ſub num*.3. ibi: *Deliquerunt in non vocando, & eligendo, non vocato abſente*. *Baiſ. in director. Elect.part.*3.*cap.*7.*nu*.3. ibi: *Contemptus eo ſpreto*, & pleniùs *Coſmus Guymier. ad Pragmat.Sanction.tit.de Elect.pag.*32. §. *idem Juramentum*,pro contemptu conſiderans dolum, malitiam, & delictum, & clarè convincitur ex eo,quòd annullatio Electionis præcisè à Sac.Canonibus ſancita eſt in pœnam contemptus, qui per conſequens delictum redoleat.idem *Abb. in citat. cap. bonæ memoriæ* 36.*ſub d. num*.9. *verſ.ſatis ergo eſt*. ibi: *Ratione contemptus in pœnam retractatur electio, & iſta pœna eſt in jure ſtatuta:* imò aliqui Canonici ejecti etiam tenent adeſſe pœnam privationis pro ea vice poteſtatis eligendi, ut patet ex *gloſſ.in d.cap.bonæ memoriæ* 36. & quòd ſit vera pœna probat *Bellamer. num*.4. addens poſſe diſputari, an incurratur alia, quòd Capitulum privetur jure eligendi, idemque repetit in *cap.Eccleſia veſtra num*.15. & 16. Ex quibus omnibus conſtat contemptum debere eſſe formalem cum ſpretu injurioſo, & vilipendente,redolente malitiam,& delictum, itaut in pœnam ſit retractanda, quæ omnia certè evitantur de jure, ubi adeſt, & concurrit nedum cauſa legitima, ſed etiam rationabilis, licèt minùs juſta, excludens animum, temeritatem, & malitiam contemnendi, & aſpernandi, & dolum, ac delictum, ut latiùs firmatum eſt in præteritis, & tradit *Barboſ.de jur.Eccleſ.lib*.1.*cap*.19. *num*.88. *Bordon.var.reſolut.tit.de Election.reſol*.61.*nu*.6.*Paſſerin.de Election.cap*.14.*nu*.48. *Card.de Lugo reſponſ.moral.lib*.4.*dub*.24.*num*.2.& 3. *Rot.coram Ninot.dec*.87. *num*.8.ubi, quòd vindicari poteſt contemptus, vel ex probabili ignorantia,vel juſtis aliis de cauſis.

24. Parum obſtantibus iis, quæ in contrarium afferuntur; nam omnes dicunt in contemptu ſaltem injuriam conſiderari, & ſic ſemper contemptum debere eſſe injurioſum, & vilipendentem cum ſpretu, certa ſcientia, & temeritate, aliàs Sacri Canones de ſimplici non vocatione loquuti fuiſſent, non per verba contemptus, & præſumptionis; adeòque non vocatio, ſeù non admiſſio, habens cauſam ſaltèm probabilem, contemptum excludit, & non vocationem vindicat ab injuria: & ſi injuria reduceretur ad ſimplicem actum contra jus, Sacri Canones, & DD. ita locuti non fuiſſent de dolo, malitia, & delicto: Imò contra jus,ſeu Juſtitiam non agit, qui juris proprii experimentum facere vult, etiam contra jus alterius, dummodò ſine ſpretu, & temeritate agatur, & hoc eſt, quod ad propoſitum tradit *Paſſerin.citat.cap*.14.*num*.48.quòd Capitulum utens jure ſuo, & non vocans, ſeu excludens modo ſibi debito, & legali,quem aliàs non tenetur admittere, nullam ei facere injuriam, neque in illum eſſe injuſtum, itaut non habeat, undè agat de contemptu, & ſub *num*.52. id extendit, ut dictum eſt, quòd circa eum, qui ſibi non conſtat certo jus habere, minuſque certo ſuffragari poſſeſſionem aliquam, Capitulum agere poſſe quod ſibi videbitur. Et potiſſimè, quando, ut hic,non tractatur de facto injurioſo ejectionis Electoris præſentis, vel illius Procuratoris, ſed de ſimplici non vocatione; nam pro hac quælibet cauſa à contemptu excuſat, ex traditis per eumdem

dem

dem *Paſſerin.de Electìon.cap.*11.*ſub num.*73. addens, quòd præſens habet majus jus ne ejiciatur, quàm abſens ut vocetur.

25. Non adverſatur, ſed potiùs retorquetur diſtinctio, quòd aliud ſit agere de nullitate actus, aliud de pœna, in tantùm quòd pro pœna requiratur formalis contemptus, non autem pro nullitate, qualis hìc prætenditur; Etenim procederet diſtinctio, ſi Electio eſſet nulla ipſo jure ex contemptu, ſed cùm eo non attento ſit valida, ſolùmque ex eo irritanda, & caſſanda, jam agitur de pœna irritationis, & caſſationis faciendæ, prout verè agi de pœna tradunt DD. ſuperiùs allegati, adeòque in ſenſu etiam hujus diſtinctionis, ſicuti quælibet cauſa excuſat à pœna. *Gloſſ.in L.plagii C.ad L.Flav.de Plag.* ità quælibet cauſa contemptum excludit, & pro eo malitiam, dolum, ac temeritatem, juxtà prædicta, ac tradita per *Menoch.de recuperan.remed.*5.*num.*48.

26. Admittendo tandem hanc conclusionem conantur Domini exadverſo Scribentes probare contemptum, dolum, ac fraudem Capituli in declaratione Forancitatis. Primò, quòd ſtudioſè, & doloſè Capitulum, aut potiùs illi, qui eum violentèr ad agendum compellebant, occultaverint decretum latum die 27. Februarii, & negaverint congreſſum Eminentiſſimo Domino Cardinali. Secundò, quòd fuerit privatus in dedecus Dignitatis Cardinalitiæ. Et tertiò, quòd Capitulum, non obſtante appellatione, declaraverit ſe velle ad ulteriora procedere. Duo ultima ſatis ex prædictis, & aliis fuerunt rejecta; primum autem illicò removetur, dum Capitulum uſque à principio notificavit Eminentiſſimo Domino Cardinali illum eſſe Foraneum vigore Statuti, neque eidem notificavit declarationem, quia ex ejus Epiſtolis, & Reſponſivis, illum ſuper eadem foraneitate audivit, & miſit copias Capitulorum Statuti de iſta foraneitate loquentium ad effectum præciſum, ut deduceret ſua jura, ad quorum recognitionem Capitulum ſe exhibuit paratum uſque ad finem; undè nullus dolus, nullaque fraus deſuper argui poteſt, & multò magis hæc remanent excluſa, dum de dolo non redarguitur Capitulum, ſed illi, qui eum violenter ad agendũ compellebant, quæ compulſio cùm ſit prorſus falſa, dum non ſolùm nulla datur probatio, prout neceſſarium foret, quando in Judiciis oportet probare, & non ſufficit dicere. *Gloſſ.verb.dicatur in l.*1. *in princip.ff.ſi quadrup. Pauper. fuiſſ.dicat.Barboſ.axiomat.*191. *num.* 1. Verùm in contrarium urgent tot Capituli declarationes ſe in plena libertate, & à nemine compulſum, aut alicui violentiæ ſubjectum, cùm omnes militiæ eſſent ad defenſionem Capituli, & Eccleſiæ contrà Gallos invaſores, à quibus ſolùm dicitur vim paſſum Capitulum, dum eorum Regi ſubjectum non erat, & ab ejus Copiis invadentibus defendebatur.

27. Quærit unus ex DD. exadverſo Scribentibus aſſerere, quòd Electio ob contemptum ſit neceſſariò caſſanda, præſertìm à Judice; Verùm hæc concluſio non aliter intelligi poſſet, quàm ſi adeſſet formalis contemptus, ſpretum, & dolum redolens, & in inferioribus, & minoribus Electionibus, ubi confirmatores ſunt puri Judices; ſed in his majoribus Electionibus Cathedralium, in quibus confirmatio pertinet ad Summum Pontificem, aſſerere, quòd neceſſariò caſſanda ſit Electio ex contemptu, eſt dare legem Papæ, qui Electionem etiam cum contemptu caſſare non tenetur; ſed valet omni Jure, imò, & ut plurimum ſolet, ubi perſona eſt digna ſemper confirmare, cùm Electio etiam cum formali contemptu ſit valida ex poſſeſſione eligentium, & forma ſubſtan-

tiali, & ſolemnitas illa vocandi abſentem valdè frivola, & non attendibilis. *Innocent.in cap.quòd ſicut num.*23. ibique *Anan.num.*7. *Bellamer. num.*50. *Imol. num.*12.*Bald.num.*5.*de Election.Lavor.eod.tit.cap.*21.*num.*23. *Paſſerin.de Election.cap.*33.*num.*168.

28. Eodem Jure, quo poteſt confirmari electio facta de inhabili, continens majus vitium, quàm ex unius contemptu. *Abb. in cap. quia diligentia num.*5. *De Election.Lavor.eod.tit.cap.*25. *num.*72. ſeù etiam confirmari alia, in qua adſint vota per vim, & metum. *Innocent.in d.cap.quòd ſicut* 28.*num.*10.*de Elect. Samuel eod.tract.diſputat.*2.*controv.*5.*num.*13.*& controv.*7.*num.*2. *Paſſerin.de Election.cap.*14.*num.*18.*&* 19.

29. Ea ratio eſt omnium, quia dum actus eſt validus, & fundatus in poteſtate eligentium, & forma, confirmator habet motivum ſufficiens ad concedendam ſuam confirmationem Electionis, quæ ex poteſtate eligentium, & forma, habet eſſe validum, & perfectum, non attento defectu illius parvæ ſolemnitatis vocandi abſentem, prout advertit *Bertacchin. de Epiſcop. part.*2.*lib.*3. *par.*4.*de effect.confirmat.quæſt.*27. *num.*20. *inter tractat. magn. penult. edition. tom.*2.*pag.*156.*à t.* Maximè ad evitandos circuitus, & diuturnam Eccleſiæ viduitatem, cùm ſemper electus, formalitate hac non obſervata, ex vi prioris conſenſus eſſet ab eligentibus denuò eligendus, & ad Electores compellendi, juxtà reſcriptum Gregor.IX. *in cap.publicato* 63. *de Election.* ubi Doctores *Zabarell.in Clement.*1.*in princip.de Jurepatronat.in* 4.*notabil. Bertacchin. in ſuo Repertor. verb. electus ſub num.* 50. ubi refert Innocentium IV. ità in publico Conciſtorio ſubſtinuiſſe.

30. Hæc autem ſunt extranea à præſenti cauſa, in qua neceſſaria eſt confirmatio ex validitate Electionis in ſui radice, quam irritare non valet aſſertus contemptus, dum non adeſt; quia Eminentiſſimus Dominus Cardinalis contemptus non fuit, neque in modo, neque re ipſa in declaratione, & multò minus in poſſeſſione; quia, ut aliàs dixi, poſſeſſio eſt qualificata à qualitate Reſidentiæ in Feſto Sancti Ægidii, & ſub ea qualitate Eminentiſſimus Dominus Cardinalis admiſſus fuit ad electionem in vacatione penultima; undè ceſſante qualitate reſidentiæ, ceſſat poſſeſſio, quæ tunc poſſet dici attendibilis ad hunc effectum, quando fuiſſet in poſſeſſione ſine dicta qualitate Reſidentiæ; cùm autem ejus poſſeſſio ſit cum hac qualitate, ceſſante qualitate, ceſſat poſſeſſio. *Poſth.de manut.obſervat.*33.*num.*25.*&* 28. *Camera* apud eum *deciſ.*546. *n.*15. ubi quòd diverſa eſt poſſeſſio cum qualitate ab alia ſine qualitate, neque illa ſuffragatur, & in terminis Electionum *Paſſerin.de Election.cap.*14. *n.*38.*&* 39. ubi quòd ceſſante qualitate ceſſat poſſeſſio; Igitur dum Capitulo, neque certò conſtabat de jure Dom. Cardinalis, neque certò de poſſeſſione, potuit ſine ulla nota contemptus ad electionem, undique validiſſimam, procedere, non vocato Domino Cardinali, ex laudata Theorica tradita per *Paſſerin.de Election.cit.cap.* 14.*num.*52.

31. Accedit quòd tunc forſan poſſet diſputari an ſuffragaretur poſſeſſio ex ultimo ſtatu, quando ageretur de ſubſtinendo voto dato; ſed cùm hodiè agatur de annullanda Electione, prout petit contemptus, hoc caſu cùm dicatur deductum poſſeſſorium, & petitorium, defectus boni Juris in petitorio excludit hanc annullationem, & non valet retardare confirmationem, ex traditis per *DD.in cap.cùm Eccleſia Sutrina* 3.*De cauſ.poſſeſſ.& proprietat.*& ſignanter

Abbas

Abbas ibidem nu.1.verſ. unde non confirmat. Hoſtien.nu.2. & 3. Imol.ſub nu.5. Ancharan.nu.23. addens *num.24.* quòd contra petentem confirmationem non poteſt opponi exceptio ſpoliationis.latè *Jo:Andr.*& alii: Prout videmus in præſentato, cui non impeditur inſtitutio,& contemptus præſentantis, ſi antè eam conſtet de non jure ipſius non attenta poſſeſſione. *Doctores in cap. Conſtitutionibus De Jurepatronat.Dec.conſ.127.nu.1.Rot.diverſ.deciſ.167.num.10.part.2. & in recentior.deciſ.374.nu.4.par.1.& deciſ.423.num.13.par.14.*coram *Priol. deciſ.113.num.34. & 35.* atque optimè *Coccin.annot.304. num.5.* Et id abſque difficultate procedit, quando,prout hìc, jus ipſum reſiſtit poſſeſſioni,quia tunc nec minùs acquiritur poſſeſſio.*Covarr.practicar.cap.17.num.5.quæſt.11.verſ.4. Menoch.de retinend.poſſeſſ.remed.ultim.num.24.Coccin. d.annot.304. num.5.*

32. Subſiſtit pariter aliud fundamentum, quòd Eminentiſs. D. Cardinalis vocari non potuerit abſque periculo Eccleſiæ, & Capitularium, ad quem effectum quilibet timor ſufficit ex jam firmatis, quibus addo *Gloſſ.in cap.bonæ memoriæ 22.verb.metuebant De Election.*ibique *Abb.num.1.Innocent. num.1.* ubi reddit rationem, quia nemo debet ſe periculo exponere,ibique *Hoſtien.num.8. Calderin.conſ.17.de præbend. Petr.de Baiſ.in director. Election. cap.12. part.3. ſub num.4. Barboſ.de Canonic. cap.24.num.39.*

33. Repetitur exadversò, quòd de hujuſmodi periculo non ſit hodiè habenda ratio:tum quia Capitulum ex ſola foraneitate decretum excluſionis edidit,in illis verbis: *Pro Foraneo habendum eſſe, adeòque, juxtà Statuta, in Electionibus ſuffragium dare non poſſe*; undè ex alia cauſa Decretum non poſſit juſtificari: & cùm actus humani nunquam operari valeant ultrà intentionem, & cognitionem agentis, ſi Judex ſe reſtrinxit ad aliquod motivum, ad aliud extendi Judicium non poſſit: Tum etiam quia hoc periculum ſit inſubſiſtens, & ex epiſtolis reſponſivis Capituli excluſum, in quibus nulla ei de hoc timore ſit ſignificatio.

34. Quo enim ad primum, palàm,eſt, Capitulum à principio hæc omnia conſideraſſe, ut patet ex Voto Lovanienſi, aliiſque ſcripturis deſuper editis, ut in *Reſtrictu*, & colligitur ex ſuis Epiſtolis, & ex ſecunda reſponſiva diei 27. Aprilis, in qua non ſolùm rejecit inſtantiam de Salvo-conductu, & de receſſu Copiarum, niſi eſſet mutuus,ſed ſpecialitèr ſignificavit, convocationem Eminentiſſimi Dom. Cardinalis ſuas pati difficultates: & in ultimis litteris apertè inſinuat ante electionem alias etiam rationes pro ejus excluſione habere. ibi: *Propter etiam alias rationes uberiùs poſtmodum deducendas*, ex quibus conſtat, Capitulum omnia conſideraſſe, & foraneitatem principaliter oppoſuiſſe; quia credidit ei Dom. Cardinalem acquieturum, abſque eo quòd neceſſaria forent alia exprimi, quæ tamen Capitulum recognovit ante electionem, & coactum fuit etiam exprimere in dictis ſcripturis impreſſis.Aſt quia hodiè agitur de confirmatione, etiamſi decretum appareret latum ex falſa cauſa, dum tamen adeſt vera, & realis, Confirmator non debet curare de cauſa, ſed tenetur ſententiam attendere, quæ licèt in cauſa expreſſa poſſet deficere, tamen non deficit in Juſtitia, dum agitur ad eumdem finem, ad quem conducit, & implicitè continetur cauſa non expoſita, & ſtrictè etiam in Judicio teneretur confirmare, quia juſta de jure eſt: & lex, quæ omnia ſcit, eidem ſententiæ favet. *Franc. in cap. cùm in Eccleſia 38.num.7.De appellat. Marant.in Specul.par.6. art.2. in princ. verb.& quandoque appellatur num.163.limit.2.fol.482.Scacc.de ſentent.qu.32. ſub n.44.& de appellat.qu.11.n.22.*

35. Præ-

35. Præterea hæc tangunt Electores, ſed non Electum, qui cùm jus acquiſiverit ex electione, poteſt ejus juſtitiam, & validitatem tueri omni jure ſibi competente, ut diximus, & latè in *Reſtrictu* firmavimus, cui motivo nihil exadverſo in tot, tantiſque ſcripturis reſpondetur.

36. Quo verò ad ſecundum, quòd in litteris Capitulum nil de Eminentiſſimo D. Cardinali ſuſpicatum appareat, haud aſſeri valet, dum petiendo Paſſa-portum, inſtantiæ non annuit: petiit Cardinalis admitti ſuum à latere Miſſum, & illum Capitulum reiecit: exquiſivit ad ſe mitti Dignitates, & Capitulum denegavit: ulteriùs inſtetit transferri electionem ad locum tertium, ſeù ad Oppidum Huyenſe, & paritèr Capitulum hoc denegavit: in omnibus epiſtolis ſe obtulit à violentiis vindicaturum Eccleſiam, & Capitulares: in omnibus opem ſuam, & Copias obtulit, & Capitulum intrepidè ſemper reſpondit ſibi nullam violentiam fuiſſe illatam, & Capitulares omni libertate gaudere, & electionem eſſe undique liberam abſque ulla impreſſionis, & violentiæ umbra: quæ omnia ſatis ſuperquè oſtendunt factis tot reiteratis, qualem haberet Capitulum de præſentia D. Cardinalis, ejuſque potentia, & oblatis conditionibus ſenſum, & apprehenſionem, quæ prævalent verbis aulicis, in Epiſtolis exprimi ſolitis, nec ſolitis attendi. *cap. cùm veniſſent*, ubi *Zabarell. & Imol. de Conſtit.* idem *Zabarell. in Clement. exivi, §. Nos igitur De verbor. ſignificat. Rota coram Coccin. deciſ.* 239. *num.* 7. Legantur ulteriùs proteſtationes Eminentiſs. D. Cardinalis iſtæ non ſe fundant principalitèr in excluſione foraneitatis, ſed in impreſſione, & violentiis, de quibus conqueritur, & quas Capitulo incuſſas objicit, & ſic majus objectum Dom. Cardinalis ſunt violentiæ inſubſiſtentes, benè agnoſcens foraneitatem, quas dum ſe obtulit Eminentiſs. Dom. Cardinalis vindicaturum in his oblationibus, nedum implicitè, ſed explicitè habetur periculum Eccleſiæ, & apertum fundamentum pro rejectione ſuis defenſoribus, & armis deficeret.

37. Præventivè in *Reſtrictu* latè reſponſum fuit ad iterum recantatum objectum, quòd eſſet monendus Eminentiſs. Dom. Cardinalis, ut Procuratorem mitteret; hæc enim monitio verè eſt de jure incognita, nam in formula vocationis, relata à *Mandagot. de Electiòn. part.* 2. *cap.* 59. *formul.* 4. & à *Caſtellin. eod. tractat. cap.* 8. *num.* 16. nemo moneri debet, quòd mittat Procuratorem: & dum non eſt vocandus, multò minùs eſt monendus, ut conſtituat Procuratorem, ex latè firmatis; Maximè quia jus conſtituendi Procuratorem pendet à jure vocationis, itaut qui non habet jus quoad vocationem, non habet jus quoad conſtitutionem Procuratoris, ex traditis per *Barboſ. in cap. quia propter* 42. *§. illud num.* 32. *De Electiòn. & de jur. Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 108. *Mandagot. par.* 1. *cap.* 10. *ubi Boer. Paſſerin. eod. tractat. cap.* 10. *num.* 37. Contrarium non ſolùm non firmant Doctores exadverſo relati, verùm potiùs favent, nam *Innocent. in cap. quòd ſicut*, benè perpenſus, & intellectus, duos caſus diſtinguit. Primum, quando quis non poteſt vocari ſine periculo, quod ex communi ſententia refertur ad Eccleſiam. Secundum, quando non poteſt quis venire ſine periculo proprio: hoc ſecundo caſu ait, eſſe vocandum, quia poteſt conſtituere, ſeù mittere Procuratorem; ſed in primo dicit non eſſe vocandum, & per conſequens neque habere jus mittendi Procuratorem.

38. Idem probant *Bald. in cap. quia propter, & Mandagot. par.* 1. *verò commodè*, qui loquuntur de impedimento perſonali, non verò de periculo Eccleſiæ,

Digitized by Google

ſitæ, ut in ſpecie ſunt verba relata *Mandagot*.ibi: *Licèt Canonici commodè, & ſine periculo perſonarum, fortè per infirmitates, vel inimicitias, ſunt tamen vocandi*, & idem probat *Cucch. & Archidiacon.* diverſum autem eſt, quòd quis intereſſe poſſit, non autem venire propter ſuum periculum perſonale, & non poſſet intereſſe, neque venire ob periculum Eccleſiæ, & Electorum. Primo caſu habet jus, ut vocetur, & ſic mittere, ſeù conſtituere valet Procuratorem. Secundo, ſicuti non habet jus, ut vocetur, ità neque jus habet, ut Procuratorem mittat, & hæc diſtinctio vera, evidens, & ab omnibus admiſſa.

39. Præterea Eminentiſſimus D.Cardinalis neque habebat perſonam, quæ ſuum Mandatum acceptaſſet; datur quidem epiſtola ſcripta D.Clerex, ſed debebat dari reſponſio; unde ſi D. Clerex non reſpondit, multò minùs dicendum eſt fuiſſe acceptaturum hocce Mandatum, proùt etiam patet de alio Mandato Cardinalis de Furſtembergh, quod non fuit acceptatum, dùm nimis evidens erat exemplum quatuor illorum Canonicorum, qui de facto in Carcerem obtruſi fuerunt, ubi alter ex Archidiaconis vitam cum morte commutavit.

40. Nulla contrarietas adeſt in eo, quòd Eminentiſs. D.Cardinalis Bullionius fuerit declaratus Foraneus, ex quo non comparuerit in feſto S. Ægidii per ſe, vel per Procuratorem, & quòd aſſeratur non fuiſſe vocandum, quia non poterat venire abſque Eccleſiæ periculo; Nàm cùm ipſemet fateatur, occaſione Bellorum non potuiſſe venire, ac deſtitiſſe conſtituere Procuratorem, idque ſucceſſerit ex ejus culpa, quia adhæret Hoſtibus: benè Capitulum eum declaravit Foraneum, cùm aliàs propria culpa ipſum excuſare non debuerit, ex vulgatis, & ſic benè Capitulum pronunciavit Foraneum eumdem Eminentiſs. D. Card. eo quia nec venit, nec venire potuit propria culpa, imò neque conſtituere Procuratorem, & non vocavit ex eadem cauſa, quæ unica eſt, & utrumque caſum legitimare optimo jure valet.

41. Denique nil relevans exadverſo deducitur contra motivum, quòd Eminentiſs. D.Cardinalis cùm vacaverit Canonicatus, & non ampliùs ſit Canonicus, quemadmodum non poteſt intereſſe, neque habet Jus in futura Electione, ita non poteſt ampliùs agere de contemptu, quod eſt indubitatum, quia tota ratio annullandi Electionem ex contemptu provenit ab hoc Jure contemptus, ut novæ Electioni accedat, & interveniat. probat *Lavor.var.lucubrat.tit. De Elect.4.cap.11.num.125.in finalibus verbis*, & benè probat *Facchin. conſ. 55.num.34.& ſeq.* ubi præcisè firmat, Electionem eſſe confirmandam, quando contemptus non habet Jus intereſſendi futuræ Electioni, idemque confirmat, & *Pariſ. conſ.97. à num.16.lib.4.*

42. Idque ingenuè fatetur Senior ex DD. exadverſo ſcribentibus in fine ſuæ Scripturæ, aſſerere contendens, quòd Confirmator poteſt confirmare, quando Electio ad ipſum devoluta fuiſſet, non autem quando contemptus habet jus interveniendi, aſſerendo hanc rationem diſparitatis. ibi: *Quia in primo caſu Superior facit gratiam de ſuo abſque alteriùs injuria, in ſecundo autem faceret de alieno, nàm præjudicaret contempto, qui aliàs ad novam Electionem vocandus eſſet, & confirmaret Electionem injurioſam, & injuſtam, quoad contemptum, ut diſtinguendo firmat Hoſtienſ.in cap.Bonæ memoriæ 36. num.5. & ibi Jo:Andr.col.1.verſ.poſſet etiam dici De Elect. & quòd caſſata Electione ob contemptum, debeat iterum fieri, convocato etiam dicto contempto, poſt plures Lavor.variar.Elucubrat.tit.4.cap.17.num.18.* Et licèt conetur reſpondere *Pa-*

riſio,

viſio, & *Fachineo*, tamen nil ſolidi deducit, imò in ſubſtantia admittit, quòd quando quis notoriè non poteſt intervenire, nequit agere de contemptu, & de annullatione.

43. Ex his igitur conſtat, quàm ſint frivolæ exceptiones objectæ, & quàm à caſu ipſo incongruæ, advertendo quòd hìc non agitur de Coelecto concurrente, qui Jus habeat opponendi pro ſubſtinenda ſua Electione, ſed agitur de uno ſolo Electore prætendente ſe contemptum, qui ſi interfuiſſet Electioni, forſitan ſuffragatus fuiſſet pro Sereniſs. Electo, quem elegit Factio contraria Electioni Sereniſs. Theutonici, quive ubi de nova agendum foret, juxtà præſentes contingentias, certè nullam habere poſſet ſpem paſſivæ Electionis ſuæ, ut tradunt: minuſque valeret, durantibus hiſce Bellis, vel per ſe intereſſe, aut per Procuratorem ſuffragari, itaùt inanis, nulliuſque effectus irritatio petita per ſolum objectum, & aſſerti contemptus vindictam, hodie cognoſcatur, ad quam certò deveniendum eſſe omnia Jura prohiberent, & abſque ullo dubio in caſu iſto, ubi Electio valida eſt, & ab Electo tueri poteſt omni via, & Jure.

44. Cæteris reſpondere, eſſet de Summa Eminentiſſimorum Patrum, & Illuſtriſs. DD. ſcientia dubitare.

PETRI

PETRI DE FUSCO

ADVOCATI NEAPOLITANI,

Ac Regii Conſiliarii

RESPONSIO JURIS

Super Foraneitate .

1. STatutorum exhibitioni, ad quam nunc Pars adverſa ſe reſtringit, non debet eſſe locus, quia cùm diebus proximè elapſis inſtetiſſet pro literis compulſorialibus in partibus ob eorumdem Statutorum editionem, agnoſcens, quòd hoc non poſſet præſtare impedimentum Cauſæ expeditioni, nunc revolvendo inſtantiam, incipit ab exhibitione ordine retrogrado. Undè eo magis eſt rejicienda inſtantia, quia ea variatione illius, qui modò unam; cras alteram opponit exceptionem, præſumitur malus animus differendi. *Cravett. conſ.* 657. *num.* 49.

2. Sed etiam talis exhibitio opponitur modò, quo ſunt elapſi fere tres menſes à die appellationis interpoſitæ ab electione facta, atque ita tempora non largiuntur, nec poteſt impediri confirmatio electionis, quia in appellatione prædicta, nedum non fuit deducta talis Statutorum exhibitio, ut requirebatur juxta *c. ut circa* 4. *De election. in* 6. ſed etiam appellatio non fuit intra menſem intimata Principi Clementi appellato. Undè ex appellatione nullum effectum devolutivum operari valet, nec ex ea impetrari poteſt aliquid in Romana Curia, ſicuti expreſsè cautum eſt in *Clement. cauſam* 3. *de elect.* ubi *gloſſ. de verbo devoluta.*

3. Inſuper fruſtratoria eſt ea exhibitio, ex eo, quod dicitur adeſſe aliud Statutum, quod limitet, ſive corrigat Statutum foraneitatis, quo Dom. Cardinalis Bullionus non habebat vocem in electione, tanquam foraneus reputatus. Hoc enim Statutum correctorium, ſive limitatorium, nunquam fuit allegatum à Dom. Cardinali, nec ad tempus electionis, quo per ſpatium octuaginta dierum, per quamplures literas inter ipſum, & Capitulum ſcriptas, fuit actum de hac foraneitate, neque poſt tempus electionis: & tamen ipſe tanquam Canonicus, & Præpoſitus major Eccleſiæ Leodien. præſumitur habere ſcientiam omnium Statutorum, dum ſpeciali Statuto cavetur, quòd ut intrare poſſit Canonicus ad primam reſidentiam, ſive per tempus novit, teneatur Statuta diſcere, & permittatur eidem penès ſe retinere Statutorum copiam. Ideò ſi adeſſet hoc Statutum limitatorium, & correctorium, id à principio allegaſſet, & non modò, ut faciunt illius Advocati, poſt elapſos fere tres menſes ab electione: & certè dum allegant dictam exceptionem, ſive correctionem, videntur omninò fateri, quòd Regula, ſive Statutum exhibitum eis obſtet.

4. Quod verò dicitur non apparere, eadem Statuta fuiſſe confirmata ab Apoſtolica Sede, debet omninò evaneſcere ex obſervantia eorumdem Statuto-

Digitized by Google

rum per ſpatium centum annorum, & ultrà; ex qua obſervantia præſumitur, & confirmatio, & omnis ſolemnitas; undè non obſtat *Othoboni deciſio* 202. in qua non concurrebat hæc obſervantia, & ſtatutum illud non fuerat acceptatum à Capitulo, niſi ſub conditione quatenùs accederet confirmatio Apoſtolicæ Sedis: & inſuper in ſpecie, de qua ibi agebatur, Statutum illud ex diametro repugnabat diſpoſitioni Sac. Conc. Trident. dum auferebat vocem minori viginti duobus annis, etiamſi Subdiaconatus ordinem aſſumpſiſſet: non ſic in Statuto, de quo agimus, quod denegat dari vocem illis, qui non reſident per ſex menſes, & non petierunt admitti ad reſidentiam in feſto S. Ægidii in Capitulo Generali: certè eſt omninò rationabile, & conforme juri communi, quia jus dandi vocem in electione eſt de acceſſoriis reſidentiæ ſecundùm Juris Canon. diſp. *gloſſ. in cap. quia in tantum 5. in verbo plures De præbendis, & Dignitatibus*. Undè Statutum Eccleſiæ Leodien. quo declaratur modus, & tempus reſidentiæ, ut quis poſſit habere vocem in electione, validiſſimum eſt, nec indigebat aliqua Sedis Apoſtolicæ confirmatione. *Gloſſ. in cap. cùm acceſſiſſent 8. in verb. confirmatur De Conſtitutionibus.*

5. Nec valet argumentum de jure præſentandi, vel eligendi, quod alicui tanquam Principali competit; nam hoc longè differt ab eo jure, quod competit Juri Collegii, quod certè debilius eſt, & faciliùs evellitur. *Gloſſ. in cap. Beneficium 4. in verb. conferendum in fin. omninò videnda De regular. in 6.*

6. Nec obſtat, quòd ut Statutum habeat locum requiratur Concurſus omnium qualitatum, nempè quòd ſit foraneus, & banditus, & quòd primam reſidentiam non fecerit, ita quòd non ſufficiat una qualitas, ſed requiratur copulativè concurſus omnium.

7. Primò enim reſpondetur in conjuncta ratione ſufficere quamlibet partem eſſe veram, quando plura adjectiva referuntur ad ſubſtantivum, quod non eſt certum, & finitum, ſed indeterminatum. *l. qui concubinam 29. ff. de legat. 3.* ubi *Dionyſius Gothofred. id notat litt. B. &c.* & in terminis Statuti, quòd forenſis non ſubditus ſtatuenti, & non ſubſtinens onera, non poſſit acquirere bona, etſi qualitates illæ per copulam conjunctæ ſint, nihilominus ſufficit unamquamque earum verificari, nec requiritur concurſus omnium, ut docet *Riminald. jun. conſ. 353. num. 48. poſt Dec. conſ. 66. column. 1.*

8. Secundò reſpondetur, id abſque ullo ſcrupulo procedere quando copula eſt poſita inter plura adjectiva omninò diverſa; nam tunc reſolvitur in disjunctam. *Bartol. & Dionyſ. Gotofred. ad l. ſi Titio 10. ff. de uſu, & uſufructu, & reditu*, & certè omninò diverſa ſunt eſſe foraneum, vel banditum, & ſicuti ſufficeret ſola qualitas foranei, vel banditi, ita debet ſufficere quælibet ex aliis qualitatibus adjectis; Aliàs enim eveniret, quòd ut quis careret voce in electione, non ſufficeret, quòd omninò Canonicus deſtitiſſet, vel quòd interdictus eſſet, vel quòd non feciſſet primam reſidentiam, ſed requireretur copulativè omnium concurſus, quod eſſet ridiculum, & abſurdum.

9. Et fruſtrà ponderatur dictio *item* de eo, qui non aſſumpſit ordinem Subdiaconatus, quaſi quòd illa qualitas ſit principaliter, & ſeparatim appoſita, atque ita ſola ſufficiat; nam advertendum eſt, quòd illa qualitas regitur ab eodem ſubſtantivo *Canonicus*, & ab eodem verbo *non poſſit*, à quo reguntur omnes aliæ qualitates præcedentes. Undè non poteſt dici, quòd ea ſit oratio ſeparata, & principaliter poſita, ſed unica, & conjuncta cum aliis qualitatibus

ante-

Digitized by Google

antecedentibus, juxta notata *in l. re conjuncti*, *ff. de legatis* 3.

10. Præterea dicimus, quòd hic punctus foraneitatis non eſt neceſſarius; nam etiamſi admitteremus, quod non concedimus, Dom. Cardinalem Bullionum habuiſſe jus dicendi ſuffragium, nihilominus cùm ipſe in proteſtatione, & appellatione expreſsè profeſſus eſt, quòd abſque Salvo-conductu non poteſt abſque ipſius periculo accedere ad Leodienſem Civitatem: certè hoc ſolum periculum ſuum, etſi non ſufficit, debuiſſet vocari ad electionem *.cap. quòd ſicut* 28.*De elect.cap.quia propter,& illud autem De elect. in* 6. *cap.cùm in Eccleſ.* 37.*De præbend. & Dignitat. in* 6.

11. Neque enim in proteſtatione, nec in appellatione Dom. Cardinalis aliquo modo dixit, quòd vellet mandatũ facere uni ex Capitularibus ad dandum pro eo vocem in Capitulo: Immo, & debuiſſet mittere procuratorẽ, qui ſi non fuiſſet admiſſus, tunc appellare debuiſſet, ut notat *Gloſſ.in cap. ſi quis juxta* 46. *in verb. detentus De elect. in* 6. quia etiam dum erat banditus à toto Imperio Germanico, neque poterat habere uſum talis Procuratoris abſque Principis licentia. *Anton. Fab.lib.*2. *tit.* 8. *de Procuratoribus definit.*8. *n.*3. *in alleg.*& ſi nullus ex Capitularibus voluiſſet illud mandatũ ſuſcipere, neque idem Dom. Cardinalis Bullionus fuiſſet vocandus. *d.cap.ſi quis juxta* 46.*ubi gloſſ.in verbo admitti*. Undè impedimentum ejus æquiparabatur abſentiæ remoto in loco: atque ita nec per procuratorem ſuffragium in electione dicere potuiſſet.*Gloſſ. in cap.Beneficium* 4.*verb.conferendum,circa finem,De regular.in* 6.

JOANN. BAPTISTÆ SANUTI
PELLIGANI

J. U. D. collegiati, in Patrio Bononien. Archigymn. Practicæ Criminalis publici Lectoris, SS. Inquiſitionis Promotoris Fiſcalis, & in Curia Legationis Pauperum Carceratorum Advocati,

ALLEGATIO

Super puncto contemptus prætenſi ab Eminentiſs. Domino de Bullione.

1. VAcante Leodienſi Epiſcopali Sede, cùm ad electionem novi Præſulis procedere decreviſſet Illuſtriſſimum ejuſdem Eccleſiæ Capitulum, ſupervenerunt illi litteræ Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, Canonici, & Præpoſiti ejuſdem Capituli ſub datum Pariſiis: quibus mediantibus, inter alia, hortatus eſt ille DD. Canonicos, ut antequam præfigerent diem Electionis, procurarent apud Cæſarem, & Principes Confœderatos, quòd ſalvi-conductus pro ſecuritate eorum, qui Electioni de Jure adeſſe debebant, quantocitiùs expedirentur.

2. Et cùm his litteris reſponſum dediſſet Capitulum, certiorem reddendo D.Cardinalem, quòd oneri ſuo non incumbebat procurare à Principibus Confœderatis prædictos ſalvos-conductus; Ideòque in primis diebus viduitatis Eccleſiæ, decreto particulari jam declaraſſe hujus ſecuritatis procurationem ſpectare ad Canonicos abſentes, proùt pluries, antè caſum electionis iſtius, declaratum extiterat: Pluribus hinc inde iterum, atque iterum miſſis, & reverſis litteris, tandem reſpondit idem Capitulum, ſe adſtrictum fore ex peculiari jurata ſanctione Statutorum ſuæ Eccleſiæ pronunciare, proùt pronunciavit, Eminentiam Suam pro Canonico Foraneo, cui propterea *nullo modo, etiamſi de electione Epiſcopi, &c. aut quacumque, & quantumvis ardua re tractaretur, negotiis Capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere non licet* (ſunt verba ipſiſſima ſtatuti dictæ Eccleſiæ ſub *rubr. de capit. ordinar. & ſpecial.*) & ſucceſſivè, imminente jam lapſu temporis ad Electionem conceſſi, Sereniſſimum Principem Bavarum in novum Præſulem elegit.

3. Cùm autem adverſus hanc electionem reclamaverit, ac proteſtatus fuerit Eminentiſſimus D.Cardinalis: Hinc eſt, quòd hodie quæritur, num Capitulum in prædictis ritè, ac rectè proceſſerit.

4. Et

4. Et jure, ac legitimè proceſſiſſe non eſt dubitandum.

5. Quandoquidem, cùm Dominus Cardinalis neglexerit obſervantiam Ordinum præſcriptorum à ſtatuto prædicto, ab Eminentia Sua poſt ſuſceptam Cardinalitiam Dignitatem jamdiù jurato: certum eſt, quòd de tempore Electionis habendus fuit pro foraneo Canonico, ad normam ejuſdem Statuti ſub *rubr. de ſecunda reſident.* ſic ſe habentis: *Quicumque in Eccleſia Leodien. facta prima reſidentia, volet reſidere, & fructus facere, debebit in feſto B. Ægidii antedicto perſonaliter in Capitulo Generali ſub hora ſummæ Miſſæ ſe exhibere, &c. nulla exceptione, allegatione, aut prætextu in contrarium ſuffragante, &c.* Et inferiùs: *Item quicumque in Feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam Reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem continuè, & diſcontinuè, alioquin pro foraneo habeatur, &c.* Proptereà cùm D. Cardinalis à pluribus annis citra non acceſſerit ad Capitulum in feſto B. Ægidii, nec perſonalitèr, nec per Procuratorem, quod facere ſibi licebat, & in primis annis aſſuetus fuerat, meritò habitus, & pronunciatus fuit pro Canonico Foraneo prohibito, ut videmus, accedere ad Capitulum, etiam ſi de electione Epiſcopi tractandum foret,

6. Nil obſtante, quòd privatio acceſſus non inducatur, nec locum habeat, niſi præcedente hominis ſententia, quæ non ſuppletur ex verbis dicti ſtatuti: *pro Foraneo habeatur*.

7. Vel enim agitur de expellendo Vocalem, ne eligat: vel tractatur de non vocando abſentem, ne accedat, ut in caſu; Si de actu primo, quia expulſus privatur poſſeſſione eligendi, ubi inhabilitas non eſt notoria, ſed indiget Judicis declaratione, non licet vocalem inhabilem auctoritate privata ejicere ab Electione, & eum de facto privare ſua poſſeſſione; Si verò tractatur de actu ſecundo, cùm non vocare non ſit privare poſſeſſione, ſed ſolùm dicere, & facto exprimere, quòd non vocatus non habet vocem, quia ſit certè inhabilis. *Innoc. in cap. cùm Wintonien. 25. De Elect. in* 6. Itaùt ſi vocem dare vellet, actus ſubſequens, tanquam per perſonam inhabilem factus, inſanabilis nullitatis vitio obnoxius remaneret, attenta antedicta prohibitione Statuti. *Bald. conſ.* 283. *in princip. lib.* 4. *Gemin. conſ.* 51. *per tot. Angel. conſ.* 160. *num.* 3. *verſ. controverſum dico.* Ideò non ſit injuria tali Vocali, ſi non citatur, cùm non habeat jus, ut non dicatur verbo, & facto, quòd eſt inhabilis, quippè ejus inhabilitas probari poterat in Judicio; Et cùm jam ſit per ſententiam Juris privatus (ut in caſu præſenti reperitur D. Cardinalis) Jure eligendi, non habet Jus, ut vocetur ad Electionem, quamvis poſſit habere jus, ut non ejiciatur, & ſua poſſeſſione non privetur; Talis enim, ſi habet jus, ut non auferatur ab eo, quod habet, non habet tamen jus, ut detur ei, quod non habet. ità in puncto *Paſſerin. de Election. cap.* 11. *quæſt.* 8. *num.* 73.

8. Minus refragante, quòd D. Cardinalis prædictam Statutariam ſanctionem evitare poſſit, attento Brevi ei uſque de anno 1672. conceſſo à ſan. mem. Clemente X.

9. Quia, cùm in illo enumerentur ad oculum Gratiæ, quæ ipſi à Sede Apoſtolica conceſſæ fuerunt, inter quas tamen non legitur exemptio à ſui ipſius præſentatione, & reſidentia perſonali in Capitulo, currente die feſtivo Beati Ægidii; Imò cùm volitum appareat, quòd demptis articulis in Gratia expreſſis, ſervandi ſint cæteri articuli à Statutis Eccleſiæ præſcripti. ibi: *De ſervandis*

ſupra

Digitized by Google

ſupra expreſſis articulis, &c. & ibi: *Servatis aliàs ſervandis*, impropria redditur qualiſcumque reflexio, quòd exemptus dici debuerit idem D. Cardinalis à e præſentando, & reſidendo prædicta ſtatuta die in Capitulo Leodien. mulctam Foraneitatis tranſgredienti imponente; Extenſio ſiquidem de caſu ad caſum non permittitur in privilegiis, & gratiis, quæ imo ſtrictè interpretari debent, maximè, ſi non motu proprio, ſed ad Partis petitionem, ut in caſu, obtentæ fuerint. *Jaſ. in l. Imperium num. 14. ff. de Juriſd. omn. Judic. Sperell. deciſ. 21. nu. 3. & 20. Rot. par. 12. recent. deciſ. 109. num. 27.*

10. Et quatenus aliquis ſcrupulus in hoc articulo remanere poſſet (quod abſolutè negatur) juvari D. Cardinali nullo modo poteſt ſub prætextu, quòd Capitulum procurare ſibi deberet ab Imperatore, cæteriſque Principibus Confœderatis ſecuritatem pro acceſſu.

11. Vel quia in Jure non eſt diſpoſitum, quòd Coeléctores, qui ſunt in loco Electionis, teneantur removere impedimentum prohibens acceſſum aliorum Coelectorum ad eundem locum.

12. Vel quia, cùm Capitulum reſpondiſſet D. Cardinali (procurationem ſecuritatis ab eodem Capitulo petenti) nedùm quòd id onus ſuum non foret, ſed quòd adeundus erat Cæſar, audiendique Principes Confœderati; Si id exequi recuſabat ipſe, quis eum impediebat, ne Procuratorem deputaret (*Unum ſcilicet de Capitulo. cap. quia propter, §. illud autem De Elect. Mandag. de Elect. novor. Prælator. cap. 1. Tholoſ. ad decretal. tit. De Elect. cap. 6. num. 9. cum aliis per Fagnanum ad d. cap. quia propter num. 62.* quemadmodum à quibuſdam aliis Canonicis Coelectoribus executum extitit)

13. Non ergo de contemptu ſuæ ipſius perſonę dare potuit Dominus Cardinalis, cùm nullus in hoc caſu adſuerit dolus, nec in neceſſarium conſequens aliquis potuit eſſe contemptus, qui ſemper cum dolo eſt. *Cardin. conſ. 11. de verbor. ſignif. & ex eo Grilenz. conſ. 132. num. 2. Bordon. var. reſol. tit. de elect. reſol. 61. num. 8.*

14. Et planè, cùm ſtatuerint Canones, quòd pro validitate Electionis vocari debeant omnes de Capitulo, ſi tamen debent, volunt, & commodè accedere poſſunt, ad *Text. apertum in dict. cap. quia propter. ibi: Præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe*, Dominus Cardinalis, qui propria culpa abſens erat à Civitate Leodii, nec commodè intereſſe poterat, nullo pacto vocandus erat ad Electionem, & per ejus non vocationem irrita neutiquam dici poteſt ipſa Electio ſucceſſivè facta à majori, & ſaniori parte Capituli. *Bordon. loc. cit. num. 3.*

15. Abſens erat D. Cardinalis propria culpa, quia cùm eſſet Miniſter Juratus, & in actuali obſequio, & ſervitio Chriſtianiſſimi Regis, qui de tempore electionis habebat, adhùcque ſubſtinet Bellum acerrimum cum Civitate, & Epiſcopatu Leodienſi, ut notorium eſt, acceſſum ad ipſam Civitatem habere numquam poterat, niſi dicto Servitio totalitèr renunciaſſet, & licentiam ab Imperatore, ejuſque Confœderatis, ex quo Miniſter Chriſtianiſſimi, obtinuiſſet pro accedendo ad Civitatem prædictam, attentis maximè Edictis Cæſaris, omnem cum ipſo Chriſtianiſſimo, ejuſque Subditis, & adhærentibus correſpondentiam inhibentibus, & eos quibuslibet in Imperio, cujus pars eſt Provincia Leodienſis, prærogativis, & privilegiis privatos declarantibus, itaut huiuſmodi Miniſtri, tamquam Imperii hoſtes, nec vocem habere, nec ad Terras Imperii con-

convocari poſſint; Abſens ergo Dom. Cardinalis propria culpa extitit; ideò ad Electionem iſtam vocandus non erat, ad doctrinam *Bartol. in l. omnes col. 3. ff. de juſtitia, & jur. Abb. in cap. cùm omnes, & ibi Felin. col. 15. De conſtit. Gabr. de citat. concluſ. 1. limit. 94. num. 489. Ubert. de citat. cap. 15. num. 417.*

16. Commodè ad Electionem intereſſe nec poterat Dom. Cardinalis; quippè, vel ſumimus ly *commodè* reſpectu perſonæ, vel reſpectu Eccleſiæ (ad cujus utilitatem magis propriè intelligendum eſſe) ex *d. cap. quòd ſicut, & ex Hoſtien. Panormit. Archidiac. Anchar. Sylveſtr. Tabien.* & ex aliis firmarunt *Paſſerin. d. cap. 11. quæſt. 5. num. 33. Tambur. de jur. Abb. tom. 1. diſput. 5. quæſit. 3. num. 15.* ſi reſpectu perſonæ, tàm ex prædictis, quàm ex mox dicendis, commoditatis expers erat Dom. Cardinalis, qui in manus hoſtium ſui Regis ſe exponere non debebat; Reſpectu verò Eccleſiæ, commodum illa non habuit vocandi dictum Dom. Cardinalem, poſtquam pertractavit negocium hocce cum ipſo per dies octuaginta, & ipſe numquam ſe exhibuit acceſſurum: adeoùt, cùm Capitulum animadverterit, quòd imminens erat lapſus trimeſtris (à jure ſibi indicti pro facienda Electione Epiſcopi, ſub pœna devolutionis. *cap. ne pro defectu extr. de elect. Jo: de Imol. in Clement. ſi Romanus 4. n. 10. de Præb. Bertachin. de Epiſcop. lib. 1. in 2. quæſt. Lambertin. de Jurepatron. part. 2. lib. 1. quæſtion. principal. n. 6. Pacian. de prob. lib. 2. cap. 30. num. 2.*) quòd nullum cathegoricum reſponſum ab E. S. ſuper hoc reportabat: Quòd Salvum-conductum à Cæſare non petierat: Procuratorem non conſtituebat: ritè, ac legitimè ad Electionem proceſſit, ut commodo, & utilitati Eccleſiæ ſuæ conſuleret, proùt facere debebat, maximè occaſione belli. *Arg. cap. de cauſ. de off. deleg. Hoſt. in ſumm. d. tit. de elect. §. qualibet facienda num. 11. Paſſerin. d. cap. 11. num. 33.* & docuit in ſpecie *Panormit. in cap. coram num. 3. de elect.* ubi quòd commodè non poteſt dici poſſe fieri vocationem abſentis, quotiès imminent Guerræ.

17. Verùm (ſi veritati locus eſſe debet) nullo modo facienda erat per Capitulum vocatio Dom. Cardinalis, nec minus expectandus erat ipſe pro Electione iſta.

18. Nedum quia cùm per literas ipſius ad notitiam Capituli deveniſſet, quòd ſibi aditus negabatur accedendi ad Electionem ex cauſa Belli antedicti, propter quod quærebat Salvum-conductum, non erat ille expectandus, ut in terminis aditus denegati ob peſtilentiæ morbum, ſcripſit multis relatis *Samuel. de Canon. elect. tract. 1. contr. 2. concluſ. 7. num. 13. & 14.*

19. Sed etiam quia Capitulum vocando, & admittendo intus Civitatem Imperialem Miniſtrum, & Officialem Belli, Gallum, Amicum, & Familiarem Chriſtianiſſimi, Guerram ſubſtinentis cum Imperatore: Capitulum, inquam, pro Inimico, & Rebelle proprii Principis certo certius habendus fuiſſet, & conſequenter ſuppoſitum periculo amittendi utilia per propriam Eccleſiam jamdiu à Cæſare recepta; Vaſſallus enim non ſolùm privatur feudo propter inimicitiam ſui culpa cum Domino contractam, ſed etiam ſi amicitiam contrahat cum inimicis Domini. *Scrader. de feud. par. 9. cap. 5. num. 23. 19. cauſ. privat. feud.* poſt multos, quos citat *Graſſ. de effectibus Amic. effect. 34. nu. 129. Roſendal. de feud. cap. 10. concluſ. 12. nu. 14.* cum cæteris collectis per *Baron. de effect. inimic. effect. 102. num. 24.* quæ concluſio habet locum etiam in ſimplici converſatione. *Scrader. ubi proximè num. 26.* & procedit quoque in Prælato Vaſſallo, qui contra amicitiam, vel converſetur cum inimicis Domini ſui. *Scrader.*

num.

num.27.Graſſ.de effect.amicit.effect.129.num.135.Roſſendal.ubi ſuprà num.31. Baron. d. tit.effect.102.num.35.& effect.116.num.36.

20. Concurrebat ulteriùs altera, & quidem præpotens reflexio, quòd ſcilicet, ultra Miniſterium, & ſervitium Domini Cardinalis per hæc addicti Chriſtianiſſimo Regi, eſt etiam ipſe Frater D.Ducis Bullionii, qui, ut notorium eſt, univerſaliter conſideratur tamquam merus detentor, & uſurpator Ducatus Bullionen. conſtituentis majorem, ac meliorem partem bonorum Menſæ Epiſcopalis Leodienſis, quæ per annos ſexcentum, & ultrà, pacificè jam poſſederat eumdem Ducatum. Pro qua detentione, licèt in Capitulis Pacis Cæſareo-Gallicæ, Neomagi, facta fuerit mentio cum conventione, quòd controverſia ſuper Dominio iſtius Ducatus vertens, *amicabili via, vel per arbitros, à Partibus intrà bimeſtre à ratihabita Pace nominandos, terminetur, via facti penitùs excluſa*: Attamen uſque adhuc non fuit dare modum, quòd pactum hocce debitæ executioni demandari potuerit, reluctante ſemper eodem Dom. Duce; Quo facto attento, ne malum malo adderetur, juſta ſemper fuiſſet reſiſtentia Capituli (non tamen propter hoc reſiſtit) in non vocando, nec admittendo Dom.Cardinalem ad Electionem iſtam propter prædictum nimis grave præjudicium ſibi illatum à Duce Bullioni, commodo, & utilitati Leodienſis Eccleſiæ nimis repugnans; Quam exceptionem, ſi Capitulum propter reverentiam Dom. Cardinalis non expoſuit (licèt ejus allegationem una cum aliis exceptionibus ſibi reſervaverit in ultima epiſtola, ipſo Dom.Cardinali tranſmiſſa) non eſt improprium, etſi dici poſſet de jure Tertii, quòd à Sereniſſimo Epiſcopo nuperrimè electo, quandocumque proponatur, per tritam regulam, quòd exceptio de jure Tertii ſemper deduci poteſt ad tuendam poſſeſſionem propriam. *Scappuc. de Salvian.lib.2.quæſt.14.nu.6.Gratian.diſcept.261.per tot.Pax-Jord.lucubrat. volum.6.lib.14.tit.23.num.72.*

ANTONII

ANTONII VAILLANT ADVOCATI GALLI MEMORIALE

Super Eligibilitate S.P. Clem. de Bav. & nullitatibus intrinſecis.

1. NOn venit confirmanda Electio, quæ non ſolùm irrita declarari debet propter graviſſimum contemptum factum Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii partis principalis, & propter attentata contra authoritatem Summi Pontificis, eiuſque Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam propter nullitates intrinſecas, & ſubſtantiales, quæ in præfata electione reperiuntur, quæ quidem in *Summario* jam perſtrictæ fuerunt, & quas fuſiùs hic advertere licebit.

2. Cùm Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius inhærendo præmiſſis appellationibus, & proteſtationibus, pars ſit principalis in hoc negotio diſcutiendo, idcircò eſt audiendus, quia non venit tamquam opponens poſt electionem jam factam, ſed tamquam appellans ante, & poſt electionem: & ipſi etiam incumbit tamquam Præpoſito Majori Eccleſiæ Leodien. ne provideatur Eccleſiæ Leodien. de perſona, quæ juxta Canonicas ſanctiones prædictam Eccleſiam Leodien. regere, & gubernare non valet, & ut ſcandalum, & ſchiſma exortum in eadem electione reparetur.

3. Nec debent ſeparari nullitates intrinſecæ, & objectivæ à contemptu, & ab attentatis in præjudicium Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, quia una, & eadem cauſa cenſeri debet, cùm gravamina ſua paratus ſit coram Judice Supremo exponere: & iniquum omninò videretur, ſi appellationum interpoſitarum ab Eminentiſſimo Cardinale, judicium divideretur inter eaſdem partes, cùm omnia media, æquè principaliter concurrere videantur ad electionis deſtructionem.

4. Primum, quod occurrit examinandum, eſt *Eligibilitas* Sereniſſimi Principis de Bavar. nam licèt ſit Princeps magnæ ſpei, & ſit ex illuſtri Proſapia Ducum Bavariæ, quæ toto Orbe Chriſtiano maximè commendanda videtur, tamen cùm non habeatur acceptio perſonarum apud Deum, nulla fiet injuria claritati, & ſplendori generis, ſi demonſtretur, eumdem Sereniſſ. Princi-pem

pem nullatenus fuiſſe eligibilem ad Epiſcopatum Leodien.

5. Ut brevitati conſulatur prætermittenda ſunt ea omnia, quæ in dubium non revocantur.

6. Duo ſunt certiſſima in Jure Canonico.

7. Primum, illum, qui unam ſolummodo Dignitatem Epiſcopalem obtinet, non poſſe ad novam Dignitatem Epiſcopalem eligi, quia non poteſt admitti ad aliam Eccleſiam, niſi prius abſolutus fuerit, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, à vinculo, quo ad aliam Eccleſiam alligatur; cùm inter electum, & Eccleſiam cui præficitur, contrahatur matrimonium ſpirituale. *cap. unanimiter De poſtulat. & cap. inter corporalia De translat. Epiſcopi.*

8. Secundum non poteſt in controverſiam deduci, ſcilicet, illum eſſe ineligibilem ad Epiſcopatum, qui plures Dignitates Eccleſiaſticas incompatibiles ſine ulla valida diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ retinet. *cap. dudum 54. de elect. & elect. poteſt. & ibi gloſſ. Fagnan. & omnes Doctores, extravag. execrabilis De Præb. & Dignit.*

9. Totus ergo cardo difficultatis vertitur in diſquiſitione validitatis diſpenſationis, quæ ex parte Ser. Princ. Clem. de Bavar. adducitur.

10. Opponuntur ab Adverſariis duo Brevia Apoſtolica, unum ſcilicet à ſa. mem. Innoc. XI. conceſſum, & alterum à ſa. mem. Alex. VIII. ſubjungitur etiam Breve confirmationis in Archiepiſcopum Colonien.

11. His tribus Brevibus innititur Sereniſs. Princ. Clem. de Bavaria.

12. Si attentè legantur hujuſmodi Brevia Apoſtolica, ſatis innoteſcet, Ser. Princ. Clem. de Bavar. non potuiſſe validè, & licitè retinere duas Eccleſias Epiſcopales, ſcilicet Ratisbonen. & Friſingen. & conſequenter cùm diſpenſationes ſint ſtricti juris, præcipuè quando jus commune lædunt, & decretis *Concil. Trident.* adverſantur, *ſeſſ. 7. de Reformat. cap. 2.* ſtrictè interpretandæ ſunt, ne major læſio fiat diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ita ut, qui cadit à ſyllaba, cadere debeat à toto.

13. In Brevi ſan. mem. Innoc. XI. quo indultum fuit, ut Ser. Princ. Clem. de Bavar. licèt tunc in 17. ætatis anno conſtitutus, poſſet eligi, vel in Archiepiſcopum Colonien. aut in Epiſcopum Hildeſimen. & Leodien. *Si contingeret eaſdem Eccleſias vaçare per mortem Maximiliani-Henrici, earumdem Eccleſiarum* Adminiſtratoris, & Rectoris, conditio expreſsè limitativa gratiæ appoſita fuit, *ſcilicet ut ſi contingeret eiſdem Eccleſiis, vel etiam earum alteri duntaxat, in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum reſpectivè præfici, Eccleſiæ ſupradictæ Ratisbonen. & Friſingen. vaçent, & vaçare cenſeantur eo ipſo.*

14. Per Breve conceſſum à ſa. mem. Alex. VIII. certum eſt, nullam novam diſpenſationem inductam fuiſſe, ſed tantùm extenſam fuiſſe in eventum ceſſus, vel deceſſus moderni Epiſcopi Leodien. quia prior diſpenſatio conceſſa ab Innocentio XI. reſtricta erat in caſum mortis Maximiliani-Henrici: & cùm diſpenſatio ſit ſtrictiſſimè accipienda, non poterat trahi in eventum mortis moderni Epiſcopi Leodien. idcircò nova diſpenſatio indigebat.

15. Sed tantùm abeſt, ut ſan. mem. Alex. VIII. aliquid aliud de novo ad confirmandam diſpenſationem addiderit, quin è contra prædictum Breve ſan. mem. Innoc. XI. in ſuo Brevi inſeri de verbo ad verbum curavit, ut nihil ipſi additum, vel detractum videretur, & *expreſsè ſtatuit ſervandam eſſe in reliquis formam, & diſpoſitionem Brevis ſan. mem. Innoc. XI.*

16. Ex

16. Ex his itaque duobus Brevibus, nulla poteſt omninò induci diſpenſatio quoad retentionem Eccleſiæ Ratisbonen. & Friſingen. ex quo Sereniſs. Princ. Clem. in Archiepiſcopum Colonien. electus fuit, ipſiuſque Electio confirmata; Nam gratia ipſi facta, per illa duo Brevia conſumpta fuit quoad modum eligibilitatis, & conſequenter debuit ſatisfieri conditioni, quæ erat omninò reſtrictiva, & limitativa gratiæ, & diſpenſationis poſt Electionem; ſi itaque hiſce duobus Brevibus inniti oportet, luce meridiana clariùs apparet, Sereniſs. Principem Clementem de Bavaria non potuiſſe validè, & licitè retinere Eccleſias Ratisbonen. & Friſingen.

17. Adducitur Breve ejuſdem Innoc. XI. quo electionem factam prædicti Sereniſs. Princ. Clem. in Archiepiſcopum Colonien. confirmavit.

18. Licèt Adverſarii omnem machinam moveant, ut ex verbis ejuſdem Brevis confirmationis, quæ in commodum Ser. Princ. Clem. intricare conantur, eliciatur ejuſmodi diſpenſatio, tamen ſi verus, & genuinus ſenſus ejuſmodi Brevis expendatur, cavillatio argumentorum propoſitorum detegetur, ita ut nullus dubitandi locus ſuperfuturus ſit.

19. Contendunt Adverſarii ex hoc Brevi confirmationis inferri debere, tempus dimiſſionis, aut vacationis Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. prorogatum fuiſſe uſque ad conſecrationem præfati Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria in Archiepiſcopum Colonien. Legantur, & relegantur omnia verba appoſita in hoc Brevi, nullibi reperietur indulta retentio præfatarum Eccleſiarum; undè cùm tacitæ diſpenſationes contra jus numquam admittantur, ſufficit oſtendere nullibi de hac prorogatione ſtatutum fuiſſe, quæ quidem ſpeciali nota, & expreſſa diſpoſitione indigebat, undè neque ſuppleri, neque ſubintelligi debet.

20. Sed ut Adverſariorum labyrinthus extricetur, oſtendendum eſt, *ex ipſiſmet verbis* ejuſdem Brevis apertè elici, retentionem earumdem Eccleſiarum non prorogatam fuiſſe ad aliud tempus, niſi ad poſſeſſionem bonorum Menſæ Archiepiſcopalis, ſive majoris partis eorumdem.

21. Ut nihil eorum, quæ ad præſentis quæſtionis elucidationem opportuna videri poſſunt, prætermittatur: ipſum Breve Apoſtolicum ſedulò, & diligenter examinandum eſt.

22. Tres præcipuè diſpoſitiones in hoc Brevi reperiuntur.

23. Per primam confirmatur Electio facta Sereniſs. Princ. Clem. de Bavaria in Archiepiſc. Colonien. ſed donec ad ætatem legitimam pervenerit, in qua conſecrari poſſit, ipſi in Coadminiſtratorem, conjunctìm, in ſpiritualibus, ſufficitur Joannes-Henricus Epiſcopus Hieropolitan. In temporalibus verò omnimoda adminiſtratio fructuum temporalium Menſæ Archiepiſcopalis Colonien. conceditur Ser. Princ. Clem. de Bavar. itaut à Clero, & Populo Civitatis, & Diœc. Colonien. ac Capitulo, cæteriſque Vaſſallis ab eadem Eccleſia dependentibus, omnis reverentia, & omne obſequium ipſi debeat præſtari tamquam electo, & confirmato.

24. In ſecunda parte Brevis indulgetur Ser. Princ. Clem. *ut ſtatum ſuum juxtà natalium ſuorum amplitudinem, & Pontificalis Dignitatis exigentiam decentiùs tenere valeat, ut etiam poſtquam pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonien. illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeu majoris partis eorum, aſſequutus fuerit: &*

deindè ætate legitima ipſi ſuffragante, munus conſecrationis ſuſceperit, unà cum eadem Eccleſia Colonien. Monaſterium, Præpoſituram nuncupatam, Sancti Petri Berchteſgadenſe, Ordinis Sancti Auguſtini, & alia quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica, Monaſteria, etiam conſiſtorialia, Prioratus, Dignitates, necnon qualcumque penſiones ſuper iiſdem Beneficiis retinere liberè, & licitè poſſit, & valeat.

25. In tertia verò parte ejuſdem Brevis ſtatuit Sum. Pont. Innocentius XI.^us^ *ut donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonien. illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, vel majoris partis eorum aſſequutus fuerit, Ser. Princ. Clem. de Bavaria, Eccleſias Ratisbonen. & Friſingen. quibus præerat, ſimiliter retinere liberè, & licitè poſſit, & valeat, quæ tamen cùm primum pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſseſſionem præfatas, adeptus fuerit, vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo.*

26. Hæc ſunt verba diſpoſitiva in eodem Brevi expreſſa.

27. Ex præmiſſis evidenter concluditur, nullatenus mentem ſan. me. Innocentii XI. fuiſſe differre tempus vacátionis præfatarum Eccleſiarum Ratiſbonen. & Friſingen. in diem conſecrationis ejuſdem Sereniſs. Principis in Archiepiſcopum Colonien. nam in ſecunda parte, in qua ſuper retentione Monaſterii Berchteſgadenſis, & aliorum beneficiorum, & penſionum, quæ, vel quas obtinebat, vel obtinere poterat, diſpenſat, ſit mentio expreſſa de conſecratione, ſed in tertia parte, in qua diſponit de vacatione earumdem Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. nullam omninò de conſecratione mentionem facit, ſed præcipuè vult, & ordinat, *ut ſtatim atque præfatus Sereniſſimus Princeps pacificam poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonien. illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeu majoris partis eorum, adeptus fuerit, præfatæ Eccleſiæ vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo; undè limitatur, & reſtringitur præcisè diſpenſatio ad tempus adeptæ poſseſſionis.*

28. Si nunc tertia pars conjungatur cum prima, patet, quòd per confirmationem Electionis regimen, & adminiſtratio ſtatim commiſſa fuerit Eccleſiæ Colonien. Sereniſs. Principi Clementi de Bavaria: & licèt ipſi coadminiſtrator in ſpiritualibus quoad ea, quæ ſunt ordinis, datus fuerit, tamen non deſinit eſſe verus Rector, & Adminiſtrator Eccleſiæ Colonien. quemadmodum in jure civili, ſi plures dentur Tutores, aut adjutores Tutelæ, prout in *l. ſolet etiam, ff. de tutel.* non deſinit unus eſſe verè, & propriè Tutor, quia illa ſocietas non deſtruit regimen, & adminiſtrationem, quæ utrique in ſolidum competit. *l. ſi plures, ff. de Curatore bonis dando*; ſed hic à fortiori concludendum eſt, quòd cùm adminiſtratio, & regimen Eccleſiæ Colonien. conceſſum fuerit principaliter in inſtanti confirmationis, Sereniſſimo Principi Clementi de Bavaria, & ipſi ſoli inſuper plenaria adminiſtratio bonorum temporalium conceſſa fuerit, verè, & propriè eo ipſo habendus eſt Rector, & Adminiſtrator Eccleſiæ Colonien. ipſiuſque bonorum; undè revocari non poteſt in dubium, quin verba appoſita in diſpenſatione verificata fuerint, & conditio omnis purificata fuerit, ſtatim atque Sereniſſimus Princeps Clemens de Bavaria poſſeſſionem aſſequutus eſt Eccleſiæ Colonien. nam ſtatim ei omnis reverentia, & omne obſequium tanquam Rectori, & Adminiſtratori ejuſdem Eccleſiæ, præſtitum eſt à Capitulo, Clero, Populo, & Vaſſallis Eccleſiæ Colonien. ſubditis: & quoad poſſeſſionem bonorum temporalium Menſæ Archiepiſcopalis, ſeu majoris partis eorum-

rumdem, nulla ipſi controverſia nunc movetur, & conſequenter pacificus poſſeſſor eorumdem bonorum debet haberi.

29. Undè omnia ſecundùm mentem, & intentionem Summi Pontificis plenariè adimpleta fuerunt, itant vacatio Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. eo ipſo inducta fuerit.

30. Fruſtrà opponitur in ſecunda parte Brevis, *de tempore conſecrationis* loquutum fuiſſe Summum Pontificem, quinimmò reticentia ejuſdem verbi *conſecrationis* facta in tertia diſpoſitione Brevis Apoſtolici (quæ quidem diſpoſitio nullatenus pendet à præcedenti, cùm ab hac omninò re, & verbis diſcreta, & ſeparata videatur) clarè evincit nullatenus voluiſſe ſan. me. Innocentii XI. extendere retentionem Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. ad tempus ulteriùs, quo præfatus Sereniſſimus Princeps poſſeſſionem aſſequutus fuiſſet regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonien. eo ipſo modo, quo ipſi commiſſa, & concredita fuerat, ſtatim atque ipſius electio confirmata fuit: & ſi mens alia fuiſſet ſa. me. Innocentii XI. ſanè non omiſiſſet mentionem facere *de tempore conſecrationis*, quemadmodum de eadem mentionem fecerat in præcedenti diſpoſitione, in qua de retentione perpetua aliorum beneficiorum effatus eſt.

31. Clarè itaque, & liquidò conſtat tum ex mente, tum ex verbis ejuſdem Brevis Apoſtolici, nulla valida diſpenſatione ſuffultum Sereniſs. Principem Clementem de Bavaria retinuiſſe de facto Eccleſias Ratisbonen. & Friſingen. Ex quo conſequitur factum fuiſſe ineligibilem ad Epiſcopatum Leodienſem.

32. Inſtant Adverſarii, & contendunt duo cumulativè requiri, ſcilicet regimen, & adminiſtrationem plenam, & omnimodam cum poſſeſſione bonorum temporalium, & ex hoc inferre volunt tempus conſecrationis expectandum eſſe.

33. Sed jam demonſtratum ſuperiùs fuit, non poſſe induci tacitas diſpenſationes ex præſumpta mente concedentis, quia in diſpenſationibus tantum valent verba, quantum ſonant: nec poteſt ſuppleri aliquid in diſpenſatione, quæ jus commune lædit; at probatum eſt verba Brevis Apoſtolici omninò adimpleta fuiſſe per actualem, & realem poſſeſſionem adeptam adminiſtrationis bonorum temporalium, cui regimen etiam, quod competere poterat ſecundùm ſtatum, & qualitatem perſonæ, adjunctum erat.

34. Advertendum eſt etiam ex jure Canonico differentiam eſſe inter ea, quæ ſunt juriſdictionis, & ordinis, nam electus ſtatim, atque confirmatus fuit à Summo Pontifice, poteſt exercere ea omnia, quæ ſunt juriſdictionis, non verò ea, quæ ſunt ordinis, quæ ipſi competere non poſſunt, niſi poſt conſecrationem, & hoc benè adnotavit ſa. me. Innocentii XI. dum regimen, & adminiſtrationem Eccleſiæ Colonien. commiſit Sereniſs. Princ. Clem. conjunctim cum Epiſcopo Suffraganeo, quem Vicarium deputavit ad nutum amovibilem; nam electio, & confirmatio ſunt duo correlativa; unde ex quo Sereniſſimus Princeps Clemens de Bavaria eligibilis factus fuerat, confirmari etiam debebat tamquam electus, ſi Electio valida erat, & ipſi tamquam electo confirmato indulgeri debebant ea omnia, quæ de jure competunt poſt confirmationem Electionis, & idcircò Regimen, & adminiſtrationem Eccleſiæ Colonien. ipſi recuſare non potuit Innocentius XI. ſed quoad munus conſecrationis, ipſum differre potuit in aliud tempus à Conciliis determinatum, & ſic ea, quæ erant ordinis, dilata ſunt in tempus conſecrationis. 35. Op-

35. Opponunt etiam Adverſarii poſſeſſionem pacificam requiri; ſed obtendunt Adverſarii poſſeſſionem non fuiſſe pacificam.

36. Certum eſt, quoad beneficia, illum pacificum poſſeſſorem haberi, cui ſuper titulo beneficii nulla controverſia movetur,& licèt quis turbetur in poſſeſſione fructuum temporalium beneficii, tempore hoſtilitatis, aut aliquo alio facto, tamen non deſinit pacificus eſſe poſſeſſor; quia poſſeſſio non ſolùm eſt facti, ſed etiam juris, & animi, & qui de facto in poſſeſſione alicujus rei turbatur, non deſinit eam poſſidere, quia ſemper animum retinendi penès ſe habet.

37. Sed ut omnia excutiantur. Certum eſt, quòd nullatenus turbatus fuerit in poſſeſſione bonorum Menſæ Archiepiſcopalis Colonien. vel majoris partis eorumdem Sereniſs. Princeps Clemens de Bavaria, ex quo poſſeſſionem recuperavit Civitatum Bonnæ, Nuys, Kaiſervert, necnon omnium Caſtrorum, arcium, ditionum,& dominiorum à Menſa Archiepiſcopali Colonien.dependentium; fictitia eſt itaque omninò illa turbatio poſſeſſionis.

38. Poſſet etiam ſubjungi ex mente ſa. mem. Innocentii XI. non requiri plenariam, & omnimodam poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis, & bonorum temporalium Menſæ Archiepiſcopalis; nam hæc duo expreſſit disjunctivè *poſſeſſionem, aut quaſi poſſeſſionem*, quæ verba, *quaſi poſſeſſionem*, ſatis denotant qualemcumque poſſeſſionem,etiam juris,ſufficere, quia ex jure Civili, & Canonico, quaſi poſſeſſionem is habere dicitur, qui jus habet ad rem recuperandam, licèt ab ipſa dejectus fuerit; unde cùm omne jus habeat Sereniſs. Prin.Clem. de Bavaria in omnibus bonis temporalibus Menſæ Archiepiſcopalis, ex quo in electum confirmatus fuit, proculdubio haberet *quaſi poſſeſſionem*, licèt turbaretur.

39. Adducunt aliud argumentum Adverſarii, ſcilicet mentem ſa. me. Innocentii XI. fuiſſe concedere Sereniſs.Princ. Clem. de Bavaria unde ſe poſſet ſuſtentare ſecundùm natalium ſuorum ſplendorem, & conſequentèr duriùs cum ipſo non eſſe agendum ſuper vacatione Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen.

40. Illud ſanè argumentum non probaret Sereniſſimus Princeps Clemens de Bavaria,cùm ſit de proſapia, ex qua ipſi ad ſuſtentationem ſtatus ſui provideri poſſet ex bonis avitis ſine ullo ſubſidio bonorum Eccleſiæ, quæ aliquando largiùs Sedes Apoſtolica benignè ſolet concedere in favorem Pauperum Principum; ſed injuria ſanè fieret Sereniſs. Principi Clementi de Bavaria, ſi prætenderetur aliquid poſſe ipſi deficere ex bonis gentilitiis, ut ſtatum ſuum ſecundùm eximiam claritatem generis, qua pollet, poſſet ſuſtinere; idcircò hæc conjectura, aut præſumptio, quæ commentitia protsùs videtur,rejicienda eſt.

41. Inſuper benè hoc diſtinctum videtur in Brevi Apoſtolico; nam in ſecunda parte ſuperius relata, Summus Pontifex concedit retentionem omnimodam Monaſterii Berchtesgadenſis,& aliorum beneficiorum,ut poſſet Ser. Prin. Clem. *Statum ſuum,juxta natalium ſplendorem, & Pontificalis dignitatis exigentiam, decentiùs tenere*; ſed in tertia parte, in qua de vacatione Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. poſt adeptam poſſeſſionem diſponit, nullam hujus motivi mentionem facit, ex quo elicitur noluiſſe hancce retentionem ullatenus concedere.

42. Adducitur tandem ex parte Adverſariorum, tacita patientia, & toleran-

rantia Sum.Pont. qui hactenus non providit Eccleſiis Ratisbonen. & Friſingen.tamquam vacantibus: adducitur etiam bona fides in poſſeſſione earumdem Eccleſiarum, ex prætextu præſumptæ diſpenſationis.

43. Hæc omnia ſanè Legibus Canonicis non conveniunt; nam ex patientia, aut tolerantia, aut retentione Beneficiorum incompatibilium, nunquam poteſt induci tacita, aut expreſſa diſpenſatio, nam ut inquit Alexander III. *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta forent in judicium, exigente juſtitia, debeant emendari*, & poſſeſſio, quæ eſt ex ſe illicita magis gravat poſſeſſorem, quia abuſus, & corruptela augetur ex diuturnitate temporis, & poſſeſſionis. Gregorius IX. *cap. cùm tanto De conſuet.* bona fides numquam poteſt juvare poſſeſſorem rei illicitæ, nec inducere tacitam diſpenſationem, quæ nunquam præſumitur contra jus commune; quia ignorantia juris, præſertìm in rebus ſpiritualibus, non excuſat à peccato, & ſemper ei qui contra leges committit, præſumitur impreſſa mala fides; At ſanè ex retentione plurium Beneficiorum incompatibilium prævaricatio juris inducitur, & incurritur tranſgreſſionis nota, cùm poſſeſſor rem contrectet alienam, nunquam præſumpta bona fides poteſt excuſare, quia fruſtra auxilium legis implorat, qui contra legem committit.*cap.23.de elect.& electi pot.*

44. Tandem Adverſarii opponunt Decretum Congregationis nuperrimè factæ ſuper confirmatione Coadjutoriæ Epiſcopatus Hildeſimen.

45. Illud ſanè Decretum non poteſt patrocinari Ser.Prin.Clem.de Bavar. quia præterquam quod non agebatur de electione, ſed de poſtulatione facta à Capitulo Hildeſimen. quæ quidem poſtulatio, eligibilitatem non ſupponit, immò ipſam deſtruit, quia poſtulari poteſt incapax, & inhabilis, cùm confirmatio poſtulationis pendeat tota ex arbitrio, & nutu Summ.Pont. qui indulgentiam, quam vult, facere poteſt, certum eſt etiam in præfata Congregatione nihil omninò deliberatum, aut ſtatutum fuiſſe circa diſpenſationem retentionis Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. undè cùm res ſit adhuc integra, nihil impedit, quin in præſentis electionis confirmatione attentè debeat diſquiri.

46. Ex præmiſſis omnibus patet conſumptam omninò fuiſſe diſpenſationem retentionis Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen.per adeptionem poſſeſſionis Eccleſiæ Colonien. & bonorum Menſæ Archiepiſcopalis, nec poſſe amplius indulgentiam fieri gratiæ, & diſpenſationis ſemel extinctæ, quia gratia ſemel extincta, numquam reſtituitur, prout obligatio ſemel extincta non reviviſcit. *l.qui res,§.aream,ff.de ſolut.*

47. Undè cùm ineligibilis factus fuerit Ser. Prin.Clem. de Bavaria ex retentione injuſta, & invalida earumdem Eccleſiarum, quia ut inquit *Fagnan. in cap.dudum De electione,& electi poteſt.* incurrit avaritiæ,& cupiditatis vitium, ut innuit *Conc.Trid.cap.17.ſeſs.24.* qui improbæ cupiditatis affectu retinet ſine valida diſpenſatione, plures dignitates præſertìm Epiſcopales; cupidi autem ab Apoſtolo promoveri prohibentur *1.ad Timoth.cap.3.*

48. Poſſet etiam adduci, mentem, & intentionem ſan.me. Innocentii XI. penitus defraudatam videri, quia ut notare licet in præambulo Brevis conceſſi Ser. Princ.Clem.de Bavaria, ſan.mem.Innocent.XI. ſatis ſignificavit, ſe confidere, quòd ubi primum Ser.Prin.Clem.de Bavar.attigiſſet ætatis annum, quo ſecundùm Canones poſſet ad Ordines ſacros promoveri, ſe miniſteriis Eccleſiaſticis, & Ordinibus Sacris alligare deberet, tamen licèt præfatus Ser.Prin.attigerit

Google

gerit 23.ætatis ſuæ annum,in quo ad ſacros Subdiaconatus,& Diaconatus Ordines poſſet promoveri, ſpes omnes Summ.Pont.de ipſo conceptas, vacuas, & inanes reddidit; nam *ſalva reverentia debita Celſitudini ſuæ*,huc uſque in ipſo juvenilis, & martius ardor genti ſuæ innatus, magis emicuit, quàm ſtudium miniſteriorum Eccleſiaſticorum; undè facto ſuo ex gratia, & diſpenſatione ſibi facta cecidit, cùm hæc etiam conditio appoſita ſit in diſpenſatione ipſi conceſſa; quia omnes gratiæ Principum,præſertìm quæ juri communi omninò adverſantur,vim omnem, & auctoritatem accipiant ex ipſorum intentione,quam cludere numquam licet.

49. Cùm,graviſſimis hiſce momentis, deſtructa omninò videatur eligibilitas Ser.Prin.Clem.de Bavar. ſuperfluum videretur inquirere de aliis nullitatibus intrinſecis,quæ in ipſo Electionis Inſtrumento continentur; verùm ut nihil omittatur in cauſa,ad quam omnes populi Chriſtianitatis ſunt attenti,& ſolliciti, paucis differendum eſt de illis, quæ in ipſo actu electionis reperiuntur.

50. Pleræque jam in Summario nullitatum congeſtæ fuerunt: & licèt aliquæ ſingulæ, & ſeparatim ſumptæ,non poſſent forſan nullitatem omnimodam operari, tamen ex illis omnibus colligatis in unum eruitur idea ſcandali, & ſchiſmatis exorti in Eccleſia, quod ſeveriori judicio animadvertendum videtur.

51. Ne nimium excurratur, non ſingulas illas nullitates intrinſecas exquirere viſum eſt, ſed præcipuas, & magis ſubſtantiales.

52. Certum eſt libertatem,præcipuè in electionibus,commēdari ab omnibus Canonibus Eccleſiæ; quia, ut inquit Apoſtolus, ibi eſt Spiritus Domini, ubi eſt libertas, & ubi tumultus, & diſcordia reperiuntur, exulat omninò Spiritus Domini, quo Miniſtri Eccleſiæ præcipuè agitari debent in Electionibus Canonicis.

53. Nemo ambigit electiones debere eſſe liberas ab omni coactione, & coarctatione,quia libertas conſiſtit in differentia, quæ præcipuè conſiſtit in delectu, qui poteſt fieri inter plures eligibiles.

54. Si ea, quæ in Civitate Leodienſi peracta ſunt à tempore obitus Celſiſſimi,& Reverendiſſimi Joannis Baronis de Elderen nuperrimi Epiſcopi,expendantur, nec ſpecies quidem libertatis effulgebit.

55. Civitas undequaque repleta Militibus armatis, & hæreticis, qui nullam rationem legum Canonicarum habent, tres Legati Imperatoris, ſpecialiter deputati, Legati etiam Regis Catholici, necnon Ser. Princ. Elect. Duc. Bavariæ, & Principis Auriaci,qui omnes in unum conſpirabant,ut nullus alius eligeretur, niſi qui confœderationi inter ipſos initæ, addictus omninò foret: poſtea unuſquiſque illum inter confœderatos, qui ſibi gratior videbatur,promovere ad Epiſcopatum minis atrocibus, pactionibus ſecretis, conventionibus ſimoniacis,conatus eſt: pactiones etiam, & capitulationes factæ ſunt inter Capitulares ante electionem, inter quas pleræque prorſus libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ adverſantur: harum pactionum obſervantiam inviolabilem unuſquiſque Canonicus jurare coactus fuit, quia conventum erat, ut nemo *poſſet eligi*, quin prius juraviſſet de illis ſervandis. Hoc modo non ſolùm Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius privatus fuit voce activa, ſed etiam voce paſſiva, cùm non vocatus fuerit ad jurandas haſce Capitulationes: & licèt Sereniſ-

reniſſimi Principes de Bavaria, & Neoburgo vocem non haberent in Electione, ſpecialiter tamen ad juramentum præſtandum vocati fuerint: ſolus Dux Saxoniæ Canonicus hoc juramentum præſtare recuſavit. Si hæc omnia cumulentur, quis poteſt dubitare Leges omnes Canonicas violatas fuiſſe in hacce Electione? conſequenter ex illa Canonum, & libertatis Eccleſiæ violatione, cùm grave ſcandalum exoriatur in Eccleſia, illud omninò debet reparari.

56. Canones omnes inſurgunt contra abuſus ſecularium poteſtatum in Electionibus. Canones Apoſtolorum *Canon.* 30. expreſsè ſtatuunt, quòd ſi quis Epiſcopus adhibuerit aliquam potentiam ſecularem, ut promoveretur ad Epiſcopatum, tollatur & ſeparetur ab Eccleſia: idem ſtatuitur in *Concil. Lateranen.* ſub Innoc.III. *cap. quiſquis De elect.* nam Poteſtatibus Laicis interdictum eſt omninò extendere manum ſuam ad Arcam Domini, quæ nunc per Eccleſiam repræſentatur, quia aliter facinus *Datan, & Abiron. de quo Numer. cap.* 16. *committunt.*

57. Amputādæ à radice ejuſmodi violentiæ, modus nullus occurrit promptior, neque compendioſior, quàm in hoc negotio, ad quod omnes intenti ſunt; quia leges numquam melius firmantur, quàm cùm peccandi contra ipſas libido ſeverè animadvertitur.

58. Certum eſt autem omnia per vim, & per metum, & malis artibus peracta fuiſſe in Electione Ser.Princ.Clem.de Bavar. & licèt contendant Adverſarii horum omnium, quæ allegantur, probationem plenam, & integram non fieri per Inſtrumenta authentica, tamen facta ex ſe patent; nam nemo ambigit, Civitatem Leodien. tempore electionis repletam fuiſſe militibus armatis, & pleriſque Hæreticis: conſtat etiam Legatos miſſos fuiſſe ſpecialiter ad Electionem procurandam; undè cùm fama publica ſuppleat probationes propter notorietatem indubitatam, ulterior probatio non requiritur: & cùm illi Legati ſpecialiter miſſi fuerint ad negotium electionis pertractandum, patet quòd ante Electionem, authoritatem, quam habebant, ratione muneris ſui, adhibuerunt, ut Canonicos in ſuas partes traherent; numquam ſanè abuſus ſecularis poteſtatis poſſet reprimi, ſi hæ probationes non admitterentur.

59. Demonſtratum eſt autem *Summ.num.* 13. quòd non ſolùm in Electionibus oppreſſio manifeſta ſit vitanda, ſed etiam illa, quæ licèt occulta, tamen non leviorem metum incutere poteſt: certum eſt etiam, armorum metum eſſe cadentem in virum conſtantem. *l.qui armati, ff. de vi, & vi armata, & ibi Bart.*

60. Inſuper ex atteſtationibus authenticis, quæ exhibentur à 22. Capitularibus opponentibus, ſatis eruitur probatio violentiarum: & ſi aliquid deficeret adhuc in probatione, cùm ex his omnibus *famæ det ur ſufficiens*, non poſſent denegari litteræ remiſſoriales, ſuper quibus etiam inſtat Emin.Card. Bull.

61. Adducitur atteſtatio Baronis de Surlet ut deſtruatur ſuſpicio violentiæ ipſi factæ; ſed ſi attentè perpendatur, illum, cui ſemel metus incuſſus eſt, numquam id, quod factum eſt, poſſe retractare eodem metu durante: nulla debet haberi ratio ejuſmodi atteſtationis, quia eodem metu durante facta eſt; ſed ſi præfatus junior Surlet audiatur judicialiter coram Judice non ſuſpecto, indubitatum eſt, ſaſſurum ſe violentias ſibi adhibitas in Electione.

62. Ex ipſa etiam atteſtatione præfati Junioris de Surlet eruitur probatiò violentiarum, quæ à Legatis adhibitæ fuerunt ante Electionem; nam ipſe fatetur *ſibi violentiam, & vim illatam fuiſſe ab aliquibus, qui negotia Ser. Prin. Neo-*

burgici, Ordinis Teuthon. ſupremi Magiſtri, peragebant, ſeu ipſius ad Epiſcopatum Leodienſem promotioni vacabant, ut illum ſuffragio ſuo gratificaretur.

63. Habetur itaque fides ex ipſiſmet Adverſariis, violentias illatas fuiſſe à Legatis: nec ſuſpicandum eſt alios Legatos idem non præſtitiſſe, quia in id unum incumbebant, ut modis omnibus inducerent Capitulares, ut partibus ſuis faverent: deindè ſufficit ut ab aliquibus violentia ante Electionem illata fuerit, ut probetur Electionem factam fuiſſe per abuſum ſecularis poteſtatis.

64. Ex eadem atteſtatione Junioris de Surlet ernere etiam licet, Capitulares omnes ante ipſum actum Electionis vota ſua publicaviſſe, cùm fateatur prædictus Junior de Surlet *adactum fuiſſe ad ſuffragium ſuum dirigendum in favorem Ser. Princ. Clem. de Bavar. eo quod aliter vota ad æqualitatem fuiſſent redacta*; quia jam 22. Capitulares ſtabant à partibus Principis Neoburgici, & ſi iiſdem acceſſiſſet idem Surlet, vota utrinque fuiſſent facta æqualia: illa confeſſio facta ex parte Adverſariorum probat evidenter pactiones factas ante Electionem; nam illa determinatio Junioris de Surlet, proculdubio eſt prævia Electioni, nec debebat divinari illam æqualitatem votorum, niſi jam Capitulares ipſam patefeciſſent, quod quidem à jure prohibetur, nam Electores non poſſunt ſuffragium ſuum publicare ante ſcrutinium.

65. Sed etiam ex hoc conjici licet quantum Electio Seren. Princ. Clem. de Bavar. ſit illegitima, nam ex Adverſariorum confeſſione, prævaluit ſolùm vox ejuſdem junioris de Surlet, & quodam modo ſolus Elector fuit Ser. Prin. Clem. de Bavar. quia æqualitatem, quæ erat in Capitulo diremit: ſi perpendatur eumdem Surlet Miſſæ Spiritus Sancti non interfuiſſe, ſed in clauſtris toto tempore decantationis Miſſæ Spiritus Sancti detentum fuiſſe, & in compotationibus occupatum fuiſſe, ſanè ſi aliqua habeatur ratio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, non videbitur illa Electio Canonica, quæ non Spiritu Sancto procurata videtur.

66. Fruſtra opponitur Miſſam de Spiritu Sancto præviam Electioni, non eſſe de ſubſtantia Electionis: conveniunt in hoc omnes Doctores, quòd omittentes preces prævias Electioni, debent ejici pro qualitate ſcandali indè conſurgentis. *Samuel controv. 20. num. 6. & Paſſerin. cap. 15. num. 5.* Denique in Electionibus peragendis, ſaltem quantum ad decentiam, debent obſervari conſuetudines immemorabiles, quæ ſunt juri Eccleſiaſtico conformes; undè cùm mos inoleverit in Capitulo Leodien. ut Miſſa Spiritus Sancti decantetur ante Electionem Epiſcopi, quæ quidem conſuetudo laudabilis eſt, certum eſt eos ſcandalum facere in Eccleſia, qui ab hac Miſſæ decantatione ſine ullo impedimento abſunt: & quis non fateatur ſcandalum generandum in Eccleſia, ſi unus ſolus Canonicus, *levioris ſanè ingenii*, poſt compotationem factam in clauſtris ante Electionem, & violenter poſteà ductus in Capitulum, omnium Capitularium vota ita determinaviſſe dicatur, ut unus ſolus Electionem, quæ ex utraque parte anceps, & dubia erat, voce ſua, & ſuffragio in favorem unius ſtabiliverit?

67. Si confirmatio talis Electionis procuraretur, in toto Orbe Chriſtianiſſimo inclamare liceret, unum ſolum Canonicum, vino repletum, conſtituiſſe Epiſcopum in ſolio Epiſcopatus Leodien. quod quidem maximè ſcandaloſum foret in Eccleſia. Tantùm abeſt, ut illud inclamare liceat, quin è contra, ſecundùm Canonum verba, clamare neceſſe eſt, & tuba exaltanda eſt vox, ut annuncientur populo ſcelera, & ſcandala eorum, qui Eccleſiam ſic turpiter fœdaverunt.

68. Hæc

Digitized by Google

68. Hæc omnia facta non indigent probatione, nam eruuntur ex ipſiſmet Adverſariorum Inſtrumentis; undè illorum veritas non poteſt in dubium controverti.

69. In hocce negotio Electionis ſingulæ circumſtantiæ non ſunt ſeparandæ, ſed potiùs cumulandæ ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ majorem vindictam; quodnam enim ſcandalum gravius poteſt oriri in Eccleſia, quàm ſi confirmaretur electio, in qua tot vitia, & tot ſcandala reperiuntur?

70. Clarè etiam demonſtratur ex *Summ.num.*14. coarctatam fuiſſe electionem ad duo tantùm ſubjecta, quod quidem ſtabilitur ex ipſo Inſtrumento electionis Principis Clementis de Bavaria, cùm examen propoſitum fuerit ſolummodò eligibilitatis horum Principum, ſcilicet Principis Clementis de Bavaria, & Principis Neoburgici, quæ quidem coarctationem Electionis ad illa duo ſubjecta ſatis indicant, & per illam coarctationem omnis libertas in Electione ſublata fuit.

71. Conſtat etiam capitulationes prævias factas fuiſſe ante electionem, quarum obſervantiam juravit Sereniſſimus Princeps Clemens de Bavaria ante, & poſt electionem: & licèt prætendatur exadverſo, capitulationes ejuſmodi plerumque fieri apud Germanos, tamen illa conſuetudo non poteſt inducere aliquid, quod libertati, & immunitati Eccleſiæ contrarium ſit; quia ex communi Doctorum ſententia illæ omnes pactiones, & capitulationes, quæ poſſunt reſpicere commodum particulare eligentium, & non bonum commune Eccleſiæ, meritò reprobantur, & electio ſub iis conditionibus, aut capitulationibus facta, irrita, & nulla declarari debet, ſicut ſtatuitur in Concilio Lugdunenſi *cap. ubi periculum De electione in* 6. quia electiones omnes, quæ fiunt privato affectu, veniunt annullandæ, quod à fortiori locum debet habere, quando illæ pactiones ſunt prorſus obviantes libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ.

72. Obtendunt Adverſarii harum pactionum fidem authenticam non fieri, quia earumdem copia ſolummodò adhibetur; ſed ut omnis ambiguitas tollatur, non revocatur in dubium ab Adverſariis, capitulationes factas fuiſſe, quæ juratæ fuerunt à Sereniſſimo Principe Clemente de Bavaria tum ante, tum poſt electionem, & ab omnibus etiam Capitularibus. Producantur itaque illæ capitulationes, ut diſcutiantur, aut ſaltèm cùm ipſarum *ſufficiens detur ſumus* ex ipſorummet Adverſariorum confeſſione, litteræ compulſoriales ad evidentiorem comprobationem non debent denegari.

73. Nullitas etiam intrinſeca in electione arguitur ex ipſiſmet duobus Inſtrumentis duarum electionum; nam ſi dividantur, vel conjungantur, fides undequaque habebitur, electionem Sereniſs. Principis Clementis de Bavaria prorſus nullam, & invalidam eſſe, tamquam præproperè, & feſtinanter celebratam in contemptum 22. Canonicorum.

74. Factum ſciſſuræ, & diſcordiæ inter Capitulares per ſe patet; ſupereſt itaque inquirēdum, utrum potuerint Canonici procedere ad electionem Principis Clementis de Bavaria, ſpretis, & contemptis 22. Canonicis, qui non ſe fecerant alienos ab electione, ſed ſolùm inſtabant, ut terminus competens ipſis daretur ad maturiorem indagationem validitatis Brevium eligibilitatis Sereniſs. Principis Clementis de Bavaria.

75. Certum eſt, hanc diſceptationem fuiſſe magni momenti, & certum etiam reperietur, ſi Statuta Capituli Leodienſis in integrum adducantur, ſpe-

cialem eſſe articulum, in quo Decano, tamquam Præſidi Capituli, incumbit differre in alium diem diſcuſſionem rerum *magni momenti*, *ſi in Capitulo proponantur, ut matura deſuper accepta deliberatione, ſententias ſuas Canonici poſſent dicere*; undè cùm Statuta contra Capitulum ipſum meritò ſint retorquenda, cùm ageretur de re maximi momenti, ſcilicet de validitate electionis, quæ debebat fieri, certum eſt Decanum, tamquam Præſidem Capituli, potuiſſe in ſequentem diem differre maturiorem indagationem hujuſce negotii, præcipuè cùm tempus opportunum non ſupereſſet ad electionem perficiendam, quia jam medius dies elapſus erat, & conſumptus in præviis electionis; undè illa recuſatio dilationis petitæ uſque ad diem ſubſequentem, evincit, electionem præcipitanter ab aliis factam fuiſſe in contemptum aliorum.

76. Fruſtrà allegatur *cap. cùm nobis* 19. *De elect. & electi poteſt.* quia in hoc capite inveniebantur pauci, qui ſe alienos ab electione fecerant, dum receſſerant à Capitulo: & inſuper, ut notat *textus*, ſolùm proteſtati fuerant, ne electio fieret niſi Canonica; ſupererat itaque ſolummodo inquirendum, utrum electio facta fuiſſet canonicè, vel non: & cùm canonica inventa fuerit, nulla eſt habita ratio opponentium, quia ipſorum oppoſitio non tendebat ad aliud, niſi ad id, quod factum fuerat.

77. In ſpecie, quæ nunc proponitur, 22. Capitulares non proteſtati fuerunt, ne electio fieret niſi canonica; ſed immò electioni canonicæ ſe velle intereſſe declaraverunt; undè non ſe fecerunt alienos ab electione: proteſtati ſunt ſolummodo contra recuſationem termini, & dilationis, ut ſecuriùs electio poſſet fieri, quæ quidem recuſatio omninò iniqua cenſeri debet, prout in *Summario num.* 27.

78. Deindè certum eſt, quòd quando nullum eſt periculum in mora, & dilatio intrà breve tempus poſtulatur, ut inquiratur de perſona eligendi, nullatenus debet recuſari; quia, ut inquit *Gloſſ. ſuper hoc cap. cùm nobis, præceptum eſt Apoſtolicum, nemini manum citò imponas*: & idcircò *non præcipiti feſtinatione, ſed moratoria cunctatione, modò non ſit diſpendioſa Eccleſiæ, Electio debet perfici.*

79. Palàm eſt, nullum diſpendium timendum fuiſſe Eccleſiæ Leodien. ex dilatione unius diei.

80. Advertendum eſt etiam, in illo Capitulo curaviſſe ſollicitè Canonicos, qui remanſerant, ut revocarentur illi, qui ſeceſſerant è Capitulo, quæ verba *ſollicitè*, ut *Gloſſ.* inquit, denotant *ipſos admonitos fuiſſe, ut redirent poſt diſceſſum è Capitulo*; nam *Gloſſ. in verb. alienos eodem cap.* dicit, *quòd ex quo nolunt venire vocati, procedi poteſt ſine illis*; prius eſt ergo, ut vocentur de novo, antequam contumaces poſſent dici, & alieni fieri ab electione.

81. Sed nullatenùs patet, Canonicos, qui remanſerunt in Capitulo poſt diſceſſum viginti duorum Capitularium, illos denuò revocaviſſe, ut in Capitulum incunctanter redirent; non potuerunt itaque fieri alieni ab electione, & conſequenter prorſus contempti fuerunt.

82. Deducuntur etiam aliæ rationes. *Summ. num.* 27. quas ibi videre licet.

83. Addendum etiam eſt, quòd quotieſcumque de utilitate Eccleſiæ agitur, ſanior ſemper pars conjungenda cum majori, & utraque copulativè requiritur, & plerique etiam Doctores contendunt, quòd in eo caſu debent remanere in Capitulo ſaltèm duæ tertiæ partes è tribus. ita *Fagnan. in cap. quia*

propter

propter De elect. num, 40. & major etiam pars Capituli attendi debet reſpectu omnium, qui intereſſe debebant electioni, cùm eſſent quadraginta novem Canonici, qui in electione ſuffragium debebant habere, ſcilicet quadraginta ſex, qui inter ſe diviſi fuerunt, & Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius cum Eminentiſſimo Cardinale de Furſtembergh, & Comite de Rechen: clarum eſt, quòd viginti quatuor Canonici, qui remanſerunt in Capitulo, non faciebant majorem partem reſpectu totius Capituli, & ſic cùm computari debeant omnes, prævalet major pars opponentium, & contemptorum.

84. Palàm etiam eſt, quòd ſanior erat illa pars, quæ pro dilatione inſtabat, deindè cùm Decanus tamquam Præſes Capituli inſtaret pro dilatione, ejus vox præponderare debebat, & erat illa ſanior pars.

85. Sed cùm illa eadem pars nunc in Curia Romana proſequatur vindictam ſui contemptus, ſufficiet, ſi Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, media ab ipſis deducenda, adhibeat, in quantùm ad juris ſui tuitionem, & propugnationem, poterunt conducere.

86. Si etiam aliæ nullitates in *Summario* deductæ cumulentur: tumultus, diſcordia, & diviſio inter Capitulares annotabitur: prætereà ſchiſma exortum in Eccleſia Leodienſi, arguit, omnia acta fuiſſe, non ſpiritu Domini, ſed privatis affectibus, & cupiditatibus; undè cùm negotium occurrat dijudicandum ſit coram Sanctiſſimo Domino Innocentio Papa XII. decet ordinem juris, & æquitatis ſubtiliter obſervari, ſicut præcepit Innocentius ejuſdem nominis III. in *cap.* 19. *De ſententia, & re judicata*: & cùm duo ſint Electi in ſchiſmate, licèt unus defunctus ſit, quoad jus partium, repentini caſus iniquitas nemini debet nocere, & idem judicium ferendum occurrit, quod profertur in *Canon.* 8. *diſtinction.* 79. Si duo fortè contra fas, & temeritate concertantium fuerint ordinati, nullus ex his futurus eſt Sacerdos Eccleſiæ.

87. Si in Sede Romana nervus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ rumpatur, peſſum ruere omnes Eccleſiæ Canones oportet.

Moribus antiquis ſtet Res Romana, viriſque.

JACOBI

JACOBI SARDINI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super Electione, & Eligibilitate.

1. COnfirmationi per Sereniſs. Adverſarium deſideratæ, ne dum obſtant contemptus Eminentiſſimi Principalis, & interpoſitæ Appellationis exceptio, ſed deficit fundamentum in præſuppoſita ſecuta Electione conſiſtens.

2. Vult enim Electio, ut adſit pluralitas votorum, uti per *text. in cap. quia propter De Electione.* ibi: *Ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, & ſanior pars Capituli conſentit*, ibique *Gloſſa in verb. Collatione*, & per *text. in cap. in Geneſi eodem titulo*, tradunt *Sigiſm. à Bononia De Electione dub. 9. num. 11. & Paſſerin. eodem tract. num. 111. in fine.*

3. Eaque non concurrit in præſenti, nam præſuppoſito contemptu Eminentiſſimi Principalis, & Domini Comitis de Rechen, pariter ſub inſubſiſtenti foraneitatis prætextu ab Electione repulſi, iſtorum vota ſunt numeranda, ut videatur utrum Electio ſit à majori parte operata. *Innocent. in cap. in Geneſ. 55. De Electione*, ibi: *Et eſt notandum, quòd etiam ad numerum computantur abſentes, qui deberent citari, & fuerant contempti*, & ſequitur *Abb. ibidem ſub num.* 8. dicens: *Et dictum Innocentii, & Sequacium procedit quo ad hoc, ut conſideretur, an habuerit Electus majorem partem totius Capituli, debent computari contempti in numero eorum, qui faciunt Capitulum. Bays De Elect. par. 3. cap. 7. num. 3.* ibi: Et *Vox contemptorum, qui erant vocandi, debet computari ad ſciendum ſi Electio fuerit facta à majori parte Capituli*, & ſequitur *Paſſerin. de Election. cap. 11. num. 111.*

4. Facta verò votorum collatione, computatiſque votis Eminentiſs. Principalis, & dicti Domini Comitis de Rechen, palàm eſt Sereniſſimo Adverſario ultrà medietatem vota deficere, dum inſimul computatis præſentibus, & contemptis, 48. votorum numero Capitulum conſtituebatur, quorum ſolummodo 24. Sereniſſimum Adverſarium nominaſſe non impugnatur; undè nulla dicitur operata Electio, uti expreſſis verbis explicat *Abb. d. cap. in Geneſi.* ibi: *Et benè perpetuo hoc dictum menti, quia ſerviet tibi non ſolùm ad actum Electionis, ſed in omnibus actibus Collegialiter explicandis, ut non valeat quidquid faciet major pars præſentium, ſi illa pars non fuerit major pars, habito reſpectu ad illos, qui debebant vocari: pone exemplum, in univerſitate ſunt 12. ſe congregant contempto 12. non valebit quidquid fiet per ſex, quia computato abſente, non reperitur diſpoſitio facta à majori parte Capituli*, & ſequitur *Bays d. cap. 7. num. 3. & Paſſer. d. cap. 21. num. 111.*

5. Et eſt in propoſito notabile dictum Innocentii ſuper *d. cap. in Geneſi nu.*

8.

8. Vult enim, quòd ſi fuerunt aliqui ex Capitularibus contempti, licèt non proſequantur contemptum, tamen irritetur Electio, quandocumque eorum facta computatione, conſtat, Electum totius Capituli majorem votorum partem non habuiſſe, ut ibi; *Sed iſtis computatis non habebat majorem partem totius Capituli, & ideò etiam non proſequentibus ipſorum contemptum, caſſanda erat Electio, tamquam à minori parte facta, &c.*

6. Nec repugnat Propoſitio, quòd ſi contempti non proſequantur contemptum, convalidetur Electio; nam prædicta verificantur in caſu, ubi etiam facta contemptorum computatione verè conſtat Electionem fuiſſe à majori parte totius Capituli operatam: eo namque caſu, quia contemptum proſequentibus contemptis, veniret Electio caſſanda, quamvis à majori parte operata; ideò non reclamantibus contemptis convalidatur; Verumtamen ubicumque contemptorum facta numeratione non reperitur votorum pluralitate perfecta Electio, tali quippè caſu contemptorum conſenſus in nihilum Electo ſuffragatur, quia computantur quidam ad augendum Capitularium numerum, non tamen ad complendum eligentium vota, ut annuit *Innocent. ibid.* dicens: *Nam propter ſubſequentem eorum conſenſum non ratificatur Electio*, & clariùs tradunt *Oſtienſ. in d. cap. in Geneſi, & Abbas ibidem*, ubi quòd debent contempti *computari in numero eorum, qui faciunt Capitulum, non autem in numero illorum, qui conſenſerunt in Electum*: idemque firmat *Bais d. par. 3. cap. 7.* ibi: *Non tamen dicitur vocem contemptorum, qui poſteà conſentiunt ad augendum numerum Eligentium computari*, & ſequitur *Paſſerin. loco ſup. cit. num. 111. in fine.*

7. Probata itaque carentia Electionis, nihil eſt, quod confirmare poſſit, quia non entis nullæ ſunt qualitates; Verumtamen quatenus per poſſibile Electio verificaretur, quod omninò negatur, tamen ex capite ineligibilitatis Sereniſſimi Adverſarii, tamquam à principio nulla, foret omninò caſſanda.

8. Et priuſquam procedatur ad hujuſmodi Articuli examen, non eſt omittenda doctrina *Innocentii ſuper d. cap. in Geneſi num. 2. De Elect.* probat enim quanta ratione Decanus petierit, ut examinaretur Breve Eligibilitatis Sereniſs. Adverſario conceſſum, antequam ad ulteriora in electione procederetur.

9. Etenim, juxtà præſcriptam Lateranenſis Concilii diſpoſitionem, certum eſt, quòd ad validitatem electionis requiritur votorum, aliorumque requiſitorum plena collatio, ut in *cap. quia propter De elect.* eaque fieri nequit niſi priuſquam fiat Electio, diſcutiatur ſi quis proponitur examinandus articulus, ſaltèm ad veritatem inveniendam. ita *Innocent.* ibi: *Item dicimus, quòd in tantùm plenè facienda eſt Collatio, quòd ſi de aliquo articulo oriatur dubium, de illo tractandum erit, & diſcutiendum, ut hic non ut diffiniunt aliquid, vel probationes recipiant, vel tamquam juriſdictiones habentes, ſed ad veritatem inveniendam, &c.*

10. Et præſertim quando agitur de legitimitate perſonæ eligendæ, & adeſt Contradictor, uti poſt *Felin. in cap. final. num. 27. De præſumpt.* quem allegat *Lotter. de re benefic. lib. 2. quæſt. 13. num. 82. & 85.* pluries reſpondit *Rot. ut in dec. allegatis per Alex. VIII. in dec. 29. num. 49. & 50.*

11. Ideòque non erat ommittendum, ſed præmittendum ad requiſitionem Decani capacitatis Sereniſſimi Adverſarii examen, nè alioquin Capitulum eligendo incapacem, vel ſuo eligendi jure privaretur, juxtà firmata in *cap. cùm in cunctis, cap. innotuit in fine, & cap. ſcriptum in fine, De Electione*, & tradunt

Tam-

Tamburin.de Jur.Abb.tom.1.diſput.5.quæſt.8. num.18. Caſtell. de Elect.cap.5. num.9.& 12.& Paſſer.eodem tract.cap.29.num.73. vel in concurſu electorum plena fieri non poſſet meritorum collatio.

12. Sed quod facere non curarunt Capitulares Sereniſſimo Adverſario addicti, nunc operandum venit coram Eminentiſſimis Patribus, coram quibus pendet petitæ confirmationis judicium, ut colligitur per *Paſſerin.de Election. cap.19. num.15.*

13. Deſcendendo itaque ad Eligibilitatis examen, & ſtrictè ſuper difficultate agendo, ponderandum proponitur, ideò Sereniſſimum Adverſarium eligibilem fuiſſe ſupponi, quia dicitur Eccleſias Ratisbonen.& Friſingen. unà cum Colonien. ſub adminiſtratione bonorum temporalium, non verò pleno, & quoad exercitium ſpiritualis juriſdictionis habere.

14. Ideòque nullum conſiderari poſſe conſumatum ſpirituale conjugium incompatibilitatem præſeferens, ſed idem cenſeri debeat, ac ſi prædictas Eccleſias commendatas haberet, quarum multiplicata retentio non eſt à jure improbata.

15. Verumtamen quæque deducuntur ad probandum quem poſſe plures ſibi commendatas Eccleſias retinere abſque incompatibilitatis incurſu, in nihilum applicantur ad caſum.

16. Siquidem propoſitio verificatur quando ſimpliciter Eccleſia retinetur commendata ſub adminiſtratione temporali, & manuali, ut explicat *Gloſa ſuper Can. qui plures cauſ.21.q.1. verb. ſub commendatione*. ibi: *Illius Eccleſiæ non eſt Prælatus, ſed potiùs Procurator, & qui commendavit poteſt revocare, quandocumque vult, &c.*

17. Quandocumque verò Eccleſia datur in titulum, & tamen Præbenda pro titulo poſſidetur, tunc intrat incompatibilitas per Canones conſiderata, ut explicat *Gloſ. ſuper Can. Sanctorum, verb. in duobus diſtinct.* 70. ibi: *Qui enim titulum habet in una Eccleſia, ſi recipit ſecundam Eccleſiam, vel Præbendam pro titulo perdit primam; ſed ſi recipit ipſam, quaſi beneficium, & quaſi commendatum, ſivè ſtipendium, tunc ſecus.*

18. Et hæc eſt inconcuſſa diſtinctio tam de jure Canonum, quàm ex *DD.* placito, abſque contradictione recepta, ut in *cap. cùm in cunctis, & cap. dudùm De Elect.& cap. de multa De Præben.* & in propoſito Commendarum Sac.Religionis Hieroſolymitanæ, pluries reſpondit *Rota coram Achille dec.279. aliàs 9.de Præben. coram Mordano deciſ.10. aliàs* 169.*litt. B. & in dec.37.nu.7.& 8.par.13. rec.*

19. In caſu verò noſtro, Eccleſiæ non ſunt ſimpliciter commendatæ, & ſub manuali adminiſtratione conceſſæ, ſed quidem intitulatæ, dum ſtante Electione, ſecutaque Sereniſſimi Adverſarii confirmatione, eſt illi irrevocabiliter jus quæſitum, & Præbendam pro titulo poſſidet, ex quo reſultat incompatibilitas, uti ex *Gloſa* ſuprà allegata.

20. Neque contrarium probat diſpoſitio *cap. commiſſa* 30. *§.annus autem, ibique gloſ.verbo pacificam De Electione in 6.* Textus enim diſponit quem teneri ad Sacerdotium promoveri intrà annum, quem incipere ſtatuitur, quando ipſius Eccleſiæ regimen commiſſum extitit, & acquiritur bonorum pacifica poſſeſſio; undè *Gloſ.* duos figurando caſus, primum conſiderat in eo, qui nactus ſit poſſeſſionem ſolùm minoris partis bonorum, & in iſto caſu vult, quòd

ſi mia

ſi unà cum minori parte bonorum quis habeat etiam liberum exercitium curæ Animarum, tunc teneatur intrà annum promoveri, & tempus incipiat à die, quo regimen Eccleſiæ ſuſcepit; ſecùs autem diſponit in alio caſu, ſcilicet ſi non habeat liberum Curæ exercitium, licèt poſſeſſionem habeat, etiam majoris partis bonorum; nam cùm principaliter quis teneatur promoveri ad Sacerdotium, propter curam Animarum, quandocumque ea deficit, quia non adeſt ejuſdem liberum exercitium, non currit tempus, dum non verificatur, quòd habeat Eccleſiæ Regimen.

21. Sed quod diſponitur quo ad tempus ſuſcipiendi Sacerdotium, & quod *Gloſa* ſuperaddit illud non currere, etiam ſi quis pacificam poſſeſſionem majoris partis bonorum habeat, dummodò Eccleſiæ regimen non retineat, ſcilicèt liberum exercitium Curæ Animarum, nullimodè probat ex retentione alterius Eccleſiæ incompatibilis quem ineligibilem non reddi, propter effectum ab incompatibilitate derivantem, ideòque d. *Gloſa* non applicatur ad caſum.

22. Immò *Caſtrenſ. in conſ.* 265. *lib.* 2. explicando dictam diſpoſitionem *cap. commiſſa*, & ibi *Gloſa, &c.* quamvis admittat requiri pacificam poſſeſſionem ad effectum ammittendi primum beneficium, tamen ſtatuit poſſe primum impetrari immediatè ac ſuſcipitur ſecunda Eccleſia, & impetrationem ſubſtineri quandocumque purgetur vitium litigioſi ſecundi Beneficii; undè probatur quòd dicta *Gloſ.* non tollit incurſum incompatibilitatis, ſed ſolummodò vult, ut non ammittatur primum beneficium, quo uſque pacificè poſſideatur ſecundum, juxtà diſpoſitionem *textus in cap. licèt Epiſcopus De præbend. in* 6.

23. Undè ceſſat omninò fundamentum, quod ad tollendam incompatibilitatem ſuper dicta *Gloſa* fieri prætenditur, & ſtat ſemper in ſuo eſſe eam incurri quando quis habet duas Eccleſias intitulatas, & præbendam pro titulo poſſidet ex dicta *Gloſa in Can. ſanctorum diſt.* 70. ſupra allegata.

24. Et quamvis in Epiſcopo dicatur Conſecrationem requiri, ad effectum, ut inducatur incompatibilitas, & beneficiorum privatio, uti ex *Gloſ. in cap. multa* 28. *verbo poſt receptionem, & cap. cùm in cunctis, §. cùm verò*, ibique *Gloſ. in verbo ad quem ſpectet De electione*; præterquamquod dubium eſt an hujuſmodi *Gloſæ* locum habeant, quando agitur de conſimili beneficio, & quandocumque ſecundum contrahitur matrimonium cum conſimili Eccleſia, dum eas procedere quo ad inferiora beneficia firmavit *Burſat. conſ.* 135. *num.* 15. *tom.* 4.

25. Tamen abſque eo quòd ſit opus hujus quæſtionis examen aggredi, ſumus in claris, quo ad incompatibilitatem Sereniſſimi Adverſarii, cui ſolummodò ex diſpenſatione conceſſum extat, ut poſſit in præſenti dictas Eccleſias retinere, & conſecrationem ad legitimum ætatis tempus differre; quandocumque enim ex diſpenſatione longo tempore differtur ordinatio Epiſcopi, interim Beneficia vacant, quia diſpenſatio reſtringitur, ut producat tantum effectum differendi neceſſariam Conſecrationem, non autem extenditur, ut inter medio tempore ex ea permittatur incompatibilium beneficiorum retentio, uti firmat expreſsè *Innocent. vidend. in cap. de multa* 38. *De præbend. & dignit. num.* 2. & tenet *Sanchez De matrimonio lib.* 8. *diſput.* 1. *nu.* 34. *Barboſ. in cap. cùm in cunctis, §. cùm verò num.* 28. *De electione, &c.*

26. Et ratio eſt quia cùm interim ſaltèm ſit ratum conjugium ſpirituale, ſicuti in matrimonio carnali non permittitur, ut quis uno eodemque tempore plura rata matrimonia retineat, idem procedit in conjugio ſpirituali, uti expreſsè

preſsè habetur in *Can.ſicut alterius uxor cauſ.7.qu.1.*quem allegat *Gloſ.in cap. dudum verbo intitulatam circa finem*, dicens: *Item ſicut uxore vivente nullus aliam poteſt habere, ſic nec Clericus ſecundam Eccleſiam,&c.*

27. Neque eſt opus ad hanc veritatem probandam diutius immorari; eam etenim agnovit Sereniſſimus Adverſarius, dum poſt reportatam confirmationem Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. pro diſpenſatione ab incompatibilitate, inſtetit apud Sanctiſſimum Innocentium XI. ſibique Eligibilitatis Breve curavit impertiri, non obſtante prædictarum Eccleſiarum retentione ſibi pro temporali adminiſtratione permiſſa; neceſſe etenim non habuiſſet obtenta diſpenſatione, ad effectum obtinendi eligibilitatem, ad Eccleſias Colonien. Hildeſimen.& Leodien. quatenus ei potuiſſet illud ſuffragare principium, nunc exadverſo inſinuatum, quòd ex retentione cum adminiſtratione bonorum temporalium, nequaquam incompatibilitas inducatur; undè ſi credidit Sereniſſimus Adverſarius diſpenſatione egere, ut non obſtante retentione prædicta eligi poſſet, hinc manifeſtum redditur ex ipſa partis confeſſione, quàm ſit erroneum affirmare, quòd ex retentione prædicta incompatibilitas non inducatur.

28. Præſuppoſito itaque, & pro conſtanti admiſſo incompatibilitatis incurſu, quia verè, & realitèr Sereniſs. Adverſarius non ſibi tantummodò commendatas, ſed verè intitulatas Ratisbonen. & Friſingen. Eccleſias unà cum Colonienſi retineat, hinc manifeſtum redditur ad effectum eas retinendi plus juris habere non poſſe, quàm illi fuerit ex Apoſtolica diſpenſatione conceſſum.

29. Quamobrem difficultas reſtringitur quoad confirmationem per ſa.me. Innocentium XI. Sereniſſimo Adverſario conceſſam poſt ſecutam ejuſdem ad Eccleſiam Colonienſem Electionem, & præſertim ea ſunt ponderanda verba, de quibus in dicta confirmatione. ibi: *Volumus inſuper, ut donec, & quouſque pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem Regiminis, & Adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis, bonorum, ſeù majoris partis eorum, aſſecutus fueris, Eccleſias ſupradictas Ratisbonen. & Friſingen. quibus, ut præfertur, præes, ſimilitèr retinere liberè, & licitè poſſis, & valeas, quæ tamen cùm primum pacificam poſſeſſionem, ſeù quaſi poſſeſſionem præfatas, ſicut præmittitur, adeptus fueris, vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo, &c.*

30. Literalitèr enim diſponunt vacare debere prædictas Eccleſias, ſtatim ac poſſeſſionem *Regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis, bonorum, ſeù majoris partis eorum, Sereniſſimus Adverſarius eſſet aſſequutus, &c.*

31. Innegabilitèr autem hujuſmodi conditio jam diù remanet adimpleta, & conſequentèr dictarum Eccleſiarum eſt inducta vacatio, quas nihilominus cùm retinuerit contra litteralem diſpenſationem, ei ad certum tempus indultam, hinc eſt quòd ex earumdem retentione, manifeſta redditur ejuſdem ineligibilitas tamquam ex manifeſta incompatibilitate proveniens.

32. Nec prætendi poteſt, prædicta verba vacationem conferre ad illud tempus, quo Sereniſſimus Adverſarius utriuſque Juriſdictionis Regimen, & Adminiſtrationem habuerit; nam Pontifex clarè loquitur de Adminiſtratione bonorum temporalium, nec relationem habet ad Spiritualem Juriſdictionem; expreſsè namque dixiſſe legitur poſſeſſionem *Regiminis, & Adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis, bonorum, ſeu majoris partis illorum, &c.* quæ verba *majoris partis* percutere non poſſunt, niſi

tem-

temporalia bona, quæ partitionem recipiunt, & pro parte ſtare poſſunt penès unum, pro alia verò penès alium remanere, nec ſunt applicabilia ad Juriſdictionis exercitium, quod eſt individuum, & ſcindi non poteſt, & pro parte verificari, & pro parte non; nam ſicut una poſſeſſio, vel idem Dominium penès duos reſidere non poteſt, ſaltèm ad eumdem effectum, ita nec Juriſdictio. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. allegat. 3. num. 31. in fin.*

33. Quapropter dum voluit Sanctiſſimus Pontifex, quòd ad inducendam vacationem dictarum Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. ſufficeret, ut Sereniſſimus Adverſarius haberet pacificam poſſeſſionem majoris partis bonorum Eccleſiæ Colonien. illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis, pernecesſè fateri cogimur, quòd intellexerit de temporali, & diviſibili, non autem de Spirituali, & individua adminiſtratione.

34. Eòque magis id clarè convincitur ex duplici conſideratione, quarum prima eſt, quòd Pontifex prius Sereniſſimi Adverſarii duplicem conſiderando ſtatum, eum ſcilicet in quo nunc reperitur, & alind in quo reperietur, quando adveniente ætate munus Conſecrationis ſuſceperit, in utroque ſtatu ei retinere permittit, quæque habet Eccleſiaſtica Beneficia cum cura, & ſine cura, ac Menſarum etiam Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium redditus; undè reſultat, quòd benè Pontifex præ oculis habuit utrumque tempus, præſens ſcilicet, & futurum; nec ei latebat, quòd in præſens Sereniſſimus Adverſarius Eccleſias prædictas ſolummodò, quo ad intitulatam bonorum temporalium adminiſtrationem, retinebat; undè ſi poſt illi conceſſam præſervationem ab incompatibilitate ad effectum retinendi quæcumque Beneficia ſub expreſſione utriuſque temporis, ut ibi: *Prætereà ut Statum tuum, juxtà Natalium tuorum amplitudinem, & Pontificalis dignitatis exigentiam, decentiùs tenere valeas, tecum, ut etiam poſtquam pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem Regiminis, & Adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Colonienſis, illiuſque Menſæ Archiepiſcopalis bonorum, ſeu majoris partis eorum aſſequutus fueris, & deindè ætate legitima tibi ſuffragante, munus conſecrationis prædictum ſuſceperis, una cum eadem Eccleſia Colonienſi, &c.* alia quæcumque beneficia, &c. retineri, &c. liberè, &c. *de ſpeciali dono, & gratia diſpenſamus*. Exindè procedit ad inducendam vacationem dictarum Eccleſiarum, poſtquam fuiſſet adeptus pacificam poſſeſſionem majoris partis bonorum Eccleſiæ Colonien. hinc ad oculum demonſtratur, quòd Pontifex ſolummodò præ oculis habuit in iſto caſu tempus præſens, & non futurum, & voluit, ut induceretur vacatio ſtatim, ac aſſequebatur poſſeſſio ei de præſente permiſſa.

35. Et ſi aliter diceretur, proſpexiſſe ſcilicet ad tempus futurum, hæc poſterior diſpoſitio omninò cum antecedenti pugnaret; nam Pontifex prius conſideraverat utrumque tempus, ut ibi: *Ut etiam poſtquam pacificam poſſeſſionem, &c. & deindè ætate legitima tibi ſuffragante, &c.* & in utroque tempore ab incompatibilitate præſervaverat; undè ſi quando in poſteriori diſpoſitione iterùm mentionem habet de dicta pacifica bonorum poſſeſſione, dicetur ad tempus futurum recepiſſe, quando in antecedenti diſpoſitione habemus, quòd eam de præſenti conſideravit, utique reddetur hujuſmodi diſpoſitiones inter ſe contrariæ, & ad invicem repugnantes, quod utique non eſt in interpretationibus cauſandum abſurdum.

36. Secunda verò ponderatio ea eſt, quòd confirmatio prædicta ut nemi-

nem latet, eo tempore emanavit, quando propter Bellorum incurſum dubitari poterat,quin etiam temporalia Colonienſis Eccleſiæ bona de facili per Sereniſſimum Adverſarium poſſideri non poſſint , quem prævidendo caſum Sanctiſſimus Pontifex ideò Sereniſſimo Adverſario conceſſit , ut retinere poſſit adminiſtrationem bonorum temporalium dictarum Eccleſiarum Ratisbonen.&c. & Friſingen.&c. donec pacificam temporalem ſibi ex ſpeciali diſpenſatione Apoſtolica indulta adminiſtratione haberet , quæ cùm fuit cauſa impulſiva , & finalis conceſſi indultus, ex eadem regulari , & interpretari debet indultum, & conſequenter ad nudam bonorum temporalium adminiſtrationem reſtringi,ut firmat *de Luca De benefic.diſc.28.num.11.cum ibi allegat.*

ANTONII

Digitized by Google

ANTONII VAILLANT

ADVOCATI GALLI

SOLUTIO OBJECTORUM

Super Ineligibilitate.

1. ELectionis confirmatio tot, & tantis rationibus impugnatur, ut nullatenus concedenda videatur, *quia res eſſet pernicioſa exemplo, ſi quis per ſubreptionis* aſtutiam aſcenderet ad apicem Dignitatis, ut inquit *Innocentius III. cap. cùm dilectus De elect. & electi poteſtate.*

2. Jam de contemptu Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, & Comitis de Rekem, ex aſſertionibus præcedentibus conſtat, quæ proculdubiò ſi attendantur, nullum dubium relinquent.

3. Paucis nunc occurrit differendum de ipſa electione, nec ea quæ jam ſunt adducta, denuò pertractanda, ne tœdium pariant, repetita.

4. Capacitas perſonæ Electi primùm examinanda à Superiore confirmatore electionis.

5. Deindè vota eligentium inquirenda.

6. Tum demum ipſa quæ in electionis actu intervenerunt ſeriò, & maturè ponderanda.

7. Si Canones Eccleſiæ perpendantur, nemo ſanè ad miniſteria Eccleſiaſtica, & præſertìm ad Epiſcopalem Dignitatem debet promoveri, niſi is quem ætatis maturitas, morum gravitas, & litterarum ſcientia, commendabilem præbet: hæc in Epiſcopo inquiri oportet, prout effatur *Alexander III. in Concilio Lateranenſi relato cap. cùm in cunctis De Elect. & Electi poteſt. Quia, qui ad curam aliorum eſt poſitus, in ſeipſo debet oſtendere qualiter alios in domo Dei oporteat converſari. Vivo ego, dicit Dominus Ezechiels* 34. *quia pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, eò quod non eſſet Paſtor, neque enim quæſierunt Paſtores gregem meum. Ecce ego, dicit Dominus, ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs Paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultra in eſcam, viſitabo oves meas, & liberabo eas, de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die in nubis, & caliginis.*

8. Hæc ſunt effata Divinæ Sapientiæ, hæc ſunt oracula, quæ non ſurdis auribus audienda, quotieſcumque incumbit providere Eccleſiæ vacanti; nemo itaque ſub interminatione judicii, Divini poteſt conſulere, ut quis aſſumatur in Epiſcopum, qui non poſſit omnia explere, quæ tanto oneri incumbunt.

9. At ex parte Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria adducitur Diſpenſatio, qua ſe ab omnibus Legibus, Canonibus, & Conciliis etiam Oecumenicis, immunem tuetur, & defendit.

10. Præ-

Digitized by Google

10. Præſentis nunc non eſt propoſiti indagare validitatem hujuſmodi Diſpenſationis, ſed ſaltem inclamare licet talem Diſpenſationem prorſus à Canonibus deviantem, ſtrictè explicandam, itaut gaudere debeant Eminentiæ Veſtræ, ſi in hujuſmodi interpretatione poſſit via aliqua reperiri, qua ad jus commune poſſit reverti.

11. Non ſolùm *ſi ſtrictè hæc Diſpenſatio, prout debet fieri*, attendatur; ſed etiam ſi terminorum conceſſionis, & indulgentiæ ratio habeatur, invenietur, Diſpenſationis omnem omninò effectum conſumptùm, & exhauſtum fuiſſe in confirmatione Electionis ad Archiepiſcopatum Colonienſem.

12. Diſpenſatus fuit ſcilicet Sereniſſimus Princeps Clemens de Bavaria, ut poſſet eligi ad Eccleſias Colonienſem, Hildeſimenſem, & Leodienſem, non obſtante defectu ætatis: hæc eſt prima diſpoſitio, quæ modum eligibilitatis reſpicit.

13. Deindè per modum conditionis adjungitur, quòd ſi contingat præfici eiſdem Eccleſiis, vel earum alteri, ſtatim Eccleſiæ Ratisbonen. & Friſingen. de quibus jam proviſus erat, vacarent eo ipſo.

14. Conſumpta eſt itaque omnis facultas quoad retentionem earumdem Eccleſiarum, per adeptionem Archiepiſcopatus Colonienſis, itaut modo adimpleto, reliqua ſub conditione remaneant, quia tunc quod erat per modum præcepti ordinatum, ante Promotionem ad unam ex his tribus Eccleſiis, erat in executione adimplendum, & conſequenter conditionem importabat. Ut hoc argumentum, quod nullam in contrarium reſponſionem admittit, diluatur, ſupponunt Adverſarii duo.

15. Primùm Sereniſſimum Principem Clementem de Bavaria nondum revera proviſum eſſe de Eccleſiis Ratisbonenſi, & Friſingenſi, quia per Brevia Apoſtolica non poteſt illas Eccleſias regere, & gubernare, quouſque ætatem legitimam attigerit, ut poſſit conſecrari.

16. Secundum, Confirmationem Electionis non poſſe Regimen Eccleſiæ Colonienſis importare ante conſecrationem.

17. Ut fallacia hujuſmodi Argumentationis detegatur, obſervandum ex primo ſequi abſurdum. Nam ſequeretur, verba appoſita in Brevi Apoſtolico, ſuperflua omninò evadenda, quod ne quidem conjicere licet in Brevibus, & Diſpenſationibus Apoſtolicis, in quibus omnia verba ſunt exactè ponderanda.

18. Non eſt præſentis Inſtituti inquirere de modo quo proviſus fuit Sereniſs. Princ. Clemens de Bavaria de Eccleſiis Ratisbonenſi, & Friſingenſi, ſed conſtat ad earum dimiſſionem coarctatum fuiſſe, eo ipſo quo contingeret ipſum præfici uni è tribus Eccleſiis, ad quas Indultum Eligibilitatis poterat extendi. Non curandum eſt itaque de modo, quo Eccleſias Ratisbonenſem, & Frinſingenſem obtinebat, cùm ille modus non ſpectet ad vacationem, quæ contingebat in eum ipſum modum quo poterat eas poſſidere. Itaque ſufficit, ut vacatio earumdem inducta, & præcepta fuerit à Summo Pontifice, ſtatim atque adeptus fuiſſet unam è tribus Eccleſiis.

19. Quoad ſecundum Argumentum, ſatis ex præcedenti Memoriali ſuper Eligibilitate, oſtenſum fuit, electum confirmatum poſſe adminiſtrare ea quæ ſunt Juriſdictionis, non verò ea quæ ſunt ordinis, quæ differri debent in tempus conſecrationis.

20. Demonſtratum eſt autem, Regimen, & adminiſtrationem Eccleſiæ Colo-

lo-

lonienſis etiam in ſpiritualibus commiſſam fuiſſe Sereniſſimo Principi Clementi de Bavaria, ſtatim atque confirmatus fuit: & licèt ipſi Coadminiſtrator ſuffectus fuerit, non deſinit tamen in ſolidum eſſe verus adminiſtrator, & Rector Eccleſiæ; undè cùm in prima parte diſpoſitionis Brevis confirmationis Regimen Sereniſſimo Principi conceſſum fuerit, ex hoc inſequitur, quòd in ultima diſpoſitione ejuſdem Brevis, adeptio regiminis, & adminiſtrationis debeat ſubintelligi in eum modum, quo in prima parte diſpoſitionis conceſſum fuerat, itaut poſtquam Sereniſſimus Electus confirmatus, actu, & de facto poſſeſſionem cœpit Eccleſiæ Colonien. conditio vacationis Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. adimpleri debuerit, & illa non adimpleta effectus Brevis eligibilitatis quoad Eccleſiam Leodien. omninò evanuerit.

21. Fruſtrà adducunt Adverſarii *cap. cùm in cunctis*, *§. cùm verò*, *& cap. commiſſa De Electione*, *& Electi poteſtate*, nam quoad argumentum deductum ex *cap. cùm in cunctis De Electione*, *& Electi poteſtate*, non poteſt adaptari in caſu diſpenſationis, quia cùm ſit tempus determinatum à jure, intrà quod electus confirmatus debeat conſecrari ſi ſit in mora petendi conſecrationem, non ſolùm beneficia incompatibilia vacant, ſed etiam prælatura, ad quam electus, & confirmatus fuit, poteſt privari, ut notat *Gloſſ. eodem cap. in verbo tempore*: & idcircò cùm brevis ſit mora à jure ſtatuta, non debet præcipitanter de aliis Eccleſiis ſpoliari intra tempus, quod ipſi indultum eſt ad conſecrationem.

22. Sed quando agitur de diſpenſato, cùm per electionem, & confirmationem quis verè factus fuerit Rector Eccleſiæ, quia, ut inquiunt Canoniſtæ, tunc Matrimonium ſpirituale initiatum per electionem, ratum habetur à Superiore, hinc contingit debere non differri vacationem aliarum Eccleſiarum in tempus conſecrationis, ſi debeat vi diſpenſationis differri in tempus longius, & ulterius, quàm quod à canonibus præſcriptum fuit, niſi ſpecialiter à Summo Pontifice confirmante, retentio Eccleſiarum incompatibilium indulta fuerit uſque ad illud tempus quo conſecratio poterit legitimè fieri, ſed tantùm abeſt, ut ſanctæ memoriæ Innocentii XI. differre voluerit vacationem Eccleſiarum Ratisbonen. & Friſingen. uſque ad tempus conſecrationis Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria, ut è contra expreſsè notaverit in ſuo Brevi confirmationis, quod reaſſumendum eſt, ſe velle ut præfatæ Eccleſiæ vacarent, ſtatim atque adeptus fuiſſet Sereniſſimus Princeps poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiæ Colonien. quam concedebat in eodem Brevi, nec differre intendebat ejuſmodi vacationem ipſo facto in tempus conſecrationis. Undè cùm non ſolùm jure communi, ſed etiam jure ſpeciali, & providentia ſingulari Summi Pontificis hæc vacatio ordinata fuerit, ſequitur nullatenùs contra terminum ipſius Brevis Apoſtolici potuiſſe differri in aliud tempus, de quo nullam mentionem fecit Summus Pontifex.

23. Suffragatur etiam huic concluſioni *caput commiſſa De Electione*, *& electi poteſtate in 6.* in quo ſtatuitur, annum, qui conceditur illi cui commiſſa eſt Parochialis Eccleſia, incipere currere à tempore, quo ipſius Eccleſiæ Regimen commiſſum extitit, & poſſeſſio pacifica habita; nam in hoc *cap. tempus ſemper determinatum* reperitur à jure, & etiam Regimen, & poſſeſſio non ſupponit capacitatem omnimodam in exercendis omnibus actibus, qui Curam Animarum reſpiciunt, & *gloſſ. in verbo pacificam eodem cap. explicat* quomodo quis ex vi ſolius tituli, etiam ante promotionem ad Sacerdotium, quæ in an-

num

num differri poteſt, *debet tamen haberi Rector, & pacificus Poſſeſſor Eccleſiæ,*
puta ſi ipſi nulla lis, aut controverſia moveatur ſuper titulo beneficii; quia cùm
litis eventus ſit dubius, poſſet perdere Eccleſiam, & ſic in Presbyterum, ordina-
tus abſque beneficio, mendicaret, ſed ſtatim ſubjungit *Gloſſa, quòd ſtatim, at-*
que quis poſſeſſionem habuit aliquandiù ſine litigio, hac conſtitutione arctetur,
quia ſufficit, quòd ſemel cœpit pacificè poſſidere, ex quibus verbis ſatis innuitur,
Sereniſſimum Principem Clementem de Bavaria arctatum fuiſſe ad dimitten-
dum Eccleſias Ratisbonen. & Friſingen. nec non earum vacationem inductam
fuiſſe eo ipſo quo poſſeſſionem accepit Eccleſiæ Colonien.

24. *Gloſſ. in eodem cap. notat*, quòd advertendum eſt, *quòd ſi quis habeat*
Eccleſiam cum diſpenſatione, ſcilicet, quia nondum attigit legitimam ætatem,
ut eam poſſit obtinere, licèt non currat annus quoad promotionem ad Sacerdo-
tium, tamen ſemper debet ſe facere promoveri ad illum ordinem, quem ætas ſua
patitur, quæ quidem nota reſpondet objectioni factæ ab adverſariis, qui con-
tendunt Sereniſſimum Principem Clementem de Bavaria diſpenſatum ſuper
defectu ætatis ad obtinendum Archiepiſcopatum Colonien. non obligatum
fuiſſe ſe facere ſaltèm promoveri ad illum ordinem, quem ſua ætas patitur:
deindè notatum fuit in Memoriali ſuper Eligibilitate in hoc ſaltèm deluſam
fuiſſe ſpem Summi Pontificis, qui talem diſpenſationem non conceſſit, niſi ſub
ſpe, quòd Sereniſſimus Princeps ſe miniſteriis Eccleſiaſticis addiceret, ubi pri-
mùm per ætatem ipſi liceret.

25. Ex præmiſſis innuitur, Sereniſſimum Principem Clementem de Bava-
ria ſine ulla valida diſpenſatione retinuiſſe Eccleſias Ratisbonen. & Friſingen.
ex quo ſecundùm communem Doctorum ſententiam ineligibilis prorsùs ad
Eccleſiam Leodien. factus fuit.

26. Nunc ſi vota Capitularium, & eligentium conferantur, certum eſt
ſchiſma exortum eſſe in Eccleſia Leodien. & ſi conferantur inter ſe ratione
zeli ad zelum, meriti ad meritum, ſtant à partibus opponentium 24. Canoni-
ci, in quorum numero ſtat Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius Epiſcopus Al-
banen. Præpoſitus major Eccleſiæ Leodien. & primaria dignitas ejuſdem Eccle-
ſiæ: ſtat etiam Decanus, & Præſes Capituli, ſtat Archidiaconus de Surlet, &
multi pietate, & doctrina inſignes, necnon Battoldus de Vanſul officialis Ca-
pituli Leodien. & Comes de Rechen, qui etiam contemptus fuit: poſſet etiam
inter illos enumerari Eminentiſſimus Cardinalis de Furſtembergh, qui con-
temptus fuit, & rejectus à voto ferendo etiam per Procuratorem.

27. Nulla fiet injuria illis Canonicis, qui vota ſua tulerunt in favorem
Seren. Princ. de Bavaria, ſi advertatur, pleroſque inter ipſos nondum ad Sacerdo-
tium promotos eſſe, & inter ipſos D. Tabolet promotus fuit ad Subdiacona-
tus ordinem poſt mortem nuperrimi Principis, & Epiſcopi Leodien. ſub titu-
lo Beneficii in Archiepiſcopatu Colonien. ſiti, quod ipſi ad hoc procuratum
fuit à Sereniſſimo Principe Clemente de Bavaria, quod quidem inducit capta-
tionem voti ante Electionem: inter illos etiam inveniuntur quatuor cogno-
minati Liboy, quorum primus, qui eſt Pater trium aliorum Canonicorum,
votum non tulit, niſi per Procuratorem, licèt in Civitate Leodien. conſtitutus
reperiretur: & licèt non admittantur ex Concilio Lateranen. ad votum feren-
dum in electione per Procuratorem, niſi qui ſunt abſentes è loco ubi electio
celebratur: fruſtra autem objicitur admiſſum eſſe communi ſuffragio Capitu-
li,

li', quia in Electionis confirmatione coram Superiore non poteſt ſuppleri defectus ex conſenſu prævio Capitularium, ſed debet omnium fides fieri; deberet itaque adduci inſtrumentum procuræ Petri Ludovici Roſſii de Liboy, ut inuoteſceret de cauſa juſti impedimenti, & etiam poſſet inquiri de validitate hujuſmodi Inſtrumenti, puta ſi juramentum præſtiterit de legitimo impedimento, prout jura ſtatuunt; ſaltèm reſpectu Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, qui præſens non fuit ad admiſſionem hujuſmodi procuratorii, res eſt in integro, & debet doceri de hoc mandato priuſquam confirmari poſſit electio.

28. Poſſet etiam ſubjungi, quatuor Canonicos, quorum unus eſt Pater, & alii ſunt fratres germani, qui votum ſuum dederunt in favorem ejuſdem perſonæ, omninò eſſe ſuſpectos, cùm plerumque in judiciis vota proximorum, propter ipſorum inter ſe conjunctionem, non numerentur, niſi pro uno.

29. Quantum ad votum junioris Baronis de Surlet, jam probatum eſt violenter adactum fuiſſe, ut votum ſuum ferret in favorem Sereniſſimi Principis de Bavaria: & inſuper notatum fuit in præcedenti memoriali reaſſumendo in ipſius atteſtatione, quæ in primo *Summario* Adverſariorum adducta fuit, exſurgere plenam, & indubitatam probationem de ſciſſura, & diſcordia Capitularium, patefacta etiam ante ſcrutinium, & ipſummet tractatum Electionis, quod poſſet ſufficere ad electionem infirmandam.

30. Sed ſi habeatur ratio zeli, quo zelo ducti fuerint Canonici Leodienſes, non videtur; ſi habeatur ratio boni communis Eccleſiæ Leodien. imò conſtat ad votum ſuum ferendum invitatos fuiſſe certis legibus, & pactionibus præviis Electioni, quæ pleræque ſimonìa infectæ videntur, & omninò libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ adverſantur.

31. Si nunc reflectatur ad ipſummet inſtrumentum Electionis, patet de diſcordia ſuborta inter Præſidem Capituli, & 21. Capitulares contrà alios 24.

32. Si Statuta attendantur, in illis expreſsè cavetur, quòd ſpectet ad Decanum, & Præſidem Capituli differre in alium diem deliberationem, quæ occurrit facienda ſuper re ardua, & alicujus momenti, ut maturiori examine poſſit librari; at quænam res magis ardua poteſt videri, quàm diſquiſitio Brevis eligibilitatis, ex qua pendere videbatur forma ipſa electionis faciendæ? & nonne maturiori judicio expendenda videbatur res tanti momenti, undè dilatio pronunciata à Decano, & Præſide Capituli, cui etiam adhærebant 21. Canonici, non debet iniqua, aut moratoria judicari, nec in ipſius præjudicium, & ſaltèm ſine præviis monitionibus de redeundo in Capitulum, prout *Gloſſ. innuit in cap. cùm nobis De Electione, & electi poteſtate?* non poterat ulteriùs hac ſaltèm die, quæ dimidia, & ampliùs elapſa fuerat, ad Electionem ab aliis procedi, cùm recedentes Canonici nullatenùs ſe fecerint alienos ab Electione facienda, quia proteſtabantur ſe ipſi intereſſe velle, cùm non inſtarent, niſi de termino competenti.

33. Faſtidioſum ſanè eſſet poſt tot, & tantas ſcripturas, adducere omnium Doctorum ſententias, qui non ſolùm in hoc caſu duas tertias partes è tribus requirunt, ſed ſufficit notare in hoc caſu ſaltèm majorem cum ſaniori parte debere concurrere: itaut quando agitur de bono communi, & commodo Eccleſiæ, debeat ſanior illa pars haberi, quæ maturiori judicio rem arduam vult perpendere, præcipuè cùm ex dilatione in unum diem nullum diſpendium poſſet Eccleſiæ contingere, ut in præſenti caſu, quia tunc prævalet diſſenſus aliorum

conſenſui cæterorum, ut inquit *Papinianus l. ſunt perſonæ, ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum*; quia tunc prohibentes propter publicam utilitatem ſunt magis audiendi, nam ſumma eſt ratio, ut inquit idem *Papinian. quæ pro Religione facit*; undè cùm agitur de aliqua oppoſitione facta à Capitularibus, niſi omninò frivola videatur, non poteſt contemni, & ſi contemnatur, debet apud Judicem Superiorem exaudiri, & illud omninò irritari, quod feſtinanter, & præcipitanter ſtatutum fuerit.

34. Præcedentia etiam memorialia ſuper Ineligibilitate reaſſumenda.

GASPARIS

GASPARIS TURCHI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO JURIS, ET FACTI

Super contemptu.

1. POſt obitum clar.mem.Joannis Baronis de Helderen. Epiſcopi, & Principis Leodien. Eminentiſſimus D.Cardinalis Bullionius Præpoſitus Major Cuſtos, ſeu Theſaurarius, & Canonicus dictæ Eccleſiæ, ut futuræ Electioni, ratione ſui Officii, & Dignitatis, aſſiſtere poſſet, in menſe Februarii præteriti ſe contulit ad Civitatem Huyenſem Diœceſis Leodien. cūque ob militares Copias Principum fœderatorum, quibus Civitas Leodien. occupata reperitur, ad illam ſibi liber non pateret acceſſus, pluribus his requiſivit, ut Salvus-conductus nomine Capituli expediretur, proteſtans ſolo famulatu ſtipatum ad dictam Civitatem acceſſurum, ibi moraturum ad negocium Electionis futuri Epiſcopi, & Principis, pro communi bono Eccleſiæ, & Patriæ Leodien. pertractandum; Verùm in Epiſtola diei 11. Martii præteriti, reſponſum eſt, non poſſe Eminentiſſimum D. Cardinalem ad Electionem vocari, utpotè Jus ſuffragii, ſeu vocis activæ non habente, tamquam Foraneum, ex quo in Feſto S. Ægidii ſe in Capitulo non præſentaverit, & per ſex menſes non reſederit, ad formam Statutorum Eccleſiæ Leodien. ut latiùs in *Summ. num.* 1.

2. Quamvis autem D. Cardinalis die 18. ejuſdem menſis petiiſſet modico temporis ſpatio apud Capitulum audiri, vel ad eumdem effectum aliquos ex Canonicis ad Civitatem Huyenſem, cum omnimoda ſecuritate illis præſtanda, deputari, facilè demonſtraturus, nullatenus vigore dictorum Statutorum voce activa privari poſſe. *Summ. num.*2. cuncta tamen fuerunt ſub iiſdem prætextibus denegata, addito quòd Paſſa-portus, vel alterius cujuſvis ſecuritatis procuratio, Capitulo non incumbebat, nec in ejus erat poteſtate. *Summ. num.* 3.

3. Rurſus D.Cardinalis, impetratis à Rege Chriſtianiſſimo omnibus poſſibilibus ſecuritatibus, & induciis per remotionem Copiarum militarium, hinc-indè ditione Leodien. facien. ut Electio liberè peragi potuiſſet, illiſque ad Capitulum tranſmiſſis cum particulari Epiſtola diei 30. Martii, qua etiam demonſtratur aliàs Capitulum non verſari in ſua libertate, eique patentem fieri coactionem, ut in *Summ. num.* 4. nihilominus in reſponſivis literis die 7. Aprilis Capitulum repetiit E. S. in futura Electione ſuffragium dare non poſſe, *nec ad illam eſſe convocandum, prout in Decreto promulgato ſuper ejus foraneitate die* 27. *Februarii præteriti*, in eiſdem literis inſerto: ac propterea inutilem fore Salvi-conducti tranſmiſſionem, quæ procurari non poſſet ſine præcedenti recognitione competentiæ voti: ac in omnem caſum prius, pro conſequenda debita ſecuritate, eſſe a fœderatis Principibus obtinen. Cæterum non prodeſſe oblationem Regis Chriſtianiſſimi ad futuram Electionis libertatem, qua ſe ple-

pleniſſimè potiri declaravit, ut in *Summario num.* 5.

4. Cùm ergo Dominus Cardinalis ſatis recognoſceret, ipſū indebitè prorsùs contemni, quamvis eſſet de gremio Capituli à 37. annis citrà, & primam poſt Epiſcopum dignitatem obtineret, & data opera dictum Decretum occultatum fuiſſe, ſibi in limine faciendæ Electionis dicta die 7. Aprilis dumtaxat notificatum, ne muneri ſuo deeſſet, Dignitatiſque Cardinalitiæ contemptum diſſimularet, & proteſtationibus ex nunc prout ex tunc, & quando Electio ſecuta fuiſſet, tàm ab illa, quàm ab aſſertis Statutis, & Decreto foraneitatis, ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ejuſque Sanctam Sedem Apoſtolicam appellavit, ac de nullitate dictæ futuræ Electionis, omniumque actorum indè ſecutorum, & inſequen. ſolemnitèr oppoſuit, ut latiùs in *Summ.num.*6.

5. Utque magis, magiſque zelus, & eximia pietas Domini Cardinalis erga Eccleſiam Leodien. pro libera, & concordi Electione Epiſcopi elueeſceret, in binis ultimis literis die 10.& 12. Aprilis ſcriptis, non ſolùm dictam appellationem Capitulo notificavit, verùm etiam deindè omnimodam ex parte Regis Chriſtianiſſimi ſpopondit ſecuritatem, & armorum obligationem, quatenus in Civitate Huyenſi vicina ad Electionem procederetur, vel ſaltem, ut aliqui ex Dominis Canonicis ad ejus inſtantias audiendas deputarentur. *Summario num.*7. quibus reſponderunt Canonici, quòd cùm E.S. juxta Statuta, & Conſuetudines Eccleſiæ Leodien. Jus ſuffragii non haberet, appellatio Electionem retardare non poterat, ut in *Summ.num.*8.

6. Ac die 14. præfati menſis Aprilis, renovata prædicta ſolemni Appellatione, idem Eminentiſſimus Dominus Cardinalis petiit, & obtinuit à Reverendiſſimo Miniſtro Generali Ordinis Sanctæ Crucis, & à Decano Eccleſiæ Beatæ Virginis Huyen. in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, dimiſſorias literas, ſeu reſponſiones de Apoſtolis pro admiſſione dictæ Appellationis. *Summ. num.* 9. Cùmque Capitulum reſcripſiſſet, ſe velle procedere ad futuram electionem d. appellatione non obſtan. die 16. menſis Aprilis Dominus Cardinalis renovavit appellationem à tali decreto, tanquam attentato in contemptum Sedis Apoſtolicæ, ad quam fuerat appellatum. *Summ.num.* 10.

7. His tamen omnibus poſthabitis, & cum nimis aperto contemptu Domini Cardinalis, & Appellationum, ut ſuprà, ad Sanctam Sedem interpoſitarum, die 20. Aprilis præteriti, Canonici ſe congregarunt pro electione facienda; ſed orto inter eos diſſidio tàm ſuper electione Scrutatoris Senioris, quàm ſuper examine, & ſubſiſtentia Brevis Eligibilitatis Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis à Bavaria: ae petente Decano differri negocium electionis ad aliam diē, quia major pars abnuit, & pro valido d. Breve declaravit, hinc Decanus, & *alii* 21. *Canonici, proteſtantes de nullitate quorumcumque* circa electionem gerendorum, à Capitulo receſſerunt. Cæteri autem 24. Canonici remanentes, ad ulteriora procedentes, elegerunt in Epiſcopum, & Principem Leodien. d. Sereniſſimum Principem Joſephum-Clementem. *Summ.num.* 11. quo audito, Dominus Cardinalis Bullionius ſtatim ipſa die 20. Aprilis appellationem ad Sanctiſſimum renovavit. *Summ.num.* 12.

8. Die autem ſequenti 21. Aprilis *Dominus Decanus cum* 21. *Canonicis*, impugnata dicta prima electione, pluribuſque ejus nullitatibus expoſitis, & præſertìm violenta retentione, *& extorſione Voti Franciſci-Joannis-Erneſti Baronis Junioris de Surlet*, elegerunt Sereniſſimum Principem Neoburgicum

Or-

Ordinis Theutonici M. Magiſtrum. *Summ. num.* 13. qua electione quoque intellecta, D. Cardinalis, præceden. Appellationibus inhærendo, denuò ad S. Sedem appellavit, ut in *Summ. num.* 14.

9. Diem poſt hæc clauſit extremum Sereniſſimus Princeps Neoburgicus: & quamvis nullitas utriuſque Electionis ex ipſo facto, & ſcriptura Canonicorum ſatis evidens detegatur, adhuc tamen pro parte Sereniſſimi Principis Joſephi-Clementis petitur dictæ ſuæ primæ Electionis confirmatio; At etiam ad inſtantiam Eminentiſſimi Domini Cardinalis Bullioni, Principalis noſtri, talis Electio videtur omninò annullanda ex irrefragabili fundamento, quod nimirum prædictus Eminentiſſimus Cardinalis Præpoſitus, & Canonicus Eccleſiæ Leodien. & ſic Primarius Capitularis, vocem habens in electione facienda, nedum vocatus non fuit, ſed quamvis pluries inſteterit ad Capitulum admitti, cum manifeſto contemptu, & injuria ſemper fuit rejectus, ut patet ex actibus in Summario recenſitis. Undè intrat recepta Sacrorum Canonum diſpoſitio, ut *ſpretus unius ad electionem vocandi*, iſto comparente, & ſe confirmationi opponente, vitiet ſecutam electionem, quæ proindè irritari debet. *text. in cap. coram in Geneſi, & cap. quodſicut, ibique Canoniſtæ communiter De elect. Barboſ. vot. deciſ.* 47. *nù.* 174. *Cardin. de Luca De Canon. & Cap. diſc.* 27. *num.* 13. *&* 14. cum aliis allegatis per *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *num.* 119. *& ſeqq.* Quamvis Perſona Electi quacumque dignitate, & excellentia præditus ſit, cùm ſemper ſtante alterius contemptu, de juſtitia Electio annullari debeat, per *Text. in cap. bon. mem.* 36. *De election.* ibi: *Electionem autem Archipresbyteri (quamvis laudabile Teſtimonium perbibeatur de ipſo) juſtitia exigente caſſavimus, &c.*

10. Non obſtat unica exceptio in ſupradictis Actibus à Capitulo adverſus Eminentiſſimum Dominum Cardinalem oppoſita, quòd nimirum E. S. ad formam Statutorum Eccleſiæ Leodien. non ſe præſentavit in Capitulo in Feſto Sancti Ægidii poſteà reſidendo *evaſerit foraneus vocem non habens*, prout talis ab eodem Capitulo declaratus fuit die 27. Februarii præteriti, indeque ad electionem vocandum non fuiſſe.

11. Etenim ad frivolum hunc prætextum tollendum ſatis eſſet recepta in hac materia concluſio, quòd ſcilicet cùm agitur de facienda electione, nec cenſuræ, nec alii prætenſi defectus vocalibus objecti, ex quibus reſultare valeat votandi incapacitas curantur, nec admittuntur in tali actu, ſed hujuſmodi cognitio ad aliud tempus referenda eſt. *Barboſ. d. vot.* 47. *num.* 183. *& ſeqq.* ubi punctualiter firmat, decretum ſuper privatione vocis contra aliquem ex vocalibus, non ſervato Juris ordine factum, non eſſe attenden. benè *Cardin. de Luca De Canon. & Cap. d. diſcurſ.* 27. *num.* 19. *&* 20. Præſertìm quia Dominus Cardinalis ſtatim habita notitia dictæ aſſertæ privationis nulliter, & indebitè decretæ, appellavit ad Sanctiſſimum. *d. Summ. num.* 6. qua appellatione pendente adhuc poterat eligere, nec propterea ab electione repelli debuit, ut in terminis firmat *Paſſerin. de elect. cap.* 10. *num.* 128.

12. Cùmque dicta appellatio fuerit pluries ſucceſſivè renovata, & Capitulo notificata cum reiteratis proteſtationibus, ne quidquam innovaretur in ſpretum appellationum hujuſmodi, utique omnia poſteà per Capitulum geſta cum ſubſecuta prætenſa electione manifeſto nullitatis, & attentati vitio ſubjecta dignoſcuntur. *tot. tit. nihil innovetur appellat. pend.* & in terminis, quòd appellatio, etiam extrajudicialis interpoſita ab actu præambulo declaratæ inhabi-

bilitatis, & ſimul à nullitate electionis futuræ reddat ſubſecutam electionem nullam, itaùt tanquam attentata ſit in primis revocanda, dum (ut infrà probatur) talis appellatio remanet juſtificata. latè *Paſſerin. de elect. cap. 37. num. 8. junctis num. 24. uſque ad 27. Rota coram ſan. mem. Alexandr. VIII. deciſ. 29. nu. 51. uſque ad 56.*

13. Plenè autem noſtra appellatio, & ſic irrationabilitas declaratæ foraneitatis remanent juſtificatæ, advertendo, quòd ſecundùm mentem, & formam dictorum Statutorum ille verè, & propriè dicitur foraneus, qui primam reſidentiam numquam fecit, ut patet ex titulo de prima reſidentia, & titulo de foraneo, de quibus in *Summario ex adverſo dato ſuper oppoſitionibus d. Summ. litt. E. & M.* Cùmque non controvertatur D. Cardinalem jamdiù dictæ primæ reſidentiæ ſatisfeciſſe, in hoc non eſt immorandum.

14. Quo verò ad alium titulū de ſecunda reſidentia, Capitulū proceſſit cū ſuppoſito, quòd Statuta declarent foraneos eos, qui in diē Sancti Ægidii Capitulo ſe non præſentaverint, vel ſi ſe præſentaverint, eo anno per ſex menſes, & unam diem non reſederint, ut ex Epiſtola ſcripta Domino Cardinali. *noſtro Summario dicto num. 1.* Verùm ex lectura dictorum Statutorum hoc ſuppoſitum detegitur inſubſiſtens, & erroneū: ſiquidem *in d. tit. de ſecunda reſidentia* primo loco cavetur, quòd quicumque facta prima reſidentia volet ſecundam aggredi, & fructus percipere, debeat in Feſto Sancti Ægidii in Capitulo ſe exhibere, & ſi fortè anno præcedenti non reſederit, ſe expreſſis verbis ad reſidentiam offerre, nulla exceptione ſuffragante, niſi graviſſimæ infirmitatis, aut abſentiæ pro negociis Capituli.

15. Secundò, item qui in feſto Sancti Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit.

16. Tertiò demùm, quòd quicumque in dicto feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, vel præſentaverit, reſideat eo anno per ſex menſes integros, & unam diem, alioquin pro foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus ſuos faciat, quin etiam receptos reſtituere teneatur, nec abſentia gratioſa illi concedatur, & ſi eum mori interim contingat non habeat Annum gratiæ, ut in *Summ. num. 14.*

17. Patet ergo ad literam, quòd dicta Statuta nullibi declarant foraneos eos, qui in feſto Sancti Ægidii ſe in Capitulo non præſentaverint, ſed ſolùm diſponunt de eo, qui volet explere ſecundam reſidentiam, ut fructus lucretur, & alia privilegia gratioſa ibi enunciata conſequatur, qui proptereà debebit ſe præſentare in feſto Sancti Ægidii, & ad prædictam reſidentiam ſe offerre, quam ſi poſtea non expleverit habeatur pro foraneo, fructuſque non lucretur, nec gratioſa abſentia, & Anno gratiæ gaudere poſſit. Cùm autem hæc omnia diſpoſita ſint reſpectu Canonicorum volentium ſe offerre ad ſecundam reſidentiam peragen. & lucrandos fructus, & ſic in illis, qui voluntariè inſtant admitti ad dictam ſecundam reſidentiam, quam deindè non adimplent, ut ſunt perſpicua verba. ibi: *Quicumque volet reſidere, & fructus facere*, & ibi: *Quicumque in dicto Feſto Beati Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit*, quæ important facultatem, & arbitrium ſe præſentandi in feſto Sancti Ægidii, non autem neceſſitatem, utique applicari nequeunt D. Cardin. Bulliono, aliiſque Canonicis, qui non petierunt, nec ſe præſentarunt, aut exhibuerunt ad ſecundam reſidentiam, ut fructus lucrarentur.

18. Et

18. Et dum verſamur in Statuto pœnali, & odioſo, debet ſanè reſtringi ad caſum literalem Canonici volentis, & inſtantis advocari ad ſecundam reſidentiam pro lucrandis fructibus, de quo loquitur, non autem extendi ad Canonicum, qui peracta prima neceſſaria reſidentia, nullatenus dici valet foraneus; nam etiam de Jure ille, qui non reſidet, privatur temporaliter fructibus, prout etiam ille, qui eſt ſuſpenſus à Beneficio, non autem jure præſtandi Votum in Capitulo, & maximè in electionibus. *Gloſſ. in cap. cùm Vintonien. verbo admiſerant.* ibi: *Et licèt iſti ſint ſuſpenſi à Beneficio, non impediuntur eligere*, quia talis ſuſpenſio non repellit ab electione, nec etiam à Divinis Officiis; Undè omnia negocia, tàm ſpiritualia, quàm temporalia poſſunt exercere, &c. & firmant adducti per *Paſſerin. de elect. cap.* 10. *nu.* 91.

19. Supplicando caveri ab aſſumpto exadverſo malè inſinuato, quòd ſecunda reſidentia ſit requiſitum pro faciendis fructibus, & habenda voce neceſſarium; nam licèt id ſit verum pro conſequendis fructibus, falſiſſimum tamen eſt quoad habend. vocem, dum Statutum hoc non dicit, ſed Pars adverſa id gratis figurat. Votum enim, ut diximus, ut annexum Canoniæ, nec Canonicus ille privatur, ex quo aliquo anni tempore non comparet in Capitulo, aut reſidet, ut ſuprà probavimus.

20. Confirmatur hæc irrefragabilis veritas, ponderando, quòd idem Statutum illis, qui ſe ad ſecundam reſidentiam non præſentaverint negat conceſſionem gratioſæ abſentiæ. *Summ. d. nu.* 14. *& Summ.* exadverſo dato ſuper oppoſitionibus *num.* 1. *litt. H.* Item qui in feſto S. Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit, dum ergo ſtatutum in hoc loco uti præcisè loquitur de illis, qui ſe non præſentant in feſto S. Ægidii ad reſidentiam, imponit ſolam pœnam amiſſionis gratioſæ abſentiæ, quomodo Pars adverſa proprio marte contra omnes juris regulas vult addere pœnam foraneitatis, quæ ſolùm inflicta legitur illis, qui voluntariè ſe offerunt dictæ ſecundæ reſidentiæ, quam ſucceſſivè non perficiunt, ut ſupra probavimus? ſanè ex hoc ſolo motivo benè perpenſæ ſtatutariæ diſpoſitionis corruit tota machina prætenſæ foraneitatis exadverſo adinventa.

21. Nec neceſſitas ſe repræſentandi quotannis in feſto S. Ægidii benè arguitur, ex quo Eminentiſſimus Bullionus per plures retrò annos mediante Conſtitutione dictũ actum repræſentationis expleverit, quia dum ex littera ſtatuti conſtat hujuſmodi actus eſſe merè facultativos, etiamſi millies præſtiti forent, numquam dici poſſunt emanati ex neceſſitate, ſed ſolùm ex titulo voluntario, & propterea nullum præjudicium Eminentiſſimo Domino Cardinali ex illis illatum fuit, ut per *Panormit. in cap. Abbate nu.* 10. *De verb. ſignif. Rot. deciſ.* 541. *num.* 9. *apud Porlium De manut.* cum aliis vulgaribus.

22. At quia nuper animadvertimus, quòd Pars adverſa in manibus Illuſtriſs. Secretarii nullam dedit copiam, aut ſumptum publicum prædictorũ Statutorum, ſed ſolùm quamdam particulam ſub titulo de ſecunda reſidentia, ubi dicitur extractam à Schepers Secretario Capituli, in qua deficit dicta eſſentialis pars, diſponens de illo, *qui in feſto S. Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentavit*, quam tamen eadem Pars adverſa dedit in *d. ſuo Summ. impreſſ. nu.* 1. *litt. H.* & Capitulum tranſmiſit ad dictum Cardinalem in Epiſtola diei 11. Martii, ut noſtro *Summ. num.* 1. Ideò ſupplicamus injungi literas compulſoriales ad effectum confrontandi, ſeù extrahendi verum tenorem ex ſtatuto originali,

cùm

Google

cùm data opera dictum tranſumptum mutilatum videatur: quinimò totum ſtatutum videtur tranſumptandum, & neceſſariò producendum, dum in illo ſit exadverſo totum fundamentum foraneitatis, & excluſionis Domini Cardinalis à voto proferendo, nil relevante quòd dictus Cardinalis uti Canonicus habere debeat penès ſe copiam prædicti ſtatuti, ſic ordinatam in *tit. de prima reſidentia*, ut aſſeritur in *dicto Partis Summ. ſuper oppoſitionibus nu. 1.* quia præter quod ibi non præceptivè jubetur ſupradictis dicta copia, ſed ſi Canonicus volet illam ſibi comparare, ſat eſt dicere, quòd de tali ordinatione, & ſtatuto nõ conſtat, quia, ut dixi, Pars adverſa ſolum ſumptum *tit. 2. retin.* & quidem mutilatum exhibuit dicto Secret. ideò ſemper urget neceſſitas totum original Statuti compulſandi.

23. Præterea cùm jus votandi, ſeù voces activæ de jure ſit annexum Canoniæ, adeout eo ipſo quòd quis eſt receptus in Canonicum, & in Sacris Ordinibus conſtitutus poſſit votum proferre, nec ob non factam aliquam reſidentiam voce activa privetur, ſequitur quòd prædictum ſtatutum declarans Canonicos Foraneos, qui ſe offerentes ſecundæ reſidentiæ in feſto Sancti Ægidii illam non adimplent, uti juri contrarium, & exorbitans non ſit attendendum, cùm poſſit quidem Capitulum in concernentibus temporale intereſſe, & bonam adminiſtrationem particularia condere ſtatuta contra jus, vel tollere ea, quæ ipſi Canoniæ ſunt annexa, niſi à Sede Apoſtolica hujuſmodi ſtatuta fuerint approbata, ad *text. in cap. cùm acceſſiſſent 8. & cap. cùm Eccleſiæ 10. De conſtitut.* & in his terminis benè advertit *Card. de Luca De Canon. & Capit. diſc. 19. num. 18. & ſub num. 19. verſ. aut enim agitur*, ubi quòd nec Capitulum, nec Epiſcopus poſſunt contra prędicta ſtatuere, & *Rot. cor. ſan. me. Alex. VIII. deciſ. 202. num. 5. cum tribus ſeqq.*

24. Dum ergo hoc Statutum Capituli Leodien. à Summo Pontifice confirmatum non oſtenditur, fruſtra allegat. ad removendum Dominum Cardinalem à voto proferendo, & fortiùs ſemper urget, quòd Capitulum nullo modo potuit Dominum Cardinalem non citatum, nec auditum dicta voce privatum declarare, ad tradit. per *Paſſerin. de elect. Canon. cap. 3. num. 5. & ſeqq.* ubi quòd cùm jus eligendi ex Sacris Canonibus, & Pontificum conceſſionibus omnibus de Capitulo competat, privari nemo poteſt, niſi juris ordine ſervato.

25. Nil relevante quòd dicta ſtatuta, vel à Cardinalibus Legatis in Viſitatione fuerint confirmata, vel talis confirmatio Pontificia præſumatur ex lapſu pluſquam centum annorum; nam ſtatuta, de quibus agitur, non ſunt illa antiqua, tempore dictæ Viſitationis condita, ſed alia poſteà reformata ſub conditione futuræ confirmationis à Sede Apoſtolica impetrandæ, quæ numquam ſecuta fuit, nec exadverſo oſtenditur, ut advertitur in *d. deciſ. 202. num. 3. & 4. coram Ottbob.* Undè fruſtrà recurritur ad lapſum temporis, tum quia ad hunc effectum debet præciſè juſtificari longæva d. ſtatuti obſervantia in hac parte, in qua prætenditur, Canonicos ſeſe non repræſentantes in die Sancti Ægidii remanſiſſe voce activa privatos, de qua nec per umbram docetur; tum etiam quia iſta præſumpta confirmatio in forma communi non ſufficeret, dum agitur de ſtatuto contra jus, ſed requireretur in forma ſpecifica, ad tradita per *Card. de Luca De ſervit. diſc. 71. & jur. patr. diſc. 67. utrobique nu. 12. & de Regular. diſc. 41. num. 14.*

26. Minuſque urget, quòd dictorum ſtatutorum obſervantia fuerit à Domino

mino Cardinali jurata. Nam tale juramentum præſtitum intelligitur ſub conditione, quatenus talia ſtatuta licita ſint, & Eccleſiaſticæ libertati non contraria, ad *text. in cap. contingit* 10. *De jurejur. Rot. d. dec.* 202. *num.* 9. *&* 10. *coram ſa. me. Alex. VIII.* Cùmque jam demonſtratum fuerit, dictam privationem vocis activæ eſſe contra jus, & tollere libertatem Eccleſiaſticam, cùm de jure omnes Canonici votum in futuri Epiſcopi electione proferre poſſint, meritò dicti juramenti exceptio non eſt habenda in conſideratione.

27. Verùm omnis tollitur difficultas advertendo, quòd quando etiamſi Statuta Eccleſiæ Leodien. inducerent foraneitatem, & privationem vocis ob defectum comparitionis in feſto Sancti Ægidii (quod ſemper negatur) adhuc Statuta hujuſmodi nullatenus comprehenderent perſonam Eminentiſſimi Bullioni, Cardinalis honore fulgentis, tum ex manifeſto defectu Poteſtatis, dum, ut dixi, eadem Statuta non apparent à Sede Apoſtolica confirmata, tum etiam quia Eminentiſſimi Cardinales non comprehenduntur ſub Statutis, & legibus generalibus, præſertìm pœnalibus, & odioſis, niſi de illis fiat expreſſa mentio. *Roman. conſ.* 498. *per tot. Card. de Luc. diſc.* 23. *num.* 11. *in Miſcell. Eccleſ. plenè Capon. contr.* 24. *num.* 10. *cum ſeqq.*

28. Tum demum quia cùm Eminentiſſimi Cardinales ſint Conſiliarii, & pars corporis Papæ, ac reſidere teneantur in Curia Romana ad Regimen Eccleſiæ Univerſalis, exceptis Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus, quibus præfecti ſunt, certè in Dignitatibus, aut Beneficiis inferioribus, curam præſertìm Animarum annexam non haben. reſidere minimè tenentur, ad *Text. in extravag. unica De præbend.* ibi: *Cardinalibus tamen S. R. E. qui circa nos Univerſali Eccleſia ſerviendo ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impediunt, &c. dumtaxat exceptis, &c.* Et patet ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. ubi Cardinales ad reſidentiam in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus tantùm adſtringit: comprobatque quotidiana praxis, qua videmus Eminentiſſ. Cardinales Abbatiis, aliiſque inferioribus dignitatibus gaudere abſque onere reſidentiæ; eo ipſo namque, quòd reſident in Curia apud Papam, vel in alia ex dictis majoribus Eccleſiis, diſpenſati dicuntur quoad alia inferiora Beneficia. *Capon. d. controv.* 24. *num.* 15. *& ſeqq.*

29. Cæterum quævis diſputatio ceſſat ex facto; nam cùm uſque de anno 1675. Eminentiſſimus Cardinalis à Capitulo electus fuiſſet in Præpoſitum Cathedralis Leodien. quæ dignitas per unum ex dictæ Eccleſiæ Canonicis, unà cum Canonicatu, & Præbenda retineri conſuevit, quia ratione Dignitatis Cardinalitiæ, reſidentiam, & juramentum deſuper à Præpoſito præſtanda adimplere nequibat, ſa. me. Clemens X. ampliſſimè deſuper Eminentiam Suam diſpenſavit, ut latiùs in *Summ. num.* 15. non refragante, quòd cùm d. diſpenſatio conceſſa fuerit in qualitate Præpoſiti, ideò juvare nequeat *Dominus Cardinalis in qualitate Canonici obligati ſe præſentare in feſto Sancti Ægidii*. Quia cùm talis Dignitas Præpoſituræ collata fuerit Domino Cardinali uti Canonico. ibi: *Nos tibi Canonico dictæ Eccleſiæ Leodien. qui ut aſſeris à Capitulo, & Canonicis prædictis ad Præpoſituram hujuſmodi, &c. quæ in prædicta Eccleſia Dignitas poſt Pontificalem major exiſtit, ac per unum ex d. Eccleſiæ Canonicis etiam unà cum ſuis Canonicatu, & Præbenda obtineri conſuevit, &c. Apoſtolica auctoritate contulerimus, &c.* utique diſpenſatio à reſidentia perſonaliter indulta Domino Cardinali uti Præpoſito, & majorem Dignitatem gerenti, cen-

ſeri debet acceſſoriè eidem conceſſa uti Canonico. *Gloſſ.in cap. quia in tantum 5.verbo plures De præbend.*ibi: *Quia ex quo cùm eo diſpenſatur in Eccleſia,per conſequens in omnibus acceſſoriis diſpenſatur*; nam alias ſi uti Canonicus debuiſſet reſidere, & ſe præſentare in feſto S.Ægidii, jam deſtrueretur gratia diſpenſationis ſibi elargita uti Præpoſito, quod eſt manifeſtè abſurdum.

30. Cæterum etiam uti Canonicus D.Cardinalis erat à tali comparitione, & reſidentia diſpenſatus;cùm enim Eminentiſſimis Cardinalibus in ipſa aſſumptione ad Cardinalatum indulgeatur generalis retentio omnium,quæ obtinent præter vacabilia, ut eſt notorium *in fin. lit.A.* hinc fit,quòd cùm Dom. Cardinali conceſſa fuerit retentio Canonicatus,in neceſſariam conſequentiam remanſit diſpenſatus à quacumque perſonali præſentatione, aut reſidentia, quam ſalva dignitate Cardinalitia explere non poterat, ut etiam exprimitur in ſupradicto Brevi diſpenſationis in Præpoſitura; undè funditus ſublata remanet prætenſa exceptio foraneitatis, etiamſi D.Card.conſideret uti Canonicus.

31. Nec urget, quòd uti Canonicus, licèt Cardinalis poterat mediante mandato procuræ ſe in feſto Sancti Ægidii repræſentare, ut multis retrò annis obſervavit, quia prompta eſt reſponſio, quòd ſi Dominus Cardinalis erat à tali perſonali repræſentatione, & reſidentia diſpenſatus, nec etiam tenebatur illam per Procuratorem, aut litteras adimplere; actus verò hujuſmodi præſentationis alias facti, tamquam facultativi nihil præjudicant, ut ſuprà fuit probatum.

32. Patet igitur ex prædictis irrationabilem omninò fuiſſe exceptionem foraneitatis vigore dicti Statuti adverſus Dominum Cardinalem oppoſitam,ut propterea contemptus ejus Perſonæ inevitabilis undique convincatur ad irritandam ſecutam electionem,attentis maximè graviſſimis facti circumſtantiis, dum non obſtantibus tot reiteratis petitionibus, & inſtantiis ſemper denegata fuit audientia, ne Dom. Card. jura ſibi competentia deducere valeret.

33. Agnoſcit Pars adverſa inſubſiſtentiam prætenſæ foraneitatis, qua Capitulum perperam ſtuduit à ſuffragio ferendo Dominum Cardinalem excludere; ideò recurrit ad aliud figuratum impedimentum, quòd nimirum cùm E. S. eſſet Eleemoſynarius, ſive Miniſter Regis Chriſtianiſſimi non poterat ſine periculo recipi in Civitate, & Capitulo Leodien. ſtante bello, quod geritur inter prædictum Regem, & Principes Germaniæ, cum quibus dicta Civitas reperitur confœderata: addito etiam, quòd Dom. Cardinali obſtaret occupatio Caſtri Bullionis à Domino Duce ejus fratre detenti, vigore Capitulorum pacis Neomagenſis, quibus Epiſcopus, & Capitulum non conſenſerunt, imò contrarias proteſtationes emiſerunt.

34. Verùm utraque oppoſitio frivola prorsùs detegitur: & quidem prima corruit ex facto, advertendo primo loco, quòd Capitulum in omnibus ſuis litteris præciſè ſemper declaravit ſe excludere Dominum Cardinalem *ob inhabilitatem proferendi votum, uti foraneum, & ideò fruſtra ab eo peti Salvum-conductum, ob id minimè profuturum*; nunquam verò oppoſuit aliquod damnum, aut periculum, quod ei à Capitulo obvenire poſſet ex adventu Domini Cardinalis, ut patet ex *d. noſtro Summ.* dum autem ex ſuprà deductis apertiſſimè conſtat de inſubſiſtentia foraneitatis oppoſitæ, & quòd D. Cardinali injuſtè contempto Electio eſt irritanda, in vanum hodiè apud Sacr. Congregationem allegatur ſomniatum periculum, aut damnum, quod Capitulo advenìſſet ex admiſſione D.Cardinalis.

35. Se-

35. Secundò, quia Sede Epiſcopali vacante ſumma poteſtas circa temporalia, & gubernium Status Leodien. ſpectabat ad ipſum Capitulum, cui Præfectus Militum, & Officiales fœderatorum Principum juramentum fidelitatis præſtiterant, arceſque, & munitiones in manibus Decani, & Canonicorum permanebant, ut exadverſo admittitur in Informatione Facti ſuper Oppoſitionibus *numero 29. cum ſequentibus*; ideò cùm Capitulum haberet ad ſui diſpoſitionem, & poteſtatem Arma, & Gubernium Civitatis, inſubſiſtens reddebatur timor periculi, quod Dom. Cardinalis in Civitatem adventus cauſare potuiſſet, dum jam ipſe declaraverat ſe venire, & commorari velle ſolo famulatu domeſtico ſtipaturo.

36. Tertiò, quia conſtat, quòd Capitulum concedebat perſonis ſibi benè viſis Paſſa-portus, ſeù Salvos-conductus in eundo, & redeundo ad Civitatem Leodien. ut patet *ex litteris originalibus impreſſis datis Illuſtriſſimo Domino Secretario*: & ſpecialitèr Capitulum convocavit ad Electionem Canonicum Comitem de Poitiers, in ditione Regis Chriſtianiſſimi commorantem, & bona ibi poſſidentem, qui ad talem effectum ad Civitatem Huyen. acceſſerat, exprimendo, quia ipſe *non erat foraneus. Summ. num.* 16. & mediante publico Notario litteras convocatorias illi præſentare fecerunt, ut patet ex ejus relatione ad Capitulum tranſmiſſa. *d.num.*16. *litt.A.* & poſteà Paſſa-portum concedendo. *Summ. num.* 17. Igitur ſi dictum Comitem de Poitiers ſubditum prædicti Regis, qui ex cauſa Abbatiarum, & Beneficiorum, quæ poſſidet in Gallia, eidem Regi juramentum fidelitatis præſtitit, Capitulum promptè convocavit, & recepit, ex quo *ipſe non erat foraneus*, palàm eſt quòd non habebat ſcrupulum vocandi Dom. Cardinalem, quia eſſet Miniſter Regis, ſed quia illum foraneum declaraverat.

37. Et quidem gratis, & ſine fundamento probationis exadverſo jactatur, quòd ſtante Bello eſſent hinc indè proſcriptæ perſonæ ſubditæ, earumque bona, præſertìm verò Eccleſiaſticæ, cùm de jure perſonæ Eccleſiaſticæ, & bona Eccleſiarum uti conſtituen. partem diſtinctam à Republica Civili bellum gerente, hujuſmodi legibus non ſubjiciantur, *maximè inter Chriſtianiſſimos Principes*, ut advertit *Caren.reſolut.*1.*num.*54. *& ſeqq.* atque hinc eſt, quòd Dom. Cardinalis ſuos redditus Eccleſiæ Leodien. ſemper pacificè exegit, nec umquam de ejus perſona aliqua diffidentia habita, vel oppoſita fuit. Et quamvis modò objiciatur, quòd Dom. Cardinalis non ſe expoſuiſſet ingreſſui Civitatis Leodien. dum Capitulum Salvum-conductum dare non poterat, & procurandum à Cæſare ſcripſerat, non tamen *iſte indebitus prætextus excuſat*, *imò auget contemptum*, *& injuriam illatam Dom. Cardinali*; debuiſſet enim Capitulum partes ſuas prius adimplere illum convocando ad electionem, & dando Paſſa-portum aliis concedi ſolitum, ut practicaverat cum D. Co.de Poitiers, & tunc ſi D.Card.cum iſtis recapitis non potuiſſet advenire, Capitulum ritè, & rectè ſine interventu D.Card.ad electionem proceſſiſſet.

38. At quia Capitulum dolosè voluit D. Card. à voto ferendo in hac electione excludere, illum inhabilem, & foraneum declaravit, ut hoc modo poſſet nedum proprium Paſſa-portum, uti non profuturum, denegare, ſed quatenus opus fuiſſet hoc modo præcluderet etiam viam obtinendi ab aliis Principibus, qui videntes D. Card. declaratum incapacem voti, fruſtratorium paritèr Salvum-conductum non conceſſiſſent; Quapropter cùm utrobique appareat

aſſertum impedimentum, ſeu prætextum vigentis Belli eſſe prorsùs vanum, & inſubſiſtens, tam ex parte Capituli Electores vocare debentis, quàm ex parte Dom.Card.qui tamquam unus ex Electoribus erat vocandus, ſemper major, & inexcuſabilis reſultat ſpretus allatus Perſonæ D. Card. qui cum irritatione ſecutæ Electionis de indubitata juſtitia eſſet explandus.

39. Denique poterat omitti motivum prætenſæ occupationis Caſtri Bullioni, deſuper allegando *Conc.Trid.ſeſs.22. De Reform.cap.*11. pœnam excommunicationis inſligen. contra uſurpantes bona, juriſdictiones, fructuſque, & emolumenta Eccleſiarum, & Locorum Piorum. Quippè ſatis eſt reſpondere, quòd Caſtrum, & Ducatus Bullioni non poſſidetur à D.Card. undè inapplicabilis prorsùs eſt oppoſita illius occupatio: & quamvis d. Ducatus retineatur a D. Duce ejus fratre, extranei prorsùs ſunt termini occupationis plus æquo exadverſo exagerati, dum notorium eſt Ducatum prædictum fuiſſe penès præfatum Dom. Ducem relaxatum vigore pacis Neomagenſis, & ſic vigore tituli ab omnibus Chriſtianiſſimis Principibus approbati, qui propterea quamcumque exadverſo malè figuratam uſurpationem excludit, in præſenti cauſa non diſcutiendam.

GABRIELIS

GABRIELIS PHILIPPUCCII

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super contemptu.

1. IRritanda videtur Electio, quia certum eſt, quòd ad illam vocandi erant quotquot habebant jus eligendi, & exiſtebant de Capitulo. *cap.coram* 35. *& cap.quia propter* 42.*De elect. Paſſerin.de elect.cap.*11.*num.*33. *& ſeq.* maximè ſi commodè vocari potuiſſent, ut quia permanerent in Diœceſi, ac infrà Provinciam, & ſolummodò diſtarent duodecim, aut quindecim circitèr milliaribus, ut in caſu præſenti. *gloſſ.in d.cap. coram in verbo in Provincia De election. Rota coram Mantic.deciſ.*288.*num.*1.*& ſeqq.*

2. Quapropter dum Eminentiſs. D.Card. Bullionius, qui tamquam Præpoſitus, Cuſtos major, & Canonicus erat de gremio Capituli, & morabatur in loco proximo, non fuit vocatus, dicitur contemptus, ideoque ratione hujus contemptus poteſt de jure petere caſſationem, & annullationem præfatæ electionis; Siquidem ad hunc effectum plus operatur contemptus unius, quàm multorum contradictio, juxtà *Textum in cap. bonæ memoriæ* 36.*in fine De elect.*ibi: *Quia inventus eſt H fuiſſe contemptus, licèt unus ſolus extiterit, cùm plùs in talibus conſueverit contemptus unius quàm multorum contradictio, & in cap.quòd ſicut* 28.*in fine eodem tit.* ibi: *Quòd ſi eos vocatos non conſtiterit, ſed contemptos, infirmanda erit electio penitùs talitèr celebrata, cum concordantibus*, relatis per univerſam Scholam Canoniſtarum, quos ſequitur *Oldrad.conſ.*64.*nu.*5. *Sigiſmund.à Bononia De elect. dub.*10.*num.*8.*& ſeqq.Caſtellin.eodem tract.cap.*4.*num.*25.*& cap.*8.*num.*5. *Lavor.var. elucubrat. tit.*4.*cap.*17.*num.*13.*Barboſ.de Jur.Eccleſ.lib.*1.*cap.*113.*num.*113.115.*& ſeqq. Paſſerin.de elect.cap.*11.*num.*119. *Rota in rec.deciſ.*36. *num.*1.*par.*6.*& deciſ.* 388.*num.*12.*par.*19.*Buratt.deciſ.*380.*num.*3.*Coccin.deciſ.*1552.*num.*36.

3. Vocatio enim abſentium eſt de juſtitia, undè maxima eiſdem fit injuſtitia ſi non vocantur.*Caſtellin.de elect.cap.*8.*ſub nu.*1.*verſ.itaut.Lavor.variar. elucubrat.tit.*4.*cap.*17.*num.*17.*Ricc.in prax.for.Eccleſ.par.*4. *in praxi election. reſolut.*44.*num.*2.*Lotter.de re beneſ.lib.*3.*quæſt.*17.*num.*117. *Paſſerin. de elect. cap.*11.*num.*118.*Rota coram Coccin.deciſ.*2021. *num.*38.

4. Eoque fortiùs, quia præfata injuſtitia admixtam habet gravem injuriam (quæ gravior ſemper incaleſcit, attentis nedum præeminentia dignitatis Cardinalitiæ, verùm reiteratis, & ſemper ſpretis inſtantiis) iſtamque injuriam ſicuti quilibet privatus dimittere non tenetur, nec cogi poteſt ſine ſatisfactione, multò minùs Eminentiſs.Card. *Butr.in cap.quòd ſicut* 28.*n.*29. *&* 30.*De elect. Oldrad.conſ.*64.*ſub num.*1.*ad med.verſ.præterea cùm electio. Lavor. var.elucubrat.*

Digitized by Google

brat.tit.4.cap.17.num.13.poſt med.verſ.& per contemptum,cum aliis cumulatis per Paſſerin.de elect.cap.11.num.118.& 119.

5. Hocque procedit nulla habita reflexione ad perſonam electi, quia cuicumque illius eximiæ dignitati, idoneitati, excellentiæ, & virtuti ſemper ponderoſior judicatur contemptus, quo interveniente caſſari de juſtitia debet electio,ad clarum *Textum in cap.bonæ memoriæ 36.De elect.*ibi:*Electionem autem Archipresbyteri (quamvis laudabile teſtimonium perhibeatur de ipſo) juſtitia exigente caſſavimus*, & ibidem tenent *Ancharan.num.1. Abb.ſub num.9. poſt med.verſ.tertius caſus. Caſtellin.de elect.cap.4.num.25. in princ. & in fine*, & contemptum fuiſſe finalem cauſam d. caſſationis, advertit ibidem *Gloſ. in verbo tractatum*, & ſequuntur *Innocent.ſub num.3.verſ.item licet.Abb.ſub nu. 11. verſ.hinc enim fuerunt*,& concordant omnes alii ſuperiùs allegati Canoniſtæ, dum ex ſolo capite contemptus caſſandam afferunt electionem, ſignanter dum contempta fuit perſona præfulgens dignitate Cardinalitia. *Lotter.de re benefic. lib.1.quæſt.8.num.75.Barboſ.de jur.univerſ.lib.1.cap.4.num.9.& 10.& vot.canon.lib.3.vot.125.num.20.*

6. Adversùs hoc tutiſſimum, & irreſragabile fundamcutum unicè ſemper oppoſuit Capitulum Leodienſe, quòd Eminentiſs. Dom. Cardinalis non habebat vocem in hac electione tamquam forancus, dum juxtà ſanctiones ſtatutarias ſe non præſentavit in feſto Sancti Ægidii,nec reſidentiam inibi injunctam adimplevit.

7. Sed undequaque inanis, ac inſubſiſtens apparet hujuſmodi Capitularis oppoſitio, ſive attendatur mens, ſive poteſtas ſtatuentium.

8. Si reſpicitur ad mentem,verba dd. ſtatutorum, ſive examinentur unum
quodque eorum caput ſingularitèr, & de per ſe, ſive omnia unitim ſumantur,
nullatenùs præſeferunt foraneitatem adaptabilem caſui noſtro. Prætermiſſis
enim ſtatutis, quæ loquuntur de prima reſidentia, ſuper quibus nulla cadit
quæſtio, dum non controvertitur illam fuiſſe ad unguem per Eminentiſs. D.
Card.peractam, & tranſeundo ad ſtatuta diſponentia de ſecunda reſidentia, il-
lorum primum Caput nihil diſponit de foraneitate, ſed ſolummodo ait, quòd
qui volet, aut velit reſidere, & fructus facere, debebit in Feſto Sancti Ægidii
perſonalitèr in Capitulo ſeſe exhibere: quæ verba nullam reſidentiæ obligatio-
nem important, ſed id efficere, vel non efficere relinquunt in mera, & libera
cujuſcumque voluntate; Quoties autem reponitur in arbitrio alicujus aliquid
facere, repoſita etiam cenſetur facultas implendi, vel non implendi, immò
etiam contravcniendi, ut de verbo *volet*, poſt plures tradit *Galganett. de con-*
dit.par.1.cap.62.num.1.& 2. & de aliis verbis facultativis *Rota deciſ.12. nu.2.*
De re judic.in nov.Buratt. deciſ.848. num.10. Quinimmò dum hæc ſpontanea
reſidentia dirigitur ad effectum percipiendi fructus,non dicitur præciſa,& obli-
gativa, ſed tantummodò cauſativa ad dictum effectum, ut notant *Imol.in cap.*
final.num.13.De Cleric.non reſiden.& ibi *Butr.num.6.*& alii communiter. *Gon-*
ſal.ad regul.8.Cancellar.gloſſ.15.num.20.& ſeqq.Lotter.de re benef.lib.3.qu.27.
num.31.& ſeqq.Tondut.quæſt.benef.lib.1.part.2.cap.5.§.6.num.10. Rot. in rec.
deciſ.489.num.2.part.2.& deciſ.550.num.9.par.18. & coram *Priol.dec. 84. nu.*
11. Et quando res etiam eſſet dubia (ſicuti eſt clariſſima in caſu noſtro) non
alia intelligeretur indicta reſidentia, quàm cauſativa. *Bieb.deciſ.13. num.8.*

9. In ſecundo verò eorumdem ſtatutorum capite, nec pariter ullum ſit

verbum

verbum de foraneitate, ſed tantùm determinatur, quòd, qui in Feſto S. Ægidii non ſe præſentaverit, non poſſit petere gratioſam abſentiam, quæ eſt quædam gratia, quam ad ſui libitum facit Capitulum, ut quis etiam non reſidendo poſſit percipere fructus ex Canonicatu: & ſic hæc quoque reputatur reſidentia cauſativa ad effectum ſe reddendi capacem dictæ gratiæ.

10. In tertio verò capite indicitur foraneitas illi, qui ad ſecundam reſidentiam ſe exhibuerit, vel præſentaverit, & non complet modum reſidendi ibidem præſcriptum; ideòque cùm foraneitas præſcribatur offerenti ſe ſpontaneè ad reſidendum, ut evidenter demonſtrant illa verba: *ſe exhibuerit, ſe præſentaverit*, & Eminentiſs. D.Card. ad reſidendum non ſe obtulerit, nullatenus ex mente ſtatuentium poteſt dici per ipſum d. foraneitatem fuiſſe incurſam, in materia enim pœnali qualis eſt, & quidem graviſſima, privatio vocis. *Paſſerin. de elect. cap.25.num.619. Caſtellin. eodem tract. cap.4.num.33. Sigiſmund. à Bonoxia dub.93. in princ. & num.2. cum ſeqq. & dub.94. num.2. & dub.95. num.8. & 9.* tamquam odioſa ſtrictiſſimè eſt procedendum, & verba legis pœnam indicentis reſtringenda ſemper ſunt ad illſi præciſum, & individualem caſum, ad quem leguntur appoſita, nec extendenda ſunt ad alium caſum diverſum, neque ex majoritate rationis, ita ut ea capienda ſit interpretatio, quæ eſt excluſiva pœnæ. *Abb. in cap.2. num.17. in fine De poſtulan. Bellamer. in cap. bonæ memoriæ 36. ſub num. 4. verſ.3. De elect.* & ibi Canoniſtæ omnes, quos referunt *Caſtellin. de elect. cap.5. nu.63. in fine. Sigiſmund. à Bononia eodem tract. dub.56. num.9. ad finem, Paſſerin. eodem tract. cap.10. num.104.*

11. Et convincitur ad hominem ex præcedenti capite ſecundo, in quo ille, qui in Feſto Sancti Ægidii non ſe præſentaverit ad reſidentiam, mulctatur non pœna foraneitatis, ſed amiſſionis gratioſæ obſervantiæ; Undè cùm Statuta contradiſtinguant caſum ſpontaneæ exhibitionis, à caſu non exhibitionis, & unicuique diverſas præſcribant pœnas, benè intrat vulgatum dicterium, quòd ubi adeſt caſus legis, ceſſat omnis diſputatio, de quo *Barboſ. axiom. 136. nu.10.*

12. Nec refert, quòd Eminentiſſimus Dom. Cardinalis annis præteritis ſeſe per Procuratorem exhibuerit ad reſidentiam, quia quatenus hoc eſſet verum, ſat eſt, quòd non ſe exhibuerit hoc ultimo anno; Quia pœna foraneitatis eſt annalis, ſolùmque incurritur pro eo anno, in quo Canonicus ſe exhibuit ad reſidendum, & non reſedit, ut apertè demonſtrant verba d. tertii capitis Statutorum. ibi: *reſideat eo anno, &c. nec ullos fructus faciat eo anno, &c.* quæ uti geminata magis præciſam, & enixam voluntatem oſtendunt. *Rota coram Buratt. deciſ. 106. num.4.* & comprobatur, quia qui vult reſidere, quolibet anno ſe exhibere debet ad reſidendum in Feſto Sancti Ægidii.

13. Alterum verò caput Statutorum in *titul. de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus* ſimpliciter diſponit, quòd Canonicus foraneus non habeat ſuffragium in negociis Capitularibus, & in electione Epiſcopi, & ſic intelligi debet de eo, qui foraneus declaratur in præcedentibus Statutis, vel ob non factam primam reſidentiam, vel ob non completam ſecundam, poſtquam ſpontaneè ſe exhibuerit in Feſto Sancti Ægidii; nam lex interpretationem limitatam, ac reſtrictionem recipit à præcedenti lege diſponente ſuper eadem materia. *Rota coram Buratt. deciſ. 167. num.2.3. & 4.*

14. Si verò reſpicitur ad poteſtatem ſtatuentium, hæc prorsùs in eis deficit, ſiquidem de Jure Vox eſt annexa Canoniæ, ex Juribus allegatis per *Innoc.* *in*

in cap.2.num.2.in fine De inſtit. Abb.in cap.cùm olim 12.*num.*8. *De ſentent. & re judic.Monet.de diſtribut.par.2.quæſt.20.num.*1. ubi plures Canones enumerat. *Rota coram Seraph.dec.474.nu.2.* ubi quòd vox in Capitulo de jure communi pendet à Canonia, *& deciſ.*1495. *num. pariter* 2. & his deciſionibus relatis *Barboſ.de Canon.& Dignit.cap.37.num.*1.*& 2.Tondut. quæſt.benef. lib.*1. *cap.27.num.48.& par.2.cap.3.§.11.num.1.& 3.Lavor.var.elucubrat. tit.4.cap. 17.ſub num.13.verſ. in electione enim.Cardinalis de Luca De Canon. & Capit. diſcurſ.6.num.*12.ubi refert alias *Rotæ* deciſiones, & teſtatur de communi ſenſu Canoniſtarum, *& diſcurſ.19.ſub num.19.verſ.quatenùs verè*;Exindè ſequitur, quòd Capitulum nequivit ſtatuere contra jus, adeout ad hunc effectum, neque ſufficiens fuiſſet auctoritas Epiſcopi, ſed omninò erat neceſſaria confirmatio Sedis Apoſtolicæ.*Adden.ad Buratt.deciſ.*758.*num.*13. *Rota coram Manzaned.deciſ.*723. *nu.*2. & in terminis, quòd Capitulum per Statutum nequeat privare Canoniam voce, quæ de jure illi eſt annexa.*Calderin.conſ.4.nu.*1. *De Conſtitut.*& dictum fuit in *Melphiten. Statuti*, *& Cenſurarum 26. Novembris* 1640.*coram Ghislerio*,quam refert,& ſequitur *Cardinalis de Luca De Canon.d.diſcurſ.19.à num.16.cum tribus ſeqq.aliis relatis ſan.mem.Alex.VIII.deciſ.202.num.7.* nec contrarium firmatur in *deciſ.20.par.3. rec.* quia illa loquitur de conſuetudine. Et ex eadem ratione,neque Capitulum poſſe quidquam ſtatuere circa obſervantiam reſidentiæ. *Celſ.deciſ.*12. *num.*15.

15. Eoque faciliùs, quia hujuſmodi pœna privationis vocis in hoc caſu reperitur à jure ſtatuta, undè non poterat imponi, niſi per eum,qui habet plenitudinem poteſtatis, ſcilicèt per Principem, & Summum Pontificem. *Gloſſ. in cap.bonæ memoriæ 36.in verbo expectare in fine De elect.& ibi Abb.ſub n.9. verſic.quia cùm ſit pœna.Butr.ſub nu.13.verſ. dicas, quòd licèt ratio.Bellamer. ſub num.4.verſ.tertio cum aliis*, quos refert *Barboſ.de jur.univerſ.lib.1.cap.19. num.*17. & plures addens. *Paſſerin.de Elect.cap.5. à num.3.cum ſeqq.* ubi quòd cùm jus eligendi proveniat à Papa, ab eo ſolùm induci poteſt privatio, non autem ab inferioribus. Et magis in ſpecie, quòd pœna privationis vocis non cenſetur à jure impoſita, niſi id exprimatur quoad illum caſum particularem, ſuper quo controverſia verſatur, tradunt *Abb.in cap.gratum 2.num.17. De poſtulat.Prælat.Navar.conſ.2.num.5.De renunc.lib.1. Paſſerin. de elect. cap. 31. num.16.in fine.*

16. In nihilo refragante, quòd hujuſmodi Statuta emanaverint partim à Legatis Apoſtolicis, partim à Capitulo de conſenſu Epiſcopi, quia præterquamquod iſta non ſunt ea ab antiquo tempore compilata, ſed noviter à ſolo Capitulo de anno 1563. promulgata, iſtorum auctoritas validitatem cauſaret, ſi ſtatuta eſſent uniformia diſpoſitioni juris:& in his terminis loquuntur auctoritates in contrarium relatæ, ſecùs dum illi contrariantur, quo caſu neque Legatus de Latere poteſt ſtatuere contra jus, ex pluribus allegatis per *Cardin. Cerr.deciſ.187.num.6.& in recent.deciſ.500.num.4.in fine part.3.*

17. Prout non ſubſiſtit, Statuta poſſe determinare quinam ſint vocales; Quia doctrinæ exadverſo citatæ id non firmant, nam *Gloſſa in cap. cùm inter 18.in verbo remoti De elect.*cum ſequacibus,ſolùm quærunt, an abſentes in loco valdè remoto ſint vocandi, & firmant, quòd ſtandum eſt conſuetudini.

18. Nec ullius relevantiæ eſt, quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis obſervantiam Statutorum juraverit. Tum quia juramentum intelligitur de

Sta-

Digitized by Google

Statutis validis, non autem invalidis. *Seraph.de privil.juram.privil.* 117.*nu.*5. *Del Bene eod.tract.cap.*2.*dub.*49.*num.*11. & 15. & in terminis Statuti conditi per Capitulum ſuper vocis privatione *Rota coram ſan. mem. Alexand. VIII. deciſ.*202.*num.*9.& 10.

19. Tum quia,cùm Statuta non obligent præcisè ad ſecundam reſidentiam, ſed tantùm cauſativè,& quatenus quis ſe ultroneè exhibet ad illam faciendam, ità eaſdem qualitates continere dicitur juramentum, quoniam regulatur ſecundùm naturam, & ad limites actus jurati,& plus quidem obligat,ſed non ad plus. *Rota in rec.deciſ.*4.*num.*9.*par.*14.& *deciſ.*231.*num.*15.*par.*16.

20. Augetur defectus poteſtatis in ſtatuentibus, attenta de per ſe Dignitate Cardinalitia, qua præfulget Eminentiſſimus Dominus Bullionius, iſta namque nulla major in Eccleſia poſt Pontificiam datur, & illam obtinentes dicuntur Conſiliarii, & pars Corporis Myſtici Papæ,& cum eo non ſolùm unitatem, ſed quandam etiam identitatem conſtituunt, univerſalem repræſentant Eccleſiam Catholicam, & illius cardines ſunt, in eiſque reſidet tota Majeſtas Chriſtianæ Reipublicæ, ut benè cumulando alias innumeras præeminentias adnotant *Lotter.de re beneſ.lib.*1.*quæſt.*8.*à num.*35.*uſque ad* 75. *Barboſ.de jur. univerſ.lib.*1.*cap.*4.*à num.*7.*cum ſeqq.*& *vot.Canon.vot.*125.*num.*18. & *ſeqq.* & latè *Diana oper.moral.tom.*5.*tract.*2.*de poteſt.*& *privil.Card.reſol.*1. *per tot.Capon.controv. forenſ.*24. *à num.* 12. ideòque nullatenus ſubjiciuntur legibus, & Statutis conditis à particulari Capitulo, & ab inferiore; Hinc deciſum fuit, quòd ſtatutum conditum per Capitulum particularis Eccleſiæ ſuper probanda ſanguinis puritate non afficit Cardinales, prout teſtatur *Barboſ.vot. Canon.lib.* 3.*d.vot.*125.*per tot.* & de alio Statuto promulgato per Reginam Joannam, ſanciente emolumenta promovendorum ad Doctoratum non eſſe diſtribuenda, niſi inter eos, qui perſonaliter interſunt, quòd ſub eo non comprehendantur Cardinales non intereſſentes,aſſerit *Capon.d.contr.*24. *per tot.* & in multis aliis Conſtitutionibus etiam generalibus eos non contineri, tradunt *Gonzal. ad regul.*8.*gloſſ.*24.*num.*67.& *ſeqq.Tondut.de penſion.cap.*53.*num.* 14. *aliiſque ſuperiùs proximè citati.*

21. Et quamvis valdè controverſum ſit inter Doctores, utrum Cardinales comprehendantur ſub diſpoſitione univerſali, quando illa non eſt odioſa odio irrationabili, & plurimi teneant opinionem affirmativam, nihilominus omnes loquuntur de Diſpoſitione, Conſtitutione, vel Indulto Pontificio,non autem de lege lata ab inferiore; Ulteriùs ut dicta opinio affirmativa locum ſibi vindicet, requiritur quòd Conſtitutio, ac Diſpoſitio contineat materiam, & rationem adaptabilem Dignitati Cardinalitiæ, aliàs ſi materia, & ratio illi repugnet, exempti ab ea cenſentur EE. DD. Cardinales, ut benè diſtinguendo firmant *Lotter.de re beneſ.lib.*1.*quæſt.*8. *num.*85.& 92. *Barboſ.vot. Canon.lib.*3. *vot.*125.*num.*17.& 18. *Dian.oper.moral.tom.*5.*tract.*2.*De poteſt.*& *privil.Card. reſol.*41.*poſt princ.verſ.tertiò facit. Rota coram Seraph.dec.*1114.& *dec.*1148. *utrobique num.*3.& *coram Duran.dec.*67.*num.*11.& *in recent.deciſ.*464.*ſub n.* 10.*verſ.*& *nihilominus par.*5.*tom.*2.

22. Materiam autem dd. Statutorum non eſſe proportionatam, & adaptabilem Dignitati Cardinalitiæ manifeſtè evincitur, quia reſidentia in eis injuncta quoad Canonicos, & alias perſonas Capitulares, non convenit Cardinali-

 bus;

bus; nam in functionibus Eccleſiaſticis, & Capitularibus, aut ipſi ſedere deberent poſt antiquiores Canonicos, & Capitulares, & ſumma videretur indecentia in illis, qui faciunt unum corpus myſticum cum Summis Pontificibus, aut ſedere deberent immediatè poſt Epiſcopum, & neque iſte locus congruus, & conveniens exiſtit Dignitati adeò eminenti, quæ longè præcellit Epiſcopalem. *Gomeſ. ad regul. Cancell. de idiomat. quæſt. 3. num. 5.* ubi quòd non convenit Dignitati Cardinalitiæ, nec honeſtum videtur, ut ipſi reſidere debeant in Parochiali, quem aliis relatis ſequitur *Anaſtaſ. Germon. de Indult. Card. §. tibi quoad vixeris num. 15. Capon. controv. 24. num.* 40. ubi quòd ob talem indecentiam non tenentur reſidere, nec intervenire ad Collegia Doctorandorum non obſtantibus Statutis; Et ob eamdem cauſam Cardinales ex poſt non poſſunt obtinere Canonicatus, aliaque Beneficia reſidentiam exigentia, prout tradunt *Abb. in cap. Eccleſia veſtra 57. ſub num. 3. verſ. idem ſi eſſent minora Beneficia De elect. Hojed. de incompatib. par. 1. cap. 2. num. 15. & par. 2. cap. 2. num. 4. & ſeqq.*

23. Nec dicatur reſidentiam per Statuta injunctam, eſſe adaptabilem etiam Cardinalibus, dum poſſunt per Procuratorem comparere in Feſto Sancti Ægidii, prout plures Cardinales obſervarunt. Tum quia iſta Statuta, uti noviſſimè de anno 1641. compilata, abſque beneplacito, & Apoſtolica confirmatione, non tenent ex ſuperiùs allegatis; Tum quia ſicut ſe exhibere ad reſidentiam eſt voluntarium, ità voluntaria remanet miſſio Procuratoris, prout eam ad libitum cujuſcumque Canonici relinquunt ipſamet Statuta: & eſto quòd plures Cardinales ità practicarunt, non exindè tamen aliqua fuit inducta obſervantia obligativa, quæ non reſultat ex actibus voluntariis. *Dunozet Jun. deciſ. 351. nu. 15.* & ad majorem cautelam exercitis. *Rota in recent. deciſ. 186. num. 17. & 18. par.* 12. nec obſervantiam inducunt etiamſi poſſent referri tàm ad liberam facultatem, quàm in obſervantiam legis. *Rot. coram Martin. Andrea deciſ. 92. num. 7.*

24. Ceſſatque omnis dubietas, quia Eminentiſſimus Dominus Bullionius Canonicatum in Cathedrali Leodien. obtinuerat ante adeptam Dignitatem Cardinalitiam, ideòque ſtante Indulto, & facultate retinendi omnia beneficia, quæ ſolet concedi omnibus in ipſo actu promotionis, ut notorium eſt, & etiam ab antiquo tempore practicatum, ut obſervant *Pariſ. de reſignat. lib. 3. quæſt. 1. num. 67. & ſeqq. Anaſtaſ. Germon. de Indult. Card. §. tibi quoad vixeris num. 14. cum ſeqq. Put. deciſ. 420. per tot. lib. 2.* cenſeatur diſpenſatus à reſidentia. *Corrad. in prax. diſpenſat. lib. 1. cap. 5. num. 19. Card. de Luca De benef. diſc. 55. n. 21. Sperell. dec. 112. num. 22. Rota coram ſan. mem. Alex. VIII. dec. 58. nu. 22. & ſeqq.*

25. Accedit, & alterum indultum eidem Domino Cardinali per fel. recor. Clementem X. ampliſſimè conceſſum, in quo ipſe expreſsè diſpenſatur, tàm à reſidentia, quàm à juramentis præſtandis, & aliis quibuſcumque ordinatis per ſtatuta, itaut dictus Dominus Cardinalis nec per ea obligetur, nec ea ſervare teneatur, ac proindè etiam ex hoc capite corruit objecta foraneitas, quæ totalitèr fundatur in obligatione reſidendi.

26. Nec urget, quòd hæc diſpenſatio elargita reperiatur in qualitate Præpoſiti, undè non ſuffragetur eidem Domino Cardinali in qualitate Canonici, quia præſcindendo etiam à præcedenti generali Indulto ſolito concedi in actu promotionis omnibus Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus, objectum rejici-

tur

tur ex pluribus.& primo quoniam ratio principalis, ac finalis, quæ movit Summum Pontificem, cenſetur illa ſibi expoſita, quòd ratione Cardinalitiæ Dignitatis reſidentiam, & alia contenta in Statutis præſtare Eminentiſſimo Domino Cardinali non decebat. ibi: *Tu verò ratione Cardinalitiæ, qua fulges, dignitatis, præmiſſa ſervare, ac proindè juramentum de illis ſervandis præſtare nequeas, &c.* quæ ratio utpotè adaptabilis tàm Cardinali Præpoſito, quàm Canonico, ſicuti exemit illum à reſidentia uti Præpoſitum, ita eximere pariter debet uti Canonicum. Et regulæ omnes, quòd diſpenſatio in uno caſu conceſſa non comprehendat alium caſum non expreſſum, quamvis ſimilem etiam ex identitate, vel majoritate rationis, nec de majori ad minus liceat arguere, non procedunt quando diſpenſatio continet cauſam, & rationem expreſſam, nam tunc ab uno caſu fit etiam extenſio ad alium, in quo urget ratio expreſſa, immò tunc verè non fit extenſio, ſed caſus ille includitur in alio ex tacita diſponentis mente: & quotiès una, & eadem ratio reperitur, illa omnes decidit caſus, non quidem per extenſionem, ſed per comprehenſionem, ut in ſpecie, dictis regulis reſpondendo, tradunt *Abb. in cap. at ſi Clerici* 4. §. *de adulteriis n.*8. *De judic. & ibi Dec. num.*88. *& ſeqq.* ubi de communi opinione teſtatur *Ripa in cap. ad aures* 8. *n.*41. *limitat.*1. *De reſcript.* alioſq. referens *Sanchez De matrimonio lib.*8. *diſput.*1. *num.*34. & alios addens *De juſt. de diſpenſat. matrim. lib.*1. *cap.*2. *num.*112. *&* 113. *latè Sperell. deciſ.*112. *à num.*10. *uſque ad* 15. ubi pluribus rationibus, & auctoritatibus exornat. *Add. ad Gregor. deciſ.*87. *num.*17. *Rot. coram Martin. Andrea deciſ.*78. *num.*30.

27. Secundò, quia Præpoſitura debet pernecesſè conferri uni ex Canonicis, ut exadverſo admittitur, & ita Summus Pontifex illam contulit Eminentiſſimo Domino Cardinali uti Canonico: *Nos tibi Canonico dictæ Eccleſiæ Leodien. &c. ac per unum, & eumdem ex dictæ Eccleſiæ Leodien. Canonicis, etiam unà cùm ſuis Canonicatu, & Præbenda abſque diſpenſatione Apoſtolica obtineri conſuevit*, ac proindè cùm Canonicatus, & Præpoſitura ſint inter ſe inſeparabiles, & ex hoc unum efficiatur quid annexum, & conſecutivum alterius, diſpenſatio quoad unum proficit etiam quoad aliud, aliàs inſerviret de vento diſpenſatio à reſidentia, ut Præpoſitus ſi reſidere deberet ut Canonicus, & eadem indecentia reſpectu Cardinalitiæ dignitatis reſultaret ſi uti Canonicus reſidere debuiſſet, quamvis uti Præpoſitus non reſediſſet. *Sanchez De matrimon. lib.*8. *diſput.*1. *num.*35. *de juſt. de diſpenſ. matrim. lib.*1. *cap.*2. *num.*114. *Sperell. deciſ.*112. *num.*18. *Rota diverſ. deciſ.*765. *num.*7. *par.*1. *& in rec. deciſ.*12. *nu.*33. *par.*5. *Duran. deciſ.*439. *num.*5.

28. Et ex his etiam conſtat nullius relevantiæ eſſe decretum præfati Capituli declarans Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Foraneum, quia ſi foraneitas à ſtatutis non inducitur, nec minùs induci potuit per Capitulum; & ſi ad hoc deficit poteſtas in ſtatuentibus, quantò magis in Capitulo; Signantèr quia ad talem declarationem deveniri non poterat non ſervato juris ordine naturalis, divini, & gentium, & ſic abſque citatione. *Sigiſmund. à Bononia De electiòn. dub.*11. *nu.*1. *&* 2. *Caſtellin. eodem tract. cap.*13. *ſub n.*20. *verſ. primò quia. Paſſerin. eod. tract. cap.*2. *num.*71. *Barboſ. vot. Canon. lib.*1. *vot.*47. *num.*182. *Ricc. in prax. elect. reſolut.*44. *num.*1. atque ideò hujuſmodi decretum tamquam factum contra indefenſum omnimoda nullitate laborat: defenſio namque cùm ſit

 de

de jure naturæ negari non poteſt, & ſufficit quòd per poſſibile adeſſe poſſit talis defenſio, & aliqualis excuſatio ab incurſu hujuſmodi pœnalis privationis. poſt plures *Paſſerin.de elect.cap.2.num.72.Sigiſmund.à Bonon.eod.tract. d.dub. 11.num.2.& 3.Lavor.var.elucubrat.tit.4.cap.17.num.7.*

29. Et abſque hæſitatione dum ſtatim intimato dicto decreto per Capitulum fuit ab eo interpoſita appellatio, qua pendente non erat Dominus Cardinalis habendus pro foraneo, ſed omninò admittendus, & vocandus ad electionem. *Sigiſmund.à Bonon.de elect.dub.94.num.5. & ſeqq. Paſſerin. eodem tract. cap.25.num.602.Lavor.var.elucubrat.tit.4.cap.21.num.78.*

30. Excluſa ex his foraneitate,inſubſiſtens omninò videtur prætenſio,quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis non eſſet vocandus, dum id commodè fieri nequibat,tum ex cauſa belli ex quo erat Gallus,& addictus ſervitio Chriſtianiſſimi Regis, tum ex quo poterant timeri turbulentiæ, & ſchiſma in Capitulo ob illius interventum.

31. Neutrum autem ex ſingulorum examine relevantia apparet; Siquidem bellum potiùs potuit præbere juſtam cauſam non reſidendi, & ſic excuſare à foraneitate. *Azor.inſtit.moral.part.2.lib.7.cap.4.verſ.ad ſecundum, Filiuc. oper.moral.tom.3.tract.41.cap.6.num.27.Roſa De reſident.cap.3.ſection.2. n.28.* an verò illud ſit cauſa ſufficiens pro non vocatione abſentium, & cum diſtinctione proceditur: Aut bellum impedit, ne Electores poſſint mittere Nuncios ad abſentes, neque eos perſonalitèr, ſeu Domi, ſive in loco, in quo morantur citare, & tunc ipſi poſſunt procedere ad electionem non vocatis abſentibus: Aut bellum impedit, ne abſentes accedere valeant ad locum, in quo celebranda eſt electio, & tunc ipſi omninò ſunt citandi, neque ex hoc capite ſe excuſare poſſunt Electores,*ad Gloſſ.in cap. quòd ſicut 28. in verbo ſine periculo De elect.*& egregiè procedendo cum dicta diſtinctione,firmant *Jo:Andr.in eodem cap.quòd ſicut in 4.columna verſ.in gloſſ.ſic patet, & ibidem Compoſtellan. n.40. & poſt Innocent.& alios,Butr.num.24.* in primo caſu, in quo loquuntur *Bald. Abb.*& alii exadverſò citati, nos non verſamur, quia liberum fuiſſe acceſſum ad Civitatem Huyenſem, non obſtante bello,ſit manifeſtum ex pluribus Epiſtolis cum tranſmiſſione Nunciorum hinc indè inter Eminentiſs. D. Cardinalem,& Capitulum:& comprobatur, quia idem Capitulum convocavit ad electionem Canonicum Comitem de Poitiers commorantem in præfata Civitate.

32. Minuſque à convocatione eximebatur Capitulum, ex quo Eminentiſſimus Dominus Cardinalis erat Gallus, & Miniſter Chriſtianiſſimi Regis, cujus ſubditi erant declarati Hoſtes Principum confœderatorum. Quia hujuſmodi declarationes comprehendunt ſolummodo laicos, non autem Clericos, juxtà *Textum expreſſum in cap. etſi pignorationes De injur. & damn. dat. in 6.* ubi ſententia excommunicationis promulgatur contra inobſervantes, & tenent communitèr ibidem ſcribentes, quos refert ibidem *Barboſ. num.1. 2. & 4.Graſſ.de effect.23. per tot.Bonac.oper.moral.tom.2. tit.de reſtit. in particulari diſput.2.quæſt.ult.ſection.1.punct.12.§.3.num.18.Caſtropal. oper.moral. tom.1. tract.6.diſput.5.punct.4. num.*18. maximè cùm bellum indictum ſit ob prætenſas culpas, & tranſgreſſiones Laicorum, non autem Clericorum, ut comprobant exadverſò citati *Guido Pap.deciſ.34. ante med. verſ.non obſtat cap. etſi pignorationes,Faber in Cod.lib.2.tit.9.defin.1.in allegat.num.6.in fine.*

33. Et

33. Et ad omne pejus, quia Capitulum complere debebat partes ſuas tranſmittendo eidem Cardinali Salvum-conductum, quod in ſui poteſtate erat; nam Sede vacante ipſe erat Dominus totius Principatus Leodien. & in hujus Dominii ſequelam conſtituerat Generalem propriorum Militum; Immò de facto aliis Canonicis etiam commorantibus in Gallia, & juramento adſtrictis erga Chriſtianiſſimum Regem, & ſignantèr praenominato Com. de Poitiers, Salvos-conductos Capitulum conceſſit, cum quibus eiſdem liber patuit ingreſſus, & egreſſus è Civitate Leodii ad Huyenſem: ex quo pluſquam clarè eluceſcit Capitulum ſtudioſè deveniſſe ad declarationem foraneitatis erga Dominum Cardinalem, quia nolebat illum admittere, & vocare ad electionem, non autem ex cauſa, quòd non eſſet in ejus poteſtate concedere dd. Salvos-conductus, qui quando etiam non fuiſſent profuturi, adhuc erant tranſmittendi, nam ſi alii Principes impedimentum præſtitiſſent ne Dominus Cardinalis poſſet ingredi Civitatem Leodienſem, impedimentum in non veniendo ſe tenebat ex parte ejuſdem Domini Cardinalis, & ſic abſque eo potuiſſet legitimè ad electionem procedi, juxta diſtinctionem ſuperiùs firmatam circà bellum an præſtet impedimentum in vocando, vel in veniendo; nam omnes Canonici ſunt vocandi, ſive poſſint, ſive non poſſint venire. *Lavor. var. elucubrat. tit. 4. cap. 17. num. 1. Baron. de citat. tom. 2. in addit. ad quæſt. 19. num. 189.*

34. Quæ autem ſubjunguntur de timore ſcandali, & ſchiſmatis, quis non videt, quòd ſunt omnia vana, & aerea; ad effectum namque, ut ob timorem futuri ſcandali quis non ſit citandus, ac vocandus, illud deberet eſſe imminens certum, & indubitatum, ſecùs autem ſi eſt dubium, & incertum. *Carocc. de except. 125. num. 209. Baron. de citat. tom. 2. in addit. ad quæſt. 18. num. 121.* In præſenti autem nequidem ulla horum umbra dubietatis adeſſe poterat, tum attenta perſona Eminentiſſimi Cardinalis Viri ſummè Religioſi, ac eximiæ prudentiæ, quique ſe obtulit ingreſſurum cum ſolo famulatu, & ſi quicumque timor ſcandali adeſſe non cenſetur quando tractandum eſt cum ſimplici Clerico, quantò minùs cum eo. *Poſtius De manut. obſerv. 75. num. 11. Accbil. Perſonal. De adipiſc. poſſeſs. num. 16. verſ. & periculum. Scacc. de appellat. quæſt. 17. limit. 6. membr. 2. num. 31.* tum attento loco, in quo celebranda erat electio, vallato armis, ac Militibus Principum confœderatorum; in loco autem in quo unus eſt potentior altero, numquam poteſt ab inferiore, & debiliore timeri periculum ſcandali, ac ſchiſmatis, ut poſt *Bald. Anchara. & Curt. ſen.* firmant *Nevizzan. conſ. 81. ſub num. 3. & 7. Poſt. de manut. obſervat. 75. num. 11.*

35. Ultima objectio de prætenſa occupatione Ducatus Bullionenſis non merebatur proponi, uti nullam habens ſubſiſtentiam, ac relevantiam, ex pluribus. Primò, quia eadem aderat cauſa, quando Eminentiſſimus Dominus Cardinalis reiteratè à Capitulo fuit electus Canonicus, Cuſtos major, & Præpoſitus, per quas electiones ipſe acquiſivit jus votandi tamquam annexum Canoniæ, undè hodiè ſine nova cauſa illo privari nequibat. Secundò, quia Ducatus non retinetur ab eo, ſed à Domino Duce ejus fratre Primogenito. & tertio, quia eidem Domino Duci fuit dictus Ducatus relaxatus in Pace Neomagenſi, univerſalitèr inita inter Principes Chriſtianiſſimos, quod excludit omnem ſommiatam occupationem, ad quam de jure requiritur dolus manifeſtus, & ſcientia notoria, & manifeſta, quòd res Eccleſiæ retineantur per vim.

latè

latè *Ricc.in deciſ.Cur.Archiep.Neap.par.4.deciſ.*51.*per tot. Barboſ.ad Concil. ſeſſ.de reformat.cap.*11.*num.*12. *&* 15.

36. Cæterùm intempeſtivè petitur confirmatio, dum electio non adeſt, quod evidentèr probatur, ex quo 46. Electores ſe congregarunt, quibus addantur alii duo, nempè Eminentiſſ. Dom. Cardin. & alterum Canonici Com. de Rechem contemptorum, quorum ſuffragia eſſe computanda nõ eſt dubium, dignoſcitur Capitulum totum formari à 48. Electoribus, quorum cùm vota 24. ſolummodò conſequutus fuerit Sereniſſ. Dom. Princeps Clemens à Bavaria, non dicitur habere reſpectu totius Capituli majorem partem, quæ neceſſaria eſt, ut quis dicatur electus, juxta jus Canonicum. *Rota coram Coccin. deciſ.* 2082. *num.* 8. & confirmatio nec peti, nec dari poteſt ubi non datur electio. idem *Coccin.dec.*1504.*num.*33.

PETRI

PETRI CORRADINI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super contemptu.

1. ELectio, de qua agitur, confirmanda non videtur, quia vel eſt nulla, vel ſaltem ad inſtantiam Eminentiſſimi Cardinalis Bullioni, venit caſſanda.

2. Nulla quippè eſt, tanquam attentata, & facta in ſpretum appellationis pluries, atque pluries interpoſitæ à dicto Eminentiſſimo Cardinali, & Capitulo notificatæ, quæ quamvis eſſet extrajudicialis, adhùc tamen data, proùt hìc, juſta cauſa appellandi, proculdubio ligabat manus Electorum ne poſſent ad Electionem devenire, juxtà *Text. in cap. conſideravimus De elect. ubi Gloſſ. & DD. Abb. in cap. cùm nobis nu. 7. & 8. De elect. cum aliis allegatis à Caſtellin. De elect. cap. 16. nu. 1. Paſſerin. eod. tract. cap. 32. ſub nu. 6. verſ. ſtante igitur, Valenzuel. conſ. 76. num. 25. cum ſeqq. tom. 1. Barboſ. vot. 47. nu. 132. & ſeqq. lib. 2. Rot. coram ſan. mem. Alex. VIII. deciſ. 29. num. 53. & 54.* Signantèr, quia agitur de Electione Epiſcopi, quo caſu appellatio etiam extrajudicialis ex probabili cauſa emiſſa ſuſpendit Electionem, juxtà *Tex. in cap. ſi poſtquam De elect. in 6. Lancellott. de attent. par. 2. cap. 12. limit. 1. n. 55. & limit. 3. nu. 12. Barboſ. d. Vot. 47. num. 133. in med. Rot. deciſ. 44. num. 4. de appell. in nov.*

3. Negari autem non poteſt, quòd appellatio fuerit à dicto Eminentiſſimo, ne dùm ex probabili, ſed etiam ex legitima cauſa emiſſa, & quòd appellatio erat de illis, quæ ſuſpendere omninò debebat actum Electionis futuræ; Petiit quippè Eminentiſſimus, tanquam Præpoſitus, & Canonicus, admitti inter alios Electores, & introduci mediante ſalvo-conducto, aliis Canonicis exteris dato, in Civitatem, & in locum Capituli; Capitulum verò nedùm negavit dictum Eminentiſſimum admittere, ſed decretum promulgavit, quo eundem inhabilem ad eligendum, & privatum voce activa propter aſſertam foraneitatem declaravit: Ab hac autem declaratione, tendente ſimplicitèr ad excludendum dictum Eminentiſſimum ab electione, de jure nedùm erat licita appellatio, ſed appellatio erat de illis, quæ ſuſpendebat actum Electionis futuræ, ut in terminis, ſequentes Theoricam *Innoc. in cap. auditis 29. n. 1. de elect.* notant *Paſſerin. eod. tract. dict. cap. 32. num. 28. & pluribus ſeqq. ſignantèr toto num. 30. Rota coram ſan. mem. Alex. VIII. dicta deciſ. 29. num. 55.*

4. Eratque Cauſa appellandi probabilis, & legitima, quia quidquid ſit, an Statutum Eccleſiæ Leodien. obſtaret dicto Eminentiſſimo, de quo infrà dicam, tamen nemo affirmare poterit, quòd attentis circumſtantiis noſtri caſus, eſſet notorium, & clariſſimum, dictum Eminentiſſimum privatum eſſe voce activa,

ex quo die S. Ægidii in Eccleſia non reſiderat, imò conſtat Statutum, ex quo deducitur talis privatio, dicto Eminentiſſimo non obſtare, vel ſaltem diſputabile eſſe, an obſtaret, quo caſu non erat licitum Capitulo authoritate privata ejicere dictum Eminentiſſimum, eumque declarare privatum voce activa, & inhabilem ad eligendum, ſed debebat ſer. ſer. ad talem ſententiam declarationis procedere, ſignantèr in procinctu Electionis, ut optimè notat *Caſtell. de elect. cap.*13.*num.*20.§.*Primò quia, & pluribus ſeqq. Laurent.de Portel. reſp. moral. part.*2.*caſ.*4.*num.*4.*& caſ.*16.*num.*1 *in fin.Barboſ.dict.vot.*47.*num.*182.*& ſeqq. lib.*2.*Card.de Luc.de Canon.diſc.*27.*num.*19.*&* 20. & egregiè *Paſſerin.de elect. cap.*11,*num.*73. *in medio, verſ. ſolum igitur ille, uſque ad finem*.

5. Dùm itaque Capitulum abſente Cardinali, nec permiſit eumdem ſua jura tueri, nec ſer. ſer. proceſſit, & propria authoritate ſibi jus dixit, ac inſtante electione, per decretum Capitulare declaravit inhabilem, ac privatum voce activa dictum Cardinalem, quod de jurè facere non poterat ex prædictis, abſolutum eſt, quòd habuit Cardinalis, nedùm probabilem, ſed licitam, & juſtam cauſam ab hac rejectione, & ab hoc decreto appellandi; Undè appellatio ſuſpendebat futuram Electionem ex præcitatis.

6. Nec objiciatur, quòd in appellatione interpoſita à dicto Eminentiſſimo non ſint ſervatæ ſolemnitates, quas exigit *Text.in cap.ut circa De elect.in* 6. Quia juxtà *Clement.Conſtitutionem eodem tit.De elect.* ſolemnitates requiſitæ à dicta decretali, *ut circa* non ſunt neceſſariæ in appellatione, quæ interpoſita fuit, proùt hìc, à decreto Capituli, declarante privatum ipſum appellantem, & eundem rejiciente ab Electione, ut notat *Gloſſ. in dicta Clement. Conſtitutionem verb.opponentis, & Barboſ.in dicto cap.ut circa nu.*3. *Oldrad.conſ.* 188.*per totum*, & latè *Paſſerin.qui alios cumulat De elect.cap.*32.*num.*68.*verſ. ſecundus caſus eſt.*

7. Caſſanda quoque videtur Electio, quia cùm dictus Eminentiſſimus Bullionius fuerit rejectus, & non admiſſus inter Capitulares ad votandum, nulli dubium, quòd fuerit contemptus, cùm contemptus reſultare dicatur, tam ex quo Canonicus, non ſit vocatus, neque citatus, quàm ex quo, non ſit admiſſus, ſed ſit excluſus, & inhibitus ne accederet ad votandum, juxtà *Text.apert. in cap.cùm Eccleſia Sutrina, & in cap.cùm in Geneſi, verſ. nec præmiſſi duo De elect.* ubi ſignantèr *Card.num.*3.*in princ.verſ.decimo ſeptimò nota, & num.*7. *verſ.ſeptimò oppono, Rot.coram Buratt.deciſ.*225.*nu.*3. Atque ideò proſequente eodem Eminentiſſimo contemptum, clarum eſt, quòd ex hoc capite electio venit caſſanda, juxtà *Text.apertus in cap.quòd ſicut, cap.Venerabilem, cap. cùm in Geneſi, cap.Bonæ memoriæ il* 2.*De Elect.cum aliis apud Barboſ.dict.vot.*47. *num.*144.*& ſeqq.Rot.coram Mantic.deciſ.*268.*nu.*2.*coram Burat. dec.*225.*per tot.& in recent.deciſ.*36.*num.*1.*par.*6.*cum aliis vulgatis.*

8. Nec dicatur, quòd ad effectum videndi an fuerit dictus Eminentiſſimus contemptus, debeamus cognoſcere an verè fuerit Foraneus, & à Statuto de Foraneis loquente, voce activa privatus, quaſi quòd ſi in rei veritate Summus Pontifex, ad quem recurritur pro confirmatione, cognoſcat Eminentiſſimum Bullionum ratione dicti Statuti fuiſſe inhabilem, ceſſet contemptus, quia inhabilis vocari non debebat, & excludi poterat. Quia in hac re, à qua pendet deciſio contemptus, ſupplico Eminentiſſimos PP. diſtinguere duos caſus, quorum alter eſt, quando quis non vocatur, nec citatur, & hoc caſu vera

eſt

eſt opinio *Innoc.in cap.cùm Vintonien. 25. De Elect.* qui dicit, quòd non eſt caſſanda electio ad inſtantiam contempti, quando tempore confirmationis dignoſcitur, quòd contemptus voce activa privatus erat, vel aliàs inhabilis erat ad eligen. & de hoc caſu loquuntur omnes DD. & Canoniſtæ exadverſo adducti.

9. Alter verò caſus eſt quando, prout hìc, fuit D.Cardinalis expulſus, & inhibitus, ne eligeret, declarante Capitulo per Decretum ſolemne, & publicum, quòd voce capitulari erat privatus; hoc namque caſu dicimus, quòd appellanti ipſo expulſo à decreto expulſionis, & declarationis ſuæ privationis, ipſo facto remanebat ſuſpenſum decretum, & pendente appellatione poterat, & debebat eligere. Atque ideò ſi non obſtante dicto Decreto poterat, & debebat eligere pendẽte appellatione, negari non poteſt, quòd eo ipſo fuerit contemptus, dùm ad eligendum non fuit admiſſus, ut optimè probat *Navarr.conſ. 8.De Elect.in antiq.lib.1.per totum, Sigiſmund.à Bonon.De Elect.par.2.cap.5. dub.94.num.5.uſq.ad finem,*

10. Præterea hoc ſecundo caſu Doctores noſtri inſpiciunt, an privatio vocis ſit notoria, itaùt nulla poſſit competere defenſio, ſivè obſtare exceptio, an verò non ſit notoria, ſed dubia, itaùt exceptio aliqua allegari valeat, quæ aliquo modo dubitabilem reddat privationem, & tunc admittunt, quòd quis inhiberi, & repelli poſſit ab Electione, quando privatio eſt notoria, ſecus contra, quia expectanda eſt ſententia declaratoria Superioris, quæ declaret Canonicum Jure eligendi privatum, & Statutum, vel legem voce activa privantem eundem afficere, & quouſque talis ſententia non emanaverit, de facto non poteſt quis ejici, expelli, inhiberi, aut impediri, ſed debet admitti cum proteſtatione, quòd eſt privatus, & quòd intereſt electioni ſine conſenſu aliorum, ut egregiè notat *Innoc.in d.cap.cùm Vintonienſis ſub num.6.circa fin. ante §. Sed quid dicet De Elect.ubi etiam Abb.num.14. circa finem, verſ.ſi autem non eſſet notorium, Paſſerin.eodem tit.cap.11.ſub num.73. poſt med.verſ. adjungi etiam poteſt*, qui optimè diſtinguit caſum à caſu.

11. Et quidem, nedum in caſu noſtro privatio non eſt notoria, ſed patet, quòd tale Statutum non loquitur de hoc caſu; procedendo quippè cum particula ipſa Statutorum, data *Summario contrario*, patet, quòd habemus titulum particularem, & ſegregatum de Foraneis, ut in *Summ. exadverſo num.1. de ſecunda reſidentia litt. M.* ſub hoc autem titulo Statutum Foraneos declarat eos, qui primam reſidentiam non fecerint; ſed hìc non eſt caſus noſter, cùm ſimus in hoc puncto concordes, quòd Eminentiſſimus Principalis primam reſidentiam impleverit.

12. Poſt hunc titulum ſubſequitur titulus de Capitulis ordinariis, ubi Canonicus Foraneus privatur voce activa; Cùm autem Statutum Foraneum antecedenter declaraverit illum Canonicum, qui primam reſidentiam non feciſſet, meritò ſub hoc Statuto non comprehenditur Eminentiſs. prædictus, qui primam reſidentiam fecit.

13. Replicant DD. ex adverſo Scribentes, quòd in titulo de ſecunda reſidentia diſpoſitum reperitur, quòd is, qui in Feſto Beati Ægidii ſe non exhibet ad ſecundam reſidentiam, pro foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat, ex quo deducunt, quòd ſi habetur pro Foraneo, comprehendatur ſub titulo de Capitulis ordinariis, ubi foraneus voce activa privatur.

14. Replicatio tamen nullo modo ſubſiſtit. Primò, quia Statutum hanc ſecundam reſidentiam non præcipit, ſed relinquit arbitrio Canonicorum, ut clarè legitur in *dict.tit.de ſecunda reſidentia.* ibi: *Quicumque facta prima reſidentia velit reſidere, & fructus facere*; Cùm itaque non cogat Canonicos ad faciendam hanc ſecundam reſidentiam, ſed tantùm incitet Canonicos ad eam faciendam, ad effectum lucrandi omnes fructus, & obtinendi poſtea gratioſam abſentiam, non extenditur ad eum, qui non curet omnes fructus lucrari, nec petat gratioſam abſentiam, quia, utpotè Statutum pœnale, non poteſt extendi de caſu ad caſum. *Garz.de Benef.par.*5. *cap.*6.*num.*30. *Rot. coram Ottobon.dec.*46.*num.*17.*& in rec.deciſ.*343.*num.*44.*par.*12.

15. Secundò, quia pro Foraneo Statutum reputat non eum, qui ad ſecundam reſidentiam ſe non exhibuerit, ſed eum, qui ſe exhibuit, & ſex menſibus integris, & una die apud Eccleſiam eo anno non reſederit, ut patet ex lectura: atque ideo ſtatim apparet, quòd Statutum non loquitur de hoc caſu.

16. Tertiò, quia Statutum in titulo de capitulis ordinariis privat Canonicum Foraneum, in titulo verò de ſecunda reſidentia dicit, quòd is, qui ſe præſentavit, & non reſedit tempore prædicto pro *Foraneo habeatur*, ergo impropriè, & fictè talem reputat Foraneum, ità denotante dicto verbo, *habeatur. Barboſ.dict.*130.*num.*40.*Hermoſill.ad leg.Hiſpan.*13.*gloſſ.*2.*nu.*72.*tit.*5.*par.*5. Undè ſuccedit regula, quòd Statutum ſignanter pœnale, & odioſum, loquens de Foraneo non extendatur ad illos, quos ipſum Statutum non reputat verè, ſed tantùm impropriè foraneos. *Pariſ.conſ.*159.*nu.*17.*&* 18.*lib.*4.*Surd.deciſ.*214.*num.*5. *Rot.coram Millino deciſ.*22.*num.*2.*& ſeqq.*

17. Præterea Statutum in titulo de ſecunda reſidentia. *Summ. contrario num.*1.*litt.G.* loquens de illis, qui in feſto S.Ægidii ſe non exhibent, præcipit, quòd gratioſam abſentiam petere non poſſint, & ſupponit per illa verba, *velit reſidere, & fructus facere*, quòd fructus eo anno non lucrentur, dico eo anno, quia Statutum ipſum ſupponit, quòd quolibet anno quis poſſit, & teneatur ſe exhibere; Loquens poſtea de illis, qui ſe exhibuerunt, & tempore ibi præſcripto noluerunt reſidere, mandat, quòd iſti habeantur pro foraneis, nec ullos omninò fructus faciant eo anno: imò ulterius vult, quòd fructus perceptos teneantur reſtituere, & quòd niſi reſederint anno ſequenti, ad reſidentiam non admittantur, ut patet ex dicto *Summ.n.*1.*litt.H.& I.* In utroque itaque caſu ſuas certas pœnas Statutum præſcribit, & tamen neque per ſomnium cogitavit pœnam privationis vocis adjicere, ſignum evidens, quòd Statutum tales inter foraneos privatos voce activa non adſcribit, ut optimè notat *Rot.coram Caſſador.deciſ.*2.*num.*4.*&* 5.*de Jure jurand.* & meliùs *coram Bichio deciſ.*238.*num.*2.*&* 3.

18. Nec dicatur, quòd Statutum præcipiat, Canonicum ſe non præſentantem in feſto B. Ægidii non facere fructus ſuos; Undè reſultare videatur, quòd ſit privatus talis Canonicus voce activa, quæ inter fructus Beneficii computari videtur; Tùm quia verior opinio eſt illa, quæ docet, quòd vox Capitularis non computetur inter fructus Beneficii, ſed ſit actus competens ratione Canoniæ, ac proindè ſufficiat, quem eſſe Canonicum, licèt fructibus ſit privatus, ad tradita per *Card.de Luc.de Can. diſc.*19. *num.*18. & magiſtraliter *Card.Zabarell.in Clem. ut ii num.*23.*de ætat.& qualitat.Paſſerin.De Elect. cap.*10.*n.*94.*verſ.ſed probabilius puto, Suarez De Cenſur.diſp.*27.*ſect.*2. *nu.*34.

Tùm

Tùm etiam, quia Statutum loquens de eo, qui ſe non præſentavit, non privat fructibus, ſed ſupponit fructus ſuos non facere, quæ inter ſe multum diſtant, quia cùm Statutum talem Canonicum habeat pro non reſidente, ſupponit eum fructus ſuos non facere, prout de jure nemo qui non reſidet fructus ſuos facit. Atque ideò nil aliud Statutum prædictum in hac parte addidit diſpoſitioni Juris communis, niſi quòd fructus ſuos non faciat etiam is, qui reſideat, ſed in feſto S. Ægidii ſe non præſentavit; Sicuti igitur de jure, qui non reſidet, & proindè fructus ſuos non facit, vocem habet in Electione, juxtà vulgares regulas, & notoriam praxim, ità quoque quamvis Statutum prædictum abſolutè ſupponat ſe non præſentantem in feſto S. Ægidii fructus ſuos non facere, tanquam non reſidentem, nullo modo extendi poteſt ad privationem vocis Capitularis.

19. Idque ad evidentiã ſuadent verba ipſius Statuti de Capitulis Ordinariis, ubi privatur voce Canonicus Foraneus: *item, & is, qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt niſi primam, & annalem reſidentiam abſolverit.* Excipit itaque litteraliter ſtatutum à tali privatione eum, qui primam, & annalem reſidentiam abſolvit, etiamſi ab Eccleſia abſit, & propterea illum, qui primam, & annalem reſidentiam abſolvit, Statutum nec Foraneum facit, nec voce Capitulari privat.

20. Nec tale Statutum comprehendebat Dominum Cardinalem; cùm enim Statutum ipſum in *tit. de 2. reſidentia* eximat, & excuſet infirmum, & eum, qui abeſt pro negotiis Eccleſiæ, & qui abeſt de licentia Capituli, multò fortiùs exemiſſe præſumitur à pœnis ibidem inflictis Canonicum, qui vigore diſpenſationis Pontificiæ reſidere non tenetur, & qui habet licentiam à Papa; Immò cùm Statutum non poſſit diſpenſatum à Papa arctare ad reſidendum, multominùs ſic diſpenſatum poteſt punire, vel pœna afficere, quia ſtatim, ac Papa diſpenſat ſuper reſidentia, tollit perneceſſe omnes pœnas inflictas à Statutis, & Legibus contra non reſidentes, ut notat *Felin. in cap. poſtulaſti num. 12. De reſcript. Tambur. de Jur. Abb. tit. 4. diſp. 5. quæſt. 8. num. 10. Barboſ. de Can. cap. 37. num. 9. Card. de Luc. pariter de Can. diſc. 13. num. 11. Rot. coram ſan. mem. Alexandro VIII. deciſ. 46. num. 13. §. quo verò, & pluribus ſeqq.*

21. Dùm itaque Eminentiſſimus Bullionus fuit à ſan. mem. Clemente X. diſpenſatus à reſidentia in Eccleſia Leodienſi, Statutum prædictum, etſi loqueretur de hoc caſu, non afficiebat dictum Eminentiſſimum ſic diſpenſatum.

22. Nec refragatur, quòd d. Eminentiſs. fuerit diſpenſatus tamquã Præpoſitus, & occaſione Præpoſituræ quã obtinuit, non autem tanquam Canonicus, & ratione Canonicatus, quẽ longè anteà aſſequutus fuerat: Quia licèt verę ſint regulæ generales exadverſo adductæ, quòd nempè diſpẽſationes ſint ſtrictè intelligendæ, nec extendantur de caſu ad caſum, etiam ex majoritate rationis; Tamen negari non poteſt, quòd diſpenſatio comprehendat ea omnia, quæ ſunt annexa, & connexa, conſequutiva, & dependentia, juxtà *Gloſſam notabilem in cap. quia in tantum, verb. plures De præbend.* quam communiter ſequuntur *Sanch. de matrim. lib. 8. diſput. 1. num. 19. Gammar. de offic. legat. lib. 10. nu. 229. & pluribus ſeqq. Sayr. in Theſ. caſ. conſ. lib. 7. cap. 14. num. 21. Rot. coram Coc. deciſ. 999. num. 3. coram Card. Celſ. deciſ. 123. num. 6. & in rec. deciſ. 12. num. 30. & pluribus ſeqq. par. 5. & deciſ. 536. num. 53. par. 14.*

23. Si itaque Papa indulſit dicto Eminentiſſimo, quòd non obſtantibus Sta-

Statutis Eccleſiæ requirentibus perſonalem reſidentiam, non teneretur in Eccleſia reſidere, perneceſſe voluit, quòd ipſe perciperet omnes fructus Præpoſituræ, & haberetur pro reſidente, ut notat *Federic.de Sen.conſ.146. per tot.& latè Fagnan.in d.cap.quia in tantum n.27.& ſeqq. & n.24.& 25.de præbend.*

24. Igitur, ſi eum voluit habere pro reſidente in Eccleſia, per neceſſariam conſequentiam diſpenſavit etiam à reſidentia ratione Canonicatus, quem in eadem Eccleſia dictus Eminentiſs. poſſidebat, & quem Pontifex ipſe ſciebat dictum Eminentiſſimum, unà cum Præpoſitura retinere, aliàs enim dictus Eminentiſſimus haberetur pro reſidente, & pro non reſidente in eadem Eccleſia, itaùt eadem die, eodemque momento, in eadem Eccleſia, & in eadem functione tanquam Præpoſitus haberetur pro reſidente, & tanquam Canonicus pro non reſidente, quod imperceptibile videtur; undè dicendum omninò eſt, quòd dum Papa ſciens dictum Eminentiſſimum poſſidere Canonicatum, dedit ei licentiam non reſidendi ratione Præpoſituræ, quam tunc obtinuerat, & ſic ratione beneficii majoris, & requirentis majorem reſidentiam in eadem Eccleſia, dediſſe quoque cenſetur licentiam non reſidendi ratione Canonicatus minorem reſidentiam requirentis, ut optimè tradit *Sanch.de matrim.d.lib.8.diſput. 1.nu.35.Rot.coram Coccin.deciſ.999.nu.6.& ſeqq.*

25. Ponderando præſertim rationem, ex qua dictus Pontifex motus eſt; Movit enim Pontificem ratio Cardinalitiæ Dignitatis, qua dictus Eminentiſſimus fulgebat, & propter quam reſidere non poterat. ibi: *Tu verò ratione Cardinalitiæ, qua fulges, Dignitatis, præmiſſa ſervare nequeas*, quæ ratio cùm militet, tàm in Præpoſitura, quàm in Canonicatu, requirentibus reſidentiam, operatur, quòd diſpenſatio extendatur etiam ad Canonicatum, in quo militat eadem ratio; ſi enim Papa conſiderans dictum Eminentiſſimum in ſolo ſtatu Cardinalitiæ Dignitatis, tanquam unum obſtrictum ſervitio Romanæ Eccleſiæ, & revocabilem ad nutum Pontificis, diſpenſavit à reſidentia in Eccleſia Leodienſi ratione Præpoſituræ, non quia Romæ reſideret, vel in aliquo Epiſcopatu, ſed ſimplicitèr, ex quo Cardinalis erat, proculdubio concurrente eadem ratione impeditiva reſidentiæ ratione Canonicatus, diſpenſatio comprehendit etiam licentiam non reſidendi in Cononicatu, juxtà Theoricam *Abb. in cap.ut ſi Clerici, §.de Adulteriis num.8.verſ.poſſet tamen De judic. cum aliis adductis à Sanch.d.diſp.1.nu.34.Add.ad Gregor.dec.87.nu.17. verſ. primò non procedit. Rot.coram Mortin.Andr.dec.78.num.30.*

26. Nec urget, quòd juxtà ſtatutum Eccleſiæ poterat dictus Eminentiſſimus in feſto S.Ægidii ſe præſentare per Procuratorem, atque ideò diſpenſatio prodeſſe tantum valeat reſpectu illorum actuum, qui perſonalem reſidentiam requirunt, ſecùs contra; Quippe ſatis eſt, quòd fuerit diſpenſatum ſuper principali, ideſt ſuper reſidentia ratione Præpoſituræ, & Canonicatus, ut cenſeatur diſpenſatum etiam ſuper omnibus acceſſoriis, & remaneat, non in obligatione, ſed in electione diſpenſati comparere per Procuratorem, ut optimè probat *Gloſſ.ſingularis in cap.non poteſt 21.verb.retinere De præbend. in 6. & meliùs Abb.in d.cap.quia in tantum num.4.& 5.De præbend.* ibi: *Et concludit, quòd eſt in electione ſua, nam ex quo diſpenſatum eſt ſuper principali, videtur diſpenſatum eſſe ſuper acceſſoriis.*

27. Præſertim, quia licèt poſſit quis comparere per Procuratorem in feſto B.Ægidii, tamen nō dicitur in Statuto, quòd poſſit ulteriùs reſidere per Procurato-

ratorem, & tamen non ſufficit vigore Statuti de ſecunda Reſidentia ſimpliciter comparere in feſto B. Ægidii, ſed neceſsè ulteriùs eſt ſe offerre ad ſecundam Reſidentiam, & poſt talem oblationem, actu per ſex menſes integros in Eccleſia reſidere ſub pœnis in dicto Statuto præſcriptis, & ſignanter ſub pœna, quòd aliàs habeatur quis pro Foraneo, & ſic non ſubſiſtit, quòd ad evitandam pœnam privationis vocis, ſufficiat per Procuratorem ſe præſentare, etiam juxta ſuppoſitum Partis.

28. Minùs obſtat, quòd dictus Eminentiſſimus, dum cœpit poſſeſſionem Canonicatus juraverit ſervare Statuta Eccleſiæ, atque ideò diſpenſatio non valeat trahi ad Reſidentiam requiſitam ratione Canonicatus à Statutis Eccleſiæ juramento roboratis, quando, prout hìc, Papæ non fuit tale juramentũ narratũ, & Papa diſpenſavit à juramento præſtando, non autẽ ab illo jam præſtito.

29. Siquidem ſufficiat pro reſponſione ponderare, quòd Papa nedum diſpenſavit à juramento præſtando, ſed expreſsè derogavit Statutis Eccleſiæ, etiam juramento roboratis. ibi: *Non obſtan. Conſtitutionibus dictæ Eccleſiæ Leodien. aliiſque quibuſvis etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica roboratis, Statutis, &c.* quo caſu indubitatum eſt, quòd cenſetur derogatum etiam Statutis juratis, & ceſſat vitium ſubreptionis, juxtà *Text. in cap. quia ſæpè in fine De Elect. in 6.* cum aliis cumulatis à *Barboſ. clauſula 84. num. 5. & 6. Rot. deciſ. 18. per tot. ſignanter num. 1. & in Summario de reſcript. in antiq.* Cùm enim Papa ſciverit dictum Eminentiſſimum jam eſſe Canonicum dictæ Eccleſiæ, & diſpenſaverit eundem à Reſidentia, & etiam à præſtando juramento ratione Præpoſituræ, ac derogaverit Statutis, etiam juramento roboratis, clarè apparet, quòd notitia juramenti præſtiti ab eodem Eminentiſſimo, tanquam Canonico, non retardaſſet diſpenſationem, juxtà theoricam *Felin. in cap. conſtitutus num. 8. ante limit. 5. verſ. ſed Imol. de reſcript.*

30. Præterea Statutum prædictum non ſubſiſtit, utpotè non confirmatum à Papa in forma ſpecifica, ut probat *Gloſſ. in cap. Bonæ memoriæ, il ſecondo, verb. expectata in fine De Elect.* ubi quærens an valeat Statutum conditum à Capitulo cum auctoritate Epiſcopi, quo caveatur, quòd procedentes ad Electionem cum contemptu alicujus, priventur voce, & facultate eligendi, diſputata hinc indè quæſtione, tandem reſolvit tale Statutum non valere, addens rationem, quia dum lex Canonica propter contemptum certam pœnam ſtatuit, nempè quòd caſſetur Electio, alia non poteſt imponi pœna privationis vocis, niſi ab eo, qui habet plenitudinem poteſtatis, & ſic à Papa, & hãc *Gloſſ.* ſequuntur communiter *Jo: Andr. num. 15. Anchar. col. ult. in prima oppoſitione. Bald. nu. 5. verſ. oppono ſi plures, Butrius num. 13. Abb. num. 9. verſ. ſecunda quæſtio,* cum aliis adductis à *Petr. Greg. De Elect. cap. 14. num. 15. Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. n. 117. Card. de Luc. de Canon. diſc. 19. n. 18.* qui ita reſolutum teſtatur à *Rota in Melfitten. Statuti, & Cenſurarũ 26. Novembris 1640. coram Ghislerio.*

31. Ita in caſu noſtro cùm habeamus Leges Canonicas, & Sac. Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. De reformat.* certas pœnas contra Canonicos non reſidentes præſcriben. inter quas non adeſt privatio vocis, non poterat Capitulum, & Epiſcopus ſine auctoritate Papæ pœnam privationis vocis addere ex eo tantùm, quia Canonicus non compareat quolibet anno in feſto Beati Ægidii, ut exadverſo ſupponitur, præſertìm quia iſta eſt ſimplex pœna, non impoſita propter non reſidentiã, ſed propter noncomparitionem, quæ poteſt fieri etiam per Procuratorem, juxta ſenſum Partis, & ſic eſt magis odioſa. 32. Con-

32. Contrarium non dicunt auctoritates exadverſo adductæ, quæ non percutiunt caſum Statuti privantis voce activa, & *Rot. deciſ.20.per totam par. 3.recent.* exadverſo magnificata, ultrà quòd neminem allegat, & eſt contra opinionem *Gloſſæ in dicto cap. Bonæ memoriæ*, quam *Rota ipſa in dicta Melfiten. Statuti ſequuta eſt*, non facit ad caſum, quia loquitur de conſuetudine aliquibus caſibus ex cauſa rationabili, & in certis negociis excluden. aliquas perſonas à voto, ut patet ex *n.7.verſic. Jus enim*, quale non eſt Statutum Leodien. quod abſolutè privat voce Capitulari Foraneum in omnibus negociis, & Electionibus, & quidem ex cauſa irrationabili, ſi privaret, ut exadverſo dicitur ex eo ſolùm, quòd quis non compareat quolibet anno per Procuratorem in feſto Beati Ægidii.

33. Et nihil prodeſt, quòd fuerit obtenta gratia confirmationis, licèt non fuerit expedita, quia ex *Summario contrario num.1.litt.C.* clarè conſtat, quòd poſt Signaturam Papæ, fuerunt reviſa, correcta, ſuppleta, & moderata Statuta, & petita alia confirmatio, quæ non docetur obtenta. Undè prima Signatura evanuit, dum Statuta confirmata, fuerunt correcta, & alterata, nec potuerunt habere ſuum effectum ex vulgatis.

34. Perperam adducitur Juramentum dicti Eminentiſſimi, quia cùm percutiat in genere omnia Statuta, non extenditur, nec comprehendit Capitulum Statuti, de quo agitur invalidum. *Bald.in l.unica num.9. Cod.de his, quæ pœn. nom. Surd.conſ.58. num.15. in fin. Seraphin. de Juramen. privileg. 59. num.4. Rot. coram ſan.mem.Alexan.VIII. deciſ.202. num.9.& 10.*

35. Perperam quoque adducitur lapſus tanti temporis ad præſumen. Beneplacitum Apoſtolicum, quia cùm non conſtet Statutum in hac parte fuiſſe obſervatum, nec ullus actus adducatur, ex quo reſultet, quòd qui non comparuerunt in feſto B.Ægidii non fuerunt admiſſi ad eligen. ſolus lapſus temporis non ſufficit, niſi concurrat obſervantia continuata, ſaltem ſpatio triginta annorum. *Gabr.conſ.36.nu.52. verſic.ſed ſi poſſeſſio lib.1.* & latè *Adden.ad Gregor. deciſ.354. num.18. in medio*, ubi, quòd debet conſtare de iſta obſervantia certitudinaliter per actus poſitivos, & non præſumptivè.

36. Ex quibus patet, quòd malè Capitulum ſe fundavit in prædicto Statuto, itaut dicendum omninò ſit non potuiſſe vigore dicti Statuti Capitulum de facto declarare privatum voce Capitulari dictum Eminentiſſimum.

37. Domini exadverſo ſcribentes, qui vident non poſſe ſub prætextu Statuti evitare contemptum, prætendunt, quòd potuiſſet dictus Eminentiſs. impunè excludi, ſivè quia erat extra Provinciam, & ideò non vocandus, ſivè quia ſine magno incommodo Eccleſiæ admitti non poterat tanquam Miniſter Galliarum Regis, contra quem ipſa Civitas Leodien. fœderata cum Imperio bellum ſubſtinet, ſivè quia non erat tutus ejus acceſſus ad Civitatem munitam militibus hoſtibus ſui Regis, ſivè etiam quia Frater dicti Eminentiſſimi occupavit, ut exadverſo dicitur, & adhuc retinet Caſtrum Eccleſiæ, & cum eo adhuc lis pendet.

38. Verùm ſufficiat reſpondere, quòd omnes prædicti ſunt prætextus inventi magno cum ſtudio in revolutione librorum, facta non ſine magno labore à *DD.*meis exadverſo ſcribentibus, ad coloran. evidentem contemptum, dum Capitulum ipſum nunquam in mente habuit excludere dictum Eminentiſſimum ab Electione propter dd. cauſas, & unam tantùm ſemper aſſignavit cauſam,

ſam,ex qua movebatur ad illum excluden. quia nempè erat Foraneus,& à Statuto voce activa privatus; undè laudan. eſt ingenium *DD.* exadverſo ſcribentium, quod excogitaverit, & invenerit cauſas magis apparentes, quas Capitulum, nec allegavit, nec in tot Epiſtolis ſcriptis dicto Eminentiſſimo per ſomnium adduxit.

39. Sed ut uno verbo ſileant omnia motiva, omneſque cauſæ exadverſo adductæ ad colorandum contemptum, ſatis ſit ponderare, quòd quando adeſt timor Militum, adſunt bella, & inimicitiæ, propter quas non eſt tutus acceſſus, vel poteſt timeri incommodum, & grave damnum Eccleſiæ propter præſentiam abſentis, quod tamen in caſu noſtro non probatur, tunc non poteſt excludi abſens, ſed debet citari,& vocari, ut ſaltem mittat, vel conſtituat Procuratorem ad eligendum; quia dictæ cauſæ non privant eum voce Capitulari, nec obſtant, quin valeat per Procuratorem eligere, ut in puncto notat *Abb.in cap. cùm omnes 6.num.7. verſ.diſtingue De Conſtit.*ibi: *Aut non habent vocem, & non ſunt vocandi, aut habent vocem, & tunc aut ſunt abſentes ex neceſſitate, aut ex voluntate:primo caſu, aut ex culpa propria, puta propter delictum fuerunt expulſi, & non ſunt vocandi, aut ſine culpa, puta propter timorem Tyranni non audent venire ad Civitatem, vel regnat ibi pars contraria, & tunc debent eos citari, ut ſaltem mittant Procuratores*: ſequitur ibidem *Felin.nu.22. col.13. circa finem verſ. & ubi ſine culpa, Bero.num.82.ante medium verſ. Abbas verò hìc, Henric. Boich. in cap.bonæ memoriæ num.4. & 5. De elect.* & benè etiam *Cardin. Zabarell. in cap.ſi autem ſub num.1. verſ. ſecundò oppono eodem tit. de elect.* ibi: *Si quis non poteſt vocari ſine periculo, vel non poteſt venire ſine periculo, nihilominùs præſentes poſſunt procedere, ſed hoc ultimo caſu citandus eſt, & poterit vices ſuas committere. Io: Andr. in cap. quòd ſicut 28. num. 30.* ubi etiam *Butr.num.24. in fine,eodem tit.* & latè etiam *Petr.de Bais in direct.elect. cap.9.tertiæ partis num.8.& 9.in tract.mag.tom.15.par.1.*

40. Capitulum autem nedùm non vocavit dictum Eminentiſſimum, nec eum citavit, ut mitteret Procuratorem, ſed de facto privavit eundem etiam hac facultate committendi vices ſuas alteri, dùm eundem privavit voce Capitulari, atque ideò ex prædictis cauſis non poteſt colorari contemptus, tantò magis, quia in facto probatur, quòd alter Canonicus ſubditus Regis Galliarum, & in eodem Regno degens, vocatus fuit.

41. Parùm autem refert, quòd tempore, quo mortuus eſt Epiſcopus, dictus Eminentiſſimus eſſet extra Provinciam, nedùm quia, quando, prout hìc, commodè quis vocari poteſt, & vocatus intra tempus ſtatutum poteſt venire ad eligendum, debet de jure vocari, etiamſi ſit extra Provinciam, ut optimè notat *Petr.de Bais in direct.elect.cap.7.part.3. Sigiſm.à Bonon. de elect. cap.2. dub.9. num.8. Paſſerin. eodem tract. cap.11. num.35. & 38. ubi concordantes*; Verùm etiam quia dictus Eminentiſſimus ſtatìm acceſſit ad Civitatem Huyenſem, exiſtentem intra Diœceſim Civitatis Leodien.cujus acceſſum cùm optimè ſciverit Capitulum, debebat pernecesſè eum vocare. *Rota coram Mantica deciſ.288.num.1.& ſub num.2. §.Neque dici poteſt,ubi latè.*

42. Ultrà quòd nos non ſumus in caſu contemptus,reſultantis ex quo dictus Eminentiſſimus non fuit vocatus, quo caſu Canoniſtæ excitant quæſtionem, de qua agitur, ſed ſumus in caſu contemptus reſultantis ex quo dictus Eminentiſſimus fuit excluſus, & privatus voce activa, & ſic inhibitus, ne eligeret,

geret, ut ſuprà probavi in *numero* 7. quo caſu non quærimus, an quis ſit in Provincia, vel extra Provinciam.

43. Poterat omitti cauſa occupationis Caſtri, ſpectan. ut dicitur ad Eccleſiam Leodien. & lis, quam dicta Eccleſia habet cum Fratre dicti Eminentiſſimi, quia ultrà quod Frater dicti Eminentiſſimi poſſidet Caſtrum,& Ducatum Bullioni vigore Pacis Neomagen. ab omnibus Chriſtiani Principibus approbatæ, ſufficit reſpondere, quòd hæc prætenſa occupatio,& prætenſa lis, jam vigebant tempore, quo totum Capitulum voluntariè elegit in Canonicum,& poſteà in Præpoſitum dictum Eminentiſſimum; undè ſi dicta cauſa non reddit ſuſpectum dictum Eminentiſſimum apud totum Capitulum, immò nec impedivit, quòd ipſe eligeretur, multò minùs impedire poterat, quòd eligeret, ut ſeu-ſui patet.

44. Conſtito de contemptu, nullius relevantiæ eſt, quòd ratione contemptus electio non ſit ipſo Jure nulla, ſed veniat annullanda, quaſi quòd iſte ſit defectus minimi momenti, & de facili ſanabilis, quia re vera iſte eſt notabilis defectus, & vitium electionis ſine conſenſu contempti nunquam ſanari ſolitum, quia continet injuriam factam à toto Capitulo uni ex Eminentiſſimis Cardinalibus, ut notat *Jul. Lavor. variar. elucubr. titul. 4. de elect. cap. 17. nu. 13. poſt med. verſ. & per contemptum*: continet quoque ſummam injuſtitiam, & quidem læſionem magnam juris privati, ut notat *Sigiſm. à Bonon. de elect. part. 1. cap. 1. dub. 10. num. 2. in fin.* & quod conſiderabile eſt, inficit ipſum numerum Votorum, quia plures poterat ſuadere dictus Eminentiſſimus ad eligendum alium propter majorem utilitatem Eccleſiæ, & ſic poterat diminuere, ſi præſens fuiſſet, Vota Sereniſſimi Electi; nil mirùm itaq; ſi Papa in *cap. bona memoriæ il 2. circa fin. De elect.* non obſtãte, quòd perſona electa eſſet laudabilis, & digna, tamen quia unus fuit contemptus, mandavit irritandam eſſe electionem, ut optimè ponderat *Caſtell. De elect. cap. 4. toto num. 25. ſignantèr in fine.* Tanto magis, quia viginti quatuor elegerunt dictum Sereniſſimum, viginti duo Canonici receſſerunt à Capitulo, & Eminentiſſimus, ac alter Canonicus ultra eum fuerunt ſub prætextu inſubſiſtenti foraneitatis contempti; undè computatis prædictis duobus Votis Contemptorum, & junctis cum aliis 22. Canonicis, qui receſſerunt à Capitulo, prout fieri debet, jam conſtat, quòd 24. fuerunt pro electione Sereniſſimi, & 24. contra, & ſic electio fuit nulla tanquam non facta à majori parte, juxtà theoricam *Innoc. in cap. in Geneſi num. 8.* ubi etiam *Abb. num. 11. de elect. Caſtell. dicto cap. 4. ſub num. 25. §. ex verbis, Adden. ad Buratt. deciſ. 351. littera A. num. 12.*

ANTONII

ANTONII VAILLANT

ADVOCATI GALLI

MEMORIALE JURIS

Super contemptu, & attentatis, & ſolutione objectorum.

1. COnfirmatio prætenſæ Electionis Principis Clementis de Bavaria deneganda omninò videtur, tum ex gravi contemptu facto Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, tum ex attentatis contra auctoritatem Summi Pontificis, & aliis nullitatibus in Summario deductis.

2. Cùm ex hoc Summario plures nullitates inſanabiles eruantur, nunc uberiùs diſquirendum occurrit de gravaminibus illatis Eminentiſſimo Cardinali Bullionio, poſteà de ipſa ſubſtantia Electionis tractandum; ſed ut aliquis ordo in re tam diffuſa, & graviſſimi momenti ſervetur, imprimis hìc verba Decreti lati contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium inſerere placet.

Extractum ex Concluſionibus Capitularibus Perilluſtris Capituli Leodien. Sabbatho 27. Februarii 1694.

Audita relatione Dominorum Deputatorum, maturaque habita deliberatione, Rev. Admodum Perilluſtres, ac Generoſi Domini mei cenſent, Sereniſſimum, ac Eminentiſſimum Cardinalem Præpoſitum, pro foraneo habendum eſſe, adeòque, juxtà Statuta, in electionibus ſuffragium dare non poſſe, quod litteris eis ſcribendis inſerendum eſſe dixerunt.

Per extractum, ut ſupra
G. Schepers.

3. Præmittendum eſt ante omnia, hoc Decretum intimatum fuiſſe ſolummodò Eminentiſſimo Cardinali Bullionio, per tranſumptum ad ipſum miſſum, per litteras Capituli Leodienſis de die 7. menſis Aprilis præteriti, quæ ad ipſum delatæ ſunt per Tympanotribam, vulgò *Tamburrino*, munitionis Leodienſis die 9. ejuſdem menſis Aprilis, quod quidem callidè ita factum eſt, ut non liceret eidem Eminentiſſimo Cardinali ante diem præfixum Electioni recurſum habere ad Summum Pontificem, quæ quidem calliditas nullatenùs debet patrocinari eidem Capitulo Leodienſi, cùm malitiis non ſit indulgendum; nam quorſum Capitulum hocce decretum occultavit uſque ad tempus proximum Electioni, & poſteà interjecto tempore uſque ad Electionem per varias epiſtolas ad eumdem Eminentiſſimum Cardinalem ſcriptas, ab eo rationes ſuas

Digitized by Google

contra prætenſam foraneitatem, ſi quas vellet adducere, expoſtulavit; nonne hæc eſt illuſio facta Eminentiſſimo Cardinali? quæ quidem illuſio maximè deteſtanda in Perſonis Eccleſiaſticis. *Clement. cùm illuſio De renunciatione*, & præcipuè vitanda eſt reſpectu S.R.E. Cardinalis, cui, ob ſplendorem dignitatis, reverentia ubique debet exhiberi.

4. Hæc illuſio manifeſta eſt, nam ex quo Judex functus eſt officio ſuo, non poteſt ampliùs ſententiam ſuam retractare. Inſuper invenietur expreſsè in Statutis Capituli, ſi afferantur in forma authentica, prout inſtat Eminentiſſimus Cardinalis, quòd ubi aliqua concluſio facta eſt à Capitulo Leodienſi, etiam in rebus leviſſimi momenti, non poſſit ampliùs immutari etiam in meliùs, niſi conſentiant unanimiter omnes, adeoùt in hocce caſu unius tantummodò opponentis ſententia prævaleat omnibus aliis.

5. Fruſtrà ergo objicitur, Capitulum per litteras ſubſequentes huic decreto de die 27. menſis Februarii obtuliſſe Eminentiſſimo Cardinali Bullionio, ut rationes, & allegationes ſuas contra prætenſam foraneitatem ſcripto tranſmitteret, cùm hæc interpellatio inſidiosè facta fuerit eidem Eminentiſſimo Cardinali, quia Capitulum Leodienſe jam vocem ſuam emiſerat, & pœnitere ampliùs non poterat.

6. Ab hoc decreto, & à prætenſis Statutis Capituli Leodienſis appellavit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, necnon de denegata juſtitia à Capitulo.

7. Cùm hæc appellatio debitè intimata Capitulo, ſit prima in ordine proceſſus judicialis, diſcutienda ſunt gravamina, quæ poſſunt proponi.

8. Gravamen contra Statuta deducitur ex nullitate, & inſufficientia hujuſmodi Statutorum: certum eſt de jure, illa ſola Statuta ligare, quæ condita ſunt ab illis, qui poteſtatem legiſlativam habent, ut alios ſibi ſubditos poſſint coercere.

9. Capitula Eccleſiarum Cathedralium ex ſe non habent poteſtatem legiſlativam, nec poſſunt ſtatuere præcipuè contra juris communis diſpoſitionem ſine auctoritate Summi Pontificis, qui ſupremam in rebus ſpiritualibus in Orbe Chriſtiano auctoritatem exercet, cùm ſolo dignum ſit Imperio leges condere, & interpretari. *leg. 12. C. de legib.*

10. Hinc Innocentius III. *cap. cùm acceſſiſſent, & cap. cùm Eccleſia, De Conſtitutionibus*, reprobat Statutum factum à Capitulo, licèt idem Statutum in bonum Eccleſiæ cedere videretur: & nullam aliam rationem ejuſmodi nullitatis adducit S. Pontifex, niſi quia illa Statuta à Romano Pontifice non fuerunt roborata.

11. Poſſunt revera Capitula ſtatuere aliqua circa diſtributiones quotidianas, fructuum perceptiones, & circa ea, quæ poſſunt cedere in bonum commune Eccleſiæ, & quæ ſunt corroborativa juris communis; ſed illa etiam Statuta, quæ potiùs œconomica, quàm legitima appellari poſſunt, nullatenùs poſſunt fieri ſine conſenſu Epiſcopi, qui eſt Caput Eccleſiæ; undè Honorius III. legum Canonicarum peritiſſimus, declarat nulla, & invalida Statuta facta à Pariſienſi Capitulo abſque Epiſcopi conſenſu. *cap. 9. de Conſuetudine.*

12. Conſequenter Statuta facta à Capitulo Leodienſi ſine conſenſu Epiſcopi, & nunquam confirmata à Sede Apoſtolica, non potuerunt reſtringere facultatem, quæ de jure communi competit cuilibet Dignitati Eccleſiaſticæ, & Canonico in ſacris Ordinibus conſtituto, ut poſſit intereſſe electioni Epiſcopi Leodienſis.

13. Nunc

13. Nunc inquirendum videtur de nullitate ipſiuſmet decreti particularis de die 27. menſis Februarii.

14. Certum eſt eſſe omninò nullum ex defectu competentiæ ex parte Capituli, quod non poterat neque de perſona, neque de privilegiis S. R. E. Cardinalis judicare. *cap. cùm veniſſent* 12. *de Judic.* Innocentius III. expreſsè ſtatuit, *cùm ſuper privilegiis Sedis Apoſtolicæ cauſa vertitur, nolle ſe de ipſis per alios judicari*; indubitatum eſt porrò inter Canoniſtas, nomine Sedis Apoſtolicæ comprehendi etiam S.R.E. Cardinales, quia cùm ſint pars corporis Papæ, & ipſius Collaterales, unum, & idem corpus cum Sede Apoſtolica conſtituunt, & quotieſcumque vel de re tantilli momenti actum eſt circa Cardinales, vel de præcedentiis, vel de aliis juribus, nunquam Summi Pontifices horum negotiorum, & aliorum, vel leviſſimorum judicium permiſerunt aliis, ſed ſibi ipſis reſervaverunt, alioquin Dignitas Cardinalitia ſenſim, & ſine ſenſu vileſceret, ſi cuilibet contra Cardinalem ſententiam in quocumque negotio proferre liceret. Solus enim Princeps poteſt Beneficia ſua interpretari. *l. ex facto*, *ff. de vulgar. & pupillar. ſubſtitutione*, *l. Neratius*, *ff. de verbor. ſignif. Plinius ad Trajan. Rogo, ut beneficia tua ipſe interpretari digneris. Symmachus ad Theod. Nos venerari potiùs, quàm interpretari Divina Oracula conſuevimus.*

15. Secundum gravamen deſumitur ex forma proceſſus facti à Capitulo Leodienſi; declarat enim ipſummet Capitulum ſe deputaviſſe aliquos è Capitulo ad negotium diſquirendum, & audita relatione Dominorum Deputatorum, maturaque, ut ait, habita deliberatione, Eminentiſſimum Cardinalem Præpoſitum *pro foraneo habendum eſſe, adeòque, juxtà Statuta, in electionibus ſuffragium dare non poſſe.*

16. Quis poteſt dubitare privationem vocis activæ eſſe pœnam à jure ſtatutam? cùm ergo ſit pœna, neque poteſt infligi, niſi à Judice, & niſi judicialiter. Servanda eſt ergo forma Juris, & hæc pœna non poteſt ſtabiliri contra abſentem, ut inquit *Paſſerin. cap.* 3. *num.* 5. *&* 6. niſi priùs citetur, ut poſſit ante judicium privationis vocis activæ, rationes ſuas deducere. Abſens nemo judicetur, inquiunt Canones, quia hoc Divinæ, & humanæ leges prohibent.

17. Nulla adversùs hanc regulam poteſt exceptio opponi, & præcipuè in hoc caſu, in quo liquet, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium adveniſſe in Civitatem Huyenſem Diœceſis Leodienſis die 22. menſis Februarii, & ſui adventus notitiam dediſſe Capitulo Leodienſi antequam hoc decretum protulerit, & conſequenter debebat citare priùs Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, ut rationes ſi quas haberet, quibus ſe poterat eximere ab hac pœna privationis vocis activæ in electionibus, poſſet deducere; undè illud decretum evaneſcere debet tanquam contrarium Juri Divino, & humano, etiamſi ſupponeretur Capitulum Leodienſe habuiſſe poteſtatem ferendi judicium contra S.R.E. Cardinalem.

18. Opponunt fruſtrà aliqui, hoc Decretum non eſſe juridicum, ſed ſolummodò declaratorium pœnæ jam à Statuto ſtabilitæ; nam illud argumentum, cavillatio, in jure dicendum eſt, cùm certum omninò ſit, ex formula ipſius Decreti, Capitulum Leodienſe, non per viam ſimplicis exceptionis, ſed per viam juris pronunciaviſſe, Eminentiſſimum Cardinalem privandum eſſe omninò voce activa in Electionibus. Inveſtigavit priùs relationes *DD.* Depu-

tatorum, & poſt maturam deliberationem, quam, ut inquit, habuit ſuper hiſce relationibus, decrevit illum eſſe Foraneum, quæ omnia verè, & propriè proceſſui juridico conveniunt; undè ſine prævia citatione contra Eminentiſs. Cardinalem nullatenus potuit procedere, ut decidit *Paſierin.loco ſupracitato.*

19. Sed ut omnes ambiguitates reſecentur, indubitatum eſt, jus ſuffragii ferendi in Electione inhærere Præpoſituræ,& Canonicatui Leodienſi.*cap.quia propter, cap. quòd ſi, cap. coram, cap.bonæ memoriæ il ſecondo, cap. ſcriptum eſt, & cap.in Geneſi De Electione,& Electi poteſtate*, & in illo *cap.in Geneſi* ſtatuitur expreſsè, quòd Canonicus exiſtens in poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione Canonicatus,non debet excludi ab Electione, & ſi contemptus fuerit, Electio irritanda eſt.

20. Advertendum eſt etiam, Electiones Epiſcoporum eſſe juris publici, quia forma earumdem Electionum, ritus, necnon qualitates eorum, qui eidem debent intereſſe, à Conciliis generalibus ſunt determinatæ, adeòut nihil in illis poſſit immutari: ſoli ſuſpenſi, irregulares, interdicti, vel excommunicati, & in Sacris Ordinibus non conſtituti, arceri debent ab Electione.

21. Cùm ergo illud jus cohæreat titulo Præpoſituræ,& Canonicatus Leodienſis, & nullum juris impedimentum poſſit opponi contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, qui ſe ultrò, & ſponte Electioni faciendæ offerebat, palàm eſt, quòd privatio juris hujuſmodi non poterat pronuntiari, niſi via juris; quia privare aliquem jure, quod ſibi competere prætendit, & impedire, ne proprio jure liberè utatur, de ſe eſt injuſtitia, cùm Juſtitia nihil aliud ſit, quàm perpetua, & conſtans voluntas jus ſuum cuique tribuendi, & conſequenter privatio vocis activæ eſt pœna, quæ non poteſt infligi, niſi via juris ſervata, & ſic ille, contra quem illa pœna decernitur, debet priùs citari,ut audiatur.

22. Fruſtrà opponitur, hanc pœnam privationis activæ à Statuto ſtabilitam fuiſſe, & ſic notorietatem facti ſufficere ſine prævia citatione.

23. Illud argumentum repugnat omninò omnibus juribus Canonicis, quia notorium qualemcumque ſit facti, vel juris,non excuſat ab onere citationis, ut obſervat *Paſſerin.loco citato*, ubi in ſpecie privationis vocis activæ contra unum ex Electoribus, affirmativè concludit, contra abſentem, vel inauditum, nullam ſententiam debere proferri, ut dicitur in *Formulario De judiciis c.6.n.5.* & etiam *c.14. tit.de Appellationibus* expreſsè cavetur, quòd notorietati non ſit deferendum, ne quod dubium eſt, pro notorio videatur haberi.

24. Clemens V. in Concilio Viennenſi, cujus Canon refertur in *Clementina Paſtoralis De ſententia,& re judicata*,judicia prolata contra illos,qui non ſunt legitimè citati, pronunciat nulla, & invalida, *cùm non à diſcretione, Matre virtutum* (ſunt ipſiuſmet verba) *ſed à noverca Juſtitiæ, voluntaria ſcilicet judicantis præcipitatione proceſſerint, ideò illa ſubjicienda eſſe limæ Juſtitiæ, ac rectæ libramini rationis*: & conſequenter cùm privatio vocis activæ in Electione ſit pœna Canonica, non potuit validè pronunciari contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ſine prævia citatione; præcipuè cùm contumax non eſſet, & è contra ſæpiùs ſe ſe obtuliſſet ad allegationes ſuas proponendas.

25. Certum eſt,notorietatem facti, vel juris, numquam relevare ab onere citationis, etiamſi pœna impoſita reperiatur à lege, vel à canone, ipſo facto, & quotieſcumque illa pœna infligitur à Judice, licèt declaret ſolummodò judicialiter factum incidiſſe, debet præcedere prævia citatio abſentis, quia licèt non

ap-

appelletur à ſententia canonis, vel legis, tamen benè poteſt appellari à ſententia declarante aliquem incidiſſe in pœnam canonis, vel legis, cùm lex, vel canon tunc ex ſe non operetur, ſed auctoritas Judicis interveniat.

26. Quæ quidem doctrina maximè locum debet habere quando illa pœna procedit ex facto negativo, puta quia aliquis non reſedit, aut non comparuit certa die in Capitulo, quia tunc ex communi Doctorum ſententia, cùm quis non debeat puniri, ex eo, quòd non fecit aliquid, quod debebat facere, niſi facultatem habuerit id faciendi, non debent præripi allegationes, quibus poſſit probare non potuiſſe facere quod ei imputatur in pœnam; quia in omnibus legibus pœnalibus ſemper excipitur de jure, etiam naturali, caſus neceſſitatis, & impedimenti legitimi, & illæ pœnæ, quæ irrogantur contra eos, qui non fecerunt quod facere debebant, irrogatæ non cenſentur, niſi in caſibus, quibus aliquis facultatem habuit faciendi aliquid, quod non fecit, & conſequenter eximi debet à pœna ſecundùm jus naturale, quotieſcumque non habuit facultatem faciendi quod ipſi injunctum erat. In omnibus enim legibus ſemper caſus neceſſitatis excipitur; undè illud effatum vulgare, *neceſſitas non habet legem*, & cùm is committat in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem. *cap. ultimo De regulis juris in ſexto*. Certum eſt illos peccare contra legem, qui volunt privare aliquem aliquo jure, ſi priùs non innoteſcat in eorum fuiſſe facultate, & libertate faciendi quod facere debebant, nam ut deciditur in *cap. quod non eſt licitum De regulis juris*, illud quod non eſt licitum in lege, imo vetitum, & prohibitum, fit licitum propter neceſſitatem: & idcircò, quia homo poteſt dubitare utrum quis ex cauſa non fecerit quod facere debebat, præmittenda eſt monitio, quoad mortificationem Eccleſiæ Militantis.

27. Opponet forſan aliquis, ſed quædam allegationes poterant proponi ab Eminentiſſimo Cardinale Bullionio, ut ſe à defectu comparitionis in Capitulo Sancti Ægidii per ſe, vel per Procuratorem ſingulis annis excuſaret, quia illa comparitio poterat fieri per Procuratorem.

28. Nunc non agitur de validitate allegationum, quas potuiſſet proponere Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius: ſufficit ad aſtruendam nullitatem Decreti Capituli Leodienſis demonſtrare, in Capituli poteſtate non fuiſſe ipſum declarandi foraneum ante citationem factam, quia quando agitur de validitate judicii, quoad formam Proceſſus, licèt ille, qui citari debebat, forſan nullas legitimas potuiſſet allegare excuſationes, quibus ſe potuiſſet, ſi citatus fuiſſet, eximere à pœna, quæ contra ipſum pronunciata fuit, tamen ex defectu ſolius citationis præviæ debet retractari judicium, ut decidit Clemens V. *Clementina Paſtoralis* ſupracitata; quia tunc conſtat, illud judicium, *non à diſcretione, Matre virtutum, ſed à judicantis voluntaria præcipitatione proceſſiſſe*, ideoque ex hoc, Sententia debet corruere, & conſequenter contemptus Eminentiſſimi Cardinalis non poteſt amplius purgari, cùm innitatur hoc Decreto prorſus nullo, & invalido, ex defectu citationis.

29. Tertium gravamen Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii elicitur ex iniquitate ſubſtantiali hujuſce Decreti prætenſæ Foraneitatis.

30. Producantur in medium illa Statuta, ſupponanturque, ſi libet, valida, licèt numquam confirmata à Sede Apoſtolica, ſicuti jam obſervatum eſt, contendit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, in his ſtatutis nihil inveniri, quod

hanc

hanc privationem vocis activæ in electione ex defectu comparitionis per ſe, vel per Procuratorem in Capitulo Sancti Ægidii, poſſet ſtabilire.

31. Cùm hucuſque ſtatutorum moles integra producta non fuerit à Capitulo Leodienſi, Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius non poteſt illa in medium adducere, ſed ubi à Capitulo exhibebuntur, prout debet de jure fieri (cùm non poſſit à particulis ejuſmodi ſtatutorum, quas in commodum ſuum Capitulum ex Archiviis deſumpſit, negotium attentè judicari, quia, ut inquit *Lex.24.ff.de legibus*: *Incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, una particula ejus propoſita, reſpondere, vel judicare*, quia, ut inquit *gloſ. ibidem*: *Plerumque principium per finem corrigitur*) Luce meridiana clariùs apparebit, Capitulum Leodienſe cavillatum fuiſſe, dùm hoc motivo innixum pronunciavit Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium foraneum, ſed cum prævia proteſtatione de exhibitione ſtatutorum, reſpondetur.

32. Tria præcipuè oppoſita, à Capitulo exhibita ſtatuta.

33. Priora duo reperiuntur ſub titulo de ſecunda reſidentia.

34. Tertium ſub titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus.

35. Primo ſtatuto cavetur, Canonicum Leodienſem, qui facta prima reſidentia ſecundam volet inchoare, teneri in feſto S. Ægidii perſonaliter in Capitulo generali ſub horam ſummæ Miſſæ ſe exhibere, & ſi fortè anno præcedente non reſederit, ſe expreſſis verbis ad reſidentiam offerre, & præſentare.

36. Secundo ſtatuto ſub eodem titulo de ſecunda reſidentia ordinatur expreſsè, *ut ille Canonicus, qui ſe in feſto S. Ægidii ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unum diem continuè, vel diſcontinuè, alioquin pro foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat eo anno, niſi de licentia Capituli abeſſe illum contingat, quin etiam receptos fructus reſtituere teneatur, quod niſi fecerit, anno ſequenti ad reſidentiam non admittatur, nec abſentia gratioſa illi concedatur, & ſi eum mori interim contingeret, non habeat annum gratiæ*.

37. Hæc ſunt ipſiſſima verba ſtatutorum, quibus nitebatur Capitulum Leodienſe, ut privaret Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium voce activa in electionibus: legantur, & relegantur attentè hæc ſtatuta, nihil ſtabilitum invenietur, quo lex imponatur Canonicis, qui jam primam reſidentiam perfecerunt, ut compareant per ſe, aut Procuratorem in Capitulo S. Ægidii, imò in caſu ſecundæ reſidentiæ, de qua in hiſce ſtatutis agitur, excluditur facultas conſtituendi Procuratorem, cùm teneatur Canonicus, qui ad ſecundam reſidentiam vult admitti, perſonaliter ſe exhibere, & preſentare in Capitulo.

38. Ut hæc diſquiſitio dilucidiùs innoteſcat, advertendum eſt in Capitulo Leodienſi duplicem reſidentiam requiri, primam, & ſecundam, leges utriuſque reſidentiæ, & earum effectus ſunt omninò diverſi.

39. Canonicus nullos omninò fructus poteſt percipere, quouſque primam reſidentiam perfecerit, & ab illa abſolutus fuerit judicio Capituli, & ut illa prima reſidentia compleatur, tenetur reſidere in clauſtris, & in domo unius è Canonicis pernoctare, nec poteſt ab horis divinis abeſſe *ſub pœna interruptæ irremiſſibilis reſidentiæ*: ſexaginta tantùm dies ipſi conceduntur, quibus impunè poteſt abeſſe ab horis divinis, & quamdiù hæc prima reſidentia non eſt inchoata, Canonicus licèt proviſus, extraneus omninò, & Foraneus à Capitulo judicatur; ſed illa prima reſidentia peracta, admittitur in Capitulo, &

gau-

gaudet omnibus juribus Canonicatus, & vocem activam debet habere in electionibus, ſi ad ſacros ordines promotus fuerit; ſed quoad fructus temporales præbendæ, non poteſt niſi dimidiam partem percipere, quouſque ſecundam reſidentiam fecerit.

40. Ad illam primam reſidentiam poteſt admitti Canonicus quovis tempore, ſed ad ſecundam reſidentiam non poteſt admitti, niſi ſe præſentaverit perſonaliter in Capitulo S. Ægidii.

41. Quo ad ſecundam illam reſidentiam effectus ſunt diſtincti à prima reſidentia, quia, ſecunda reſidentia abſoluta, Canonicus fructus integros præbendæ percipit.

42. Leges, & conditiones ſecundæ reſidentiæ ſunt hæ præcipuè: *Ut Canonicus hoc anno reſideat apud Eccleſiam ſex menſes, & unum diem continuè, vel diſcontinuè. Quòd ſe offerat huic ſecundæ reſidentiæ perſonaliter in Capitulo S. Ægidii.*

43. Pœna deſertionis ſecundæ reſidentiæ non incurritur, niſi poſtquam Canonicus eidem ſe obtulit, & ſe ipſi complendæ ſubjecit.

44. Si non ſatisfecerit legibus ſecundæ reſidentiæ oblatæ.

45. Pro Foraneo habetur. *Nullos fructus præbendæ facit eo anno. Fructus jam receptos reſtituere tenetur. Si hoc non fecerit anno ſequenti ad eamdem ſecundam reſidentiam non admittetur. Nec gratioſa abſentia ei concedetur, ſi interim mori contingat.*

46. Ex hoc conſequitur, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium nullatenùs ſubjectum fuiſſe ulli pœnæ, quia quoad primam reſidentiam, nemo diffitetur, ab ea abſolutum fuiſſe à Capitulo.

47. Ab illo tempore abſolutæ primæ reſidentiæ Eminentiſs. Cardinalis Bullionius potitus eſt omnibus juribus Canonicatus, & in præcedenti Electione Joannis Baronis de Elderen, vocatus fuit ſpecialiter, licèt tunc in Provincia Lugdunenſi commoraretur, diſſitiſſima à Leodienſi: & cùm non poſſet intereſſe perſonaliter Electioni, admiſſus eſt ſine ulla controverſia ad votum ferendum per Procuratorem.

48. Quoad ſecundam reſidentiam cùm ſit meræ facultatis, & pendeat ex arbitrio Canonici, qui integros fructus præbendæ lucrari vult, nemo etiam diffitebitur nunquam ſe obtuliſſe Eminentiſſimum Cardinalem illi ſecundæ reſidentiæ, conſequenter cùm verba ſtatuti, *pro Foraneo habeatur*, nulli poſſint applicari, niſi illi Canonico, qui ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuit in feſto S. Ægidii, & poſtea non implevit tempus ſecundæ reſidentiæ, patet, quòd in vim ſtatutorum non poterit unquam declarari pro Foraneo à Capitulo Leodienſi, cùm ſecundæ reſidentiæ nunquam ſe obtulerit.

49. Advertendum eſt inſuper reperiri in ſtatutis titulum ſpecialem, qui ſubſequitur illos, qui de prima, & ſecunda reſidentia diſponunt, ſcilicet titulum de Foraneis, ſub quo ſpeciali titulo, *de Foraneis*, illi ſolùm Foranei declarantur, qui primam reſidentiam non fecerunt.

50. Poſteà ſubſequitur titulus ſpecialis *de gratioſis abſentiis*, ſub quo quidem titulo ſtatuitur de illis, qui in Capitulo Sancti Ægidii comparere poſſunt: verba hujus articuli ſic proferuntur: *Qui primam reſidentiam fecerit, ſiquidem 25. ætatis annos compleverit, & in feſto S. Ægidii per ſe, aut Procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialiter pro illo anno mandatum habentem, gratioſam abſen-*

abſentiam ſibi dari petierit, arbitrio Capituli condecetur.

51. Certum eſt nullam pœnam adjici contra illum, qui per ſe, aut Procuratorem in Capitulo S. Ægidii non comparuerit ad gratioſam abſentiam obtinendam, neque ipſum pro Foraneo habendum, ſicuti in titulo de ſecunda reſidentia pronunciatur. Nulla alia pœna inſequitur ex defectu ejuſmodi comparitionis, niſi privatio gratioſæ abſentiæ, quæ non extenditur ulteriùs, quàm ad privationem fructuum temporalium præbendæ.

52. Ut cavillatio Capituli Leodienſis dilucidiùs innoteſcat, poteſt ex ipſis ſtatutis ſtabiliri duplicem eſſe foraneitatem, unam formalem, alteram interpretativam, & impropriè dictam.

53. Foraneitas formalis eſt illa, quæ inducitur ſub titulo ſpeciali *de Foraneis*, & reſpicit ſolummodò Canonicum, qui primam reſidentiam non complevit.

54. Foraneitas interpretativa ſtabilitur ſub titulo *de ſecunda reſidentia* contra Canonicum, qui poſtquam ſe ſecundæ reſidentiæ obtulit, ad illam perficiendam ſe obligavit, & eamdem poſtea deſerit, qui eo caſu *pro Foraneo habetur*.

55. Certum eſt autem, Leges, Canones, & Statuta ſemper interpretationem admittere debere ex ſubjecta materia, & idcircò ſemper, præcipuè cùm agitur de pœna infligenda, titulus Legis, Canonis, vel Statuti attendendus eſt: & conſequentèr cùm Eminentiſs. Cardin. Bullionius nullatenùs poſſit comprehendi, neque ſub titulo *de Foraneis*, quia primæ reſidentiæ ſatisfecit, nec etiam comprehendi poſſit ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, quia ipſe nunquam ſe obtulit in Capitulo, ut admitteretur ad præfatam ſecundam reſidentiam, evidentèr patet illam prætenſam foraneitatem, quæ ipſi opponitur, nullum omninò fundamentum habere in ſtatutis, cùm non poſſit Eminentiſs. Cardinalis comprehendi, niſi ſub titulo de gratioſa abſentia, in quo nulla alia pœna introducitur contra illos, qui per ſe, vel Procuratorem non comparuerint in Capitulo Sancti Ægidii, niſi privatio fructuum præbendæ, quæ nullatenùs poteſt extendi, ex ipſa mente Statutorum, ad privationem vocis activæ, neque ad inductionem foraneitatis formalis, vel interpretativæ.

56. Nam advertendum eſt, Statuta, præſertim pœnalia, non poſſe extendi de caſu expreſſo ad alium non expreſſum, & in his caſibus, caſus non expreſſus cenſetur pro omiſſo, quod quidem patet ex ipſiſmet Statutis, ubi foraneus ſolummodò declaratur qui primam reſidentiam non complevit, & pro foraneo habetur qui ſecundæ reſidentiæ ſe obtulit, & poſtea illam deſeruit.

57. Si mens condentium fuiſſet, ut eidem pœnæ ſubjicerentur Canonici, qui gratioſæ abſentiæ indulgentiam non petierunt in Capitulo S. Ægidii, proculdubio illam etiam expreſſiſſent ſub hoc titulo *de gratioſis abſentiis*, & illa obmiſſio non fortuita cenſeri debet, ſed potiùs maturè adhibita intelligi debet, ut intelligeretur, Canonicum, qui neglexit petere per ſe, vel Procuratorem gratioſam abſentiam, nulla alia pœna percellendum eſſe, niſi privationis fructuum præbendæ.

58. Opponitur à Capitulo tertium Statutum, quod reperitur ſub titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus.

59. Hic obſervandum eſt, quòd Capitulum Leodienſe in extracto tranſmiſſo ad Eminentiſs. Cardinalem Bullionium, dum in Civitate Huyenſi commora-

morabatur, Articulum Statuti ſic concepit: *Item Canonicus Foraneus: item qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit: item qui in Sacro Subdiaconatus ordine non eſt conſtitutus, nullo modo, etiamſi de electione Epiſcopi, Præpoſiti, Decani, aut quacumque, & quantamvis ardua re tractetur, negotiis Capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere non poterit, ſic tamen quòd vacante Epiſcopatu, Præpoſitura, aut Decanatu (impenſa eligendi) abſentes Confratres vocandi ſunt.*

60. Nunc verò in Summario, quod porrigitur nomine Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria, articulus ejuſdem Statuti aliis omninò verbis conceptus reperitur, quod procul dubio dilucidè aſtruit neceſſitatem concedendi litteras compulſoriales, quia non poſſunt ſic efformari duo articuli, & extrahi ex Archiviis Capituli, qui ſint omninò diverſi, & ex hoc calliditatem, & aſtutiam, ut aliis verbis parcatur, ſuſpicari licet.

61. Articulus in Summario S. P. C. de Bavaria, ſic concipitur: *Item Canonicus Foraneus Imbannitus, qui primam ſuam Reſidentiam non fecit. Item qui in ordine Subdiaconatus non eſt conſtitutus, nullo modo poterit, etiamſi de Electione Epiſcopi, Præpoſiti, vel Decani, ſeù qualicumque ardua re, tractaretur, negotiis Capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere, interìm Electus in Epiſcopum, Præpoſitum, vel Decanum ſumptum feret tam convocationis, quàm Electionis.*

62. Sine præjudicio inſtantiæ factæ ad obtinendas litteras compulſoriales, cui quidem inſtantiæ enixiùs inhæret Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, cùm ſit de Jure, ad explicandam ambiguitatem, quæ poteſt ſuboriri ex hacce Statutorum diſcordantia, demonſtrandum eſt ex Articulo Statuti exhibito, & adducto pro parte Sereniſſimi P. Clem. de Bavaria, evidenter patere, Primum paragraphum conceptum hiſce verbis: *Item Canonicus Foraneus Imbannitus, qui primam ſuam Reſidentiam non fecit*, conjunctivè, & cumulativè accipiendum eſſe, quaſi diceretur, Canonicus is eſt Foraneus, qui eſt Imbannitus, qui primam Reſidentiam non fecit, & conſequenter illa verba nullatenus poſſunt adduci contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, cùm in confeſſo ſit, ipſum primam Reſidentiam abſolviſſe.

63. Quòd ſi ſupponatur recurrendum eſſe ad articulum tranſmiſſum ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, quod de Jure non poteſt fieri, cùm priùs ſit videndum, cui è duobus diverſè expreſſis articulis ſit inhærendum, demonſtrari adhuc facilè poſſet hoc Statuto nihil aliud ſtabiliri, niſi ut Foranei arceantur ab Electionibus, at non explicatur in eodem Statuto quis cenſendus ſit Foraneus, *quod eſt in quæſtione*; ſed dato non conceſſo, Foraneos arcendos ab Electione, negatur ex parte Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii ſe pro Foraneo haberi ex illo Articulo, prout ſuperiùs ſtabilitum fuit.

64. Sed ſi penitiùs mens ejuſdem Statuti inſpiciatur, licet conjicere ultimam clauſulam adjectam in Articulo Statuti in hæc verba: *ſic tamen quòd vacante Epiſcopatu, abſentes Confratres ſunt vocandi*, eſſe reſtrictivam præcedentis diſpoſitionis, adeòut ſemper in caſu vacationis Epiſcopatus, omnes abſentes ſint vocandi, & idcircò callidè, & aſtutè hancce clauſulam truncaverat Capitulum Leodienſe in extracto, quod primum ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium tranſmiſerat.

65. Nec obſtat quod poſteà reſpondit Capitulum, ſcilicet hanc clauſulam

eſſe rejiciendam, tamquam contrariam præcedenti diſpoſitioni, nam quis neſciat clauſulas poſteriores ex ſe reſtringere priores diſpoſitiones, ſed ſi ſupponeretur, quod non conceditur, Eminentiſſimum Cardinalem comprehendi ſub duobus Statutis, quæ de Foraneis loquuntur, ſanè poſſet ex illa intricatione Statuti concludere, quòd in pœnalibus quotieſcumque in Statutis aliqua ambiguitas, aut obſcuritas reperitur, interpretatio benignè debeat fieri ad liberationem pœnæ, & poſſet inſuper ſtabilire illam ultimam clauſulam, quæ etiam *grammaticaliter* ſumpta reſtringit præcedentem diſpoſitionem per verba: *ſic tamen poſſe benè conciliari, quia etiamſi Foranei poſſent arceri, aut in vim juris communis, aut Statutorum, tamen debent priùs vocari vacante Epiſcopatu, cùm ſint ſemper de gremio, & corpore Capituli, quamdiù non ſunt Canonicatu privati*.

66. Vocari debent ſecundùm juris communis diſpoſitionem, ut poſſint excuſationes ſuas, ſi quas habent, proponere, e.g. in illo Statuto, quod in hoc puncto, omninò juri communi conforme eſt, *Arceantur ab Electionibus illi, qui in Sacris Ordinibus non ſunt conſtituti*; ſi Canonicus ante diſceſſum ſuum è Civitate Leodienſi non eſſet in Sacro Subdiaconatus ordine conſtitutus numquid vocari non deberet, vacante Epiſcopatu?

67. Suſpenſi etiam, irregulares, & excommunicati, de jure ſecundùm *cap. quia propter De elect. & Electi poteſt.* debent arceri ab electione, numquid propterea vacante Epiſcopatu vocari non debent? non ne ſuſpicari licet Canonicum, ex quo diſceſſit ad Subdiaconatum promotum fuiſſe ab alieno Epiſcopo ſub titulo beneficii, uti ſtatuitur *cap. cùm nullus De temp. ordinat.* vel ratione domicilii, aut commenſalitatis, prout ſtatuitur in Concilio Tridentino: *Suſpenſi quoque, irregulares, & excommunicati poſſunt beneficio abſolutionis ad cautelam, aut aliis modis à ſuſpenſione, & irregularitate, aut excommunicatione ſe vindicare?* & ſic ne ipſis injuria fiat, aut de contemptu agere poſſint, cautè ordinatum eſt in hoc Statuto, ut omnes Confratres abſentes ſint vocandi.

68. Inſuper ex eodem Statuto aſtruere licet, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium nullatenùs potuiſſe privari voce activa, nam in illo Statuto comprehenduntur ſoli Foranei ſub hiſce verbis: *item Canonicus Foraneus*, qui quidem Canonicus Foraneus ex ipſis verbis Statutorum non eſt alius, quàm qui primam Reſidentiam non fecit: poſteà ſubjungitur reduplicativè, & conjunctivè illum eſſe Foraneum, *qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem Reſidentiam abſolverit*.

69. Conjungantur ergò, & verba, & mens hujuſce Statuti, nullatenùs poſſunt adaptari ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionum, cùm in hocce Statuto Foranei non habeantur, niſi illi qui primam, & annualem Reſidentiam non abſolverunt, & per illam particulam *niſi*, cui ſubjunguntur hæc verba: *Primam, & annualem Reſidentiam abſolverit*: Palàm eſt, tùm ex verbis, tùm ex mente Statutorum ſemper eximendos eſſe à pœna Foraneitatis illos Canonicos, qui primam Reſidentiam abſolverunt, & conſequenter cùm in dubium non vertatur, quin Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius hancce primam Reſidentiam abſolverit, numquam potuit arceri ab Electione, & illa pœna Foraneitatis nullum fundamentum poteſt habere neque in verbis, neque in mente Statutorum.

Obje-

Objectiones Adverſariorum diluuntur.

70. Cum ex hac Statutorum Capituli Leodien. diſquiſitione evidenter probatum fuerit, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionum nullatenùs tamquam Foraneum privari potuiſſe voce activa in Electione Epiſcopi Leodien. cùm neque comprehendatur in Statuto de Foraneis, neque pro Foraneo haberi potuerit, cùm ſecundæ reſidentiæ, quæ eſt meræ facultatis, ſe nunquam obtulerit, diluendæ ſunt aliquæ objectiones, quæ nunc callidè opponuntur, ut ſtatus quæſtionis, quoad foraneitatem, ſi fieri poſſet, mutaretur, quia nunc Adverſarii conjiciunt, facilè ex congerie integra ſtatutorum, ubi primum in forma authentica producta fuerint, eorum fallaciam clariùs eſſe detegendam, obtendere conantur nova motiva, quæ poterant excludere Eminentiſſimum Cardinalem à convocatione in Electione nuperrimè facta.

71. Primò contendunt, abſentes vocandos non eſſe, *niſi commodè vocari poſſent*, & captiosè illa verba *commodè*, interpretantur, quia ſuppouunt Eminentiſſimum Cardinalem non potuiſſe commodè vocari propter bella ingruentia, & quia ratione officii ſui Magni Eleemoſynarii ſuſpectus videbatur, ſi ipſi ingreſſus in Civitate Leodien. conceſſus fuiſſet.

72. Illud ſanè argumentum calumniandi animo proponitur, nam certum eſt, numquam actus poſſe operari ultra intentionem agentis, nec cuiquam licere ſententiam ſuam mutare in præjudicium alterius.

73. Sed ex omnibus litteris ſcriptis à Capitulo Leodienſi poſt decretum de die 27. menſis Februarii, quo Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius privatus eſt voce activa, *tamquam Foraneus*, certò certiùs eſt, nullam aliam rationem adductam fuiſſe à Capitulo Leodienſi, propter quam contenderet Eminentiſſimum Cardinalem Bullionum privatum eſſe voce activa, quàm quòd Foraneus habendus eſſet; ſæpiùs enim proteſtatum eſt Capitulum ſe dolere, *quòd Statutis Eccleſiæ inhærendo, non poterat convocare Eminentiſſimum Cardinalem, ſub prætextu hujuſce foraneitatis.*

74. Ut accuratiùs hoc demonſtretur, quamquam ex ipſa litterarum in *Sum.* relatarum inſpectione, illud patefiat, obſervandum eſt tum in ipſo Inſtrumento Electionis Sereniſs. Principis de Bavaria, tùm in Inſtrumento Electionis Princip. Neoburgen. omnes, & ſingulos Canonicos capitulariter congregatos agnoviſſe, Confratres omnes Canonicos receptos ritè, & admiſſos apud Eccleſiam reſidentes, ſeù pro reſidentibus habitos, licèt abſentes, ubilibet commorarentur, convocandos, & citandos fuiſſe; undè ex hac ſolemni declaratione eruitur, nullum Canonicum ex mente Capituli arcendum fuiſſe ab Electione, niſi illum, qui pro non reſidente haberi poterat, quæ verba ſatis declarant, ſolos foraneos excluſos fuiſſe, tamquam pro non reſidentibus habitos.

75. Sed ut omnes ambages removeantur, obſervandum, eadem ipſa die, qua Capitulum Leodien. declaravit E. C. Bull. privandum voce activa tamquam Foraneum, decreviſſe, ut litteræ convocatoriales expedirentur pro Abbate Comite de Poitiers Canonico ejuſdem Eccleſiæ, qui in Galliis degebat, & cujus frater germanus actu in Exercitu Regis Chriſtianiſſimi munia bellica exercet, qui quidem Comes de Poitiers duas Abbatias in Francia obtinet, & in litteris ſcriptis nomine ejuſdem Capituli ad eumdem Comitem de Poitiers teſtatur Capitulum, ipſius convocationem in Electione nullam pati difficultatem,

tem, *quia non erat Foraneus*, & conſequentèr cùm idem Comes de Poitiers, qui ſedem fortunarum habebat in Regno Franciæ, & juramentum fidelitatis præſtitit Regi Chriſtianiſſimo, ſine ulla difficultate convocatus fuerit ad Electionem, vani ſunt omninò prætextus hoſtilitatis,& belli, qui nunc à Capitulo Leodien. opponuntur.

76. Quoad verba *ſi commodè vocari poſſent*, quæ captiosè adducuntur,certum eſt ex *cap. quia propter De Electione, & Electi Poteſtate*, reſpicere ſolùm diſtantiam domicilii eorum,qui vocari debent, ſi v. g. abſentes ſint in Provinciis remotiſſimis, aut ipſorum domicilium ignoraretur, tunc cùm non poſſent commodè vocari, etſi non vocentur, non poſſunt poſteà agere de contemptu. *Concil. equidem Lateranen. in cap. quia propter* ſtatuit primùm,Electionem celebrandam eſſe præſentibus omnibus, qui *debent,& volunt,& poſſunt commodè intereſſe*, quia ut inquit *Gloſſ. ibidem*, omnes, qui habent jus in Electione ſunt vocandi, & hoc verbum *commodè* reſpicit ſolummodò eum, qui debet vocari, ſed nemo unquam dubitavit,eos Canonicos omnes *commodè* vocandos eſſe, qui ſunt in Provincia, & in Diœceſi, in qua Electio debet celebrari; undè cùm Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius eſſet in Provincia, & in Diœceſi Leodien. antequam de convocatione abſentium tractatum fuerit, illius convocatio commodiſſimè poterat fieri, cùm ipſe vellet, & poſſet commodè intereſſe Electioni, quia facilis erat commeatus de Civitate Huyenſi Diœceſis Leodien. ad Civitatem Leodien. quæ diſtabat ſolummodò 12. milliaribus,& revera Capitulum numquam de hac commoditate dubitavit, cùm ſolam foraneitatem oppoſuerit E. Card.

77. Secundò nunc opponitur, Statuta Capituli Leodien. firmitatem habere, cùm ſint longo uſu comprobata.

78. Reſpondetur. Non poſſe de validitate hujuſmodi Statutorum ſtatui, quouſque in forma authentica producta fuerint; ſed ſupponantur, ſi libet,valida, jam demonſtratum eſt,defectum comparitionis in Capitulo S. Ægidii per ſe, vel per Procuratorem, quoad illos, qui ſecundæ reſidentiæ noluerunt ſe offerre, non poſſe ad aliam pœnam extendi, niſi ad privationem gratioſæ abſentiæ, quę nihil aliud poteſt importare,niſi privationem fructuum temporalium Præbendæ.

79. Inſtant Adverſarii, & obtendunt, in privatione fructuum Præbendæ comprehendi etiam privationem vocis activæ,quia collatio,aut jus eligendi eſt in fructu.

80. Abſurdum eſt omninò illud conſequens, nam cùm Jus ſuffragii ferendi in electione, ſit merè ſpirituale, & titulo Canonicatus inhæreat, non poteſt ullatenus comprehendi in fructu temporali: & revera licèt aliqui prætendant collationem beneficiorum eſſe in fructu,tamen non comprehenditur in fructu temporali, & utili, ſed in fructu honorifico, qui ſemper procedit, & pendet à titulo beneficii.

81. Quod quidem benè agnovit Capitulum Leodien. nam licèt foraneum declaraverit Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, numquam ipſi ullam controverſiam movit quoad collationem omnium beneficiorum,& officiorum, quorum diſpoſitio ad ipſum ſpectabat ratione Præpoſituræ, Cuſtodiæ, aut Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis Leodien. Immò proviſi ab eodem, admiſſi ſunt à Capitulo, quæ ſatis arguunt quantùm hallucinentur illi, qui privatio-

nem

nem fructuum temporalium Præbendæ volunt extendere ad privationem juris ſpiritualis in ſuffragio ferendo in electione, & juris conferendi beneficia.

82. Deindè certum eſt, leges pœnales numquam debere extendi ex ſola, & pura ſimilitudine rationum ad caſum non expreſſum, & nullo modo comprehenſum in lege. *Gloſ. in cap. in fidei. verb. inquiſitionis De hæretic. in 6.* quia leges, aut ſtatuta pœnalia cùm ſint odioſa numquam poſſunt extendi de uno caſu ad alium.

83. Tertiò opponitur, Eminentiſs. Card. Bullionium comparuiſſe per Procuratorem in Capitulo S. Ægidii ab anno 1671. uſq; ad annum 1688. incluſivè, nec ſe ab hac comparitione abſtinuiſſe, niſi ab anno 1689. quo tempore bellum indictum eſt; undè concluditur ipſum agnoviſſe neceſſitatem hujus comparitionis à Statuto ſtabilitam.

84. Nil ſanè ex hac objectione poteſt concludi, cùm ſemper ſupponatur quod eſt in quæſtione, ſcilicet quòd ex hoc defectu comparitionis inducatur privatio vocis activæ, quod jam ſæpiùs impugnatum fuit.

85. Certum eſt etiam, quòd licèt numquam Eminentiſs. Cardinalis, ex quo proviſus fuit de Canonicatu, Præpoſitura, & Cuſtodia, ullos fructus ex iis beneficiis in proprios uſus converterit, ſed illos omnes, vel in fabricæ Eccleſiæ utilitatem, vel in pauperum ſubſtentationem impendi ſemper procuraverit, ſanè ſi illa comparitio per Procuratorem in Capitulo S. Ægidii requiſita fuiſſet, non poterat ad alium finem tendere, niſi ut lucraretur fructus Præbendæ; ſed hæc comparitio quoad ipſum, numquam eo fine facta fuit, quia fructus Præbendæ ſemper lucratus fuiſſet, ſi voluiſſet, propter privilegium Cardinalitiæ Dignitatis, ſicut inferiùs demonſtrabitur.

86. Sed cùm iſti actus comparitionis per Procuratorem in Capitulo Sancti Ægidii ſint merè voluntarii, & facultativi, prout innuit illud Statutum, præſumi debent facti potiùs ex urbanitate, quàm ex neceſſitate, undè nullam potuerunt inducere obligationem. *lege Lucius* 88. *§. Teſtator, ff. de legat. 2. Pignatell. conſult. Canon.* 68. *num. 2. tom. 2.* undè non poſſunt in conſequentiam trahi.

87. Quartò opponitur, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionum ſe juramento obſtrinxiſſe ad obſervationem Statutorum Capituli Leodien.

88. Reſpondetur, ſemper ſupponi quod eſt in quæſtione, nam ſupponitur in Statutis prætenſam foraneitatem ſtabiliri, licèt contrarium, etiam ad ſatietatem, probatum fuerit.

89. Sed ſi ex ſuppoſito, non conceſſo, aliquando cum Adverſariis licet ratiocinari, facillimè oſtendetur juramentum generale præſtitum à Cardinali, ipſum non obligare contra privilegia ſuæ Dignitatis; nam in omnibus pactionibus, & conventionibus ſemper ſubintelligitur hæc clauſula *ſalva Dignitate*, quia nemo poteſt privilegio, indulto ordini, vel collegio renunciare, cùm juramentum ſit vinculum juris, & non iniquitatis, e. g. ſi Clericus renunciaret privilegio Fori Eccleſiaſtici, illa renunciatio etiam firmata jurejurando non poſſet ipſum obligare.

90. Notandum eſt etiam ex communi Doctorum ſententia, maximam eſſe differentiam inter juramentum ſpecificum, & juramentum generale, ſi v. g. aliquis juret ſpecificè, & in individuo, ſe obſervaturû certam legem ſpecialem, aut conſtitutionem, poteſt ad illius obſervantiam obligari; ſed quoad juramentum ge-

generale, quod præſtatur à Canonicis circa obſervantiam plurimorum Statutorum in genere, quæ pleraſque diſpoſitiones comprehendunt, ſemper reſtringi debet ad illa capita, quæ poſſunt competere cum jurantis conditione, & prærogativa, quia nemo contra ſe ipſum, & contra ſui Ordinis, & Collegii privilegia jurare intelligitur, quod benè notavit Nicolaus III. Summus Pontifex in *cap. 1. De jure jurando*, in quo expreſsè loquitur de illis juramentis, quæ præſtantur à Canonicis, dum admittuntur in aliquam Eccleſiam, & declarat expreſsè, *illa juramenta generalia ſub hujuſmodi generalitate, qualitercumque, & ſub qualicumque verborum forma præſtita, vel præſtanda, ad ea tantùm extendi debere, quæ Eccleſiaſticæ libertati non ſunt obviantia, ipſoſque jurantes ad alia non teneri, cùm juramentum non fuerit inſtitutum, ut eſſet vinculum iniquitatis.*

91. Sunt ſcilicet in Statutis Capituli Leodien. centum circiter Articuli, dum Canonicus admittitur: plerumque illa ſtatuta non exhibentur, porrigitur ſtatim formula juramenti, & præſtatur ſine ulla deliberatione generaliter; certum eſt illud juramentum generale non poſſe extendi, niſi ad Articulos, qui non omninò adverſantur dignitati perſonæ jurantis, & non obviant libertati Eccleſiaſticæ, alioquin illa forma juramenti generaliter facti, eſſet omninò captioſa, & illud juramentum fieret vinculum iniquitatis, & non juris. *Gloſſa in verbo Juramenta De his, quæ fiunt à maj. parte Cap.*

92. Proculdubio juramentum, quo Canonicus ſe privaret voce activa in Electione, extrà caſum à jure expreſſum, libertati Eccleſiaſticæ, quæ præcipuè in Electionibus Canonicis debet obſervare, obviaret, cùm ex *diſpoſitione Concil. Lateranen. cap. quia propter*, omnes Canonici in ſacris Ordinibus conſtituti ſuffragium habere debeant in Electione Epiſcopi.

93. Præterea Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius non poterat propter Dignitatem Cardinalitiam ſubjici pœnis, quæ contra alios Canonicos non reſidentes, aut comparentes in certo Capitulo, poterant à Statutis infligi, cùm ab illis immunis omninò eſſet, ratione Cardinalitiæ Dignitatis, ut infra probabitur, & ſic juramentum generale reſtringi deberet ad alios articulos, qui cum prærogativa dignitatis poterant conciliari.

94. Quintò opponitur, Sereniſs. Principem Ducem Bullionii fratrem germanum Eminentiſs. Cardinalis de facto occupare Caſtrum, & Dominium Bullionenſe, licèt de jure ſpectet ad Epiſcopatum Leodienſem, & idcircò gentem, & familiam Eminentiſs. Cardin. Bullion. Statui Leodien. eſſe ſuſpectam, ideòque non vocandum fuiſſe in Electione.

95. Hanc ſanè objectionem non probaret Capitulum Leodienſe, ſi ipſius nomine ageretur, ſed contumelia gratis fit, & genti, & perſonæ Eminentiſs. Cardinalis. Nunc non agitur de probanda juſtitia retentionis factæ à S. P. Duce Bullionii Caſtri, & Dominii ſupremi Bullionenſis; quod jure hæreditario, & legitimo poſſidet: hæ controverſiæ diſcuſſæ fuerunt in fœderibus pacis, ſed (pace dictum ſit illorum, qui jura tuentur S. P. Clem. de Bavaria) vani, & futiles omninò illi prætextus ſunt habendi; numquam enim Eminentiſs. Cardin. Bullion. tamquam ſuſpectus habitus, & rejectus fuit in Capitulo Leodien. imò ipſius ſedulitas, & incredibilis ſollicitudo ad bona Eccleſiæ, & Patriæ Leodienſis tuenda, & propugnanda, ſæpius ab ipſo Capitulo Leodien. agnita, laudata, & magnis encomiis comprobata fuit, quod ſatis patet in pleriſque delibera-

bera-

berationibus capitularibus, & ſingulare erga ipſum ſtudium Capituli innotuit, dum ipſum anno 1675. aſſumpſit in Præpoſitum. Notum eſt etiam omnibus, communi omnium Canonicorum voto in præcedenti electione in Epiſcopum Leodien. expoſtulatum fuiſſe, nec defeciſſent eadem vota, & deſideria conjuncta cum populorum ſuffragio in ultima electione, ſi libertas in electione aliqua ſuperfuiſſet; ſed ipſam omninò ſuſtulerunt Duces militum confœderatorum, qui ſatis ſubodorabantur, quantum mores, & conſuetudines Eminentiſs. Card. Bullionii arridebant Capitulo Leodien. necnon quantum ipſius propenſio ad procurandam tranquillitatem Eccleſiæ, & Patriæ Leodien. omnibus perſpecta eſſet, undè totis viribus incubuerunt Duces armati, ut arceretur ab Electione prædictus Eminentiſs. Cardinalis.

96. Sextò opponitur, Emin. Card. Bullionium agnoviſſe validitatem Statutorum Capituli Leodien. quia quando promotus fuit via electionis ad Præpoſituram, ſe ſpeciali indulto ſa. mem. Clementis X. eximere voluit ab obligationibus impoſitis à Statutis Præpoſito Leodien.

97. Hæc ſanè objectio nihil concludit, nam revera ſi producantur Statuta Capituli Leodien. invenietur, Præpoſitum ſpeciali juramento obligari ad reſidentiam continuam promittendam in Eccleſia Leodien. antequam admittatur à Capitulo; undè nulla ex hoc conſequentia poteſt trahi ad alias obligationes, quæ in Statutis non reperiuntur: vana eſt ergo, & futilis illa objectio.

98. Sed ſi Breve ſan. mem. Clementis X. attentiùs perpendatur, tantum abeſt, ut illud poſſit adduci contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, ut è contra in ipſius favorem meritò retorqueri debeat, cùm expreſſiſſimis verbis privilegium Cardinalitiæ dignitatis agnitum fuerit, & confirmatum.

99. Expoſuit ſcilicet Eminentiſs. Card. Bullionius ſpeciali, & individuo juramento Præpoſitum Eccleſiæ Leodien. teneri ſe obligare ad reſidentiam perſonalem, quæ quidem reſidentia de jure communi impoſita eſt Præpoſituræ, cùm ipſi jurisdictio incumbat, poſtea ſan. mem. Clem. X. dum ipſi indulgentiam hujuſmodi juramenti concedit, fatetur expreſsè ad reſidentiam non obligari ratione Cardinalitiæ dignitatis, ac proinde juramentum de illis Statutis ſervandis præſtare non poſſe: hiſce verbis ſic effatur Summ. Pont. *Tu verò ratione Cardinalitiæ, qua fulges, dignitatis, præmiſſam* (ſcilicet reſidentiam) *ſervare, ac proinde juramentum de illis ſervandis præſtare nequeas*; undè fundatur indulgentia, ſeu abſolutio à juramento, ratione Cardinalitiæ dignitatis, nam hæc verba, *cùm nequeas* ſervare reſidentiam, important privilegium non reſidendi cum illa, ſi ita fari licet *impotentia*, non procedat de jure, ſed de dignitate, & prærogativa perſonæ, quæ ipſum eximebat à reſidentia, & poſtea ſubdit Summus Pontifex, Eminentiſſimum Cardinalem non poſſe præſtare juramentum de ſervandis Statutis, quæ non poterant compati cum immunitate dignitatis Cardinalitiæ.

100. Ex his patet, hanc diſpenſationem non eſſe inductivam novi juris, & privilegii, ſed præſervativam tantùm injuriæ, quæ facta fuiſſet Cardinalitiæ dignitati, ſi ad illud juramentum ſpeciale inductus fuiſſet Eminentiſſimus Cardinalis.

101. Ex eodem Brevi Apoſtolico poteſt etiam confirmari immunitas reſidentiæ quoad ipſum Canonicatum, de quo jam proviſus erat Eminentiſs. Cardin.

din.Bullionius, quia cùm Summus Pontifex declaraverit,Eminentiſs. Cardin. Bullionium non poſſe,*ratione ſuæ Cardinalitiæ dignitatis*,præſtare juramentum de reſidentia ſervanda, quoad dignitatem primariam in Eccleſia,cui de jure communi onus reſidentiæ impoſitum erat, propter juriſdictionem conjunctam, à fortiori declaravit exemptum eſſe à reſidentia *ratione Canonicatus*, quem jam obtinebat, & cui nulla functio peculiaris, quæ reſidentiam ex ſe requirat, annexa videtur.

102. Obſervandum eſt etiam,neminem in Præpoſitum Leodien.eligi poſſe, niſi ſit Canonicus actu in eadem Eccleſia, & tunc Canonicatus cohærere intelligitur Præpoſituræ, tamquam acceſſorium principali, atque ita, ſi dubium aliquod poſſet ſupereſſe, omninò tolleretur ex illo Brevi Apoſtolico, quia Canonicus, & Præpoſitus tunc identificantur in eodem ſubjecto, itaut ea, quæ ratione Canonicatus poſſunt competere, competant etiam ratione Præpoſituræ, & viceverſa, quia reciprocantur.

103. Septimò opponitur, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium non potuiſſe vocari propter Litteras avocatorias Imperatoris Cæſarei, & ipſum id agnoviſſe,cùm ſæpius inſtiterit apud Capitulum Leodienſe, ut ipſi ſalvi-conductus à Principibus confœderatis procurarentur, quod non erat in poteſtate Capituli.

104. Reſpondetur,commentitium adhuc eſſe illum prætextum, nam Capitulum in litteris convocatorialibus Comitis de Poitiers, relatis in Summario, agnovit ſub prætextu illarum litterarum avocatoriarum non eſſe arcendum ab electione eumdem Comitem de Poitiers, *quia non erat foraneus*, ſed ipſi ſolummodò inſinuavit ſe in inſtanti vacationis Eccleſiæ Leodien. ſcilicet die quinta menſis Februarii decreviſſe, *Procurationem ſalvorum-conductuum non ad ſe pertinere, ſed ad Confratres abſentes*. In omnibus litteris ſcriptis ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, ſæpiùs idem repetiit, & ſtatim ſubjecit procurationem ejuſmodi ſalvorum-conductuum inutilem omninò futuram reſpectu Eminentiſſimi Cardinalis, *cùm propter foraneitatem* non deberet intereſſe Electioni, & revera præciſo à Capitulo Leodien.antecedenti, ſcilicet ipſius convocatione, tollebatur ex conſequenti procuratio ſalvorum-conductuum.

105. Sed eo loci, in quo agitur de ſalvis-conductibus, duo præcipuè obſervanda ſunt,quæ non ſolùm contemptum Eminentiſſimi Cardinalis,ſed etiam illuſionem factam Summo Pontifici detegunt; nam ante electionem Sanctiſſimus D.N. Innocentius, Legum Canonicarum acerrimus vindex,& Canonum Eccleſiæ propugnator, animi ſui ſenſus ſatis explicuerat circa convocationem omnium Canonicorum abſentium, undequaque eſſent, quia cùm Eccleſia ſit una, & univerſalis,nullam admittit exceptionem perſonarum in actibus, qui ad Eccleſiam jure ſpirituali ſpectant: hiſce motus Summus Pontifex declaravit, omnibus Canonicis Leodien. aditum facilem præbendum eſſe in futura electione,& ut omnis prætextus hoſtilitatis tolleretur,reſcribi curavit ad Nuntios ſuos Apoſtolicos Viennæ, & Bruxellis commorantes, ut inſtarent, tum apud Imperatorem, tum apud S.P. Ducem Elect. Bavariæ Proregem Germaniæ inferioris, ut procurarentur citò citiùs ſalvi-conductus omnibus Canonicis exteris, ut ſecuriùs poſſent intereſſe electioni futuræ.

106. Quod quidem ſedulò peregit Nuntius Apoſtolicus Viennen.qui litteris

teris ſuis de die 31. Martii proximè præteriti certiorem fecit Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, ſe apud Comitem de Vindiſgraz Vice-Cancellarium Imperii colloquutum fuiſſe,& S.C.Majeſtatem ſalvum-conductum conceſſiſſe, & ſubſtuliſſe omne impedimentum, quod poterat procedere, tum ex ratione Eminentiſſimi Cardinalis,tum ex litteris avocatoriis Imperatoris,ratione belli publicatis,& illum ſalvum-conductum tranſmittendum eſſe ad Principem de Hildershim S.C.M. Legatum in Civitate Leodien. quæ quidem litteræ originales referuntur; ſed quia Legatus Imperatoris agnovit propenſionem ſingularem omnium Canonicorum Leodien. erga Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, illum ſalvum-conductum tranſmittere recuſavit, & finxit ad ipſum nondum perveniſſe.

107. Sed quidquid ſit, duo ex litteris Nuntii Apoſtolici arguuntur, ſcilicet mens Summi Pontificis, qui ante electionem judicavit prætextum belli, & hoſtilitatis non debere officere convocationi Canonicorum abſentium, cui deciſioni omninò eſt inhærendum: mens etiam Imperatoris innoteſcit, dum ſubſtulit omninò impedimentum, quod ex litteris avocatoriis poterat procedere, unde manifeſtè evincitur, vanum omninò eſſe prætextum hoſtilitatis.

108. At, ut evidentior contemptus Eminentiſſimi Cardin. Bullionii ſtabiliatur, obſervandum eſt in ſuis litteris, cùm omnia recuſari videret,enixè à Capitulo Leodien. petiiſſe, ut ſaltem nomine Capituli ſalvi-conductus expedirentur, quos omnibus paſſim concedebat, prout conſtat ex Summario.

109. Huic juſtæ poſtulationi non acquievit Capitulum Leodien. & cùm inſtaret Eminentiſſimus Cardinalis,ut ſaltem ſalvus-conductus concederetur, ut munia Præpoſituræ Leodienſis poſſet exercere, pertinaciùs recuſavit Capitulum,& hoc pacto impeditus fuit Eminentiſſimus Cardinalis, quo minus ſua juriſdictione uteretur in Eccleſiis ſibi ſubjectis,ratione ſuæ Præpoſituræ, quæ in Diœceſi Leodien. maxima eſt poſt Pontificalem, quod quidem delictum ita grave eſt, *Diana teſte par.5. tract.2. reſolut.* 82. ut ipſo facto excommunicati ſint, qui impediunt, quo minus Cardinales dignitatis ſuæ officia explere poſſint.

110. Octavò. Concedunt Adverſarii, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium potuiſſe,& debuiſſe ſuffragium ferre in electione nuperrimè facta per conſtitutionem Procuratoris, ex quo commodè non poterat vocari propter bella.

111. Tantùm abeſt, ut hæc objectio facta nomine Seren. Principis Clementis de Bavaria poſſit ipſi patrocinari, quin potius ex ipſa evidentior appareat contemptus, quem dignitatis ſuæ, ac Juris factum fuiſſe queritur Eminentiſſimus Cardinalis.

112. At, ut hæc cavillatio evidentior fiat.

113. Primò, ſemper in memoria revocandum eſt, nullam aliam rationem antea adductam fuiſſe à Capitulo Leodien. ante interpoſitam appellationem, propter quam contenderet,Eminentiſſimum Card. Bullionium privatum eſſe voce activa in electione facienda, quàm quòd foraneus habendus eſſet; nunc verò ex ipſorum Adverſariorum ore colligitur, ipſum foraneum non fuiſſe; num enim ille foraneus habendus erat?qui quòd ipſe electioni propter bellum intereſſe non poterat, tamen poterat votum ſuum ferre per Procuratorem in eadem electione. Porrò cùm perpendunt Adverſarii debuiſſe,& potuiſſe Emi-

nentiſs.Cardin. Bullionium votum ferre per Procuratorem, ſimul concedunt non privandum, aut privatum fuiſſe jure vocis activæ, adeòque non potuiſſe cenſeri foraneum.

114. Secundò, qua fide, quo judicio conqueri, aut objicere poſſunt Adverſarii, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium debuiſſe ferre votum per Procuratorem, cùm agnoſcunt, Capitulum Leodien. iteratò, & ſæpiùs pronunciaſſe ipſum *pro foraneo habendum*, cùm foraneus, neque per ſe, neque per Procuratorem eligere poſſit, ex eorum ſuppoſitis?

115. Tertiò, interpellatus non fuit E. C. à Capitulo Leodien. ut Procuratorem mitteret, & revera fruſtranea omninò futura fuiſſet conſtitutio Procuratoris, cùm E. C. de Furſtembergh, qui longè diſtabat à loco electionis, miſerit procurationem ſuam ad votum ferendum, quam quidem conſtitutionem repræſentavit in ipſo actu electionis Comes de Poitiers, unus è Canonicis; ſed hæc conſtitutio omninò rejecta fuit à Capitulo propter prætenſam foraneitatem E. C. de Furſtembergh; vana eſt ergo omninò illa objectio.

116. Cùm ex hiſce omnibus præmiſſis, tum ex diſquiſitione Statutorum, tum ex ſolutione objectionum appareat liquidò E. C. Bullion. nullatenus privandum fuiſſe voce activa, ſupervacaneum omninò videtur differere de privilegio Cardinalitiæ Dignitatis, quæ contempta omninò fuit; ſed cùm ægrè patiatur Eminentiſs. Card. Bull. hodie ex parte Sereniſs. Principis Clementis de Bavaria in Curia Romana in controverſiam deduci prærogativam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ad exuberantiam juris demonſtrandum eſt, quòd etiam ſi expreſsè in Statutis foraneitas induceretur, & privatio vocis activæ contra Canonicos, qui non comparuerunt in Capitulo Sancti Ægidii per ſe, vel Procuratorem expreſsè ſtabiliretur, ab illa pœna ſemper immunem fuiſſe Eminentiſſimum Cardinalem. Nam ille defectus comparitionis, ſi quis poſſet argui, procedit ex defectu reſidentiæ, prout innuit Capitulum Leodien. unde cùm Eminentiſs. Card. diſpenſatus ſit à reſidentia in omnibus dignitatibus Eccleſiaſticis inferioribus Epiſcopatu, à fortiori non potuiſſet ſubjici pœnis, quæ ſtatui poſſent contra illos, qui non comparent in Capitulo S. Ægidii per ſe, vel Procuratorem ad gratioſam abſentiam obtinendam; nam diſpenſatus in principali, ſcilicet à reſidentia, à fortiori diſpenſatur etiam à comparitione in Capitulo.

117. Certum eſt autem, Statuta particularia nullatenus poſſe extendi ad S. R. E. Cardinales, cùm etiam ipſæ Conſtitutiones Pontificiæ, præſertim quando ſunt pœnales, ex unanimi Doctorum ſententia non comprehendant Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, niſi ſpecialiter in illis denotentur, & de iis expreſſa mentio fiat, *quia cùm ſint pars corporis Papæ, & ipſi Summo Pontifici aſſidere præſumantur in legibus, & conſtitutionibus ferendis, non cenſentur in ſe ipſos legem pœnalem tuliſſe*, ita *Hieron. Gigas tract. de penſ. quæſt. 59. Lud. Rom. conſil. 498. Ancharan. conſ. 245. Spada conſ. 18. Lotter. de re benefic. lib. 1 quæſt. 9. num. 75. Dian. oper. moral. tom. 5 tract. 2. de poteſt. & privil. Cardin.* & ita paſſim omnes Doctores.

118. Ex hoc mos fluxit, ut in omnibus Conſtitutionibus, etiam conciliaribus, illa clauſula adjiciatur: *quicumque qualicumque dignitate, etiam Cardinalatus, fulgeat*.

119. Sed obtenditur ab Adverſariis, non debere gaudere privilegio Cardinales, niſi eos, qui Summ. Pont. aſſident.

120. In-

120. Indubitati Juris eſt, non ſemper requiri actualem reſidentiam apud Summum Pontificem, ut Eminentiſſimi Cardinales privilegiis Sacro Collegio indultis gaudere valeant, quia præterquamquod nunquam recedunt è Curia Romana, niſi priùs petita, & obtenta licentia Summi Pontificis, poſſunt tamen ab ipſo Summo Pontifice revocari in Cur. Romanam, quotieſcumque Sanctitati Suæ viſum eſſet pro bono univerſali Eccleſiæ, & ex illa animi deſtinatione, quam ſemper habere præſumuntur, ut interſint Curiæ Romanæ pro bono Religionis, ſemper remanent actu, & potentia *Conſiliarii*, *& Senatores Papæ*, qui, prout notat *Nicolaus III. cap. fundamenta De electione in 6.* ipſos quoties voluerit *in executione officii Sacerdotalis coadjutores adhibere poteſt.*

121. His ſanè motus rationibus *Jo: xxii. extravag. execrab. de Præb.* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui circa Rom. Pont. *Univerſali Eccleſiæ ſerviendo ſingularium Eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt*, declarat nullatenus ſubjiciendos eſſe pœnis, *quæ ſtatuuntur contra illos, qui plura beneficia, quæ reſidentiam requirunt, & idcircò ex ſui natura ſunt incompatibilia, retinent*; cujus quidem exceptionis nulla alia ratio adduci poteſt, niſi immunitas reſidentiæ in illis beneficiis conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus; idcircò neceſſitas reſidendi impoſita eſt ſolùm à Sacro Concilio Tridentino Cardinalibus, quoad Epiſcopatus limitativè tantùm, *ſeſſ. 23. de reform. cap. 10.*

122. Poteſt etiam Theologorum ſententia adduci. *S. Thomas par. 1. qu. 8. artic. 3. demonſtrat, duplicem poſſe admitti præſentiam, unam phyſicam, alteram moralem.*

123. Per primam, *præſens ille propriè dicitur, cujus eſſentia, & exiſtentia ſenſui præſtatur in aliquo loco.*

124. Per ſecundam, *quæ eſt moralis, aliquis eſt præſens intellectu, & non ſenſu, ſcilicet per aſſiſtentiam intellectualem invigilando bono communi, ſicut Rex licèt non ſit in uno loco, dicitur tamen eſſe in toto Regno per ſuam potentiam.*

125. Eodem modo dici poteſt per illam animi deſtinationem, & præparationem, quam ſemper habent S. R. E. Cardinales ad invigilandum, & collaborandum pro bono communi Eccleſiæ Univerſalis, illos reſidere moraliter, & non phyſicè apud Eccleſias particulares.

126. Sed ne in re tàm diffuſa longiùs excurratur, ſufficiet pro omnibus adducere ſpecialem auctoritatem *Oldradi De Pont. conſ.* 48. qui diffusè de privilegio, & prærogativa non reſidendi, quoad S.R.E. Cardinales loquitur: *Jus commune*, inquit, *pro reſidentibus habet exiſtentes in ſervitio Eccleſiæ, cap. ex parte, De Clericis non reſiden. ſervientes autem Rom. Eccleſiæ, quæ mater eſt omnium, & magiſtra, quæ omnium Eccleſiarum gerit ſollicitudinem, ſingulis Eccleſiis creditur inſervire, & in hoc privata utilitas includitur in communi . . . . & ideo Honorius IV. ſtatuit, quòd familiares Papæ, qui circa eum obſequiales ſe exhibent, fructus beneficiorum ſuorum recipiant, quia non debent minori prærogativa gaudere, quàm alii in ſervitio Eccleſiæ exiſtentes, cap. cùm dilectus, & cap. ad evidentiam, & ibi Doctores De Clericis non reſidentibus, & debet conſiderari, quòd Cardinales magis ſunt familiares, quàm alii, & principaliùs ſervitio Eccleſiæ inſiſtunt, qui etiam aſſumunt partem ponderis diei, & æſtus, ſicuti qui in partem ſollicitudinis ſunt vocati, & de quorum*

conſilio Summus Pontifex agenda ordinat, & diſponit, cap. fundamenta ſuperiùs citato, & ſunt ſibi collaterales, & pars ſui corporis eſſe videntur: hactenus *Oldradus*.

127. Ex omnibus ſuperiùs deductis exurgit graviſſimus contemptus Em. Cardin. Bullion. cujus quidem contemptus gravitas non ſolùm colligitur ex qualitate perſonæ contemptæ, ſcilicet Præpoſiti Maioris, Cuſtodis, & Canonici Eccleſiæ ipſius Leodien. ſed etiam ex dignitate S.R.E. Cardinalis.

128. Præterea inducitur contemptus gravitas ex forma judicii lati à Capitulo Leodien. quod non auditum, non citatum Emin. Card. Bullion. voce activa privavit, nulla juris, nulla etiam interjectæ ab illo judicio ad Summ. Pont. appellationis, habita ratione, cui profectò ex reverentia, & jure deferri à Capitulo oportuit, ſicut inferiùs demonſtrabitur.

129. Major etiam, & evidentior contemptus reperitur, quando non ſolùm non vocatur qui vocari debebat, cùm in Diœc. conſtitutus vult admitti, & non admittitur, ſicut obſervat *Cardinalis Zabarella in cap. in Geneſi De Electione*, ſed etiam quando ejicitur unus ex Electoribus, & ſpoliatur jure eligendi, ut notat *Paſserin. cap. 14. num.* 33. non ſolùm autem vocatus non fuit Eminentiſſimus Cardinalis, ſed privatus fuit expreſsè voce activa, licèt in Diœc. Leodienſi conſtitutus ante electionem ſæpius, & inſtantiſſimè expoſtulaverit à Capitulo Leodienſi, ut admitteretur ſub proteſtatione ſolemni, & publica, ſe ſolo famulatu ſtipatum, velle accedere ad locum electionis, nec aliud acturum ſe, niſi quod è re, & bono eſſet Eccleſiæ, & Patriæ Leodien.

130. Omnia inſuper media adhibuit, & propoſuit, ut pacifica procuraretur Electio, cùm etiam literas patentes Regis Chriſtianiſſimi Capitulo Leodienſi obtulerit, quibus Regia Majeſtas pollicebatur ſuſpenſionem omnium actuum hoſtilitatis uſque ad diem primam menſis Maji, non ſolùm quoad Civitatem Leodien. ſed etiam quoad omnia Dominia, & Arces ditioni Leodien. ſubjectas.

131. Obtulit etiam nomine Regis Chriſtianiſſimi omnes ſalvos-conductus Canonicis Leodienſibus, ſi vellent de alio loco idoneo, & ſecuro convenire, in quo Electio poſſet canonicè, & liberè pertractari.

132. Illæ omnes conditiones oblatæ, rejectæ fuerunt à Capitulo Leodien. propter minas atroces quæ ipſis à Ducibus militum incutiebantur: congreſſus etiam omnes cum præfato Eminentiſſimo Cardinali denegati fuerunt, quæ omnia non ſolùm evidentem contemptum, ſed etiam denegatam juſtitiam à Capitulo, ſatis ſuperque demonſtrant.

133. Cùm demonſtratum liquidò fuerit, nullum, ac irritum prorſus eſſe judicium Capituli Leodien. necnon manifeſtum fuiſſe Capituli erga Eminentiſſimum Cardinalem Bullionum contemptum, ſupervacaneum foret hoc loco proferre omnes textus juris Canonici, qui expreſsè ſtatuunt, electionem uno ſolo ex Electoribus contempto, & conquerente, eſſe irritandam de jure, quia nemo in dubium hancce propoſitionem revocare poteſt, quam etiam ipſi Adverſarii agnoverunt.

134. Illud expreſſius tamen videri poteſt in *cap. quòd ſcut, in cap. coram, in cap. bo. mem. il 2. in cap. ſcriptum, in cap. in Geneſi De elect. & electi poteſt. & ibi omnes Gloſſatores.*

135. In illis omnibus *cap.* apertè ſtatuitur, quòd in electionibus contem-

ptus

ptus unius plus debeat obeſſe, quàm multorum contradictio in præſenti, & quòd Electio, uno ſolo contempto conquerente, debeat irritari, & caſſari, quæ quidem irritatio electionis eſt ſtrictiſſimi juris, itaùt illa nullitas non poſſit unquam ſanari, quia aliter injuria, quæ facta fuit contempto, non poteſt reparari, neque vindicari.

136. Doctores univerſi in hoc conveniunt, itaùt ſi ſingulos congerere liceret, quod faſtidioſum proculdubio eſſet, omnes, nemine reclamante, in id conſentirent.

De Attentatis in præjudicium Appellationis.

137. Nunc de attentatis in contemptum auctoritatis ipſius Summi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ, paucis differendum occurrit.

138. Advertendum eſt, poſt appellationem legitimè interpoſitam, & intimatam Capitulo Leodien. necnon poſt literas dimiſſorias conceſſas à duobus Prælatis Civitatis Huyenſis in ſupplementum Juſtitiæ denegatæ à Capitulo, quæ deferebant judicium appellationum ad Summum Pontificem, ejuſque Sedem Apoſtolicam, Capitulum Leodien. ſpeciali decreto declaraviſſe, ſe velle procedere ad electionem, non obſtantibus hujuſmodi appellationibus, & literis dimiſſoriis ipſi legitimè intimatis.

139. Ab hoc decreto appellavit, etiam inhæſivè ad præcedentes Appellationes, Eminentiſs. Card. Bull.

140. Patet gravem injuriam illatam fuiſſe contra auctoritatem Summi Pontificis, ejuſque Sedis Apoſtolicæ, quia ſtatim atque aliquis ad Sedem Apoſtolicam, tamquam ad Matrem omnium Eccleſiarum, confugit, nihil eſt attentandum, & ipſius auctoritati deferendum eſt. *Can.* 11. *cauſ.* 2. *quæſt.* 6. & idcircò *Alex. III. cap. conſideravimus De elect. & elect. poteſt.* electionem factam poſt appellationem interpoſitam ad Sedem Apoſtolicam meritò caſſavit tamquam attentatam, quia, ut inquit, poſt appellationem omnia debent reduci ad ſuum ſtatum, & idem *Alex. III. cap. ſuper eo De appellat.* expreſſiùs ſtatuit, *quòd ſi de aliqua exceptione quæſtio oriatur, & exinde appellationem fieri contingat, eidem exceptioni ſit merito ſuperſedendum, itaùt non procedatur ulterius ad quæſtionem principalem: & Innoc. III. in cap. ſignificavit, & cap. ſignificantibus eod. tit. de appellationibus*, ſtatuit id omne, & quidquid poſt appellationem ad Sedis Apoſt. audientiam interpoſitam, factum eſt, debere revocari in irritum, *& ita cap. Dilecti filii* 52. *&* 66. *& cap. ex parte eod. tit. de appellat.* ſtabilitum reperitur, *& ibid. omnes Gloſſatores, & Doctores, Bellam. ſuper cap. conſideravimus De elect. Abbas, Decius in cap. Dilecti* 2. *De appell. Rot. deciſ.* 71. *Lancellott. de attentatis, Paſſerin. etiam tract. de elect. cap.* 32. *num.* 8. 27. *&* 29. *expreſsè dicit, quòd ubi quis gravatur, & appellat ab actu præambulo electionis, & appellat ſimul à futura electione, ſi hæc fiat poſt, & contra appellationem, eſt caſſanda*, & idem etiam *num.* 28. ſtatuit.

141. Undè manifeſtè evincitur, quòd ex quo Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius appellaverat de exceptione contra ipſum adducta, ſcilicet de privatione vocis activæ in electione, ſuperſedendum erat negotio principali, ſcilicet electioni, cùm illud gravamen non poſſet reparari in definitiva, quia cùm de jure, omnes qui debent intereſſe electioni vocari debeant, quando aliquis pri-

vatus

vatus fuit voce activa, & appellat à decreto privationis, ſuperſedendum eſt electioni quouſque Summ. Pont. dijudicaverit, utrum juſtè, an injuſtè Appellans fuerit privatus voce activa.

142. Nec locum hic habere poteſt quod opponitur ab Adverſariis, ſcilicet aliquando in electionibus propter diſpendium diuturnæ vacationis Eccleſiæ, non eſſe deferendum appellationibus frivolis: neque enim appellationes interpoſitæ ab Eminentiſſimo Cardinali Bullionio, nullatenus ex præmiſſis, frivolæ, & irrationabiles cenſeri poterant, cùm de ipſius intereſſe, & de validitate electionis, quæ poterat fieri, ageretur: nec etiam competebat Capitulo Leodien. dijudicare de momentis hujuſmodi appellationum, quæ mediantibus literis dimiſſoriis devolutæ jam erant ad Summum Pontificem, ejuſque Sedem Apoſtolicam.

143. Præterea nullum periculum erat in mora, ſi dilata fuiſſet electio, quia cùm appellatione pendente nihil ſit innovandum, tempus electioni præfixum non currebat, niſi à tempore, quo ſuper appellatione pronunciatum fuiſſet à Summo Pontifice.

144. Obſervandum eſt etiam, Capitulum Leodien. non fuiſſe arctatum ad electionem faciendam intra certum tempus, quia Sanctiſſimus Dominus Noſter, qui feliciter nunc Eccleſiam univerſalem gubernat, ne aliquid feſtinanter, & præproperè fieret in electione Epiſcopi Leodien. conceſſerat facultatem Nuncio ſuo Apoſtolico Coloniæ reſidenti, ut prorogaret tempus electioni liberè perficiendæ, modò hanc prorogationem Capitulum Leodien. vellet requirere, & de hacce facultate certius factum fuit Capitulum Leodien. ſæpiùs per Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, itaùt nulla attentatorum contra appellationes excuſatio poſſit adhiberi à Capitulo Leodien. idcircò prædicta electio, facta in contemptum Summi Pontificis, ejuſque Sedis Apoſtolicæ, debet omninò revocari tamquam nulla, & irrita, quia, ut inquit *Gregor. X. in Concil. Lugdun. in cap. ubi periculum De electior. in 6. Parum eſt jura condere, niſi ſit, qui eadem tueatur*, & contemptus non ſolùm Dignitatis Cardinalitiæ, ſed etiam auctoritatis Summi Pontificis vindicandus occurrit in Curia Romana.

EJUSDEM

EJUSDEM

RESPONSUM JURIS

Ad noviter adducta.

1. AGitur de judicanda appellatione interpoſitâ ab Eminentiſſimo Cardinali Bullionio de Decreto facto à Capitulo Leodienſi die 27. menſis Februarii proximè elapſi, quo præfatus Eminentiſſimus Cardinalis privatus fuit voce activa in electionibus, tanquam foraneus. Agitur etiam de appellatione Decreti facti à Capitulo Leodienſi die 15. menſis Aprilis, quo declaravit ſe velle procedere ad electionem, non obſtante præfata appellatione, & litteris dimiſſoriis, quæ judicium negotii remittebant ad Sanctiſſimum D. Noſtrum. Agitur tandem de appellatione inhæſivè interpoſita de electione attentata, qua prætenditur Sereniſſimus Princeps Clemens à Bavaria electus.

2. Jam ſatis, ſuperque ex Scripturis prolatis, ad quas habendus recurſus, innoteſcit contemptus factus Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, ſed etiam attentata, & nulla intrinſecè electio probatur.

3. Cùm controverſia mota fuerit ſuper mente Statutorum Capituli Leodienſis, quibus Adverſarii innituntur ad tuendum Decretum latum à Capitulo Leodienſi, placuit Sacræ Congregationi, ut priùs omnia Statuta Capituli adducerentur in integrum, quia ex illorum particulis jam adductis, non poterant intricata verba explicari.

4. Deputatus eſt Illuſtriſſimus Nuncius Apoſtolicus Coloniæ reſidens, ut extrahi procuraret ex Archiviis Capituli Leodienſis in forma authentica ejuſmodi Statuta.

5. Relatæ ſunt in Summariis adductis ex parte Adverſariorum multæ particulæ Statutorum anni 1560. & ann. 1563. & 1641. inveſtiganda erant hæc omnia Statuta, & extrahenda in integrum, ut de ipſis fides indubitata fieret, & poſſet faciliùs ex illa mole, & congerie Statutorum, inter ſe comparata erui mens, & obſervantia præfatorum Statutorum.

6. Cùm hæc cura impoſita fuerit Adverſariis, qui veredarium ad hoc velociſſimum miſerunt in Civitatem Colonienſem, neſcimus quo fato, quave data induſtria hæc Statuta adducta non inveniuntur, undè inſtat denuò Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, ut præfato Congregationis Decreto inhærendo, ſtent Eminentiæ Veſtræ in deliberatis, prout Juri congruum eſt, & antequam ulteriùs ad negotii diſquiſitionem pergatur, Statuta illa omnia in forma authentica extracta ex Archiviis Capituli porrigantur, cùm non poſſimus fundamento inſtabili inniti, ad jurium Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii defenſionem, aut ſaltem litteræ compulſoriales, quas in vanum hucuſque enixè poſtulavit, ipſi concedantur, quibus pollicetur ſe brevi, & intra terminum

perem-

peremptorium, qui præfigetur procuraturum, ut extrahantur omnia illa Statuta, nec non etiam Capitulationes ſimoniacæ, ſub quibus electio de qua agitur pacta, & concluſa fuit. Effatum eſt Divinæ Sapientiæ: *Juſtum deduxit per vias rectas*; & illæ omnes ambages, quæ obtenduntur, ſunt calles, & ſemitæ injuſtitiæ. Lux undequaque fiat in Supremo univerſi Orbis Chriſtiani Tribunali, nubes omnes diſſipentur, ut Sol veritatis effulgeat in Throno Juſtitiæ.

7. Quorſum tot dilationes, tot repagula, tanta moles ſcripturarum, quæ mentem poſſunt potiùs obruere, quàm juvare.

8. Negotium in promptu eſt: foraneus ſcilicet declaratus eſt Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, prætextus hujuſmodi foraneitatis procedit ex defectu comparitionis per ſe, aut Procuratorem in Capitulo S. Ægidii; ſumus in materia odioſa, & pœnali, cùm agatur de privatione vocis activæ, quæ cuilibet Canonico de jure communi competit in electione Epiſcopi. Exhibeatur itaque lex, & Statutum clarum, & diſtinctum, neque conceptum verbis ambiguis, & obſcuris, quo poſſit evinci, Canonicum Leodienſem, cui de jure competit votum ferre in electione, privandum eſſe ſuffragio ferendo ex eo ſolùm, quòd non comparuerit per ſe, aut Procuratorem in Capitulo, quod ſingulis annis in feſto Sancti Ægidii celebratur.

9. Huc uſque ex particulis adductis ex parte Adverſariorum, illud neque potuit erui, neque demonſtrari.

10. Nunc deſumuntur Articuli extracti ex Statutis factis anno 1560. mox aſſumuntur alii Articuli depropti ex aliis Statutis anni 1563. in quorum præambulo notatur, prout in *Summario primo Adverſariorum*, compertum fuiſſe, pleraque eſſe rigida, obſcura, ac practicatu difficilia, non ſatis priùs animadverſa, inordinatè, & incorrectè deſcripta in prioribus Statutis anni 1560. & idcircò nova Statuta prioribus derogantia, cum hoc elogio condidiſſe Capitulum Leodienſe.

11. Quibus quæſo inhærendum Statutis, leges poſteriores derogant prioribus, ſi itaque ſupponatur facultas, & poteſtas in Capitulo Leodienſi condendi Statuta, debet etiam concedi facultas eadem corrigendi, & revocandi, cùm qui poteſt condere, poteſt & deſtruere, aut in meliùs efformare.

12. Adducuntur etiam Decreta facta anno 1641. Quibus Statutis inhærendum, non liquet; priùs eſt ergò, ut inquiratur de hiſce omnibus Statutis, & ut pateſiant Judicibus, non ſcientia particulari, ſcilicet per litteras, aut alias atteſtationes, ſed per legitima documenta, quæ neque trunca, neque mutila, ſed integra reperiantur.

13. Si fides adhibeatur relationi inſertæ in litteris Illuſtriſſimi Nuncii Apoſtolici, Statuta anni 1560. prælata ſunt aliis ab Illuſtriſſimo Nuncio de Sancto Felice in actu Viſitationis Capituli Leodienſis factæ anno 1656. ſed hæc prælatio, quæ facta ſupponitur, benè arguit præexiſtentiam aliorum Statutorum, quæ revera ſunt illa, quæ condita fuerunt anno 1563. ſed non apparet quo motivo hæc prælatio facta fuerit, deindè nullatenùs etiam conſtat de hoc actu Viſitationis.

14. Inter tot dubiæ lucis crepuſcula, quis veritatem poteſt agnoſcere, & quomodò poteſt judicium apud Sedem Apoſtolicam pronunciari, cùm tanta inter hæc Statuta diſcrepantia, & diſſonantia reperiatur, ut qui plus vult capere,

pere, magis immergatur in tenebras: hæc ſanè non poſſunt convenire judicio Apoſtolico in re tanti momenti. Priùs conveniendum eſt de menſura, quia menſura, & menſura abominatio eſt apud Deum: non ſunt duæ ſtateræ: una aſſumenda eſt, aut ponderetur negotium Statutis anni 1560. aut anni 1563. *Si dura inventa fuerunt*, ab ipſis conditoribus, *obſcura, & practicatu difficilia ſtatuta anni* 1560. Si ideò revocata per Statuta facta anno 1563. quomodò poterimus inniti ejuſmodi Statutis, de quibus, tempore non ſuſpecto, Capitulum ipſum tale judicium protulit?

15. At inquiunt Adverſarii, hæc Statuta anni 1563. ſunt obſoleta, non ſunt in uſu, ſed ſaltem ſi adducerentur iſta Statuta, haberemus ex ipſa recognitione Capituli Leodienſis, facta tempore non ſuſpecto, illa Statuta anni 1560. non multum eſſe attendenda, aut ponderanda, cùm ipſimet conditores illa malè concepta agnoverint. Quæ fides, & quæ authoritas poteſt in tanto diſcrimine adhiberi hujuſmodi Statutis, quæ ſic notata reperiuntur? Saltem cùm ſimus in materia pœnali, & odioſa, ſufficit Eminentiſſimo Cardinali Bullionio proponere, de jure communi vocandum fuiſſe ad Electionem Epiſcopi Leodienſis, cùm ſit Præpoſitus, & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ; ſed ex parte Adverſariorum, qui accuſant Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium tãquam Foraneum, ut ipſum ejiciant ab Electione, clara debet eſſe probatio; ac ſi contingat aliquod eſſe dubium in Statutis, vel in argumentis, quibus innituntur Adverſarii, ſemper contra ipſos eſt interpretandum, quia qui probat, clarè, & apertè debet probare, quod ſi non faciat, non prodeſt talis obſcura probatio, & in omnibus legibus, contractibus, diſpoſitionibus, ubi poteſt ſuboriri aliqua ambiguitas, ſemper ea interpretatio facienda eſt, ut jus commune non lædatur.

16. Cùm ergo jus commune faveat Eminentiſs. Cardinali Bullionio, ſufficit ut aliqua dubietas ſuperſit in Statutis, quæ contra ipſum poſſunt adduci, ut ſtetur in Judicio diſpoſitioni Canonum, ſecundùm quam omnes Canonici, qui ſunt de Gremio Capituli, debent vocari in Electione Epiſcopi, alioquin uno contempto conquerente, irrita veniet Electio.

17. Si illud momentum attentè perpendatur, ſufficiet ad eluenda ea omnia, quæ ab Adverſariis obtenduntur.

18. Sed abſque præjudicio inſtantiæ, quæ iterum, atque iterum renovatur apud Sacram Congregationem, ut prius adducantur Statuta in integrum, & proponantur non ſolùm illa facta anno 1560. ſed etiam alia ſubſequentia anni 1563. & 1641. Nunc deveniendum eſt ad explanationem Statutorum, quæ extracta ſunt ex Archiviis Capituli: ſunt extractæ ſolummodò particulæ Statutorum anni 1560. quæ ſecundam Reſidentiam reſpiciunt, in ſupradicto extractus eſt Articulus ex Titulo de Capitulis Ordinariis: Quoad extractum in ſe non patet, quòd factum fuerit ex originali authentico, ſed ex aliquo tranſumpto, quod prætenditur ſubſignatum fuiſſe per Polain, modernum Capituli Leodienſis Secretarium, qui illud pro copia inſeruit in libro corio flavi coloris cooperto. Sic enim ex illo extracto apparet, ſcripta fuiſſe olim hæc Statuta, & ſubſignata per Waldericum Guarii Notarium, deindè in fine ſubjungitur: *deinde ſubſignatum I. Polain pro copia.*

19. Illud itaque extractum non factum fuit ex originali Statutorum Capituli Leodienſis, ſed ex copia ſcripta à Polain, nuperrimè Secretario Capituli, palàm eſt ex communi Doctorum ſuffragio, exemplum exempli non facere

fidem, niſi prius conſtet concordare cum originali, quod debet exhiberi. Itaque neque illud extractum poteſt ullam fidem facere in Judicio, cùm non fuerit eductum ex originali, ſed ex copia, cui nulla fides poteſt adhiberi in Judicio.

20. Sed obtendunt Adverſarii, copia integra eorumdem Statutorum anni 1560. tranſmiſſa fuit ab Illuſtriſſimo Sedis Apoſtolicæ Nuncio, & conſequenter poteſt nunc Judicium ferri de mente, & diſpoſitione Statutorum.

21. Jam ſuperiùs demonſtratum fuit, non ſufficere exhibere Statuta anni 1560. ſed ulteriora etiam eſſe adducenda, ſcilicet anni 1563. & anni 1641. quia ex collatione inter ſe facta hujuſmodi Statutorum, mens genuina condentium poteſt melius explicari.

22. Advertendum eſt, quòd nequidem in extracto facto Statutorum anni 1560. non requiſitus fuerit Secretarius Capituli, neque interrogatus fuerit, utrum in illo libro, in quo tranſcripta per extenſum reperiebantur Statuta anni 1560. reperirentur etiam inſerta poſteriora facta anno 1563. quæ adducta fuerunt in Summario Adverſariorum. Saltèm de hoc conſtare debebat, ſed ne quidem ulla mentio facta fuit ejuſmodi Statutorum, quia intentioni Adverſariorum nullatenus favebant.

23. Quod quidem ſuſpicionem auget contra omnia, quæ in hiſce extractis peracta ſunt, ſed cum prævia proteſtatione de executione Decreti Sacræ Congregationis, advertendum eſt, utrum hæc copia, quæ neque ſigno, neque ſigillo Nuntii Apoſtolici firmata videtur, poſſit facere fidem in Judicio. Res in promptu eſt, exemplum, ſeu copia Inſtrumenti fidem non facit, niſi conſtet de autographo, & pace dictum ſit Illuſtriſſimi Nuntii Apoſtolici, & ſalva ſemper reverentia ipſi exhibenda, non creditur, *in Judicio*, Referenti, niſi conſtet, & de relato; conſtare itaque ſemper debet de Inſtrumento authentico, & ſimplex copia tranſmiſſa, debet rejici, tanquam folium inane, quod vento rapitur.

24. Deindè, nonne plures caſus poſſent concurrere, in quibus copia, quæ non eſt ex ſe authentica, cùm non ſit ſigillata, neque ſubſignata à tranſmittente, poſſet mutari, itaut alia ſubſtitueretur in locum alterius, quæ revera mittitur? qui omnes caſus cùm poſſint contingere, poſſunt etiam effingi à Judicibus, ut dubia fides reperiatur Inſtrumenti ſic tranſmiſſi, quod ſufficit; nam Judex Sedens pro Tribunali aſtringitur judicare ſecundùm allegata, & probata, & ſcientia Judicis in Judicio ferendo, debet ſemper inniti Inſtrumentis authenticis, quæ nullam ſuſpicionem, neque ullum dubium poſſint relinquere.

25. Sed ulterius videndum eſt, utrum ex Statutis adductis, aut ex ipſa copia, quæ manca, & mutila pleriſque in locis invenitur, poſſit erui id, quod ab Adverſariis opponitur.

26. Tum ex Statutis, tum ex ipſa copia, quæ poteſt contra producentem præſuppoſitivè opponi, patet id, quod jam in Memoriali ſuper Contemptu propoſitum fuit, quod eo loci reaſſumendum eſt, ſcilicet duplicem eſſe Reſidentiam in Capitulo Leodienſi, primam, & ſecundam.

27. Prima completa, excluditur omnis Foraneitas, itaut Canonicus debeat habere vocem in Capitulo, ſi in Sacris Ordinibus conſtitutus ſit, & omnia munia exercere poſſit, quæ de jure competunt Canonico.

28. Alia eſt Reſidentia, ſcilicet ſecunda, quæ non eſt neceſſitatis, ſed meræ fa-

facultatis in favorem Canonicorum, qui volunt uberiores fructus præbendæ lucrari.

29. Ad hanc ſecundam Reſidentiam nemo tenetur ex præcepto, neque ex Statuto, ſed pendet omninò ex arbitrio, & voluntate Canonici, qui ad illam libenter vult ſe offerre.

30. Revera ſi habeatur ratio Statutorum, ſub titulo *de ſecunda Reſidentia*, inducitur aliqua Foraneitas interpretativa contra illos Canonicos, qui ſe voluerunt offerre ad illam ſecundam Reſidentiam in Capitulo Sancti Ægidii. Nam cùm illa oblatio ſit meræ facultatis, certæ leges inductæ fuerunt contra illos, qui ad illam ſe præſentare, & offerre volunt.

31. Debent ſcilicet reſidere ſex menſes integros, & unum diem continuè, vel diſcontinuè, ita ut ſi non compleant hanc ſecundam Reſidentiam, per totum id tempus pro Foraneis habeantur.

32. Hæc ſanè vox, *pro Foraneis*, attendenda eſt, quaſi dicat Statutum, non ſunt verè, & ſtrictè Foranei, ſed tanquam Foranei, *come Foranei*, quæ verba *pro*, denotant non eſſe omninò Foraneos, in ſenſu compoſito Statutorum. Nam ſi Statuta attendantur, titulus eſt diſtinctus in Statutis *de Foraneis*, qui ſubjungitur illis, qui de ſecunda Reſidentia diſponunt, & ſub hoc titulo *de Foraneis*, ſoli Foranei declarantur qui primam Reſidentiam non compleverunt.

33. Remanet ergo in mente, & diſpoſitione poſitiva Statutorum, illos ſolos Canonicos eſſe Foraneos, qui primam Reſidentiam non fecerunt.

34. Cùm itaque Statuto ſub titulo de ſecunda Reſidentia cavetur, *Canonicum pro Foraneò habendum eſſe, qui in feſto Beati Ægidii ſe ad ſecundam Reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, niſi Reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes, & unum diem continuè, vel diſcontinuè*, hæc verba, *pro Foraneo*, non inducunt Foraneitatem omnimodam, ſed aliquam, cujus effectus ſtatim declarantur in ipſomet articulo Statutorum.

35. Hi ſunt effectus, ſeu potius hæ pœnæ, quæ inſequuntur ſecundùm mentem Statuti, ex deſertione ſecundæ Reſidentiæ oblatæ in Capitulo, ſcilicet:

36. Nullos fructus omninò facere poteſt idem Canonicus hoc anno.

37. Receptos reſtituere tenetur.

38. Niſi hoc fecerit, anno ſequente ad Reſidentiam non admittetur. Nec abſentia gratioſa ei concedetur: & ſi eum mori contingeret, non haberet annum gratiæ.

39. Ulterius pœna Statuti non progreditur.

40. Ex hoc itaque Statuto non poteſt alia pœna induci contra illos, qui ſecundam Reſidentiam deſeruerunt, & illa verba, *pro Foraneo*, debent reſtringi ſecundùm diſpoſitionem Statutorum.

41. Cùm itaque adaptantur poſteà ab Adverſariis verba articuli Statuti *ſub titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus*, in quo ſtatuitur, *quòd Canonicus Foraneus nullo modo, etiamſi de Electione Epiſcopi, Præpoſiti, vel Decani, aut quacumque, & quantumvis ardua re tractetur, negotiis Capitularibus intereſſe, aut ſuffragium dicere non poterit*: Remanet ſub Judice quæſtio in integrum, *quinam ſit ille Foraneus*, ex mente, & terminis Statutorum.

42. Si verba Statutorum expendantur, titulus eſt ſpecialis in Statutis *de Foraneis*, ſub quo titulo nulli alii Canonici ſunt Foranei, niſi illi, qui primam

Reſidentiam non compleverunt, & in hoc ipſo Statuto comprehenſo ſub titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus, idem videtur ſignificari; nam poſt hæc verba, quæ ſunt generalia: *Item Canonicus Foraneus*, ſtatìm ſubjunguntur alia: *Item qui impetrata gratioſà abſentia abeſt, niſi primam, & annualem Reſidentiam abſolverit*, quæ benè explicare videntur, reverà ex mente Statutorum illos ſolos eſſe Foraneos quantum ad hanc partem excluſionis ab Electionibus, qui ſunt propriè, & verè Foranei, qui ſcilicet primam Reſidentiam non compleverunt.

43. Sed quidquid urgeant Adverſarii, certum eſt illa verba, *pro Foraneo*, quæ adaptari debent illis Canonicis, qui ſecundam Reſidentiam oblatam deſeruerunt, inducere ſaltèm aliquam differentiam inter illos, qui verè, & propriè ſunt Foranei. Nam, prout effantur Philoſophi, nullum ſimile eſt idem, & fictio non excedit caſum, pro quo adinventa eſt; nam nullus datur fictionis progreſſus, & verbum, *pro Foraneo*, denotat aliquam ſimilitudinem, quæ deſtruit identitatem cum Foraneo propriè dicto, & fictionem aliquam inducit, quaſi diceret Statutum, non eſt revera habendus Foraneus, *ſed, come Foraneo*, quæ fictio non debet egredi pœnam in Statutis comprehenſam.

44. Sed ſuperiùs demonſtratum eſt, pœnas eſſe ſtabilitas à Statutis contra illos, qui pro Foraneis haberi debent.

45. Privatio fructuum.

46. Reſtitutio jam perceptorum.

47. Privatio gratioſæ abſentiæ, & anni gratiæ, ſi ipſum mori contingeret.

48. In hoc Statuto, ubi omnes pœnæ adamuſſim enumerantur, quæ contra Canonicum, qui pro Foraneo habetur, debent infligi, nulla ſit mentio privationis vocis activæ in Electionibus, certum eſt, quòd in pœnalibus caſus in lege, vel Statuto omiſſus habetur pro omiſſo, quia favores ampliandi, odia verò reſtringi oportet, & pœnæ potiùs temperandæ, & mitigandæ, quàm exaſperandæ.

49. Sed ſi ex hac Statutorum inter ſe colliſione aliqua dubietas poteſt ſuboriri, ſufficit ad aſtruendum, illam ſemper interpretationem benignè faciendam, quæ iuri communi magis faveat; ſed Jus commune ſtatuit, omnes Canonicos ad Electionem Epiſcopi eſſe vocandos, idem Statutum, quo innituntur Adverſarii conceptum ſub Titulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus, §. *Item Canonicus foraneus*, ſub finem utitur verbis reſtrictivis præcedentis diſpoſitionis in hunc modum: *Sic tamen quòd vacante Epiſcopatu, Prapoſitura, aut Decanatu, impenſa eligendi, abſentes Confratres ſint vocandi*.

50. Undè cùm ambiguitas undequaque oriatur ex illa verborum Statuti obſcuritate, ſemper in dubio legi Eccleſiaſticæ, quæ in Electionibus obſervari debet, inhærendum occurrit, ne jus commune infringatur.

51. Hæc ad ſatietatem deducta fuerunt, ut Adverſariorum errores elucidentur.

52. Sed quidquid ſit de Statutis, demonſtrandum eſt, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium nunquam habendum fuiſſe Foraneum, neque pro Foraneo.

53. Non poteſt dici Foraneus, quia Foranei ſunt illi, qui primam Reſidentiam non compleverunt. At verò Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius

primam

Digitized by Google

primam Reſidentiam complevit, quod ab Adverſariis non denegatur, imò per Inſtrumenta ab ipſis producta recenter, patet de abſolutione ipſi facta à Capitulo Leodienſi primæ Reſidentiæ.

54. Non comprehenditur itaque ſub Titulo de Foraneis. Neque etiam pro foraneo haberi debet, cùm illa denominatio nullatenùs poſſit convenire, niſi illi Canonico, qui ſe ſecundæ Reſidentiæ perſonalitèr in Capitulo S. Ægidii obtulit, ac poſteà illam non complevit, non reſidendo ſex menſes continuè, vel diſcontinuè.

55. Ubi ergò in Statutis fundamentum ejuſmodi foraneitatis reſpectu Eminentiſs. Cardinalis Bullionii poteſt reperiri, non poteſt ſanè illud, neque per conſequentiam, aut fictionem induci.

56. Conati ſunt Adverſarii in Memoriali ſuper reſolutione motivorum Egregii doctiſſimi Advocati Fuſci Neapolitani deducere illam foraneitatem ex Statuto ſub titulo de ſecunda Reſidentia.

57. Supponunt, Canonicum in Eccleſia Leodienſi ad primam Reſidentiam teneri, ut diſcat mores, & cõſuetudines Capituli, & Ritus Eccleſiæ; deindè ad Reſidentiam quolibet anno teneri, & ad illum ſe debere offerre in Capitulo Sancti Ægidii, & quòd ſi non ſe præſentaverit, gratioſam abſentiam petere non poſſit, & deindè quòd teneatur reſidere ſex menſes, & unum diem continuè, vel diſcontinuè, alioquin pro Foraneo habeatur, quæ verba, inquiunt, reduplicativè, & relativè ad omnem præcedentem diſpoſitionem debent intelligi, itaut ille Canonicus, qui ſe obtulit Reſidentiæ, & illam non complet, ſit omninò paris conditionis cum illo, qui ſe non præſentavit, cui gratioſæ abſentiæ indulgentia denegari debet, & uterque pro Foraneo habendus eſt. En tota vis argumenti, quod facilè poteſt deſtrui ex fallacia evidenti omnium propoſitionum.

58. Nam primò, fingitur Lex, ſeù Præceptum ſecundæ Reſidentiæ, quaſi illa Reſidentia debeat intelligi de ea, quæ ſingulis annis debet fieri à Canonico. Sed prima ſolùm Reſidentia requiritur de neceſſitate, & præcepto in Capitulo Leodienſi ad excludendam foraneitatem, & ſtatim atque Canonicus primam Reſidentiam complevit, admittitur ad omnia jura Canonicatus, habet vocem activam, & paſſivam in Electionibus, ſed non omnes fructus præbendæ percipit, niſi peracta ſecunda Reſidentia, quæ nunquam renovatur.

59. Ut illud pateſiat, & ut intrà limites ipſos quæſtionis, quæ controvertitur, negotium recludatur, advertendum eſt, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium nunquam voluiſſe poſt peractam primam Reſidentiam ſe ad ſecundam offerre, nihilominùs vocem habuit in Electione Joannis Baronis de Elderen nuperrimè defuncti Epiſcopi Leodienſis; ſtat ergo concluſio indubitata, Canonicum Leodienſem non teneri ad ſecundam Reſidentiam, ut ſuffragium poſſit ferre in Electionibus. Corruit ſecundò argumentatio in facto, nam nullatenùs invenitur in copia Statuti tranſmiſſa per Nuntium Apoſtolicum, particula negativa in articulo Statuti, quod diſponit de illis, qui debent ſe præſentare, hic articulus adducitur: *Item, qui in die Beati Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit.*

60. Hic articulus intermedius reperitur inter primum, & tertium, qui extractus fuit recenter ex Archiviis Capituli Leodienſis, & illum ſuſpicari licet, truncatum fuiſſe in extracto, quia non favebat intentioni Adverſariorum.

Hic

Hic obiter advertendum eſt, quanta ex hoc fides adhiberi poſſit ejuſmodi extracto, & quantum juſta fuerit inſtantia Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii,ut adducerentur Statuta in integrum, quia aliter mens Statutorum non poteſt extricari. In hoc itaque articulo, qui callidè obmiſſus fuit, nulla negativa apponitur, ſed affirmativè pronunciatur,Canonicum, qui ſe præſentaverit,ſcilicèt ad ſecundam reſidentiam, de qua ſolùm hi omnes articuli ſub titulo de ſecunda Reſidentia comprehenſi, diſponunt, non poſſe gratioſam abſentiam poſtea petere. Scilicet ſi non ſatisfaciat Legibus ſecundæ Reſidentiæ, cui ſe addicere per oblationem ſpontaneam, & voluntariam voluit, quia ex incomplemento temporis præfixi ad illam ſecundam Reſidentiam inducitur contra ipſum quædam foraneitas, vi cujus privari debet gratioſa abſentia.

61. Evaneſcit itaque tota vis argumentationis Adverſariorum, qui contendebant, illam clauſulam, *Alioquin pro foraneo habeatur*, reduplicativè debere referri, licèt articuli ſint omninò diſtincti, tùm ad Canonicum, qui ſe ad Reſidentiam obtulit in Capitulo S.Ægidii, & poſtea illam non complet,& ad Canonicum, qui ſe præſentavit in Capitulo S.Ægidii.

62. Sed urgent Adverſarii, quomodo hæc propoſitio affirmativè poterit intelligi, nam Canonicus, ex quo ſe præſentavit in Capitulo S.Ægidii,gratioſam abſentiam debet impetrare? Quomodo ergo eamdem non poterit petere? hæc optimè poſſunt conciliari ex tota mole Statutorum, ſi adducta fuiſſent in integrum. Nam duæ ſunt facultates alternativæ ſtabilitæ in favorem Canonici, qui primam Reſidentiam abſolvit, & hac completa omnem maculam foraneitatis delevit.

63. Si velit ille Canonicus omnes fructus lucrari, poteſt ſe ad ſecundam Reſidentiam offerre: ſi nolit hoc privilegio gaudere,ſufficit ad gratioſam abſentiam obtinendam, ut ſingulis annis in Capitulo S. Ægidii ſe repræſentet per ſe, vel Procuratorem, & in favorem illius Canonici ſtatuitur in titulo de gratioſis abſentiis, ubi dicitur expreſſè: *Qui primam Reſidentiam perfecerit, ſi quidem 25. annos complevit, & in Feſto Beati Ægidii per ſe, vel Procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialiter pro illo anno mandatum habentem, gratioſam abſentiam ſibi dari petierit, arbitrio Capituli conſtituetur, & concedetur.*

64. Hi tituli ſunt omninò diſtincti, & ex illis inter ſe collatis, patet quantum hallucinati fuerunt Adverſarii, dum adduxerunt,Canonicum poſt primam Reſidentiam neceſſariò teneri ad ſecundam Reſidentiam, & illam renovandam ſingulis annis.

65. Hæc omninò adverſantur menti, & legi Statutorum. Sunt itaque duæ alternativæ, ſcilicèt Canonicus, ſi velit, poteſt ſe ad ſecundam Reſidentiam offerre.

66. Si nolit ad hancce ſecundam Reſidentiam offerre, poteſt nihilominùs ſe repræſentare per ſe, aut Procuratorem in Capitulo S. Ægidii ad gratioſam abſentiam obtinendam.

67. Certum eſt autem in jure, quòd in diſpoſitionibus alternativis, per optionem unius tollitur altera, quia ſimul compati non poſſunt; eo ſenſu facilis nunc eſt intellectus diſpoſitionis affirmativæ in Statutis, *qui ſe præſentaverit in Capitulo Beati Ægidii*, ſcilicèt ad ſecundam Reſidentiam, *non poteſt eodem tempore gratioſam abſentiam petere*, cùm ex deſertione, ſi contingat poſtea, ſecundæ Reſidentiæ, cui ſe obtulit voluntariè, inſequi debeat ex poſteriori

riori diſpoſitione Statuti; privatio gratioſæ abſentiæ.

68. Ex hoc evidentèr apparet fallacia omnium argumentorum huc uſque ab Adverſariis prolatorum; nam illa omnia argumenta deduxerunt ex articulis ſub titulo de ſecunda Reſidentia comprehenſis, qui nullatenùs poſſunt adaptari ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, cùm in confeſſo ſit, ipſum nunquam ſe voluiſſe ad illam ſecundam Reſidentiam offerre, quod toties inculcatum fuit, ut mirari liceat quomodo egregii, & ſubtiliſſimi Doctores ſcribentes ex parte Sereniſſimi Principis de Bavaria, illud Reſponſum capere noluerint. Certum eſt Articulos Legis, & Statuti, ex Rubrica, & Titulo interpretandos eſſe. Undè, cùm ſit ſpecialis Titulus *De ſecunda Reſidentia*, omnes Articuli ſub eodem Titulo redacti, debent referri ad illos, qui ad ſecundam Reſidentiam ſe offerre voluerunt, nec ad alios ſunt referendi, cùm in Statutis, præſertim pœnalibus, nunquam debeat, etiam propter paritatem, aut ſimilitudinem, de caſu ad alium, de perſona ſpecificata ad aliam, per conſequentias extenſio fieri; ſed hic non licet divinari, neque ratiocinari, nam habemus in Statutis textum expreſſum, ſcilicèt Titulum *De Gratioſis Abſentiis*, ſub quo comprehenduntur illi Canonici, qui expleta prima Reſidentia, nolentes ſe ſecundæ Reſidentiæ, quæ eſt meræ facultatis, offerre, poſſunt tamen gratioſam abſentiam mereri, & obtinere à Capitulo. Nulla alia obligatio inducitur, niſi ut ſe repræſentent per ſe, aut Procuratorem ſingulis annis in Capitulo Sancti Ægidii.

69. Ex hoc itaque Titulo *De Gratioſis Abſentiis*, ſolùm poſſunt deſumi argumenta contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium. At verò legatur, & relegatur attentè ille Titulus *De Gratioſis Abſentiis*, nullibi invenietur, quòd ex hoc defectu comparitionis in Capitulo S. Ægidii ulla alia pœna inſequatur, niſi privatio gratioſæ abſentiæ. Nulla in hoc Titulo fit mentio Foraneitatis, aut formalis, aut interpretativæ; quorſum itaque effingitur illa Foraneitas, palàm eſt commentitiam, & fictè adinventam reſpectu Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii.

70. Urgebunt forſan Adverſarii, & obtendent, duriùs ergo haberi Canonicum, qui ſtrictiori obſervantiæ, ſcilicèt ſecundæ Reſidentiæ, alligare ſe voluerit, quàm illum, qui illam omiſit.

71. Eſto, hoc concedatur Adverſariis, ſufficit ut lex, & Statutum conceptum fuerit in hunc modum. Si iniquitas, aut aliqua durities arguatur, validitas, & authoritas Statuti convellitur, quod non ſpectat ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, imò contendit recurrendum eſſe ad jus commune.

72. Hæc iniquitas poſſet proponi ex parte Canonici, quem Capitulum in caſu ſecundæ Reſidentiæ oblatæ, & neglectæ, vellet arcere ab Electionibus; ſed quoad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ſufficit demonſtrare non comprehendi ſub Titulo de ſecunda Reſidentia, & conſequentèr pro Foraneo nunquam habendum eſſe.

73. Deindè hæc differentia inter eos, qui volunt offerre ſe ſecundæ Reſidentiæ, & eos, qui nolunt ſe offerre, ſua habuit motiva in mente condentium Statuta, quia reliqui fructus, quos lucrari non poſſunt in integrum Canonici, qui poſt adimpletam primam Reſidentiam nolunt ſe ſecundæ offerre, accedunt membro mobili, & fabricæ Eccleſiæ, & ea forſan ratione leges ſtrictiores, & duriores præſcriptæ ſunt contra eos, qui hanc ſecundam Reſidentiam volunt perficere.

74. Dein-

74. Deinde cùm hæc ſecunda Reſidentia non ſit præcepti, ſed meræ tantùm facultatis, non eſt quod conquerantur Canonici ſe duriùs haberi, quia qui ſe legi ſubmittit, cum ipſa contrahere videtur, & prout effantur Juriſconſulti, ſæpè duriùs cum lege, quàm cum homine tractatur, & viceverſa: & idcircò ſi in conventionibus privatis, promiſſa exactè ſervanda ſunt,à fortiori, qui alicui legi, licèt duræ, ſed ſcriptæ ſe vult ſubmittere, debet illam adimplere, quia hæc oblatio ad ſecundam reſidentiam, licèt ſit voluntatis in initio,tamen poſt oblationem ſit neceſſitatis.

75. Hactenùs omnis ambiguitas in Statutis explanata eſt, & confidit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, quòd ſi hæc ſeriò, & maturè perpendantur, nullum ampliùs ſupererit dubium: & quòd firma ſtabit concluſio Sacræ Congregationis, ipſum neque foraneum, neque pro foraneo ex mente Statutorum eſſe declarandum, corruit itaque Decretum Capituli, tanquam falſo, aut erroneo fundamento innixum.

76. Nunc Adverſarii cõtendunt, Statuta Capituli Leodienſis in eum ſenſum longo uſu comprobata fuiſſe, itaut quotieſcumque Canonicus ſe non repræſentaverit in Capitulo S. Ægidii per ſe, vel Procuratorem, foraneus habitus fuerit, & conſequenter privatus fuerit voce activa in Electionibus.

77. Reſpondetur neque conſtare de uſu, & obſervantia, & etiamſi conſtaret, illa conſuetudo, quæ potiùs corruptela cenſeri deberet, non poſſet inducere novum Statutum, quod in Statutis nullatenus comprehenditur.

78. Quantùm ad primam partem, undenam conſtat de illo uſu, & Conſuetudine? imò Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius acriter propugnat, non poſſe adhiberi nllum exemplum,in quo Canonicus Leodienſis poſt abſolutam primam reſidentiam rejectus fuerit ab Electionibus,ſub prætextu defectus comparitionis in Capitulo Sancti Ægidii per ſe, aut Procuratorem.

79. E contrà tuetur, & adducit in contrarium, omnes Canonicos ſine ullo diſcrimine admiſſos fuiſſe in omnibus Electionibus, & revera in præcedenti Electione Joannis Baronis de Elderen,omnes admiſſi ſunt ad ſuffragium ferendum per ſe, vel Procuratorem, licèt aliqui eorumdem, ne quidem primam Reſidentiam complevissent, ſed admiſſi ſunt cum proteſtatione ab ipſis facta, de ipſa complenda.

80. Suffragium etiam tulit Comes de Poitiers, quando electus fuit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius in Præpoſitum Eccleſiæ Leodienſis, licèt eſſet foraneus.

81. Si litteræ compulſoriales conceſſæ fuiſſent, eorum omnium fides facta fuiſſet per extracta ex Archiviis Capituli, quibus potuiſſet evinci, quòd conferendo inter ſe tabulas Capituli Leodienſis, in quibus mentio fit de comparitionibus factis in Capitulo Sancti Ægidii, cum electionibus factis eodem anno, ſcilicet Præpoſiti, Decani, aut aliorum, nullus unquam excluſus fuerit Canonicus, ſub prætextu defectus ejuſmodi comparitionis. Singulare exemplum ſtabilire voluit Capitulum Leodienſe in noviſſima electione, quod quidem non poteſt uſum,aut conſuetudinem inducere, cùm de hoc ipſo conqueratur Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius.

82. Sed cùm uſus, aut conſuetudo nitatur factis, & exemplis,probari debet iiſdemmet exemplis, quæ aſſimilari poſſunt ad quæſtionem, quæ controvertitur, quia ut inquiunt Juriſconſulti, tantùm præſcriptum, quantùm poſ-

ſeſſum,

ſeſſum, & poſſeſſio cùm ſit facti, ſemper reſtringitur ad actus exercitos; undè cùm ſimus in quæſtione, in qua quæritur de privatione vocis activæ in Electionibus, oſtendendum incumberet in aliqua Electione Epiſcopi, Præpoſiti, vel Decani, celebrata à tempore Statutorum, rejectum fuiſſe Canonicum Leodienſem, nec admiſſum, qui primam reſidentiam abſolverat, ex eo, quòd non comparuerat in Capitulo Sancti Ægidii per ſe, vel Procuratorem. Sed nullum hujus privationis vocis activæ in Electionibus adducitur exemplum; ſtat ergò inconcuſsè à tempore, quo Statuta ſunt condita, nullum uſum ejuſmodi privationis inductum fuiſſe.

83. Deindè ſi licuiſſet inquirere de uſu, & obſervantia Statutorum, ſanè reciproca hinc indè probatio concedi deberet; nam in quæſtionibus civilibus ſemper hoc debet obſervari, itaut altera Parte probante, liceat ſemper Parti adverſariæ contrarium probare. Undè, ſi hujus obſervantiæ ratio aliqua haberi poſſet, proculdubiò ante omnia, deberet terminus peremptorius aſſignari, intra quem Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius poſſet contrarium probare, tàm actis, quàm Teſtibus, alioquin nulla fides poteſt adhiberi atteſtationibus, neque inſtrumentis exadverſo prolatis.

84. Sed ſine præjudicio hujus inſtantiæ, duo examinanda occurrunt.

85. Primùm, forma inſtrumentorum, quibus hæc obſervantia fundatur.

86. Secundùm, utrùm de jure poſſit ex prætenſa obſervantia induci lex, aut Statutum, quod juri communi prorsùs adverſatur.

87. Quoad primum, Secretarius Capituli Leodienſis fuit requiſitus, ut exhiberet Statuta concernentia foraneitatem, quæ erant in uſu. Hæc Statuta exhibita ſunt à Secretario Capituli, qui licèt non ſit de gremio, & ſit quodammodò extranea perſona à Capitulo quoad actus Capitulares, tamen ratione officii ſui eſt domeſticus, & conſequenter cùm nunc Capitulum Leodienſe ſit Pars adverſa contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, Teſtimonium illud, tanquam domeſticum, debet omninò reprobari.

88. Si acta inquirantur, D. Decanus à Sancta Cruce teſtatur ſe extraxiſſe aliquos actus ex Archiviis Capituli, quibus intendit probare, quatuor iteratis vicibus in Capitulo Leodienſi foraneos appellatos fuiſſe, ſcilicèt anno 1562. *Arnoldus de Merode defectu repræſentationis hoc anno foraneus inventus eſt. In Capitulo generali die Sancti Ægidii prima Septembris 1668. Arnoldus Baro de le Tradt Archidiaconus Campiniæ, hodie ad reſidentiam verbotenus, juxtà Statuta, ex quo præterito anno foraneus extitit, ſeſe repræſentavit.*

89. Et anno 1673. D. Duraz, qui fuerat anno præterito foraneus, repræſentavit ſe pèrſonaliter, & D. de Leedrat, Campiniæ Archidiaconus, per Procuratorem.

90. Mirum ſanè videri poteſt in perquiſitione facta de induſtria in Archiviis Capituli ab illis, qui favebant omninò partibus Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria, ſolùm hæc reperta fuiſſe.

91. Si revera conſtans, & indubitata eſſet obſervantia in Capitulo Leodienſi, ut ſinguli Canonici, qui ſe non repræſentant in Capitulo Sancti Ægidii per ſe, aut Procuratorem, pro foraneis haberentur, proculdubiò plura alia adduci poſſent.

92. Undè conjicere licet, hanc foraneitatem inductam fuiſſe contra illos quatuor Canonicos, de quibus ſit mentio in hiſce actibus, ex eo quod ſe-

ſecundam reſidentiam oblatam deſeruiſſent.

93. Sed quanam authoritate Decanus de Sancta Cruce voluit fidem facere de hac prætenſa obſervantia Statutorum? hoc ipſi mandatum non fuerat per Illuſtriſſimum Sedis Apoſtolicæ Nuntium, & cùm fines mandati exceſſerit, proculdubiò ſe ſuſpectum omninò reddidit.

94. Sed undè hæc extracta fuerint? utrum hæ ordinationes ſubſignatæ ſint à Præſide Capituli, nullatenùs apparet ex extracto,& idcircò hæc non poſſunt facere fidem authenticam.

95. Addendum eſt inſuper, quòd in extractis in primo Summario, ex parte Adverſariorum adductis,in quibus fit mentio ab anno 1689. uſque ad præſens tempus de non comparitione Eminentiſſimorum Cardinalium de Bovillon, & de Furſtemberg, necnon Comitis de Rekem, nullatenùs fuerit additum, neque declaratum à Capitulo Leodienſi, ipſos pro foraneis habendos eſſe, quod non debuiſſet omittere Capitulum, ſi talis eſſet obſervantia, quæ præſupponitur.

96. Undè illa omnia extracta, & aliæ atteſtationes particulares, quæ confectæ videntur à duobus Beneficiatis in domo clauſtrali Archidiaconi de Clerx, qui ſe omninò devovit partibus Sereniſs. P. Clementis de Bavaria, tanquam ſuſpectæ omninò rejiciendæ, quoniam *l.6.ff.de legibus*, *ut ait Theophraſtus, quæ ſemel, aut bis accidunt, contemnunt Legislatores*, & ad probandum uſum, ſeu obſervantiam, non ſufficit adducere aliquos actus diſcontinuos,& diverſis temporibus iteratos, ſed continuum, & perennem uſum probari oportet. *l.ex iis, ff.eodem: ex iis, quæ fortè uno caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur*. Et ut de uſu, ſeu conſuetudine fides fiat, *primùm quidem illud explorandum eſt, an etiam contradicto aliquando judicio, conſuetudo firmata ſit. l.cùm de conſuetudine, ff.eodem*; nullatenùs autem Capitulum Leodienſe poteſt oſtendere in ulla electione rejectum fuiſſe Canonicum, ſub prætextu defectus comparitionis in Capitulo S. Ægidii, nec etiam talem obſervantiam ullo judicio fuiſſe firmatam.

97. Quoad ſecundum, certum eſt de jure, non induci conſuetudinem, & Statutum contra jus commune ex ſolo uſu; licèt enim *Conſuetudinis, uſuſque Longævi non ſit vilis auctoritas; verùm non eſt uſque adeò ſui valituram momento, ut aut rationem vincat, aut legem, l.Conſuetudinis, Cod. quæ ſit longa conſuetudo*.

98. Sumus in caſu, in quo agitur de inductione Statuti, quod repugnat juri communi, & Canonibus Eccleſiæ, & Concilio Lateranenſi, quod expreſsè ſtatuit, omnes Canonicos, *qui poſſunt commodè intereſſe electioni, eſſe vocandos*, alioquin electio venit irritanda. Statutum reſtrictivum juris communis non poteſt induci per merum uſum; debet ergò conſtare priùs de præexiſtentia ejuſmodi Statuti, & poſteà ſi aliqua dubietas in Statuto poſſet reperiri, ex uſu, & obſervantia poſſet illa ambiguitas interpretationem recipere.

99. Sed quamdiù nullum Statutum ſpecificum adducetur, ex quo poſſit inferri, Canonicos, qui poſt primam reſidentiam ſingulis annis in Capitulo Sancti Ægidii ſe non repræſentant per ſe, aut Procuratorem, excludendos eſſe à voce activa in electionibus, non poteſt illa Conſtitutio pœnalis, in præjudicium juris communis, induci.

100. At verò, non ſolùm demonſtratum fuit, nullum ejuſmodi Statutum po-

poſitivum, & formale adhiberi ex parte Adverſariorum, ſed etiam oſtenſum fuit in titulo *de Gratioſis Abſentiis*, qui ſolùm poteſt adaptari ad Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, nullam ejuſmodi pœnam foraneitatis poſſe deduci, ex defectu hujuſmodi comparitionis in Capitulo Sancti Ægidii: undè evaneſcere debet omninò argumentum adductum in contrarium.

101. Statuta fuerint in uſu quantumlibet: fuerunt ſcilicèt in uſu eo modo, quo concepta inveniuntur. Si moveretur nunc controverſia de Canonico, qui oblatam ſecundam Reſidentiam deſeruiſſet, & meritò ab electionibus excludendus foret, quia Statutum hunc pro Foraneo habendum eſſe declarat, poſſet dubietas ex uſu,& obſervantia detegi. Sed cùm nullatenùs ſimus in hoc caſu, ſed in alio caſu, in quo Capitulum obmutuit omnimodo de pœna foraneitatis, nullatenùs inquirendum occurrit de obſervantia.

102. Sed ſi ſupponeretur, & Statutum, & ejus obſervantia, res eſſet integra; nam inquirendum adhuc ſupereſſet, utrum Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius,ratione ſuæ Cardinalitiæ dignitatis, & Indulti ſpecialis, ipſi à ſa.me. Clemente X. conceſſi,quo ab omnibus legibus Reſidentiæ in illis beneficiis inferioribus Epiſcopatu eximitur, poſſet ſubjici illi foraneitati, quæ procedit ex non Reſidentia, aut non obtenta indulgentia gratioſæ abſentiæ, quæ peti debet ſingulis annis per ſe, aut Procuratorem in Capitulo Sancti Ægidii, ſuper quo reaſſumenda ſunt omnia in præcedentibus Memorialibus tàm Juris, quàm facti, propoſita, in quibus ad ſatietatem deducta fuerunt ea, quæ reſpiciunt Privilegium Cardinalitiæ Dignitatis, quod ſanè non deberet convelli,aut periclitari in Curia Romana, quæ illud tueri, & incolume per omnia ſervare debet.

103. Nunc, cùm prævideant Adverſarii,omnia argumenta contra foraneitatem deducta corruere, alia congerere nituntur, ut poſſint Judicium mutare, ſi ità liceret. Quibus omnibus præſtigiis, & cavillationibus, ut obviam eatur, advertendum eſt, pendere nunc appellationem juridicam, & ſolemnem coram Sede Apoſtolica, de decreto lato à Capitulo Leodienſi die 27. menſis Februarii, quo præcisè, & ſine ulla ambiguitate,neq; verborum involucris, declarat, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium privandum eſſe voce activa in electionibus, *tanquam Foraneum*: hæc fuit unica ratio adducta à Judice pronunciante. Jam illud decretum in Summario, & in Memoriali Juris ſuper contemptu, in integrum adductum eſt, in quo videre eſt, Capitulum Leodienſe judicii ſui rationem reddere voluiſſe, dum in eum modum pronunciavit, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium *pro Foraneo habendum eſſe,adeoque,juxtà Statuta,in electionibus Suffragium dare non poſſe.*

104. His verbis concipitur Decretum Capituli, de quo appellatio dijudicanda occurrit: hæc verba: *adeoque juxtà Statuta*, denotant claré, & diſtinctè, motivum nullum aliud Capitulum habuiſſe, ut ejiceret Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ab Electione, niſi illam foraneitatem, quam juxta Statuta obtendebat.

105. Quorſum itaque novas rationes deducere, ut illud Decretum ſuſtineatur, cùm palàm ſit, actus humanos nunquam poſſe operari ultrà intentionem agentis;undè cùm clara appareat intentio Capituli, non ſunt fingenda,aut adducenda alia motiva,quàm ea ipſamet,quæ à Capitulo tempore non ſuſpecto explicata ſunt in ipſo actu Judicii, de cujus validitate nunc controvertitur.

106. At obtendunt Adverſarii: vulgare eſt, & tritum effatum, non deducta deducam, non probata probabo: deindè Capitulum ipſum declaraviſſe, *Se alias rationes habuiſſe, uberiùs poſtmodum deducendas, & ubi opus inſinuandas*; undè jactant Adverſarii, & paſſim in ſcriptis illud inſinuare conantur, validitatem Decreti Capituli Leodienſis non coarctandam fuiſſe ad motivum foraneitatis.

107. Ut nihil intactum relinquatur, omnes Adverſariorum cavillationes dilucidandæ ſunt.

108. Quoad effatum illud vulgare: non deducta deducam, nunquam poteſt referri ad Decretum Judicis, ſed ad Partem, cui gravamen illatum eſt, quæ ſi in prima inſtantia coram Judice inferiore in probatione defecerit, poteſt coram Judice Superiore, ad aſtruendam iniquitatem ſententiæ contra ipſum latæ, ad uberiorem probationem admitti.

109. Sed inauditum in Jure civili, & Canonico, quoad ſententiam Judicis, in qua Judex rationem, & fundamentum Judicii protulit, in judicio appellationis novas rationes ſuperinducere, quod ex ſe patet, quia vis tota, & auctoritas Judicii deſumitur ex mente, & intentione Judicantis, cùm poteſtas in actibus intellectus, dependeat ex cognitione. Si itaque Judex ſe ad aliquod motivum reſtrinxit, non poteſt ad aliud extendi illud judicium; nam validitas actus pendet ab intentione operantis, & judicantis. Cùm itaque luce meridiana clariùs appareat, Capitulum Leodienſe pro Foraneo, juxtà Statuta, declaraviſſe Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium: ut illud Judicium ſuſtineatur, neceſſe eſt, ut illa *Foraneitas, juxtà Statuta*, probetur: & ſi contingat, illam foraneitatem non fundari Statutis, pro iniquitate ſententiæ reſpondendum. Si ſententia iniqua reperiatur, appellatio fuit legitima: ſi legitimè appellatum fuit, Electio, ſecundùm Canones in Memoriali jam allegatos, eſt attentata, & idcircò venit irritanda.

110. Quantùm ad id, quod allegatur, ſcilicèt Capitulum ipſum proteſtatum fuiſſe novas rationes uberiùs deducendas, pace dictum ſit D. Scribentium ex parte Adverſariorum, illud eſt commentum, & figmentum, quod incantos poteſt percellere; ſed ſi advertatur tempus, & caſus, in quo ſic reſcripſit Capitulum, evaneſcit omninò illa argumentatio. Advertendum eſt ſeriò, & maturè, ex verbis Decreti jam prolatis liquidò apparere, die 27. menſis Februarii proximè elapſi, quo Capitulum voluit arcere Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ab Electione, nihil aliud in mente habuiſſe, niſi illum *pro Foraneo habendum, adeoque* (en motivum adductum) *juxtà Statuta, in electionibus ſuffragium dare non poſſe.*

111. In litteris ſubſequentibus Capituli, quæ integræ Typis editæ fuerunt, nullum aliud motivum ſuper inductum fuit ante appellationem. Illud Decretum intimatum fuit Eminentiſſimo Cardinali Bullionio per literas Capituli Leodienſis de die 7. menſis Aprilis, quæ referuntur integræ pag. 18. in impreſſis, ubi poteſt haberi Recurſus: ab hoc Decreto appellavit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius per Inſtrumentum authenticum de die 9. ejuſdem menſis Aprilis, quod ſignificatum fuit etiam cum litteris dimiſſoriis die ſubſequenti, cum proteſtatione nullitatis Electionis, ſi quæ attentaretur, in præjudicium ejuſmodi appellationis.

112. Poſt ejuſmodi appellationem legitimè interpoſitam, qua pendente

nihil

Digitized by Google

nihil amplius poterat innovari, neque attentari, Capitulum Leodienſe in litteris ſuis de die 15.ejuſdem menſis Aprilis,quas videre licet per extēſum p.35. & 36. declarat, *ſe nolle deferre eidem appellationi interpoſitæ, & dicta appellatione non obſtante* ſe velle procedere ad Electionem, & eo tantùm loci, & eo ſolùm tempore,ſcilicèt 15.Aprilis,ſubjungit Capitulum aliquam rationem cur nolit deferre appellationi, ſcilicèt,*attento, quòd notoriè,juxtà Eccleſiæ Statuta, & conſuetudines, Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius jus ſuffragii non haberet, & idcircò eidem jus appellandi non competeret, propter alias rationes etiam uberiùs deducendas.*

113. Quis non videat has rationes uberiùs deducendas cadere in illud, quod à Capitulo tunc òbtendebatur? ſcilicet prætendebat,ſe non debere deferre Appellationi interpoſitæ ex eo, quòd Eminentiſſimus Cardinalis foraneus declaratus fuiſſet, & alias rationes reſervat Capitulum, ut ſe liberaret ab attentatis contra Appellationem legitimè interpoſitam.

114. Illa itaque verba referuntur omninò ad prætenſionem,quam habebat Capitulum, ut non teneretur deferre Appellationi, neque ſuperſedere Electioni. Licèt illud deberet fieri propter reverentiam debitam Sedi Apoſtolicæ.

115. Hæ omnes rationes contra attentata deductæ fuerunt uberiùs in primis ſcripturis, in quibus aſtruere conati ſunt Adverſarii, Electionem non fuiſſe differendam propter periculum ſchiſmatis in Eccleſia, & propter diſpendium diuturnæ vacationis in Eccleſia Leodienſi, cui præſertim ingruente bello providere neceſsè erat.Sed hæ omnes rationes,uberiùs ab Adverſariis deductæ,corruunt:ex quo evincitur,appellationem eſſe legitimam,cùm fundamentum, quo ſolùm innitebatur Decretum Capituli, *ſcilicèt foraneitas*, omninò collabatur, & evellatur radicitùs.

116. Effatum eſt Divinæ Scripturæ: *in quo ſtatu Te invenero, in eodem te judicabo*. Videndum eſt itaque, in quo ſtatu negotium repoſitum reperiebatur,dum appellatio devoluta eſt ad Summum Pontificem. Is erat proculdubiò ſtatus controverſiæ dijudicandæ: *Utrum ritè, & legitimè Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius pro Foraneo habendus eſſet in Capitulo Leodienſi, adeoque juxtà Statuta ſuffragium ferrè non poſſet in Electione.*

117. Huc omnia Adverſariorum momenta debent tendere, nec alio poſſunt reflectere, niſi jura omnia violentur.

118. His omnibus præmiſſis,poſſet ex parte Eminentiſs. Cardin. Bullionii abſtineri ab ullo reſponſo contra alia motiva adducta; quia non agitur de novo Judicio conficiendo,ſed de appellatione judicanda, in qua inquirendum eſt, an benè, vel malè fuerit judicatum.

119. Sed ne occaſio præbeatur Adverſariis jactandi, nova motiva ab illis congeſta tanti eſſe ponderis, ut reſponſum in contrarium non admittant, licèt in præcedenti Memoriali, quod ſemper reaſſumendum eſt,jam abundè perſtricta fuerint, tamen illa denuò excutienda videntur.

120. Opponitur primò,Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium non eſſe ampliùs Canonicum Leodienſem.

121. Cùm deluſoria omnibus viris cordatis hæc objectio viſa fuerit, non eſt ut in hac immoremur. Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius tanquam Canonicus recognitus fuit à Capitulo Leodienſi, cùm non fuerit, niſi tanquam Canonicus privatus voce activa.

122. Crea-

122. Creatus eſt Cardinalis à ſa.mem.Clemente IX. menſe Auguſti anno 1669.deindè à Capitulo Leodienſi ad primam reſidentiam admiſſus anno1671. & in albo Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ deſcriptus. Deindè anno 1675. ab eodem Capitulo Præpoſitus major electus, ad quam quidem Dignitatem,quæ eſt primaria poſt Pontificalem,nemo poteſt aſſumi, niſi ſit actu Canonicus in eadem Eccleſia. Retentionem obtinuit ejuſmodi Canonicatus, & in confirmatione Electionis *ad eamdem Præpoſituram*, cùm aliter non poſſet confirmari, & in aliis Proviſionibus Apoſtolicis, quæ in Summario relatæ ſunt.

123. Sed quod omninò truncat omnes ambages: Eminentiſſimus Cardinalis eſt in poſſeſſione ſuffragium ferendi in Electionibus, cùm ad præcedentem Electionem nuperrimè defuncti Joannis de Elderen Epiſcopi Leodienſis convocatus fuerit per litteras ſpeciales, & votum tulerit per Procuratorem, quod unum poſſet ſufficere, quia ex iure Canonico per unicum actum immediatum, & pacificum,conſtituitur quis in quaſi poſſeſſione eligendi, conferendi, aut præſentandi. *cap. cùm Eccleſia Sutrina, & cùm olim De cauſa poſſeſ. & propriet. cap.querelam De Elect.pot.cap.conſultationibus De Jurepatronatus, & ex cap.in Geneſi De Electione, & Elect. poteſt.* Canonicus, qui eſt in quaſi poſſeſſione, debet vocari in Electione alioquin, ipſo contempto conquerente, Electio venit irritanda.

124. Secundò opponitur, illos ſolùm Canonicos eſſe vocandos, qui ſine incommodo, & periculo poſſunt intereſſe Electioni, & multa comminiſcuntur, ut evincant,Eminentiſſimum Cardinalem non potuiſſe ſine gravi incommodo, & periculo Eccleſiæ vocari in ultima Electione. Ut poſſit fictio melius adumbrari ſupponunt, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, Miniſtrum Regis Chriſtianiſſimi Plenipotentiarium, Ducem generaliſſimum Potentiſſimi exercitus ſexaginta millium hominum armatorum, qui undequaque Civitati Leodienſi pericula minabantur.

125. Certè illi, qui ſic ſomniant, aut effingunt momenta coram Sede Apoſtolica, deberent ſtudere veritati, aut ſaltèm veriſimilia proponere.

126. Legantur,& perlegantur litteræ Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, necnon reſponſa Capituli, quæ nunc in integrum adducuntur, nulla contra ipſum ſuſpicionis nota proponitur à Capitulo:immò in litteris de die 11.Martii relatis pag.13. Capitulum ſic effatur:*de Benevola Eminentiſſimæ Celſitudinis Veſtræ in hanc Eccleſiam, & Nos,propenſione, nunquam dubitavimus:illam ſæpiùs experti fuimus:* legenda eſt hæc epiſtola,in qua Capitulum enixis verbis teſtatur,ſe nullam aliam rationem habere ad excludendum Eminentiſſ.Cardinalem, niſi foraneitatem.

127. Ex parte Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii nihil in hiſce litteris invenietur, quod ipſum Statui, & Eccleſiæ Leodienſi ſuſpectum poſſet reddere.

128. Teſtatur in litteris p.5.relatis, *ſe non accedere cataphractum, aut aliquo militari Præſidio ſuffultum*: abſit, inquit, à me, ut ſi illud mihi liceret, ea media adhiberem: venio ſtipatus ſolo famulatu,&c.

129. In litteris de die 30. Martii relatis p.24. ſub finem,conſulit non eſſe nunc recedendum ab unione, & fœdere,quo colligatur Patria Leodienſis, ut omnem de ſe ſuſpicionem tolleret.

130. Sed tantum abeſt, ut aliquæ inſidiæ poſſent parari ex adventu Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii in Civitatem Leodienſem, & fœderi Collegato-

rum

rum offenſio aliqua poſſet ſuboriri: quin è contra Rex Chriſtianiſſimus enixis ſupplicationibus Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, & inſuper, fervore zeli perculſa Regia Majeſtas, pro libertate Eccleſiaſtica tuenda, omnem ſuſpenſionem armorum, & actuum hoſtilitatis, per declarationem authenticam pollicebatur Statui, & omnibus Caſtris, & Oppidis Dominii Leodienſis, quæ declaratio refertur p.26.& 27.& tunc nullæ Copiæ Regis Chriſtianiſſimi congregatæ erant, & mediante illa declaratione ſolemni, omnia in tuto erant; undè apparet quantum aberrent à veritate illi, qui Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, Præpoſitum Generalem, Copiis Militaribus efformant.

131. Sæpiùs in litteris teſtatus eſt, ſe de nullo alio negotio, niſi de Electione Canonica pertractaturum, nec de hac animi deſtinatione unquam dubitavit Capitulum Leodienſe, prout teſtantur litteræ.

132. Sed ulterius urgendum eſt, S.R.E.Cardinales cùm ſint pars corporis Papæ, & membra Eccleſiæ univerſalis, nunquam ut hoſtes, & inimici apud ullam Eccleſiam particularem haberi poſſunt, & piaculum eſſet, zelo Apoſtolico vindicandum, ſi ita haberentur.

133. Eccleſia cùm ſit una, & univerſalis, longè per totum orbem diffuſa, nunquam ſubjicitur Bannis, & Edictis, quæ inter Principes Chriſtianos, prætextu belli, aut hoſtilitatis, promulgantur: nec unquam ſub prætextu belli arcentur ab exercitio functionum, quæ ipſis incumbunt ratione juris ſpiritualis.

134. De facto, Epiſcopus Leodienſis poſt belli declarationem nullatenùs turbatus fuit in exercitio juriſdictionis Spiritualis, quæ ipſi ratione Epiſcopatus competebat, & eã pacificè exercuit tum in Civitate Huyenſi, Dionantenſi, & aliis Oppidis dominio Regis Chriſtianiſſimi nunc ſubditis: liber ſemper aditus ipſi patuit, aut ipſius Vicariis generalibus.

135. Epiſcopus Namurcenſis, qui nunc eſt in Dominio Regis Chriſtianiſſimi, liberè exercet juriſdictionem ſuam in Oppidis, quæ ſita ſunt in Dominio Regis Catholici. Undè colligere licet, aditum non præcludendum fuiſſe Eminentiſſimo Cardinali Bullionio in Electione Epiſcopi Leodienſis ſub prætextu belli, cùm neque tanquam perſona Eccleſiaſtica, neque tanquam S.R.E. Cardinalis ſubjaceret Banno Imperii, aut litteris avocatoriis Imperatoris.

136. Quod benè ſignificavit Comes de Windiſgraz Vicecancellarius Imperii, dum declaravit Illuſtriſſimo Sedis Apoſtolicæ Nuncio, Viennæ commoranti, S. C. Majeſtatem concedere Paſſa-portum, ſive Salvum-conductum Eminentiſſimo Cardinali Bullionio, modò nihil aliud obſtaret ad ipſius convocationem, quàm Banna Imperii, eo quod eſſet natione Gallus. Idem etiam teſtatus eſt Illuſtriſſimus Nuncius in litteris ad Eminentiſſimum Cardinalem Spada ſcriptis. Undè neque ex mente S.C. Majeſtatis, neque Principum Chriſtianorum Confœderatorum poteſt conjici aliqua ſuſpicio contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, qui in hoc unicè incumbere videbatur, ſicut patet ex ipſius litteris, ut electio Canonica pertractaretur.

137. Enimverò, quænam contra ipſum poterat ſuſpicio ſuboriri, ſi admiſſus fuiſſet in Civitate Leodienſi cum ſolo famulatu? quidnam poterat movere, aut aggredi incluſus in Civitate, quę undique aggeribus munitiſſimis cingebatur? in qua viginti millia Equitum, aut Militum armatorum reperiebantur? ſi locus fictioni detur, ne quidem effingi poteſt, Cardinalem, qui palàm, & publicè pollicebatur, ſe nihil, quod fœderatos poſſet lædere, ſuſcepturum, aliquid ſo-

lùm

ſum meditari potuiſſe, quod tantiſper Statum Leodienſem commovere po-tuiſſet.

138. Poterat itaque commodè, & ſine periculo vocari ex parte Capituli, cùm eſſet in Civitate Huyenſi ſex diebus ante decretum latum à Capitulo, quo ipſum foraneum declaravit.

139. Facilis erat aditus ex parte Capituli Leodienſis in Civitatem Hu-yenſem, cùm fecerit intimari Comiti de Poitiers litteras convocatoriales, ut ſe ſiſteret proximæ electioni, prout patet per inſtrumentum authenticum ejuſ-dem convocationis, confectum à *Francotte* Notario Apoſtolico, in eadem Ci-vitate Huyenſi commoranti, quod in originali remiſſum fuit in manibus Se-cretarii Sacræ Congregationis, ad quod recurrendum eſt.

140. Hoc verbum *commodè*, interpretantur omnes Gloſſatores ſuper *cap. quòd ſicut, & quia propter De electiion. & electi poteſt. & cap. cùm in Eccleſiis, De Præbendis, & Dignit. in* 6. Puta ſi abſens Canonicus reperiatur in Diœce-ſi, vel in Provincia Eccleſiaſtica.

141. Fruſtrà opponunt Adverſarii, Civitatem Huyenſem non eſſe ſub Do-minio Regis Chriſtianiſſimi, quia ideò ex præmiſſis non eſt pars avulſa à Diœ-ceſi Leodienſi, cui ſemper ſubjacet. Deindè juriſdictio omnis Eccleſiaſtica in eodem Territorio ſemper exercetur nomine Epiſcopi Leodienſis, & ita facilis erat aditus omnibus, qui aliquid nomine Capituli Leodienſis volebant pera-gere, ut litteræ convocatoriales ejuſdem Capituli in eadem Civitate Huyenſi ſignificatæ fuerint ſine ullo ſtrepitu, & obſtaculo, Comiti de Poitiers.

142. Ex parte itaque Capituli commodè poterat convocari Eminentiſſi-mus Cardinalis.

143. At inquiunt Adverſarii: commodè non poterat venire Eminentiſſi-mus Cardinalis Bullionius: id ipſum agnovit, cùm inſtetit, ut ipſi Salvi-condu-ctus procurarentur.

144. Sed Capitulum ipſum Leodienſe in litteris ſcriptis ad Comitem de Poitiers declaravit, ſe ſub hoc prætextu, nunquam voluiſſe ſe excuſare à con-vocatione omnium Canonicorum abſentium, undequaque eſſent, quod ipſum etiam reiteravit in præambulo Electionis Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria, ad quod recurrendum; ſed ſignificavit, ſe primis viduatæ Eccleſiæ Leo-dienſis temporibus, ſcilicèt die 5. menſis Februarii, ſtatuiſſe Procurationem Salvorum-conductuum reſpectu Confratrum abſentium ad ſe non pertinere, ſed ad Confratres abſentes.

145. Nullum ergò periculum, neque incommodum tunc prævidebat Ca-pitulum Leodienſe in convocatione Confratrum abſentium, licèt ſub ditione eſſent Regis Chriſtianiſſimi, quia illa procuratio Salvorum-conductuum non poterat reſpicere, niſi eoſdem ſubditos, quod quidem etiam declaravit Capitu-lum Comiti de Poitiers.

146. Non obſtabat itaque convocationi qualitas perſonæ, ſed pendebat ex Canonico, qui vocabatur, ut veniret, ſi ſibi tutum, & ſecurum acceſſum po-terat procurare; debebat itaque priùs convocari, & poſteà ipſi incumbebat, ut liberum ſibi commeatum omni meliori modo quo poterat aſſereret. Quis po-teſt nunc proponere, quòd ſi Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius in Civita-te Huyenſi Diœceſis Leodienſis conſtitutus, fuiſſet convocatus in eum mo-dum, quo in eadem Civitate Comes de Poitiers fuit vocatus, quòd ſtatim cum

eodem

eodem Comite de Poitiers non perrexiſſet in Civitatem Leodienſem, in qua nullum periculum poterat metuere, ſi ita Capitulum ordinare illud voluiſſet?

147. Nam non ſumus in caſu, in quo Capitulum alicujus Eccleſiæ Cathedralis reperiretur ſub dominio temporali alicujus Principis, qui bella gereret cum alio Principe.

148. Capitulum Leodienſe, Sede vacante, Supremum dominium temporale exercebat in Statu Leodienſi: ipſius nomine omnia in Territorio Leodienſi peragebantur. Duces Militum, qui non tanquam Domini, ſed Coadjutores ad Civitatem tuendam adhiberi debebant, juramentum fidelitatis præſtiterant Capitulo Leodienſi; ab ipſo itaque pendebat, ut Canonico, præſertim Præpoſito Capituli, qui eſt prima poſt Epiſcopalem Dignitas, ſecuritas omnis daretur, quamdiù in Civitate Leodienſi commoratus fuiſſet ad negotium electionis perficiendum, & tantùm abeſt, ut & aliquod incommodum, aut periculum acceſſiſſet Eccleſiæ viduatæ, ut è contrà urbanè, prout convenit, Dignitati, & ſplendori natalium Eminentiſs. Cardinalis Bullionii, omnia peracta fuiſſent, & electio Canonica ſine ullo ſtrepitu procurata fuiſſet. Nam ipſi Duces Militum fœderatorum agnoviſſent, Eminentiſs. Cardinalem nihil aliud tractaturum fuiſſe, niſi de electione.

149. Quis demùm poteſt divinari, aut ſomniare, durius excipiendum fuiſſe, quàm Comitem de Poitiers, qui ſine ullo Salvo-conductu, ubi primùm vocatus fuit à Capitulo, ad Civitatem Leodienſem acceſſit, ibi per duos menſes commoratus fuit, & poſteà in Franciam reverſus eſt, Capitulum Salvum-conductum redeunti conceſſit, ne ipſi ulla injuria fieret à Militibus in itinere?

150. Conantur Adverſarii aliquas differentias effingere inter Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium, & Comitem de Poitiers. Certum eſt, quòd quoad illam facultatem convocationis nullum omninò diſcrimen poteſt adhiberi, & ſi quæ poſſit inveniri, prævalet in favorem Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii; nam ratione Præpoſituræ, quam obtinet in Eccleſia Leodienſi, necnon Cuſtodiæ, & Canonicatus, & etiam ratione Cardinalitiæ Dignitatis, qua fulgebat, major exurgebat contemptus ex defectu ipſius convocationis. Fingunt Averſarii, Comitem de Poitiers eſſe Patria Leodienſem: Hoc non innoteſcit, reverà quoad originem familiæ eſt Leodienſis, ſed à longo tempore illius Pater, & Mater tranſmigraverunt in Gallias, ubi domicilium, & Sedem fortunarum repoſuerunt. Tota gens illius nunc addita eſt ſervitio Regis Chriſtianiſſimi: & incaſſum ſuggeritur nunc ab Adverſariis, illum commorari in Civitate Dionatenſi, & ad proprios lares ſe redire proteſtatum fuiſſe.

151. Hæc omnia gratis proponuntur: Comes de Poitiers ad Abbatiam Dionatenſem, quæ eſt prima Dignitas in Collegiata Beatæ Mariæ, quæ Titulo Abbatiæ gaudet, à duobus tantùm annis electus fuit. Tunc temporis Civitas Dionatenſis erat, prout nunc eſt, ſub Dominio temporali Regis Chriſtianiſſimi, ſed nunquam commoratus fuit in Civitate Dionatenſi. Longo anteà tempore proviſus fuerat ad nominationem Regis Chriſtianiſſimi de Abbatia de Cheminon in Diœceſi Cathalaunenſi, & tantùm abeſt, ut in Civitatē Leodienſem ſe recipere voluerit, ut è contrà ſtatim, & incunctanter poſt electionem ab ea receſſerit, ut rediret in Franciam, in qua nunc, & actu commoratur.

152. Non erat ergò majus periculum in convocatione Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, quàm in convocatione Comitis de Poitiers.

153. Sed dato, non conceſſo, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium non potuiſſe commodè, & ſine periculo venire in Civitatem Leodienſem.

154. Conſtat ex unanimi Canoniſtarum ſententia, debuiſſe citari, ut ſaltem votum poſſet ferre per Procuratorem: idipſum conceſſerunt DD. Scribentes ex parte Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria in primis poſitionibus, quas adduxerunt, immò exprobraverunt Eminentiſſimo Cardinali Bullionio, quòd mandatum hujuſmodi non miſerit, cùm poſſet, & deberet illud facere.

155. Vocandus ſcilicèt erat Eminentiſſimus Cardinalis, & ſi aliquod periculum immineret Eccleſiæ, aut ipſius perſonæ ex ejus adventu in Civitatem Leodienſem, monendus ſaltem erat, & citandus, ut mandatum alicui è Canonicis tranſmitteret, quod ſanè ſine ullo periculo tum Eccleſiæ, tum perſonæ poterat fieri. Ita omnes Doctores ſentiunt, & ita etiam ſenſerunt Doctores exadverſo ſcribentes.

156. Innocentius IV. Summus Pontifex *in cap. quòd ſicut, & cap. quia propter De Electione, & Electi poteſt. hanc doctrinam ſtabilivit.* Sic ait *in cap. quòd ſicut num. 30. Nota, quòd ſi quis non poſſit vocari ſine periculo, vel venire, nihilominus præſentes poſſunt procedere in eorum abſentia, ſed hoc ultimo caſu citandus eſt, & citatus vices ſuas poteſt committere.*

157. Sic autem pronunciat *in cap. quia propter num. 10. Ille qui habet vocem in Electione, ſi eſt in loco undè vocari debet, niſi vocetur, poteſt facere caſſari Electionem, quia eo contempto facta eſt; citandus eſt autem infra duas diætas. Item dicimus, quòd ille, qui abſens eſt undè vocari debet, & detinetur juſto impedimento, poteſt conſtituere Procuratorem, & ſi non admittatur ejus Procurator, faciet caſſari Electionem, quia eo abſente facta eſt. Hoſtienſis in cap. quia propter, in verbo commodè: Hoc verbum, Lege, & repone in ſcrinio pectoris, nam ex hoc verbo habes quando, & à quo loco quis citandus ſit,* & poſteà ſtatuit, quòd ex hoc verbo intelligitur, remotiſſimos non eſſe vocandos. Idem *Hoſtienſis in cap. bonæ memoriæ,* ſic ait: *ubi verò aliquis, vel etiam aliqui habent inimicitias, quare nō poſſunt ire ad locum, in quo Electio debet, & conſuevit fieri, tunc etiam unus alios ad ſe trahet, & alii, qui venire non poſſunt, conſtituant Procuratores ſi velint.*

158. Proſequitur *Hoſtienſis* in caſu noſtro, ſcilicet Præpoſiti Eccleſiæ, qui debet ſemper vocari: *Dic quòd ibi loquitur quando Canonicus abſens eſt; hìc verò de Præpoſito, qui eſt Caput Capituli*; non ergo mirum ſi membra debeant ſequi caput: poſteà addit, ideò citandus eſt, & ſine eo nihil fieri poteſt: videre licet, quòd ex *Hoſtienſi* major ſemper exurgat contemptus ex qualitate perſonæ, quæ debebat vocari: ſumus in hoc caſu, nam Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, tum ratione Præpoſituræ, quæ eſt Primaria poſt Pontificalem Dignitas in Eccleſia Leodienſi, tum ratione Cardinalitiæ Dignitatis, erat perſona ſingularis, quæ leviter contemni non debebat; erat itaque citandus, & ſaltem, ſi venire non potuiſſet ſine periculo, poterat Procuratorem mittere.

159. *Baldus in cap. quia propter num. 50.* notat, quòd abſentes, qui de facto venire non poſſunt, tamen de jure debent citari.

160. *Mandagotus De elect. tom. 15. tract. magni par. 1. in verbo commodè, & ſine periculo: Licèt Canonici non poſſint venire commodè, & ſine periculo perſonarum, fortè per infirmitates, vel inimicitias capitales, ſunt tamen vocandi,* & poſſunt conſtituere Procuratorem.

161. Idem

161. Idem etiam *Antonius Crucchus inſtit. juris Canon. in tit. de Electione lib. 4. Archidiaconus* etiam in prima parte *Decreti cap. quanto ſub num. 4. Dicas, quòd ſi abſentes, qui juſto impedimento tenentur, habent impedimentum propriū, puta infirmitatem, aut proprias inimicitias, tunc ſi major pars non conſenſit, quòd eatur ad eos, ipſi abſentes conſtituant Procuratores ad Electionem, ſi volunt; ſi verò abſentes non haberent proprium timorem, ſed communem, quia juſtè timent, quòd Electio purè, & ſine violentia non poſſit fieri in Civitate propter tyrannum aliquem paratum ad impreſſionem, & violentiam inferendam, tunc debent abſentes convenire in tutum locum; ac ſi præſentes hoc nolunt, poſſunt abſentes etiam pauciores appellare, ne procedatur ſine illis in loco, ubi impreſſio juſtè timetur.*

162. In hoc ergo omnes Canoniſtæ, & Doctores conveniunt, quòd nunquam abſenti, qui eſt in loco undè vocari poteſt, denegari poteſt facultas conſtituendi Procuratorem, & idcircò ſemper citari debet: & timor aut eſt realis, puta quia locus non eſt tutus propter impreſſiones, quæ poſſunt timeri ab illis, qui locum occupant, & tunc debent Electores cōvenire de alio loco tuto, & ſecuro: aut timor eſt perſonalis, & tunc abſens debet conſtituere Procuratorem.

163. Idipſum ſignificavit Capitulo Leodienſi Eminentiſs. Cardinalis Bullionius in Inſtrumento appellationis, quod reaſſumendum, in quo interpellavit Capitulum, ut conveniret de alio loco tuto, & ſecuro, in quo Electio liberè, & canonicè poſſet pertractari, cùm impreſſio de violentia incuteretur ab hæreticis; ſed huic juſtæ poſtulationi annuere noluit, aut potuit, præ timore, Capitulum Leodienſe; ſaltem ergo debebat interpellare Eminentiſs. Cardinalem Bullionium, ut mitteret mandatum.

164. At urgent Adverſarii: in facultate erat Eminentiſſimi Cardinalis conſtituere Procuratorem, & ſi hoc non fecerit, ſibi imputare debet.

165. Ad objecta reſpondetur: duo debent concurrere, citatio abſentis, ut vitetur contemptus, & conſtitutio Procuratoris ex parte citati, ſi non poſſit commodè, & ſine periculo venire; prius ergo eſt, ut abſens citetur; ſed hìc non agitur de mero contemptu, qui ſemper exurgeret ex defectu convocationis, ſed ſumus in caſu graviſſimi contemptus, ex quo per ſententiam, & judicium Capituli privatus eſt Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius voce activa. Nam illa privatio ſuſtulit omnem facultatem Eminentiſs. Cardinali, ut poſſet conſtituere Procuratorem, quia prius eſt ut poteſtas ſtabiliatur, & conſtituatur in mandante, quàm in mandatario; ſublata itaque facultate votum ferendi in Eminentiſſimo Cardinali, tollebatur etiam facultas conſtituendi Procuratorem: deindè ſtante appellatione à Decreto privationis, quæ appellatio devoluta erat ad Summum Pontificem, non poterat ampliùs conſtituere Procuratorem: ſtante etiam appellatione confidebat Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, Capitulum debere ſuperſedere Electioni, prout jura ſtatuunt. *cap. ſuper eo De appellat.* & *Antonius de Butrio cap. quia propter* ſtatuit expreſsè, quòd in materia Electionis, *ſi appellatio reperitur interpoſita ex legitima cauſa, attentatum contra appellationem venit retractandum.*

166. Non poterat itaque amplius conſtituere Procuratorem facto Capituli, ex quo privatus fuerat facultate ſuffragium ferendi in Electionibus: nec etiam illud poterat facere ſtante appellatione, in cujus præjudicium nihil ex utraque parte poterat attentari.

Digitized by Google

167. Cùm hoc prævideant Adverſarii, tandem confugiunt ad novam eluſionem, & contendunt, ex quo quis ſuſpectus eſt, non poſſe etiam admitti per Procuratorem, quia cùm perſona Procuratoris ſit plerumque addicta mandanti, ſuſpecta etiam debet fieri.

168. Hoc argumentum, ſtudioſè conceptum, poteſt facilè convelli: illud ſanè poſſet effingi in negotiis civilibus, in quibus perſona ſelecta à mandante, Procurator conſtitueretur, qui legibus mandati tenetur, & illud omninò facere tenetur, quod ipſi à mandante præſcriptum fuit; ſed illud nunquam poteſt locum habere in Electionibus, quia Procurator qui conſtitui poteſt, non eſt in arbitrio, aut delectu mandantis, neque poteſt mitti de uno loco in alium: verbi gratia, Eminentiſſimus Cardinalis non poterat mittere perſonam ſelectam in Civitatem Leodienſem, quæ potuiſſet ſuſpecta ex hoc fieri; ſed tenebatur, ſi facultas ipſi ſublata non fuiſſet conſtituendi Procuratorem, ſeligere unum è Canonicis, qui actu in Civitate Leodienſi commorabatur, qui idcircò ſuſpecta perſona non poterat haberi: & inſuper in negotio Electionis, Canonicus, qui deligitur in Procuratorem, non fit perſona addicta mandanti, quia conſtituens plerumque relinquit nominationem, aut Electionem arbitrio, & conſcientiæ Procuratoris, qui poteſt, & debet nomine abſentis eum ſeligere, qui ipſi dignior videtur ſecundùm Deum: & conſequenter ex illa Conſtitutione nullum periculum poteſt ſubeſſe, ut notatur *in cap. ſi quis juſto impedimento De Elect. & Electi poteſt. in 6.*

169. Tandem Adverſarii effingunt, propter banna Imperii omne commercium etiam interdictum fuiſſe per litteras cum Gallis; undè nemo inter Canonicos Leodienſes repertus fuiſſet, qui voluiſset mandatum exequi ab Eminentiſs. Cardinali Bullionio tranſmiſsum.

170. Pudor eſt ſanè aliquis in effingendis, & ſomniandis talibus impedimentis.

171. Sed eo loci interpellandi ſunt Adverſarii, ut ſaltem in aliquo motivo pedem figant, nec inſtabiles ſemper hæreant, ad omnem ventum moveri parati. Capitulum Leodienſe privavit voce activa Eminentiſs. Cardinalem Bullionium ex eo quod non comparuiſset per ſe, aut Procuratorem in Capitulo S. Ægidii anni proximè elapſi: hoc ſanè tempore vigebat bellum, banna Imperii robur habebant; ſi itaque nec poterat venire Eminentiſs. Cardinalis Bullionius, nec mittere mandatum, quia commercium nullum poterat admitti ex parte illorum, qui in Galliis degebant, Decretum Capituli eſt omninò injuſtum, & iniquum, & appellatio perquàm legitimè interpoſita, quia pœnam impoſuerunt ex defectu, qui non poterat argui, neque in pœnam imputari, cùm illa comparitio, neque per ſe, neque per Procuratorem poſſet fieri.

172. Sed habemus ex Decreto Capituli Leodienſis, quòd poterat Eminentiſs. Cardinalis Bullionius vigente bello comparere in Capitulo S. Ægidii per ſe, aut ſaltem per Procuratorem.

173. Hoc paſſim Adverſarii protulerunt in primis Poſitionibus, quæ reaſſumendæ ſunt, & inſuper propugnaverunt acriter, & mordicùs, nullam factam fuiſse injuriam dignitati Cardinalitiæ, ſi ſe repræſentaviſset Eminentiſſimus Cardinalis per Procuratorem, prout facile, & expeditum erat.

174. Tunc temporis agnovit itaque Capitulum, banna Imperii nunquam poſſe extendi ad prohibitionem conſtituendi Procuratorem, cùm ex hoc defe-

ctu

ctu ſolùm privaverit Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium voce activa, quod abſurdum omninò foret, ſi vi majore, puta authoritate Imperatoris, prohibitus fuiſſet conſtituere Procuratorem.

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

175. Dum ſic Adverſarii confingunt argumenta, deberent ad ſcopulos advertere, & in hoc licet advertere quantumque plerumque aberrent qui ſic deviant à recto tramite juſtitiæ.

176. Concilient priùs ſe Adverſarii cum Capitulo Leodienſi, quod mulctavit Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ex eo, quòd non comparuiſſet per ſe, aut Procuratorem in Capitulo Sancti Ægidii tempore belli: & ſi contingat ipſos fateri, decretum iniquum fuiſſe, tanquam falſo motivo innixum, habemus intentum; electio enim ex hoc venit irritanda.

177. Sed ut demonſtretur evidens fallacia omnium argumentorum ex parte Adverſariorum adductorum, Banna Imperii nunquam hoc modo concepta fuerunt, neque executioni demandata fuerunt.

178. Nullatenùs interdicitur commercium litterarum inter Gallos, & Leodienſes: illud conſtat notoriè, quia litteræ deferuntur de Francia Leodium ſingulis ſeptimanis duabus vicibus, & redit veredarius ad novas exportandas. Patet etiam ex inſtrumento appellationis interpoſitæ ab Eminentiſſimo Cardinale Bullionio ſub finem, actu, & de facto eſſe veredarium, & tabellarium in Civitate Huyenſi, qui ſalarium accipit à Præfecto Poſtarum Civitatis Huyenſis, ut deferat litteras à Civitate Huyenſi ad Civitatem Leodienſem, in qua liber patet acceſſus, tùm viris Eccleſiaſticis, tùm Mercatoribus, qui commercium liberum habent in Civitate Leodienſi, ex qua quotidiè trahuntur mercantiæ, ſeù merces, ut in Civitatem Huyenſem deferantur.

179. Banna Imperii injungunt Superioribus Monaſteriorum, ut litteras ſuſpectas rejiciant; ſed non prohibent, ut recipiantur, & admittantur: undèquaque veniant litteræ etiam cambii, non interdicuntur, quia illud impedimentum, quod libertati commercii multum officiebat, poſteà, utilitate publica ita ſuadente, ſublatum fuit.

180. Inſuper demonſtratum fuit, Edicta Lalcalia non comprehendere Eccleſiaſticos tempore belli. Idipſum ex mente Imperatoris declaravit Comes de Windiſgraz Vicecancellarius Imperii Nuntio Apoſtolico Viennenſi; nihil itaque impediebat, ut mitteret mandatum Eminentiſs. Cardinalis Bullionius, ſi privatus non fuiſſet voce activa in Electione: & ne quidem ſuſpicandum occurrit, quòd mandatum illius non fuiſſet admiſſum à ſingulis Canonicis. Comes de Poitiers, qui ſine ullo periculo præſentavit mandatum procuræ tranſmiſſæ ab Eminentiſſimo Cardinale de Furſtembergh, quod rejectum eſt à Capitulo ſub prætextu quòd eſſet Foraneus, ſanè alacri, & lubentiſſimo animo admiſiſſet mandata omnia, quæ ipſi data fuiſſent ab Eminentiſſimo Card. Bullionio: & ne quidem ullus è Canonicis à Decano uſque ad ultimum, ipſum rejeciſſet, ſed gloriatum fuiſſet illud exequi.

181. Quod ſatis patet ex litteris Capituli, nam admiſit ſine ullo periculo omnes actus proteſtationum, & appellationum, quæ ad ipſum tranſmiſſæ fuerunt nomine Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, licèt in pleriſque illis Inſtrumentis aliqua inſerta fuerint, quæ non poterant hæreticis arridere, qui Civitatem Leodienſem replebant, cùm de ipſorum violentia, & oppreſſione meritò con-

conquereretur. Nihilominùs hæc Inſtrumenta palàm lecta ſunt in Capitulo, & affixa valvis Capituli, & Eccleſiæ Leodienſis, & ſingulis Canonicis tranſmiſſa.

182. Deindè Officialis Clerx, qui magis addictus eſt partibus Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria, ſcripſit ad Comitem de Poitiers, poſt ipſius receſſum in Gallias, ut mitteret mandatum procuræ, quod ſatis innuit, nullum eſſe omninò periculum in mandatis hujuſmodi tranſmittendis, & exequendis.

183. Pari ſanè facilitate admiſiſſet Capitulum mandatum Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, ſi illud tranſmiſiſſet, ſed propter privationem vocis activæ ab hoc impeditus fuit facto Capituli: & conſequentèr cùm omnes Canoniſtæ in hoc conveniant, quòd ſaltèm tempore belli, aut propter ſuſpicionem aliquam contra unum ex Electoribus, ipſi non debeat tolli facultas conſtituendi Procuratorem, evidentèr patet de graviſſimo contemptu Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, reſultante ex decreto privationis vocis activæ in Electione, qui quidem contemptus numquam poteſt, nec debet ſanari.

184. Tandèm Adverſarii vellent, ſi ità poſſet fieri, excuſare contemptum factum Eminentiſs. Cardinalis Bullionii, & idcircò contendunt non eſſe contemptum ſine injuria, & dolo, & novas aſtruunt propoſitiones, hactenùs Juris Canonici ſtudioſis incognitas, ſcilicèt quòd requiritur *non vocatio doloſa cum ſpiritu injurioſo, non autem ſine eo: & ſi detur aliqua cauſa nedùm veriſimilis, ſed etiam injuſta, colorata tamen, non intrat injuria, & contemptus.*

185. En propoſitio Adverſariorum, quam firmare conati ſunt authoritate *Felini, D. Thomæ, S. Auguſtini, & Cajetani*, & plerorumque aliorum Doctorum.

186. At contendunt Adverſarii, non fuiſſe contemptum Eminentiſs. Cardinalem Bullionium neque cum odio, & ſpretu injurioſo, quia ſaltèm aliquas rationes veriſimiles habuit Capitulum Leodienſe, ut ipſum ejiceret.

187. Ut hæc argumentatio, quæ contrà jus omne, quod in Electionibus debet obſervari, proponitur, omninò evertatur, reaſſumenda ſunt omnia, quæ paſſim in jure Canonico de contemptu, qui in electionibus poteſt contingere, notantur, & ea etiam reaſſumenda, quæ in præcedentibus Memorialibus adducta fuerunt ad ſtabiliendam gravitatem contemptus facti Eminentiſs. Cardinalis Bullionii.

188. In hoc omnes Canones conveniunt, injuriam fieri Canonico, qui debet vocari in Electione, ex ſolo defectu vocationis, & in hoc contemptus exurgit, & injuria in Jure non ſumitur prout in moralibus, in quibus injuria procedit ex animo contemnendi. Sed in legalibus injuria idem eſt, ac injuſtitia, & ubi aliquis privatus fuit jure, quod ipſi competebat, quocumque modo illud contingerit, injuria ipſi facta cenſetur. ipſe *Paſſerinus loco citato* ab Adverſariis, ſcilicèt *cap. 14. num.* 48. ubi ſic ait: *Contemptus juſtitiam, & injuſtitiam importat. Syl. v. Contemptus, & agere de contemptu, eſt agere pro ſatisfactione injuriæ receptæ, & paſſæ injuſtitiæ.*

189. Ex his verbis patet, injuriam ſemper fieri in judicio illi, qui injuſtitiam paſſus eſt, & cùm privare aliquem jure, quod ſibi competebat, fit ex ſe injuſtitia, injuria ſemper facta fuit illi, cujus jus ſublatum eſt, nam juſtitia conſiſtit formalitèr in tribuendo jus ſuum cuique: non alia adducitur definitio juſtitiæ ab ipſo *Juſtiniano inſt. de juſtitia, & jure.*

190. *Paſ-*

190. *Paſſerinus* contendit, illum, qui juſtè ejectus fuit ab Electione, cùm non eſſet vocalis, non poſſe agere de contemptu, *quia Capitulum utens jure ſuo, & expellens modo debito, & legali quem non tenetur admittere, nullam ei facit injuriam, nec eſt in illum injuſtum*, quod non controvertitur, ſed ſi ejectus fuerit injuſtè, indubitati eſſe juris fatetur, ipſum validè conqueri de contemptu, & Electionem ipſo contempto, ſcilicèt non vocato, irritandam eſſe, quod eſt indubitatæ veritatis apud omnes Canoniſtas.

191. Nam contemptus in Electionibus ſemper educitur ex defectu vocationis, & ubi quis non vocatus fuerit, contemptus fuit: & nihil intereſt, an dolo, aut malitioſè vocatus non fuerit; nam in legalibus defectus non vocationis ſufficit, ſi ſit injuſtus, quæ injuſtitia inſequitur eo ipſo, quòd quis non fuerit vocatus, quia privatus fuit jure ſuo, quod ſufficit, ut conqueratur. Nunc mirùm videri debet, Adverſarios aliquas authoritates in contrarium voluiſſe adducere, ut opinionem juri Canonico prorsùs adverſantem ſtabilirent.

192. Adducitur ſcilicèt *Felin. in cap. ſi quis 2. de majoritate, & obedientia*, qui nihil facit ad propoſitum, ſicut etiam cæteri adducti.

193. *Felinus loco citato* loquitur de contemptu clavium, ſcilicèt de Presbytero, qui in evidentem contemptum clavium celebraret: ſic locus concipitur, ex quo Doctores exadverſo ſcribentes deſumpſerunt authoritatem citatam: *Ille dicitur in contemptum clavium celebrare, qui ſcienter, id eſt ſciens ſe excommunicatum, & doloſè celebrat; per ignorantiam enim excluditur contemptus, ſimiliter ſi ſine dolo celebraverit: & qui facit cum aliqua cauſa non dicitur contemnere, etiamſi ſit injuſta.*

194. Ex hoc colligere licet, quæ fides adhibenda ſit authoritatibus ab Adverſariis relatis, idem Judicium ferendum de aliis citatis.

195. Re vera cùm agitur de irregularitate, quæ poteſt incurri ex contemptu clavium, ſcientia, & dolus requiritur, puta ſi aliquis ignorans ſe excommunicatum, aut ſuſpenſum, celebret, non videtur irregularitatem incurrere, quæ procedit ex contemptu clavium.

196. Idem in moralibus, ut ex *S. Auguſtino, D. Thoma, & Cajetano*, poteſt vitari contemptus, ſi dolus non adſit, ſi aliquis non protervè agit, ei aliquando indulgetur remiſſio pœnæ.

197. Sed in jure, ſemper ei, qui contra legem committit, impreſſa ſit mala fides, quia diſcrimen maximum occurrit inter ignorantiam facti, & ignorantiam Juris. Ignorantia facti, ſæpè excuſat à peccato, ſed nunquam ignorantia Juris excuſat à nullitate.

198. Exempli gratia: Interdicitur Prælatis alienatio bonorum Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, *Extravag. Ambitioſæ, De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non*. Quòd ſi contingat aliquam alienationem ejuſmodi fieri, proculdubio alienatio, quoquomodo facta fuerit, irrita declarabitur; ſed quoad pœnam excommunicationis, ſi poſſet ſe excuſare Prælatus, ſe non doloſè illud feciſſe, & ignoraviſſe eſſe bonum Eccleſiæ, quod non poſſet alienari, poterit benignè cum ipſo agi, & condonari pœna excommunicationis, ſed nunquam nullitas ſalvabitur.

199. Diſtinguendum eſt ergo inter nullitatem, & pœnam, quæ ultrà nullitatem poteſt pronunciari, cùm aliquid ſit Jure prohibente, nunquam nullitas poteſt ſalvari, neque ſanari. *in cap. bonæ memoriæ il ſecondo De elect. & Gloſſ.*

pa-

pariter. Agebatur de Electione Epiſcopi Cremonenſis: nullus dolus poterat ex parte Eligentium opponi, nam citaverant Hugonem Canonicum abſentem, & proceſſerant ipſo non expectato ad electionem, & elegerant Archipresbyterum ejuſdem Eccleſiæ, cujus laudabile teſtimonium perhibebatur, tamen Innocentius III. reſcripſit, hanc electionem eſſe nullam, ex eo quòd citatio non fuiſſet valida, quia facta fuerat Epiſcopo in extremis agente, cùm de convaleſcentia ejus deſperaretur: & ex hoc inſurgebat contemptus factus Hugonis Canonici, qui non fuerat expectatus, & Electio caſſatur, quia, ut inquit Innocentius III. attenditur ſolùm factum contemptus, licèt eo caſu neque fraudem, neque dolum, neque injuriam ſi intelligatur pro contumelia, ex hoc ſuſpicari licet. *Sed ſolùm unius contemptus ſufficit, quia plus in talibus contemptus unius conſuevit obeſſe, quàm multorum contradictio in præſenti.*

200. Sed ad exuberantiam juris poſſet etiam ex circumſtantiis facti argui dolus, & fraus in contemptu facto Eminentiſs. Cardinalis Bullionii.

201. Primò quia ſtudioſè, ideòque doloſè Capitulum, aut potiùs illi, qui ipſum violentèr ad agendum compellebant, non ſolùm occultaverunt Decretum latum die 27. menſis Februarii, uſque ad dies proximos Electioni, ut non poſſit recurri ad Sanctam Sedem Apoſtolicam; ſed etiam omnis congreſſus à Capitulo cum Eminentiſs. D. Cardinali, etiam per Deputatos denegatus fuit, ut poſſit cum ipſis componere de modis congruis ad electionem canonicam faciendam.

202. Secundò ejectus fuit per ſententiam privationis, quod quidem Decretum contumeliam, & injuriam facit Dignitati Cardinalitiæ, quia Capitulo nulla juriſdictio competebat in S.R.E. Cardinalem.

203. Tertiò, non obſtante appellatione interpoſita ab Eminentiſſimo Cardinali, ad Electionem Capitulum declaravit ſe ulteriùs velle procedere, ex quo ſanè gravis injuria facta eſt Sedi Apoſtolicæ.

204. Nec credulitas hoc caſu relevat; ſufficit, quòd doceatur coram confirmatore de inſubſiſtentia credulitatis, quòd non eſſet vocandus Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius ſtante poſſeſſione, in qua tunc erat vocis activæ, ut concludatur, electionem eſſe nullam, factam ipſo non citato; habemus enim ex eodem *Paſſerino exadverſo citato in Tractatu De elect. cap.* 14. *junctis num.* 49. & 50. ubi dicit ibi contemptum inveniri, ubi eſt injuſtitia, licèt non adſit dolus, neque animus injuriandi.

205. Deindè ex ipſo *Paſſerino* ad privandum eum, qui eſt in poſſeſſione vocis activæ, non ſufficit talis qualis credulitas eum non eſſe citandum, ut excludatur dolus; quia dolus, ut jam ſuperiùs notatum eſt, duplici modo conſiderari debet, nempè vel quoad pœnas incurrendas à contemnente, quatenùs eſſent inflictæ, prout in *Extravag. Ambitioſæ ſupra cit.* nam hoc caſu credulitatis cauſa excuſare poſſet ab incurſu pœnæ: vel dolus conſideratur ad effectum privandi non vocatum ſua poſſeſſione vocis activæ, & tunc diſcutiendum eſt coram Confirmatore, an cauſa non vocationis, aut privationis vocis activæ fuerit verè juſta; nàm poſt ſequutam Electionem, ſi conqueratur aliquis Canonicus de contemptu, ut ceſſent querelæ, debet convinci de Juſtitia contemptus, ut per *Paſſerinum in locis ſupra citatis*, & etiam in individuo tenet *Barboſa in ſuo Tractatu Juris Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 19.

206. Ideòque ex præmiſſis omnibus patet, quæſtionem de contemptu pendere

dere ex validitate Decreti lati à Capitulo Leodienſi;nam ſi revera habendus ſit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius pro foraneo,adeoque juxtà Statuta vocem habere non poſſit in Electionibus, juſtam habuit cauſam Capitulum: ſi è contra injuſtam habuit, non erat foraneus, aut ab hac pœna immunis erat, quod ſufficit ad Electionem irritandam ex capite contemptus.

207. Aliæ auctoritates exadverſo adductæ nullam merentur reſponſionem: *dec.enim nempè* 88. *num.*8. *coram Ninot. nec Bordon.variar.reſol.reſol.*61.*n.*8. *tit. de elect.* non faciunt ad propoſ. nam deciſio *Ninot.* non loquitur de materia propoſita:*de Bordon.* loquitur de carcerato non vocato, qui ſine ulla difficultate non erat intimandus, ac Authores, quos ipſe citat, loquuntur de dolo quoad incurſionem pœnæ, ut videre eſt ex *Calder.conſ.*11.*de verbor.ſignificat.* qui loquitur ad effectum effugiendi pœnam inflictam contra contemnentes claves, ſicut etiam obſervavit *Felin.ſupra citat.* Patet itaque ex ſuperiùs deductis,omnia repagula ab Adverſariis oppoſita removeri, itaut nulla ampliùs dubietas ſuperſit, circa motiva de novo adducta ex Parte Adverſariorum.

208. Brevi diſſerendum occurrit de aliis noviter adductis contra nullitatem Electionis: reaſſumenda ea ſunt omnia, quæ jam in ſuperioribus Memorialibus adducta ſunt; ſed ſi attentè diſcutiantur Brevia Apoſtolica jam enarrata, patebit evidenter, primam gratiam quoad modum Eligibilitatis conſumptam fuiſse per promotionem Sereniſſimi Principis Clementis de Bavaria ad Archiepiſcopatum Colonienſem, itaut dimiſſio Eccleſiæ Ratisbonenſis,& Friſingenſis remanſerit in conditione, itaut non poſset idem Breve Apoſtolicum ampliùs valere, niſi purificata omninò conditione, ſubqua poterat ſubſiſtere.

209. Juriſconſulti omnes conveniunt, modum in hoc à conditione differre, quòd modus ſupponat aliquid faciendum, conditio è contra aliquid factum, quod debet priùs præexiſtere.

210. Ne itaque extra quæſtionem excurratur,notandum eſt,S.P.Clementem de Bavaria per duo Brevia ſa. mem. Innocentii XI. & Alexandri VIII. factum fuiſse eligibilem ad Archiepiſcopatum Colonienſem,vel ad Epiſcopatum Hildesheimenſ.& Leodienſem.

211. Summus Pontifex ſtatuit, quòd ſi contingat ipſum ad præfatas Eccleſias, vel earum alteri præfici, tunc Eccleſiæ Ratisbonenſis, & Friſingenſis vacarent eo ipſo. En modus in prima parte diſpoſitionis, ſcilicet quia priùs erat ut ad unam ex his tribus Eccleſiis præficeretur Serenſs. Princ. Clemens de Bavaria, quàm teneretur dimittere Eccleſias Ratisb. & Friſing. ſed ubi primùm ad unam ex his tribus Eccleſiis, ſcilicet ad Epiſcopatum Colonienſem aſſumptus fuit, id quod erat per viam modi appoſitum, in conditionem ſuſpenſivam Brevis quoad alia,tranſiit;nec potuit ampliùs aſſumi Ser.Princ.Clemens de Bavaria ad Epiſcopatum Leodienſem, niſi impleta conditione ipſi appoſita, dimiſſionis earumdem Eccleſiarum Ratisb.& Friſing.

212. Quoad effectum Brevis confirmationis electionis in Archiepiſcopum Colonienſem, ſi attentè perlegatur, invenietur inductam eſſe novam obligationem dimiſſionis Eccleſiarum Ratisb.& Friſing.ſtatim atque præfatus Ser. Princ.Clemens de Bavaria poſſeſſionem cœpiſſet bonorum Menſæ Archiepiſcopalis, aut ſaltèm majoris partis bonorum ejuſdem.

213. Sed ne longiùs excurratur, ſtrictiùs in Reſponſo particulari ſatisfiet omnibus pro Eligibilitate adductis,& nullitates intrinſecæ Electionis,reſultantes ex violentiis adhibitis,& ex contemptu aliorū Canonicorū perſtringentur.

EJUSDEM SOLUTIO

noviter objectorum.

1. HAbemus nunc ex facti ſuper contemptu, Summario, & novis DD. Advocatorum *Jacometti*, *Fuſchi*, & *de Stanchis* ſcripturis, nova motiva Adverſariorum, quibus tota argumentorum machina exploditur.

2. Statuta ſupponūtur adducta in forma authentica; ſed ſatis ſuperque demonſtratum eſt, manca adhuc, & dubia reperiri; nullatenus inquiſitus fuit Secretarius Capituli de Statutis anni 1563. quæ in Summario primo Adverſariorum adducta fuerunt.

3. Sed legantur, & relegantur hæc Statuta, nullatenus inducunt foraneitatem reſpectu Canonici non comparentis in Capitulo Sancti Ægidii. Deindè cùm hic defectus non importet pœnam, niſi ex defectu reſidentiæ, oſtenſum eſt, etiam ad ſatietatem, Eminentiſs. Cardinalem Bullionium immunem fuiſſe ab omnibus legibus reſidentiæ, quod nunc non controvertitur ab Adverſariis, quod ſufficeret reſpectu Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, ut eximeretur ab omnibus pœnis reſultantibus ex defectu comparitionis.

4. Arguunt Adverſarii, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium in Procuratorio tranſmiſſo ad comparendum in Capitulo Sancti Ægidii anno 1688. declaraviſſe ſe conſtituere Procuratorem ad comparendum, ut ſe repræſentaret ad reſidendum, prout moris erat, & tandem ex Summario nullitatum, volunt arguere, quòd ſi eximi debuiſſet ab hac comparitione tempore hujuſce belli, cùm non potuiſſet comparere per ſe, aut Procuratorem, neque etiam debebat vocari in Electione.

5. Sanè hæc omnia in obliquum omninò ſenſum, more Sophiſtarum, detorquentur ab Adverſariis.

6. Quoad mandatum Procuræ, cujus fides non innoteſcit, cùm ſit ſcriptura privata, cujus originale non adducitur, ſed ſimplex extractum collationatum ſine interventu partis, argui liceret, ejuſmodi formulam nihil adducere de novo contra legem Statutorum, & ille uſus loquendi non inducit aliquam novam obligationem, neque aliquam interpretationem contra mandantem; ſed ſimplex repræſentatio mandatur eo modo quo à conſuetudine poteſt induci; At verò demonſtratum eſt, hanc repræſentationem non præſcribi, neque induci à Statutis, niſi ad effectum gratioſæ abſentiæ obtinendæ, quæ arbitrio Capituli concedi poteſt, itaut ſit in facultate Capituli illam recuſandi. Ex quo quidem defectu obtentæ, & petitæ gratioſæ abſentiæ nulla foraneitas in Statutis inducitur, ſicut ex præcedentibus Memorialibus patet.

7. Nihil relevat prorſus, quòd in eodem Mandato Procuræ adjuncta fuerit facultas ſubſtituendi Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ad ſuffra-

gium

gium ferendum in Electionibus, & collationibus Beneficiorum, quæ poterant fieri in Capitulo Leodienſi: nihil omninò ex his verbis poteſt colligi, cùm duplex facultas conceſſa fuerit in hoc mandato, quæ omninò diſtincta videtur, ac quæ diverſis temporibus exequi debebat.

8. Quoad adducta ex Summario nullitatum, nihil facit ad propoſitum, cùm non fuerit per modum Poſitionis concluſum, & in Memoriali ſuper Eligibilitate recognitum fuerit omnia per tranſennam, & obiter in hoc Summario congeſta fuiſſe, ut idèa daretur omnium, quæ poterant in præſenti negotio adduci, & remiſſa fuerunt omnia ad ulteriorem indagationem, quæ facta fuit in Memoriali, tàm ſuper Contemptu, quàm ſuper Eligibilitate, quæ reaſſumenda.

9. Sed cavillantur omninò Adverſarii, nam cùm nullitas Decreti lati à Capitulo Leodienſi contra Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium variis ex motivis ſtabiliretur, & inter pleraſque nullitates hæc adduceretur, quòd Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius inauditus damnatus fuiſſet, cùm prius citari debuiſſet, propoſitum eſt ex authoribus claſſicis momentum graviſſimum, ſcilicet quòd quotieſcumque pœna debet infligi ex facto negativo, ſcilicet ex defectu comparitionis, aut reſidentiæ, prout in Memoriali ſuper Contemptu *n.* 23. *& ſeqq.* debet sẽper præcedere citatio partis abſentis, ne ipſi præripiantur, aut tollatur allegationes Juris, vel facti, quas poſſet adducere, ut ſe excuſaret, & eo loci ponitur præſuppoſitivè, quòd v.g. ſi quis tempore belli non poſſit tutò accedere in locum, aut mittere Procuratorem, poteſt ſe eximere à pœna, quæ procederet ex illo defectu comparitionis, aut reſidentiæ, quia tunc non eſſet in culpa.

10. At verò magnum eſt diſcrimen inter ea, quæ pœnaliter inducta ſunt à Statuto particulari, & inter ea, quæ de jure communi requiruntur ad validitatem alicujus actus.

11. Nam quoad Statuta pœnalia, & odioſa, quivis prætextus, modò ſit legitimus, ſufficit ad excuſandum à pœna Statutaria, quod benè notatum fuit in *Reſponſo Juris ſuper noviter adducta ſub finem*; ſed quoad nullitatem actus, cujus forma præſcribitur de jure communi, & à Conciliis generalibus ordinatur ſub pœna irritationis actus, nulla poteſt excuſatio juvare: hæc etiam diſtinctio adhibita fuit ex ipſamet Doctorum ſententia, qui adducti ſunt ab Adverſariis, ſcilicet quoad pœnam, quæ etiam à Canonibus poſſet induci, credulitas non vana, ſed juſta, & probabilis poſſet eximere à pœna, ſed nunquam poteſt ſalvare nullitatem actus, qui non factus fuit, aut celebratus ſecundùm juris communis diſpoſitionem. Potuiſſet itaque validiſſimè ſe excuſare Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius ſi citatus, & auditus fuiſſet, à defectu comparitionis in Capitulo Sancti Ægidii per ſe, aut Procuratorem, tempore belli hujuſce, quia illa comparitio ſupponit facilem aditum in Capitulo ex parte comparentium, qui non inveniebatur tempore belli.

12. Sed ut hæc luculentius probentur, legenda ſunt Statuta in titulo de ſecunda reſidentia, quorum copia tranſmiſſa eſt à Reverendiſſimo Dom. Nuncio Colonienſi, quæ optimè contra producentes poteſt retorqueri.

13. In hac copia invenietur, pœnam deſertæ, & oblatæ ſecundæ reſidentiæ, in qua quis pro foraneo declaratur, non ita ſtrictè præſcriptam eſſe, ut non admittantur excuſationes in contrarium, v. g. *Quicumque in negotiis Eccleſiæ abeſt, dummodo expreſſum Capituli, vel ordinariæ Congregationis, ſpecialiter in-*

indictæ, mandatum habeat, per omnia, habebitur pro præſenti. Hæc ſunt ipſiſſima verba Statuti.

14. Subjungitur aliud §. *item*, ſub eodem titulo de ſecunda reſidentiæ: *Item, ſi tamen contingeret, aliquem ad Baptiſmum, Nuptias, Miſſam primam, Pacis conciliationem, aut Funus, ſeu Exequias, aut alicujus Eccleſiæ, vel Eccleſiarum Benedictionem, ac Conſecrationem (qui caſus Privilegiati vocantur) vocari, dummodò Talis, illius rei ſine dolo fidem faciat in Capitulo ante ipſius abitum ſi præſens ſit, alioquin abſens ſcribat, & Capitulo indicet, ac rediens ſub fidem boni viri hoc affirmare poterit,* Capitulum poterit ipſum à pœna foraneitatis eximere.

15. Idem ſtatuitur quoad Archidiaconos, quamdiù ſunt in actu viſitationis, qui etiam Confratrem, & Concanonicum poſſunt ſecum adhibere.

16. In primo Statuto de ſecunda reſidentia eximuntur etiam ab obligatione ſe perſonaliter repræſentandi, ad effectum ſecundæ reſidentiæ, illi, qui ægritudine aliqua detinentur.

17. Habemus nunc ex ipſis Statutis caſus multos privilegiatos, in quibus ceſſat pœna foraneitatis inductæ à Statutis.

18. Diſquirendum itaque ſuperſuiſſet, ſi citatus fuiſſet Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Bullionius ante decreti privationis vocis activæ, utrum non potuiſſet, ſuppoſito etiam, quòd in Statutis comprehenſus fuiſſet reperiri, etiam in aliquo caſu privilegiato, & nunc etiam illud inquirendum occurrit.

19. Debemus ſanè Adverſariis hanc novam dilucidationem Statutorum, dum hoc objecerunt.

20. Certum eſt ex Statutis aliquos caſus privilegiatos adhiberi, qui poſſunt omninò eximere à pœna foraneitatis: illi caſus non ſunt proculdubio limitativè appoſiti, ſed demonſtrativè enumerati in Statutis, nam ex *l.* 10. *ff. de legibus*, neque leges, neque Senatuſconſult. ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint comprehendantur, ſed ſufficit, & ea, quæ plerumque accidunt, contineri; undè ſufficit in Statutis caſus privilegiatos aliquos adhiberi, ut alii ſuppleantur, qui etiam privilegiati arbitrio boni viri videri poſſunt ad liberationem pœnæ incurrendæ.

21. Innocentius III. *cap. ex parte tua De appellationibus*, adducit inter caſus privilegiatos ad excuſandum ſe à comparitione, etiam in judicio, coram deputato Sedis Apoſtolicæ, tempus belli, & ſtatuit, quòd quotieſcumque periculoſum eſſet ire in aliquem locum, eximitur quis à comparitione, niſi Judices ipſi aſſignent locum alium idoneum, & ſecurum.

22. Tempus etiam peſtis, qui caſus eſt privilegiatus in jure, eximeret à comparitione; ſufficit itaque ad eximendum Canonicum Leodienſem ab omnibus pœnis, quæ poſſunt inſequi ex defectu comparitionis, ut poſſit aliquem caſum privilegiatum adducere, quia, quod ſemper menti tenendum eſt, in odioſis, & pœnalibus mitiùs ſemper agi debet cum illo, qui quemlibet prætextum rationabilem poſſet adducere, ſed aliud eſt judicium ferendum de nullitate actus, qui geritur.

23. Sed ultra caſus privilegiatos, qui potuiſſent ſanè arbitrio boni viri æſtimari in favorem Eminentiſs. Dom. Cardinalis Bullionii, reflectant ſeriò, & maturè Eminentiæ Veſtræ, utrum in Curia Romana melioris conditionis debeat

beat æſtimari, & reputari Canonicus Leodienſis, qui negotiis Capituli vacat, qui nunquam ex mente Statutorum pro foraneo habendus eſt, licèt non compareat in Capitulo Sancti Ægidii, aut non reſideat, quàm S.R.E. Cardinalis, qui ex illa animi deſtinatione, quam habere ſemper præſumitur ad invigilandum bono communi Eccleſiæ univerſalis, pro bono Eccleſiæ univerſalis in Eccleſiis particularibus, & inferioribus Eccleſia Romana, nunquam reſidere compellitur.

24. Honorius III. juris peritiſſimus *cap. Dilectus De Clericis non reſidentibus*, eximit familiares ſuos ab omni lege reſidentiæ, etiam quoad fructus lucrandos, & hoc eodem motivo innitebatur, *quia minori non debent prærogativa gaudere, quam veſtrum ſinguli, quorum negotia per ſeipſos ſæpiùs promoventur*. S. R. E. Cardinales non ſunt ſolummodò familiares Summi Pontificis, ſed ipſius Collaterales, & commenſales, cùm ſint pars ipſius corporis Papæ, quanto itaque majori debent gaudere privilegio?

25. Sed habemus ex Statutis Capituli Leodienſis, numquam illos Canonicos, qui pro negotiis Capituli abſunt, habendos eſſe pro foraneis, etiamſi non comparerent in Capitulo S. Ægidii, & etiam oblatam ſecundam reſidentiam deſeruerint: quanto magis, & à fortiori S. R. E. Cardinales ab illa pœna deberent eximi? Sed ut nunc redeat oratio undè proceſſerat.

26. Diſcrimen maximum debet intercedere inter defectum hujuſmodi comparitionis certa die in Capitulo faciendæ, quæ inſequi poſſet ex vi, & authoritate Statuti particularis odioſi, cùm ſit reſtrictivum juris, & pœnale, & inter defectum vocationis Canonici abſentis, qui debet vocari in electione.

27. Nam in Concilio Lateranenſi, quod formam in electionibus Canonicis ſervandam præſcribit, nullatenus hic defectus poteſt excuſari, quotieſcumque Canonicus eſt in eo loco, undè poteſt commodè, & ſine periculo vocari, prout jura jam adducta ſtatuunt: & licèt nulla pœna ſtabiliatur contra Capitula, quæ illud omittunt, cùm irritatio actus, ſeù nullitas ſemper exurgat ex defectu hujuſmodi vocationis, nunquam hæc nullitas poteſt excuſari.

28. Non ſumus in caſu ſimplicis defectus vocationis, ſed in caſu privationis vocis activæ per ſententiam pronunciatæ, de qua appellatio pendet.

29. Sed qua fronte, quove judicio poſſunt Adverſarii objectionem propoſitam adducere? cùm demonſtratum fuerit in *Reſponſo Juris ſuper noviter adducta*, priùs eſſe, ut Adverſarii in aliquo ſe ſiſtant, ſi nunc velint ſuſtinere tempore belli Canonicum non debere vocari, neque admitti per ſe, aut Procuratorem, convenire neceſſè eſt, Decretum Capituli Leodienſis, de quo appellatio pendet, quo Eminentiſs. Cardinalem Bullionium tanquam foraneum privavit voce activa in electione, eſſe prorſus iniquum, quod ſufficeret ad electionem irritandam; ſed demonſtratum eſt, nullum prætextum, neque caſum privilegiatum poſſe admitti in electionibus, ut excuſetur citatio abſentis, qui de jure ſuffragium debet habere; nam paſſim Doctores ſentiunt, ipſum ſemper eſſe citandum, ut vitetur Contemptus, & ſi contingat ipſum perſonaliter non poſſe venire propter bellum, vel inimicitias capitales, poſſe ſaltem mittere Procuratorem: id ipſum agnoverunt DD. Doctores exadverſo ſcribentes, ſcilicet Dom. Advocatus *de Jandit* ſuper oppoſitionibus adducendis *num.36.* exprobrat Eminentiſs. Card. Bullionio, quòd Procuratorem mittere ſemper neglexerit, quem mittere omni jure tenebatur, dum ibi ſe tutò, ſcilicet Leodii

(ſunt

(ſunt ipſiuſmet verba) conferre non valebat ex ſuo perſonali impedimento: & fuſiùs *D. Fuſcus* Neapolitanus ſuper proteſtatione, ubi expreſsè propugnat, quòd nihil impediebat Eminentiſs. Card. Bullionium, quominus conſtitueret Procuratorem in eodem loco, ubi degebat Capitulum, cui plures miſit litteras, & ad hoc multas adducit auctoritates: & idipſum concefferunt Scribentes in Reſtrictu Juris.

30. Proindè cùm conveniant Adverſarii, faltèm relinquendam fuiſſe facultatem Eminentiſs. Card. Bullionio, ut poſſet conſtituere Procuratorem in Electione, conſequenter exurgit gravis injuria, & injuſtitia, ex quo per decretum privationis vocis activæ ipſi ſublata eſt omninò eadem facultas, quæ ipſi de jure communi ſemper competere debebat. At verò demonſtratum fuit hanc facultatem ſublatam fuiſſe omninò, ex quo per ſententiam privatus erat voce activa; undè videre eſt quantum hallucinentur Adverſarii in omnibus ab ipſis adductis, cùm undequaque contraria, & inter ſe pugnantia proponunt, quod quidem in judicio coram Sede Apoſtolica nullatenus debet probari.

31. Rurſus argumentantur Adverſarii ex repræſentationibus factis ab Eminentiſſimo Cardinali Bullionio ab anno 1671. uſque ad annum 1689. ſed jam demonſtratum eſt, illa omnia, quæ fiunt jure familiaritatis, vel conſuetudinis, aut urbanitatis, nullam inducere obligationem: & cùm repræſentatio in Capitulo Sancti Ægidii ſit meræ facultatis, & voluntatis, potuit fieri eo animo, ut ſe magis familiarem, & addictum Capitulo Leodienſi exhiberet Eminentiſſimus Cardinalis, quod poſteà facere neglexit propter varias cauſas ſatis notas, ſed per id totum tempus numquam ex hoc defectu comparitionis notatus eſt in regiſtris Capituli tamquam foraneus, prout *in Summario primo Adverſariorum pag.* 5. undè non poteſt pœna privationis reſultare ex illo defectu. Conveniunt etiam Adverſarii, Eminentiſs. Cardinalem diſpenſatum à reſidentia, ſed non à comparitione in Capitulo S. Ægidii, quod abſurdum, quia ſola comparitio præciſè non ordinatur, niſi ad effectum obtinendi diſpenſationem à reſidentia; undè ſi jam inducta concedatur Dignitati Cardinalitiæ, fruſtra peteretur à Capitulo.

32. Nihil relevat decretum factum 27. Februarii contra Sereniſſimum Principem Theutonicum, in quo ſupponitur, ipſum tanquam foraneum notatum fuiſſe, quia ex decreto facto ſeptima Septembris, relato *in Summario novo ſuper Contemptu num.* 14. apparet, præfatum Sereniſs. Principem Neoburgicum ſe ad ſecundam reſidentiam præſentaviſſe, & ad illam admiſſum fuiſſe, undè licèt ſe per conſtitutionem Procuratoris voluiſſet repræſentare in Capitulo Sancti Ægidii anni 1693. non admiſſus fuit à Capitulo ex eo, quòd ſecundam reſidentiam deſeruiſſet, quod quidem decretum, quod Adverſarii exhibent, mentem Statutorum benè detegit, & ſtabilit expreſsè, neminem in Eccleſia Leodienſi pro foraneo haberi, niſi qui ſecundam reſidentiam oblatam deſeruit, undè videre eſt omnia, quæ nunc adducuntur ab Adverſariis, in ipſos meritò retorqueri, nam ſemper ille caſus adductus eſt ex parte Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, ſcilicèt numquam ex defectu comparitionis quoad Canonicum, qui ſe ſecundæ reſidentiæ non obtulit, poſſe inſequi pœnam foraneitatis.

33. Fruſtra adducuntur nova motiva, quibus poterat Eminentiſſimus Car-

Cardinalis Bullionius arceri ab electione, nam illa omninò deſtructa fuerunt in noviſſimis ſcripturis, quæ reaſſumentur.

34. Fruſtra etiam jactatur votum Univerſitatis Lovanien. quod numquam exhibitum eſt, ante appellationem, neque poſt, Eminentiſſimo Cardinali Bullionio; nam præterquamquod, ſicut jam toties probatum fuit, decretum Capituli Leodienſis numquam hoc motivo innixum fuit, ſi Univerſitas Lovanien. conſulta fuiſſet ſuper foraneitate ex Statutis adducta, in qua totus cardo difficultatis includitur ex mente ipſa Sacræ Congregationis, cùm alitèr fruſtra ordinaviſſet, prout fecit, ut priùs Statuta adducerentur in integrum, confidit Eminentiſſimus Cardinalis Bullionius, quòd etiamſi Doctores Lovanienſes, qui degunt ſub dominio temporali Potentiſſimi Principis Sereniſſimi Electoris Ducis Bavariæ, nunc Pro-Regis Germaniæ inferioris, ipſi omninò addicti videantur, numquam conſuluiſſent, quòd Eminentiſs. Card. Bullionius debuiſſet, & potuiſſet privari voce activa, aut inauditus damnari.

35. Sed mirari licet, quòd adducantur in negotio graviſſimi momenti conſultationes Doctorum Lovanienſium, qui libertatem Eccleſiaſticam, quæ in electionibus debet obſervari, deſtruere conantur: deinde fundamentum hujus conſultationis deſumitur ex banno Imperii contra Eminentiſſimum Cardinalem de Furſtembergh lato, & ex hoc concludunt Doctores Lovanien. quòd omnes Cardinales adherentes eidem Eminentiſſimo Cardinali de Furſtembergh comprehenderentur in bannis Imperii, & ideò privari debebat voce activa, & paſſiva; ſed advertere licet, nullam mentionem ſpecificam in hoc Conſilio Lovanien. fieri de Eminentiſſimo Cardinali Bullionio.

36. At verò abſurdum eſt, Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium tractari, tamquam adherentem Eminentiſſimo Cardinali de Furſtembergh, unde abſonum omnino videtur, illum ſub hoc prætextu comprehendere in bannis Imperii, ſed in præſenti caſu tantum abeſt, ut etiam Eminentiſſimus Cardinalis de Furſtembergh, rejectus fuerit ab hoc ſuffragio ferendo per Procuratorem in ultima electione, ut è contra quando Comes de Poitiers repræſentavit ipſius procuratorium, ex hoc ſolùm rejectus fuerit, quòd præfatus Eminentiſs. Card. de Furſtembergh eſſet foraneus.

37. Nunc non occurrit diſquirere jura, quæ poterant competere Eminentiſſimo Cardinali de Furſtembergh, ſed ſufficit oſtendere, ipſum Imperatorem, ſive S. C. M. Miniſtrum principalem declaraviſſe Reverendiſſimo Sedis Apoſtolicæ Nuntio Vieunenſi, ſe nullatenus intendere arcere Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium ab electione, necnon etiam à libero aditu in Civitatem Leodien. ſub prætextu hujuſmodi bannorum Imperii, ſi nihil aliud obſtaret.

38. Quoad aliam ſcripturam, quæ profertur, & quæ nunc prodiit in lucem, cùm à nullo ſubſignata inveniatur, & nihil aliud contineat, quàm momenta toties ab Adverſariis repetita, reſponſione non indiget.

39. Advertendum eſt ſolummodò, numquam ſalvos-conductus obtuliſſe Eminentiſſimum Cardinalem Bullionium Canonicis Leodienſibus, quos deputare voluiſſet Capitulum ad amicabiliter cum ipſo colloquendum, tamquam Miniſtrum Plenipotentiarium Regis Chriſtianiſſimi, ſed illos ſalvos-conductus expeditos fuiſſe ad inſtantiam Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, ut procuraretur libertas electionis: nec alio animo adactus fuit Rex Chriſtianiſſimus ad concedendam declarationem neutralitatis, quæ nunc typis edita eſt, & ante

ele-

electionem valvis Eccleſiæ Leodienſis, & Capituli affixa eſt, niſi ut libertatem hujuſmodi electionis, quantum in R.M. erat, procuraret.

40. Nec ex his omnibus conjicere licet, ullum in ſtatu Leodien. potuiſſe ex his oblatis conditionibus periculum ſuboriri, cùm polliceretur Regia Majeſtas Copias fœderatorum, quæ in Civitate Leodien. commorabantur, in eiſdem omninò ſtationibus quas occupabant, reponendas eſſe poſt electionem celebratam; unde nullæ inſidiæ ex zelo pro religione, & libertate Eccleſiæ tuenda, parabantur, & è contra ex his omnibus colligere licet, electionem omninò violenter eſſe celebratam, quia Principes fœderati illam coarctaverant ad duo tantùm ſubjecta, ſcilicet ad Sereniſſimum Principem Clementem de Bavaria, & Sereniſſimum Principem Neoburgicum, prout jam in Memoriali ſuper eligibilitate oſtenſum fuit.

41. Opponunt tandem Adverſarii fruſtrà electionis confirmationem impediri, quia, juxtà concordata Germaniæ, ſi electio veniret irritanda, aut caſſanda, jus providendi Eccleſiæ Leodienſi non competeret Summo Pontifici, ſed denuò electio remittẽda foret Capitulo Leodienſi, quod teneretur denuò Sereniſſimum Principem Clementem de Bavaria eligere, quæ quidem objectio repugnat omninò legi Concordatorũ Germaniæ, & Juri Canonico; nam in Concordatis Germaniæ, §. *Item placet nobis*, ſtatuitur expreſsè, quòd ſi electiones *Metropolitanarum*, & *Cathedralium Eccleſiarum præſentatæ non fuerint Sedi Apoſtolicæ intra tempus conſtitutum in cap. cupientes*, vel ſi præſentatæ minus canonicæ fuerint, providebitur à Summo Pontifice, & ſi canonicæ fuerint, confirmabuntur, cum hac tamen reſtrictione, niſi ex rationabili, & evidenti cauſa, ac de S.R.E. Cardinalium conſilio de digniori, & utiliori perſona duxerit providendum: & etiam ſi de benignitate Sedis Apoſtolicæ electionem contingeret remitti ad Capitulum Leodienſe in tempus opportunum, certum eſt ex Jure Canonico, quòd libertas omninò relinqueretur Capitulo Leodienſi, ut perſona idonea de novo aſſumeretur, ſine coarctatione ad certam perſonam, quia libertas, aut facultas reſtituitur Capitulo eligendi illum, qui dignior tunc temporis ipſi videbitur, & tunc electio deberet fieri vocatis omnibus, qui contempti fuerunt in electione, quæ caſſata fuiſſet.

42. Unde ſtat in facultate, aut in poteſtate, aut in indulgentia Summi Pontificis, ut poſt declarationem nullitatis electionis, quæ vitari non poteſt, niſi violentur omnia Jura Canonica, ut provideat Eccleſiæ Leodienſi de perſona idonea, aut ſaltem, ut ſtatuat, ut electio denuò celebretur in concordia Capituli Leodienſis, & in tempus opportunius differatur.

43. Nè longiùs excurratur, certum eſt, alia, quæ adducta de novo fuerunt, nullatenùs deſtruere momenta ex parte Eminentiſſimi Cardinalis Bullionii, nec prætextus hoſtilitatis, aut alii, qui adducti fuerunt, proficiunt Adverſariis, qui omnem machinam, & omnem lapidem movent, ut nullitates inſanabiles, quæ in præfata electione occurrunt, verborum involucris, & ſcripturarum mole, ſi ita fieri poſſit, obruantur; *ſed non offeramus coram Domino ignem alienum*, ut ait Scriptura Sacra, *ne fortè ab illo devoremur: ſanctificetur Dominus in iis, qui appropinquant ipſi, ut in conſpectu omnis populi glorificetur*.

JOANNIS

JO: BAPTISTÆ DE CURTIS

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO FACTI

Super contemptu Domini Comitis, & Canonici de Rekem.

1. SUbſiſtunt deducta pro Domino Comite, & Canonico de Rekem, nempè ipſius contemptus, dum non obſtante, quòd eſſet Canonicus Leodien. in Sacris Ordinibus conſtitutus, & degeret in loco commodo, undè convocari debebat ad Electionem, *attamen fuit rejectus* ſub prætextu foraneitatis ob non repræſentationem in die Sancti Ægidii; quapropter cùm talis pœna à Statutis nullatenùs legatur inflicta, ex latè adductis pro Eminentiſſimo Bullionio, credimus *electionem ſecutam fore irritandam*, etiam ob ſpretum noſtri Principalis, qui ab hujuſmodi rejectione providè ad Sanctiſſimum appellavit, adeòut ſimul juncta *hæc duo Vota* contempta, influant ad ipſam nullitatem electionis, ut latiùs probavimus in Informatione.

2. Non ſubſiſtunt ſuppoſita Partis adverſæ: & primò, quòd Dominus Principalis à pluribus jam annis reſignaverit ſuum Canonicatum, & ſupplicatio ſignata, ac conſenſus irrevocabiliter extenſus ſit; hoc enim factum nullibi juſtificatur, & dicere, quòd illud *recognoſcatur ubi oportet*, eſt mera vanitas; cùm apud Judices, & præſertìm coram hac Sacra Congregatione facta non debeant ex proprio capite ſcribentium confingi, ſed poſitivis juribus exhibitis probari, ideò hoc primùm Partis aſſumptum nō meretur aliam reſponſionem.

3. Minùs *relevat* ſecundum, quòd Dominus Canonicus non reſederit, neque ſe præſentaverit in die S. Ægidii, quia de prima reſidentia jam peracta, non eſt quæſtio; quò verò ad ſecundam, nunquam Pars adverſa probavit, quòd Dominus Comes ſe obtulerit ad illam faciendam, propter quam exhibitionem, ſi deindè non perficiatur, intret pœna foraneitatis à Statuto indicta, ac demum reſpectu ſimplicis *non præſentationis die Sancti Ægidii*, latiſſimè firmatur à Scribentibus pro Eminentiſſimo Bullionio, nullam eſſe à Statuto impoſitam pœnam foraneitatis, adeòut nil aliud ſuperſit addendum.

4. Demùm, omnibus aliis magis inſubſiſtens eſt tertium ſuppoſitum, quòd Dominus Comes, licèt nativitate, origine, & Feudo Germanus, & Sacro Subdiaconatus ordine inſignitus, tamen militaverit in Galliis contra Imperium, & ſic tanquam Rebellis non potuerit ad electionem admitti, obſtante Imperatorio Edicto Leodii publicato, conſtituendo horum omnium probationem in quodam Brevi abſolutionis à Sanctiſſimo Domino Noſtro obtento, & dato in exadverſo *Summ. num. ultimo.*

5. Etenim in prædicto Brevi enunciatur quidem, quòd Dominus Prin-

cipalis ſeculari Militiæ ſe adſcripſerit, & Arma in diverſis Bellicis actibus geſſerit, propter quæ cenſuram, & irregularitatem forſan incurrerit, & vacationem Canonicatus; ſed nec per umbram ex his elicitur confeſſio, quòd pro Galliis contra Imperium militaverit, cùm de his nulla fit mentio in Brevi prædicto; Adeòque corruit figurata qualitas Rebellionis exadversò jactata. Nec ex quo executio Brevis commiſſa fuerit Epiſcopo Argentoraten. attento quòd Leodienſi, & Colonienſi ſibi tutus non pateret acceſſus, arguitur objecta Rebellio, quia hujuſmodi non tutus acceſſus ex aliis *cauſis*, *& reſpectibus* provenire potuit, non tangentibus directè perſonam Domini Comitis; Satiſque eſt ad effectum de quo agitur, nullam exadversò afferri juſtificationem *figuratæ Rebellionis, quæ uti objectiva debuiſſet concludenter demonſtrari*, non autem per ſubauditos intellectus, & involucra verborum, quæ ad aliud congruè referri poſſunt.

6. Benè verùm eſt, quòd ex dicto Brevi abſolutorio, conceſſo à Sanctiſſimo de menſe Aprilis anni præteriti 1693. convincitur eſſe meram fabulam prætenſam Canonicatus Leodien. reſignationem, ut dicitur à pluribus annis factam, dum in eodem Brevi Dominus Comes diſpenſatur à dicti Canonicatus vacatione, cum Indulto, ut etiam alia ſimilia Beneficia retinere valeat.

7. Ex quibus, cùm Partis ſuppoſita penitùs eliſa remaneant, contemptus Dom. Principalis noſtri clarior ſemper inſurgit, adeòque pro Electionis irritatione reſponderi ſupplicamus.

JACOBI

JACOBI SARDINI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO

Super contemptu Comitis de Rekem.

1. FUndamenta, quæ latè deducta ſunt in alia Informatione, exarata in favorem Eminentiſſimi Cardinalis Bullioni, concurrunt in præſenti pro annullanda eadem electione Sereniſſimi Principis Bavarici ad inſtantiam Illuſtriſſimi Comitis de Rekem Principalis, qui pariter tanquam contemptus inſtat modò pro illius caſſatione.

2. Juſtificatur enim contemptus, & appellatio ab eo interpoſita à futura Electione per Leodienſe Capitulum operata, & quæ duo capita ſatis eſſe pro nullitate prædicta inducenda, jam in dicta Informatione probavimus, præſertìm ubi appellationis detur ſufficiens juſtificatio, per *Textum expreſſum, & ibi Doctores in cap. conſideravimus De election. Rot. coram Buratt. deciſ. 771. num. 45. & coram Ottbob. deciſ. 29. nu. 32. & ſeqq.*

3. De contemptu ſiquidem notoriè conſtat, quandoquidem Dominus Comes unus ex Canonicis, vocemque habens in Capitulo, ad electionem convocatus non fuit, quamvis in Huyenſi Civitate, & ſic in ipſa Leodienſi Diœceſi reperiretur, ubi par erat ſecundùm regulam ſatis vulgatam, quòd omnes in Provincia exiſtentes, ſint ad electionem vocandi. *cap. coram, & ibi gloſ. & cap. quia propter De elect. Rota coram Mantic. deciſ. 288. num. 1. & ſeqq. Paſſerin. de elect. cap. 11. num. 33.*

4. Sed inſuper quoque cum majori injuria, & contemptu fuit à Capitulo tanquam foraneus, & incapax dandi ſuffragium, poſitivè excluſus, & rejectus, quamvis nullatenus ſuppoſitæ foraneitatis vitium in ejus perſona locum habere poſſet.

5. Eos ſiquidem Capitulares Conſtitutiones pro foraneis haberi declarant, qui in feſto Sancti Ægidii ſe præſentando in Capitulo, & petendo ad reſidentiam admitti, eamdem poſteà reſidentiam præficere negligunt, ut litteralis eſt ipſarum Conſtitutionum ſenſus ſub *Rubrica de ſecunda reſidentia*; nullibi autem, nec ſub dicto titulo, nec alibi reperiri poteſt, quòd non comparens, & ſe non præſentans ad dictam reſidentiam, eadem foraneitatis pœna veniunt plectendi, undè cùm de hoc non diſponat Statutum, non poteſt ad hunc trahi in-

tellectum per jura, & rationes diffuſiùs in alia Informatione relatas, & præſertìm quia Statutum diverſificat caſum non factæ comparitionis, in quo denegat gratioſam abſentiam ab alio factæ, & non proſequutæ reſidentiæ, in quo pro foraneo Capitularem declarat, quæ diverſitas diſpoſitionis in uno, vel altero caſu operatur, ut diſpoſita in uno, locum non habeant in alio. *Soccin.Jun. conſ. 3.num.6.& conſ.114.num.22.lib.1.Surd.conſ.466.num.8.* quos refert, & ſequitur *D.Manſ.in conſultat.341.num.11.cum ſimilibus apud eumdem num.13.*

6. Eòque magis qualitas ipſa Conſtitutionis reſiſtit omninò tali extenſioni, & interpretationi, utpotè lex pœnalis, & exorbitans, & quæ ſtrictè ſemper venit intelligenda, nec de caſu ad caſum, vel de perſona ad perſonam extendenda. *Menoch.de arbitr.caſ.276.per tot.Rota apud Seraphin.deciſ.557.num.3. & deciſ.329.num.15.par.6.recent.Dom.Manſ.in conſult.44.num.50.& conſult. 240.num.32.*

7. Potiſſimum, quia viget in primo caſu factæ comparitionis peculiaris ratio, quæ movit ſtatuentes ad decernendam foraneitatem, quia nempè Canonicus, qui pro lucrandis fructibus ſe ad reſidentiam obtulit, injuriam inferre videtur Capitulo, & Eccleſiæ, ſi reſidentiam non proſequitur, dum quodammodo tali pacto datam fidem frangere videtur, quæ ratio ceſſat in eo, qui nunquam ad reſidendum ſe præſentavit, & qui abſque alia pœnæ irrogatione damnum patitur amiſſionis fructuum, quæ rationis diverſitas diverſimodè de uno, ac de altero caſu judicandum eſſe operatur. *Maſcard.de Statut.interpret.concl. 4.num.54.D.Manſ.in conſult.32.num.27.& conſult.280.num.65.*

8. Parum refragantibus actibus noviſſimè deductis, & ex Capitularibus libris, ut aſſeritur, extractis, cum quibus comprobari prætenditur dicta foraneitas ex obſervantia ab iiſdem actibus elicitam, demonſtrando, quòd retroactis temporibus fuerint pro foraneis habiti etiam ii Capitulares, qui in feſto Beati Ægidii ſe ad reſidentiam non obtulerunt.

9. Etenim vel actus prædicti non ſunt attendendi tanquam informes, vel obſervantiam exadverſo prætenſam inducere non poſſunt; fuerunt namque ex Capitularibus libris ab ipſo Capitulo minus legitimè, & abſque juris forma cõtracti, abſque partis citatione, & interventu, abſque auctoritate Judicis, non obtentis prius compulſorialibus. Ultra quamquod unus tantùm ex eis videtur tangere caſum foraneitatis ob non factam præſentationem, cæteri autem æquivoci ſunt, & incerti, & ſic nullo modo ad effectum, de quo agitur, attendendi. *Rota in deciſ.268.num.25.part.12.relata in deciſ.282.num.10. part.15. recent.*

10. Quòd verò per eos non juſtificetur decantata obſervantia, ex eo accidenter liquet, quia non agitur hìc de interpretanda aliqua Conſtitutione, vel Statuto dubietatem præſeferente, ſed imò Statutum noſtrum ſub dicto titulo de ſecunda reſidentia, clarum eſt, & litterale, diſponens tantùm in caſu factæ præſentationis, & non proſequutæ reſidentiæ: & idcircò opus non habemus interpretativæ obſervantiæ, quæ in claro Statuto non admittitur, ex adductis in alia Informatione, & præſertìm *Rot.in deciſ.319.num.2.part.6.& melius in deciſ.335.num.2.par.18.recent.D.Manſ.in conſult.47.num.31.*

11. Eòque minus trahi poſſunt actus præfati ad conſuetudinem, & obſervantiam præſcriptivam, deficientibus principalibus, & neceſſariis requiſitis ad

eam

eam conſtituendam, & præſertim quòd actus ſint plures, & univoci, non incerti, & æquivoci, quòd adſit verſus temporis, ſaltem quadragenarius,& quòd ipſa obſervantia fuerit in Judicio canonizata, ut pariter ex deductis in dicta alia Informatione pro Eminentiſſimo Dom.Cardinali Bulliono EE. PP. liquebit, & præter alios habetur apud *Rot. deciſ.*177. *num.*54. *part.*5. *deciſ.*264. *num.* 29. *part.* 6. *& deciſ.* 115. *num.* 24. *part.* 8. *recent.*

12. Nec aliquid ponderis præſeferre poteſt aliud emendicatum motivum, deſumptum ex eo, quòd Dom.Comes Principalis ab Imperiali Ditione exul, & bonis proſcriptus reperiretur; Undè non eſſet vocandus, quaſi quòd commodè venire, & convocari non poſſet.

13. Suppoſitæ namque proſcriptionis obſtaculum nullibi comprobatur hucuſque; undè ſupervacaneum evadit de hoc longius ſermonem habere. Et ulterius quando verè in facto tale impedimentum in ipſo verificatum fuiſſet, non indè ſequebatur, quòd non fuiſſet ad electionem convocandus, quippè ſi non perſonaliter, ſaltem per Procuratorem ad id electum poterat ſuffragium reddere, uti aſſolet in his caſibus, in quibus ſi impedimentum ex parte Capitularis procedit, eſt adhuc convocandus, ut Procuratorem conſtituat ſi velit, juxta auctoritates allatas in aliàs indicata Informatione, & præſertim *Bayſ. in director.Elect.par.*3.*cap.*9.*num.*9.*& par.*12.*num.*2.

14. Et in omnem caſum debuerat Capitulum ſaltèm antequam eum incapacem declararet, & Electionem abſumeret,curare, ut diſcuteretur quæſtio foraneitatis, ſervatis ſervandis,ne Electionem vitioſam, & attentatam redderet, & per conſequens nullius roboris, ut ait *Rota coram Ottbob.in dec.*19. *nu.*46. *&* 47. relata in prædicta alia Informatione, *Paſſerin.de elect.cap.*32. *num.*6.

15. Quod cùm facere neglexerit, ſed jus proprio marte potiùs ſibi dicere maluerit, ſequitur,ipſam Electionem eſſe omninò caſſandam, & annullandam, ſaltèm quia ſufficienter ex ſupra, & latiùs in alia Informatione deductis,remaneret juſtificata.

16. Et maximè, quia computatis Votis Eminentiſſimi Bullioni, & Illuſtriſſimi Comitis, qui fuerunt contempti, & quæ computanda eſſe tradit cum aliis *Paſſerin.de elect.cap.*11. *num.*111. manifeſtè apparet,canonicam, & legitimam non fuiſſe Electionem Sereniſſimi Adverſarii; Quippè ex 48. Votis conſtabat Capitulum, quorum medietate ſolùm, nempè 24. comprobata remanſit eadem electio, & ſic deficit concurſus majoris partis, quæ neceſſaria eſt omninò ad validitatem. *Paſſerin.de elect.cap.*11.*num.*113.*& ſeqq.*

17. Minimè refragante, quòd Decanus,& 23. Capitulares ex dd.48.receſſerint à Capitulo, undè, & ita reddendo ſe tanquam alienos, videatur tota eligendi facultas conſolidata in illis 24. qui propterea pluſquam majorem partem conſtituebant,etiam computatis Votis Contemptorum;corruit enim ex pluribus objectum, & præcipuè ex duobus.

18. Primò, quòd receſſus, & abſentatio prædd. Capitularium ex legitima cauſa ſequuta eſt, quia nempè voluerunt prius, & antequam ad electionem procederetur diſcuti, & examinari validitatem Brevis Eligibilitatis Sereniſſimi Adverſarii, non autem quia voluerunt ſe tanquam abſentes haberi. Ultrà quod plurimum adhuc temporis ſupererat, nec inſtabat terminus ad eligendum præfixus, & propterea,non obſtante receſſu prædicto,non poterat minor

nor pars eligendi facultatem ſibi arrogare, ut cum aliis tradit *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *num.* 100. Imò etiamſi major pars remanſiſſet in Capitulo, non poterat eligere, niſi terminus præfixus extitiſſet. *Paſſerin. d. cap.* 11. *num.* 107.

19. Secundò verò, quia in vim Capitularium Conſtitutionum, reſidet penes Decanum facultas diſſolvendi Capitulum, & differendi diſcuſſionem negociorum, ut in *Summario num.* 2. Ex quo tollitur omnis dubietas, quòd per talem receſſum voluerint ſe alienos à Capitulo reddere, dum ipſe Decanus, ſua facultate utendo, poterat Capituli diſſolutionem inducere, præſertim quia, ut deduximus, non urgebat terminus ad eligendum præſcriptus.

JO:

JO: BAPTISTÆ DE CURTIS

ADVOCATI ROMANI

MEMORIALE JURIS, ET FACTI

Pro Comite de Rekem.

1. UT dixi in Memoriali pro Dom. Comite de Aſpramont, & de Rekem Principali meo, dato in præterita Congregatione diei 9. Auguſti, ex benignitate reaſsumen. cùm ad effectum interveniendi, & dandi ſuffragium in Electione novi Epiſcopi, & Principis Leodien. prædictus Dom. Principalis tempore congruo veniſset ad Civitatem Huyenſem, Capitulum de his certioratum, nedum, ut par erat, ſolitas litteras convocatoriales ad ipſum nõ tranſmiſit, ſed imò eundem Dom. Canonicum ab Electione rejecit, *prætextu, quòd in die S. Ægidii ſe in Capitulo non præſentaverit, ob idque foraneus evaſerit*; Quapropter idem Dom. Principalis ſolemnem appellationem ad Sanctiſſimum interpoſuit, tàm à prætenſa declaratione foraneitatis, quàm à futura Electione attentata exadverſo facienda, ut latiùs in *Summ. num.* 1. Quibus in facto præmiſſis nulli dubium eſt, quin D. Principalis fuerit à *Capitulo poſitivè contemptus*, ac poſteà, ſecuta Electio, ad ejus quoque inſtantiam (ſicuti patet ex ſpeciali Procurationis mandato in præterito *Sum. reaſſumen. n.* 2.) veniat omninò irritanda per *tex. in cap. quòd ſicut* 29. *cap. bo. me.* 36. *ibique DD. communiter De elect.* cum aliis cumulatis per *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *num.* 119. *& ſeqq.*

2. Non obſtat quòd Dom. Principalis evaſerit foraneus, ex quo ſe non præſentaverit in Capitulo in feſto S. Ægidii; hæc enim præſentatio nullam penitus habet ſubſiſtentiam, quià nullum exhibetur ſtatutum Eccleſiæ Leodien. præcipiens ſimplicem comparitionem, & præſentationem Canonicorum in die S. Ægidii ſub pœna foraneitatis. Copia namque nuper exemplata ex libro ſtatuti, & exhibita, continens particulam, ſeu titulum de ſecunda reſidentia, ſolùm diſponit, quòd quicumque expleta prima reſidentia volet *ſecundam aggredi, & fructus facere. debebit perſonaliter in die S. Ægidii comparere in Capitulo, & ad talem reſidentiam ſe exhibere: Qui autem ità ſe præſentaverit, & ad ſecundam reſidentiam obtulerit, reſideat eo anno per ſex menſes, & unum diem, aliàs pro foraneo habeatur, ne ullos fructus ſuos faciat, nec abſentia gratioſa illi concedatur.*

3. Quæ quidem ſtatuti diſpoſitio, cùm ſolùm ſufficiat Canonicos, qui *voluntariè compareant, & ſeſe in die S. Ægidii* exhibent ad faciendam ſecundam reſidentiam, ut fructus lucrentur, nullo modo extendi valet ad Canonicos, qui non curantes *lucrari fructus*, nec gratioſam abſentiam obtinere, dicta die Sancti Ægidii non comparent; ſed caſus hujuſmodi ſimplicis non comparitionis, tanquam à ſtatuto omiſſus, remanſit ſub diſpoſitione juris communis, cujus vigore nullibi reperitur cautum, quòd Canonicus aliquando *non reſidens, ſeu in*

Ca-

Capitulo non comparens, privetur, voce activa, quam ex Conſtitutionibus Pontificiis obtinet ſtatim ac eſt receptus in Canonicum, & in Sacris Ordinibus extitit conſtitutus, ut latiſſimè comprobant DD. Scribentes pro Eminentiſſimo Bulliono, qui pari modo fuit ſub hoc vano prætextu *foraneitatis*, ob nõ factam præſentationem in die S. Ægidii, contemptus, & ad Sanctiſſimum appellavit.

4. Et quamvis pars adverſa ultimo loco conata fuerit aliquos actus adducere ad probandum, quòd ſtatutum prædictum fuerit *ita obſervatum, ut nempè foranei reputati ſint qui in die S. Ægidii non comparent:* Attamen ultra quod extractio dictorum aſſertorum actuum non fuit legitimè facta ſine compulſoria, & citatione Partis lite pendente, ſatis eſt reflectere, quòd in omnibus ſunt tres, vel quatuor mutilati æquivoci, nihilque prorsùs concludentes, ut benè, ſingulos examinando, deducitur à DD. Informantibus pro dicto Dom. Cardinali, adeout ex circumſtantiis ponderatis potius conſtet de obſervantia contraria.

5. Ac demum cùm agatur de prætenſo ſtatuto, *& obſervantia juri contrariis, & odioſis*, non eſt hìc agendum de obſervantia, ſed requireretur probatio cum requiſitis rigoroſæ præſcriptionis, quæ nec per umbram concurrit, cùm aliàs ſtatuta hujuſmodi non confirmata à Sede Apoſtolica, privationem in Canonicis inducere non valeant extra caſus à jure expreſſos. *Otthob. deciſ.* 102, *num.5. cum tribus ſeqq.*

6. At quia D. exadverſo ſcribens in facto in ſua præterita reſponſione ſuper contemptu in fine dixit, D. Comitem de Rekem ultra prætenſam foraneitatem eſſe *nominatim proſcriptum ab Imperio*, ut indè impingat etiam impedimentum illius receptionis ex cauſa Belli; Ideò præcisè reſpondemus, hanc ſpecialem proſcriptionem exadverſo figuratam, nullibi juſtificari, ſed proprio marte, & ſine ullo fundamento prorsùs confingi: imò addimus, quòd nunquam poterit juſtificari, ideò vana hujuſmodi ſuppoſita veniunt omninò rejicienda.

7. Et quando per impoſſibile ob cauſam Belli præfati perſona Domini Com. Principalis noſtri fuiſſet quoquomodo de facto impedita accedere ad Capitulum Leodien. ſemper ad evitandum contemptum debuiſſet convocari, ut ſaltèm per Procuratorem votum *dare potuiſſet*, aliàs contemptus evitari nequit, maximè in caſu noſtro, quo Capitulum *indebitè, & injuſtè*, prætextu foraneitatis, declaravit D. Comitem inhabilem ad votum proferendum, neque eò minùs objicere valet aliud impedimentum. Cùmque idem Dom. Comes ad Sanctiſſimum appellaverit ab his gravaminibus uſque à die 18. Aprilis. *d. Sum. num.* 1. Electio indè ſecuta die 20. ejuſdem à notoria nullitate, & attentato ſalvari non poteſt. *cap. cùm nobis olim 19. De elect. Rot. deciſ. 29. num. 51. & ſeqq. coram Ottbob.*

8. Stante igitur manifeſto contemptu, tàm D. Com. de Rekem, quàm Dom. Cardinalis Bullioni, inſurgit manifeſta nullitas Electionis Seren. Principis Adverſarii. Cùm enim iſta duo vota contempta inter alios Capitulares numerari debeant ad agnoſcendum, an habito reſpectu ad illos Electio facta fuerit à majori parte, ut latè probat *Paſſerin. de elect. cap. 11. num. 3. & ſeqq. Adden. ad Buratt. deciſ. 351 litt. A. nu. 12. patet, quòd, illis computatis, Capitulum conſtabat ex votis* 48. ex quibus cùm Dom. Princeps à Bavaria habuerit vota 24. & ſic ſolam medietatem, Electio, tamquam non facta à majori parte, remanſit omninò nulla. *Buratt. dec. 225. n. 2.*

9. Nec

9. Nec obſtat, quòd d. numeratio votorum impugnetur à *Fagnano in cap. quia propter num.* 40. *De elect.* quia abſque dubio præferenda eſt communis ſententia Canoniſtarum, relata à Doctoribus ſuprà citatis, affirman. vota contemptorum præcisè numerari debere ad videndum, an Electio facta fuerit cum majori parte votorum, aliàs in hujuſmodi Electionibus evidentes fraudes admitterentur, impunè vocales contemnendo, ut patet ad ſenſum.

10. Minùs relevat, quòd in caſu noſtro non ſint computanda vota 22. Canonicorum, qui à Capitulo receſſerunt, dum ità ab illo ſe alienos reddendo, jus eligendi conſolidatum fuit in illis 24. qui permanſerunt in Capitulo, itàut Electio ab eis facta, etiam computatis dd. votis contemptis, appareat à majori parte ſecuta. Siquidem objectum forſan vigeret, ſi Decanus cum aliis Canonicis præd. ſine causa à Capitulo voluiſſet recedere, & inſtetiſſet peremptorius terminus ad explendam Electionem. At contrarium affirmandum eſt in caſu, in quo, nedùm ſupererat tempus plurium dierum, ſed ulteriùs concurrebat juſta, & legitima cauſa differendi Electionem propoſita à Decano, aliiſque Canonicis prædictis, ut nempè interim poſſet examinari Breve Eligibilitatis Dom. Principis, quod graviſſimas habebat difficultates, in hac ipſa Sacra Congregatione pluriès diſcuſſas, & adhùc non reſolutas. Quapropter *juſtiſſima apparet cauſa petitæ dilationis*, quæ proindè efficit, ut Electio facta in ſpretum dd. Canonicorum recedentium, & qui ab ea appellarunt, nullitatis vitio ſubjaceat, ut benè probat *Paſſerin. de Elect. cap.* 11. *num.* 95. *Rot. dec.* 350. *num.* 4. *uſque ad fin. par.* 17. *recent.*

11. Fortiùs verò quia ex Statutis Eccleſiæ Leodien. Decanus habet ampliſſimas facultates diſſolvendi Capitulum, & reſolutiones negociorum, quantumvis arduorum, & publicum intereſſe concernen. differendi, ut patet ex *Summ. num.* 2. Undè eò certius petita dilatio unius diei à Decano, etiam ſub proteſtatione nullitatis Electionis flagitata attendi debebat, dum non poterat dubitari, quin ſub generali dicta facultate Decano conceſſa à Statuto, etiam negocium Electionis comprehenderetur, ut in puncto ſimilis Statuti firmavit *Rota coram Buratto dec.* 809. *num.* 7.

GASPARIS TURCHI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO SECUNDA JURIS, ET FACTI

Super contemptu.

1. PArendo Menti Sacræ Congregationis, quæ die 9. Augu-
ſti præteriti dilata reſolutione hujus Cauſæ, ut expecta-
rentur Statuta Eccleſiæ Leodien. mandavit ſtrictè in-
formari ſuper Contemptu; Dicimus reſpectu Eminen-
t.ſs. Dom. Cardinalis Bullionii primariam Dignitatem,
& Vocem in Capitulo habentis, contemptum eſſe evi-
dentiſſimum, dum ad Electionem Epiſcopatus convoca-
tus non fuit, propterea hodiè quo agitur de confirman-
da Electione *cum tali Contemptu ſecuta, ea debet omninò irritari, & annullari.*
cap. quòd ſicut 28. *& cap. bonæ memoriæ* 36. *De elect.* cum allegatis in præterita
Poſitione reaſſumenda.

2. Nec merentur attendi ponderationes in Reſponſionibus Partis addu-
ctæ, quòd D. Cardinalis non eſſet vocandus uti degens extra Provinciam, &
habens notitiam de vacatione Sedis, & die Electioni præfixo, undè agere ne-
queat de Contemptu, ex quo Capitulum non *per dolum, aut injuriam,* ſed ex
legitima, & ſaltèm colorata cauſa illum non admiſerit, adducendo vanas, & ca-
thedraticas prælectiones: Siquidem abſolutum eſt *de jure Pontificio,* quòd ad
inducendum contemptum in hac materia Electionum non requiritur probatio
doli, aut animi injuriandi, ſed ſufficit aliquem Vocalem non fuiſſe (prout debe-
bat) ad Electionem vocatum, ad *text. in cap. quòd ſicut* 28. ibi: *Quòd ſi eos non
vocatos fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos, infirmanda erit Electio penitùs taliter
celebrata, &c. De elect. Barboſ. de jur. Eccleſ. univer. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 113. ibi:
*Si verò aliquis Electorum canonicè vocatus non fuerit, poteſt Electionem irritã
facere, &c. & num.* 116. ubi quòd neglectus, & non vocatus agit de Contem-
ptu, cæterique Canoniſtæ paſſim.

3. Dum autem Dom. Cardinalis uſque de menſe Februarii advenerat in
Civitatem Huyenſem per tres, aut quatuor horas à Leodien. diſtantem, eiuſ-
que adventum Capitulo notificaverat, jam patet, quòd debuit ad Electionem
convocari, aliàs de Contemptu opponere valet. *Barboſ. vot.* 47. *nu.* 172. *cum duo-
bus ſeqq. Paſſerin. de elect. cap.* 11. *num.* 41. *& ſeqq. Rot. coram Mantic. dec.* 288.
per tot. Nec prodeſt allegare, quòd Civitas Huyenſis eſſet locus hoſtilis; quia
adhuc commodè, & ſine periculo paſſim Capitulum tales litteras convocato-
rias tranſmittebat, ut patet ex ſimilibus litteris, quibus convocavit Dom. Ca-
nonicum de Poitiers ibi degentem, ut in præterito noſtro *Summ. num.* 16.

4. Cæterum nos non verſamur in caſu ſimplicis Contemptus, reſultantis
ex *non vocatione* Dom. Cardinalis, ſed in caſu gravioris ſpretus, & injuriæ ei-
dem Dom. Cardinali illatæ, dum nullo juris ordine ſervato fuit excluſus, &
pri-

privatus voce activa, & ſic inhibitus ne eligeret; Undè eò certiùs Electio remanſit nulla,ad latè tradita per *Barboſ.d.vot.47.num.182.uſque ad 186.* Sicque minus applicantur exadverſo deducta,an contemptus fuerit doloſus, ſive animo injuriandi, vel potiùs cum aliqua legitima cauſa. Hæc enim percutiunt diverſam quæſtionem, an ſcilicet ſubſiſtat, vel ne prætenſa foraneitas, aut aſſertum impedimentum Belli, de quibus infra dicemus, non autem alleganda ſunt ad *conſtituendam idealem novam ſpeciem Contemptus injurioſi exadverſo figuratam*, adeout nullatenus ſubſiſtat, quòd Electio facta contempto aliquo Capitulari poſſit confirmari, aſſerendo quòd illius vocatio non eſt de forma,& quòd adhuc Electio valida ſit. Quia firma eſt *diſpoſitio Juris Canonici,quòd talis Electio continet ſummam injuriam, & graviſſimam læſionem Juris Perſonæ contemptæ*, præſertìm Eminentiſſimi Dom. Cardinalis, & propterea, ipſo contempto inſtante,Electio à Papa non confirmatur, imò venit penitùs annullanda.*d.cap.quòd ſicut,& d.cap.bon.mem.36. De electiòn.* cum aliis in præteritis allegatis.

5. Fortiùs verò attentis facti circumſtantiis, quibus ad prætenſam Electionem proceſſum fuit,magis aggravantibus contemptum præfatum; & præſertìm advertendo, quòd Dom.Cardinalis ſtatim habita notitia declaratæ contra eum foraneitatis,à tali Decreto,ſuturaque electione appellavit ad Sanctiſſimum,pluries eamdem Appellationem iterando, & proteſtando de Nullitate,& attentatis per Capitulum faciendis. Quæ quidem Appellationes cùm hodie coram Summo Pontifice Confirmatore appareant ex legitima cauſa interpoſitæ(ex quo nec aſſerta foraneitas, nec alii prætextus excluſionis D.Cardinalis nullatenus ſubſiſtunt) utique non ſumus in ſimplici caſu, quo dici poſſit Electio in ſe quidem valida, ſed ad inſtantiam Contempti irritanda, quod nobis ſufficeret ex ſupra allegatis, ſed verſamur in caſu *indubitatæ nullitatis ipſius Electionis, itaut tanquam attentata ſit in primis revocanda*,ut latè firmat *Paſſerin.De Elect.cap.36. num.8.juncto num.24.uſque ad 27. Rota coram ſan.mem. Alexandro VIII. deciſ.29. à num.51.ad 56.*

6. Priùs autem quàm demonſtremus inſubſiſtentiam prætenſæ foraneitatis, ſupplicamus EE. PP. benignè advertere, quòd Pars adverſa nullatenus adimplevit mentem[hujus Sacræ Congregationis adducendi ad Urbem vera Statuta, ſeù illorum authenticum exemplum, ſuper quo firmari poſſit Judicium, in quibus præciſis caſibus inflicta fuerit pœna foraneitatis. Siquidem in præterita Poſitione, & Summario ſuper Contemptu Pars adverſa adduxit Statuta compilata anno 1563. in quorum titulo de ſecunda reſidentia legitur ſecundum Capitulum: *Item qui in dicta die Beati Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit, is poſtea gratioſam abſentiam petere non poſſit*. Deindè in Summario Reſponſionis ſuper Contemptu dedit fidem Secretarii dicti Capituli, atteſtantis,illam extraxiſſe ex Statutis Eccleſiæ Leodien. ſub titulo de ſecunda reſidentia, & in iſta non legitur d. Capitulum intermedium de eo, qui in Feſto B.Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit.

7. Rursùs in copia tranſmiſſa D.Cardinali in Epiſtola diei 11.Martii 1694. ſimiliter d. ſecundum Capitulum deficit, undè animadvertentes Eminentiſſimi PP. hujuſmodi diſformitatem, quòdque neceſſe erat habere integrum verum tenorem talis Statuti, dum præſertìm exadverſo allegabantur particulæ, ſeù capitula aliorum Titulorum,ordinatum fuit Reverendiſſimo Nuncio Colonien.

lonien. ut d. Statuti authenticum exemplar faceret, & tranſmitteret, quod tamen non fuit adimpletum, nam *in forma authentica fuit tranſmiſſum ſolum Tranſumptum Statuti, ut dicitur conditi de anno* 1560. *in titulo de ſecunda reſidentia*, ubi pariter deficit dictum ſecundum Capitulum ſuper privatione gratioſæ abſentiæ, nec inſertus titulus de gratioſa abſentia, qui non modicum facit ad hanc cauſam, ut inferiùs deducetur. Et quamvis idem D. Nuncius miſerit quoque copiam ſimplicem integri præfati Statuti anni 1560. quod in ſua Epiſtola dicit reperiiſſe inter acta Viſitationis factæ à R.P.D.Sanfelicio de anno 1656. & eſſe in obſervantia, ut *in Summar. num.* 1. exindè tamen non fuit ſatisfactum neceſſitati Cauſæ, & menti Sacræ Congregationis, dum talis copia non eſt authentica, & extrahi debebat ex originali cum cautelis adhibitis in extractione ſupradictæ particulæ de ſecunda reſidentia, & tranſmitti quoque acta d. Viſitationis, ut inter duo Statuta, primum anni 1560. & alterum anni 1563. conſtaret quale ſit obſervandum.

8. Quinimò ex dicta copia integri Statuti patet, quòd ſub titulo de ſecunda reſidentia adeſt etiam aliud Capitulum tenoris ſequentis: *Item qui in die B. Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit*. Ex quo ſanè apparet notoria contrarietas ſupradicti Statuti anni 1563. in primo Summario Partis dati, in quo, ut ſupra retuli, non affirmativè, qui ſe in die B. Ægidii præſentaverit, ſed negativè exprimitur: *Item qui in die B. Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit*: ac etiam convincitur repugnantia cum particula authentica prædicti Statuti anni 1560. à Deputatis D. Nuncii extracta, dum in eodem titulo de ſecunda reſidentia tale Capitulum exemplatum non legitur, quamvis D. Nuncius in ſua Epiſtola exaggeret illa eſſe in obſervantia, dictamque copiam correſpondere cum Statutis regiſtratis in libris Capituli: *Sicbe quando nell'eſame della Cauſa pendente naſceſſe alcuna nova difficoltà, al di cui ſcioglimento foſſe per giovare la piena notitia de' Statuti, poſſino haverſi pronti coſtì, ſenza dilatione. Summario dicto num.* 1. Quomodò autem poteſt haberi recurſus ad hanc copiam integri Statuti tranſmiſſam à D. Nuncio, ſi non eſt authentica, nec collationata cum Originali exiſten. in Cancellaria, ſeù Capitulo Leodien. & ſi in ipſa parte controverſa de *ſecunda reſidentia* eſt difformis ab authentico aſſervato in Capitulo?

9. Ex quibus patet ad evidentiam, quòd circa exhibitionem controverſi Statuti ex adverſo ſemper proceſſum fuit, & proceditur cum ſumma arte, & myſterio, ne detegatur verus illius contextus; Indèque videtur omninò neceſſarium ordinare extractionem totius tenoris prædictorum Statutorum, ut omnibus Capitulis benè perpenſis ſtabiliri valeat, an Canonicus, *qui ſe in Feſto Beati Ægidii ſimpliciter non præſentavit, haberi debeat pro foraneo*.

10. At quando eſſet procedendum cum dicta particula collationata ſuper titulo de ſecunda reſidentia, quod equidem admitti non poteſt, nec debet, ſemper ex illius lectura deſtruitur *ſuppoſita foraneitas* contra Canonicos, qui ſe non preſentarint in die S. Ægidii. Quippe in dicto titulo ſtrictè diſponitur, quòd quicunque facta prima reſidentia *volet* ſecundam aggredi, & fructus ſuos facere, *debebit perſonaliter* in feſto Sancti Ægidii in Capitulo generali ſe exhibere, & ad talem reſidentiã ſe offerre. Quicunq; autem dicta die ſe ad ſecundã reſidentiam præſentaverit, reſideat per ſex menſes, & unum diem, *alioquin habeatur pro foraneo*, nec ullos fructus faciat. Si ergo Statutum declarat foraneum illum,

illum, *qui volet ſecundam facere reſidentiam, & ad id in feſto S. Ægidii* ſe in Capitulo præſentaverit, & poſtea reſidentiam prædictam, non expleverit, utique non afficit illos, qui non curantes dictam reſidentiam ſubire, nec fructus lucrari, nullatenus in die Beati Ægidii ſe præſentare nolunt, cùm de iſto caſu Statutum non loquatur.

11. Nec obſtat interpretatio exadverſo data Statuto in vim prædictę dictionis *alioquin*, quòd nimirum diſpoſitio affirmativa reſolvatur in contrariam negativam, ac ſi Statutum diceret: *Quicunque in feſto S. Ægidii ſe non præſentaverit, vel exhibita ſecundam reſidentiam non reſederit, habeatur pro foraneo, &c. ex Bart. in l. 1. num. 11. ff. de cond. & demonſtr.* Præter quod enim talis interpretatio ſimul juncta cum alternativa *nō præſentationis, vel non factæ ſecundæ reſidentiæ*, eſt mera divinatio partis (cùm Statutum id nunquam ſomniaverit, nam præcisè in dictis duobus *exemplis de ſecunda reſidentia* ; diſponit de Canonico volente facere ſecundam reſidentiam, qui ad talem effectum debet *perſonaliter* ſe præſentare, & ad dictam reſidentiam exhibere) ſat eſt reſpondere, quòd admiſſa etiam dicta contraria negativa diſpoſitione, ſemper erit intelligenda retentio eodem themate illius, qui volet ſecundam reſidentiam inchoare, & fructus facere, ut uempè *quicumque volens ſic reſidere ſe in feſto S. Ægidii ad ſecundam reſidentiam non exhibuerit, & non reſederit per ſex menſes, &c. habeatur pro foraneo.* Nunquam autem talis interpretatio negativa trahi poterit ad caſum diverſum, de quo Statutum non loquitur, nempè *de illo, qui non vult ſe præſentare* in die S. Ægidii in aliquo anno, nec facere ſecundam reſidentiam ad fructus lucrandos.

12. Nil relevante abſurdo, quòd alicujus melioris eſſet conditionis, qui plus deliquit nullatenus *ſe præſentando* in feſto S. Ægidii, quàm ille, qui ſe præſentavit, & poſteà ſecundam oblatam reſidentiam non implevit; Quia in primis hoc eſt argumentum de ſubjecto non ſupponente, dum ſupponit *ſimplicem non præſentationem eſſe delictum*: cùm tamen, ut diximus, nullibi in Statuto talis præſentatio abſolutè Canonicis præcipiatur, ut inde argui poſſit contraventio, ac etiam, quia imò ſtatuentes exiſtimarunt plus delinquere illos, qui ſpontè ſe exhibentes in feſto S. Ægidii ad reſidendum, poſtea datam fidem fallunt, & non reſident, jure vulgatum adagium *turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes*, quàm qui nullo modo ſe præſentant, quippè quòd non ſolùm à ſtatutis talis præſentatio non præcipitur, quinimò in libera facultate Canonicorum expreſsè relinquitur, ibi: *quicumque in Eccleſia Leodien. facta prima reſidentia volet reſidere, & fructus facere, debebit in feſto B. Ægidii perſonalitèr ſe exhibere.* Ultrà quod tritum eſt in hac materia Statuti odioſi, & contrà jus, nec ab identitate, nec à majoritate rationis admitti extenſionem pœnæ de caſu ad caſum. *Card. de Luc. de feud. diſc. 92. ſub n. 7. verſè converſo autem*, cùm ſemper capienda ſit interpretatio pœnæ excluſiva. *Paſſerin. De Electiõ. cap. 10. num. 104.*

13. Fortiter quoque prædicta confirmantur, ponderando, quòd Statutum in duobus tantùm caſibus loquitur de præſentatione facienda in die S. Ægidii. Primò nempè cùm Canonicus abſoluta prima reſidentia volet ſecundam præſtare, & fructus lucrari, quo caſu ſub pœna foraneitatis debet dictam ſecundam reſidentiam perſonaliter omninò adimplere. *Summ. num. 2.* Et quatenus in Statuto adſit dictum capitulum, ut ſupra, omiſſum, iſto caſu eo ipſo, quòd

quòd aliquis ex Canonicis in Capitulo ſe ad ſecundam reſidentiam obtulerit, non poteſt amplius in eodemmet Capitulo petere gratioſam abſentiam, tanquam obſtativam perſonali per eumdem jam oblatæ reſidentiæ. Alter verò caſus eſt quando Canonicus excedens 25. annos,& prima reſidentia perfecta per ſe, vel Procuratorem in dicto feſto B.Ægidii,petit gratioſam abſentiam, cujus conceſſio ponitur in arbitrio Capituli. *Summ.num.3.* Dum ergo pœna foraneitatis in primo ſolo caſu faciendæ ſecundæ reſidentiæ legitur appoſita, nec ullum in toto Statuto apparet præceptum Canonicis injunctum ſeſe quolibet anno præſentandi in die S.Ægidii ſub pœna foraneitatis, utique tanquam caſus in Statutis non comprehenſus, ſed omninò omiſſus, relinquitur diſpoſitioni juris communis; unde prætenſio eo modo excitata extendendi dictam pœnam eſt prorſus irrationabilis, & rejicienda.

14. Agnoſcit Pars adverſa nullum fieri poſſe fundamentum ad deſtruendam prætenſam foraneitatem in *verbali diſpoſitione Statuti*, ideò confugit ad obſervantiam,totiſque viribus procuravit aliquos actus adducere,quibus prætendit ſuadere, quòd in vim dicti Statuti fuerunt habiti pro foraneis Canonici, qui eo anno non ſe præſentaverunt in die S.Ægidii. Verùm jura ex adverſo exhibita nullius ſunt relevantiæ: Siquidem atteſtatio *Schepers Secretarii,aſſerentis*,Statutum à quo fuit extractum Exemplum, *tit.de ſecunda reſidentia,eſſe illud, quod obſervatur, imò à ſenioribus Canonicis audiviſſe,dicta Statuta, etiam in puncto foraneitatis,in obſervantia à tempore, cujus memoria non extat*,fuiſſe:ac altera declaratio facta à Canonicis die ſecunda Auguſti præteriti ejuſdem tenoris,nihil concludunt; Quia ſtat benè ſimul, quòd Statuta prædicta ſint in obſervantia in puncto foraneitatis in eis expreſsæ contra Canonicos, qui non fecerunt primam reſidentiam: item qui ſe exhibuerunt ad ſecundam, & non impleverunt, vel non ſunt conſtituti in Sacris Ordinibus, & tamen non adſit obſervantia *contra Canonicos,qui ſimpliciter ſe non præſentant in die S.Ægidii*, de quo caſu præciſo, in quo eſt quæſtio,Secretarius,& Canonici nihil dixerunt.

15. Prout non relevat alia atteſtatio Canonici Clauſtralis,& horarum Cuſtodis,affirmantis,quòd *quando aliqui Canonici foranei ſunt, & veniunt ad Chorum,ſe illos non notare inter reſidentes, nec eis diſtributiones quotidianas diſtribuere, nec ad Capitulum convocare, cùm pro Extraneis per omnia habeantur*. Id namque intelligitur de Canonicis, qui in caſibus à Statuto, ut ſupra expreſſis,incurrunt foraneitatem, non autem de Canonicis, qui ſe nolunt præſentare in feſto S.Ægidii, de quibus, nec Statutum, nec prædictus Teſtis loquuntur.

16. Altera verò atteſtatio Joan.Forgeur Beneficiati,& ut aſſerit qu. Pollā Secretarii Capituli Amanuenſis, qui ſpecialiter depoſuit,*illum quoque eſſe Foraneum, qui in Capitulo Generali ipſa die S.Ægidii ſe, nec perſonaliter, nec per Conſtitutionem repræſentavit, illudque ſemper ità audiviſſe à dicto quond. Secretario Pollam*, eſt prorſus rejicienda, quia non meretur allegari pro caſu obſervantiæ, cùm ſit ſimplex fides ex adverſo expiſcata lite pendente, & ſine partis citatione, quæ proindè ſuſpicione laborat,ut ait *Rot.coram Otthob.deciſ. 10.num.55.* & ſatis eſt reflectere, quòd tot Canonici benè informati de *obſervantia Statuti*, non auſi ſunt dictum caſum pro Foraneo ſpecificare, ſed generice ſe remiſerunt ad diſpoſitionem Statuti.

17. De-

17. Demum tres actus regiſtrati in relatione Deputatorum D. Nuncii Colonien. non ſunt habendi in conſideratione; iſti enim nimis affectatè excedendo limites propriæ Deputationis fecerunt ſe Judices hujus prætenſæ obſervantiæ, ibi: *Inſuper Nobis dicta Statuta in uſu, & obſervantia videbantur ex diverſis Decretis in Libris Decretorum Capitularium contentis, & hic inferiùs inſertis, &c.* & cùm fuiſſent delegati ad exemplandum Statutum non potuerunt alia diverſa Jura Decretorum Capitularium ſuper aſſerta obſervantia recipere. Ad hunc enim effectum debuiſſet pars *Eminentiſſimi D. Cardinalis principalis noſtri citati*, qui ſuum conſtituiſſet Procuratorem, ut veritatem hujuſmodi Librorum, & Decretorum percunctari, & alia Decreta contrariæ Conſuetudinis reperire potuiſſet; Extractiones autem hujuſmodi, præſertim ex *Libris particularibus Capituli* factæ lite pendente, & ſine compulſorialibus, nihil probant. *cap. final. de fid. Inſtrumen. Rot. deciſ.* 344. *num.* 30. *par.* 9. *recent.* cum aliis vulgatis.

18. Præter quod ſi loquimur de primo actu anni 1652. regiſtrato ſub his verbis: *Dominus autem Arnoldus de Merode defectu repræſentationis hoc anno Foraneus inventus eſt*, uti mutilatus, & unicus nullius eſt momenti; Alii verò duo anni 1668. & 1673. enunciant dumtaxat, *Canonicum fuiſſe Foraneum anno antecedenti*, ibi: *ex quo anno præterito fuit Foraneus*; ſed non concludunt fuiſſe Foraneum, quia ſe non præſentavit die Sancti Ægidii; potuit enim talis declarari ob non factam primam, aut ſecundam Reſidentiam; Et ſi verè foraneitas fuiſſet inflicta ex cauſa non præſentationis, utique allata fuiſſent Decreta dictorum annorum anteceden. præcisè hoc indicantia, ut de ſe patet. Pariterque non urget aliud Decretum anni 1604. in quo declaratur pro Foraneo Archidiaconus Condroſius, niſi infra certum tempus docuiſſet ſe tranſmiſiſſe procuram ad petendam gratioſam *abſentiam*, illamque interceptam fuiſſe. Quia ultrà defectum Compulſoriæ, ut ſupra, illud loquitur in caſu *diverſo*, nempè *de eo*, qui miſerat Procuratorem ad petendam gratioſam abſentiam pro lucrandis fructibus, qui nihil habet commune cum Canonico, qui non curans lucrari fructus in die Sancti Ægidii non comparet.

19. Et ſanè quæcunque figurata obſervantia tollitur, ponderando, quòd ſi eſſet vera, utique longa actuum ſeries potuiſſet exadverſo recenſeri de Canonicis Foraneis ſe non repræſentan. in die Sancti Ægidii per longiſſimum tempus ſeculi cum dimidio: & tamen licèt adhibitis omnibus diligentiis, nil aliud Pars adverſa attulit, *niſi quatuor miſerabiles actus* per diſcontinuos annos, & per ſaltus adnotatos, ac mutilatos, æquivocos, nihilque concludentes. Ut propterea magis exindè eluceat contraria obſervantia, quòd nempè Canonici, qui jam expleverunt primam Reſidentiam, & ſunt in Sacris Ordinibus conſtituti, quamvis aliquibus annis non ſe præſentaverint in die Sancti Ægidii, nunquam fuerunt habiti Foranei, nec à voto excluſi, idque perſpicuè ex actibus Capitularibus poſſet demonſtrari, ſi Nobis conceſſæ forent, ut ſupplicavimus, litteræ Compulſoriales. Et maximum hujus veritatis argumentum præſtat ipſum prædictum Partis *Summarium* ſuper oppoſitionibus *num.* 7. ubi licèt per quinque annos, ſcilicet ab anno 1689. uſque ad 1693. fuerit deſcriptum defectum repræſentationis in die Sancti Ægidii D. Cardinalis Bullioni, nullibi tamen legitur, quòd ideò fuerit declaratus Foraneus, ſicuti prætenditur ipſa die Sancti Ægidii fuiſſe declaratum in dictis quatuor actibus ſupra recenſitis.

20. Ve-

20. Verùm enimverò in hac noſtra hypotheſi inadaptabiles ſunt termini prætenſæ obſervantiæ, qui ſolùm procedunt, quando verba Statuti eſſent dubia; at cùm litteraliter *Statuta Foraneos declarent comparentes die S.Ægidii, ſeque exhibentes ad ſecundam Reſidentiam, quam poſtea non adimplent*, nihilque diſponant de Canonicis, qui ſe dicta die non præſentant, ideò ad trahendam pœnam foraneitatis etiam ad iſtos, de quibus Statutum non loquitur, non poteſt procedi cum ſuppoſito obſervantiæ interpretativæ, quia in his non cadit terminus interpretationis, ſed opus eſt obſervantia præſcriptiva cum requiſitis neceſſariis ad formalem præſcriptionem, præſertim in hac materia odioſa, & contra jus, juxta receptiſſimam diſtinctionem, de qua *Cardin.de Luca diſcurſ. 2.num.7.de Canon. & Capit.Rot.deciſ.319.num.2.& ſeqq.& deciſ.351. num.7. par.6.recent.*

21. Neque ullo modo ſubſiſtit, quòd imò tale ſtatutum Foraneitatis, & obſervantia ſint juri conformia, ex quo jus votandi in Electionibus non inhæreat Canonicatui, ſed competat ratione intereſſentiæ in Divinis; nam Concilium Tridentinum deſuper allegatum *Seſſ.24. cap.4.de reform.* hoc non dicit, & communis Schola Canoniſtarum docet contrarium, quòd nempè jus votandi prædictum eſt annexum Canoniæ, adeoùt eo ipſo, quòd quis fuit receptus in Canonicum, & in Sacris Ordinibus conſtitutus, ei competat vox activa, qua privari nequit cum iſtis Statutis à Sede Apoſtolica non confirmatis, ut benè *Card.de Luca De Canon. & Capit.diſc.19.nu.18.& ſub num.19. verſ. aut enim agitur, Rot.coram Ottbob.deciſ.202.num.5.cum tribus ſeqq.* Nec jure cautum reperitur, quòd privetur Canonicus voce activa, ex eo quod aliquando non reſideat, vel aliqua certa die ſe in Capitulo non ſiſtat, ut videre eſt apud *Barboſ.de Canon.& Dignitat.cap.41.per tot.* Imò ſuſpenſi à Beneficio, licèt fructus non percipiant, non tamen impediuntur eligere, ex *Gloſſ. in cap. cùm Vintonien.verbo admiſerant De Elect.Paſſerin.eodem tract.cap.10.num.91. Barboſ.de Canon.d.cap.41.ſub nu.6.verſ.quamvis gloſſa*, ubi quòd Electio non eſt fructus Beneficii, ſed actus illius Officii ſpiritualis, cui Beneficium eſt annexum.

22. Cæterum totus rumor hujus Foraneitatis reſpectu D.Cardinalis tollitur ex Indulto Apoſtolico anni 1675. in quo narrata ejus Electione in Præpoſitum Eccleſiæ Leodien. à Capitulo facta, *eidemque, uti præfata Eccleſiæ Canonico confirmata*, ſan. mem. Clemens X. ipſum D. Cardinalem ampliſſimè diſpenſavit à reſidentia, & juramento de ſervandis dictæ Eccleſiæ Statutis, ut in *præterito noſtro Summario num.15.* Cùmque iſta Diſpenſatio emanaverit, ex quo ſtante *Cardinalitia dignitate, præfata adimplere non poterat*, fruſtrà objicitur, quòd ex illa diſpenſetur quidem D.Cardinalis, uti Præpoſitus, non autem uti Canonicus. Qualitas enim Cardinalitia impediebat utramque reſidentiam, & Canonici, & Præpoſiti, ideò diſpenſatus à principali Reſidentia Præpoſiti, quæ eſt prima Dignitas poſt Pontificalem, remanſit etiam diſpenſatus ab alia acceſſoria Reſidentia Canonici. *Gloſſ.in cap.quia in tantum 5. verbo plures De præbend.* aliàs ſi uti Canonicus debuiſſet reſidere, & ſe præſentare in feſto S.Ægidii, deſtrueretur gratia ſibi uti Præpoſito conceſſa, ut latè, & benè ad propoſitum *Sperell.deciſ.112.num.10. juncto num.22.cum ſeqq.*

23. Ac demum non refragatur, quòd dicta præſentatio in feſto S. Ægidii ſit compatibilis cum Cardinali, qui per Procuratorem poteſt talem compari-

tio-

tionem explere, ut obſervavit D.Cardinalis uſque ad annum 1688. Quia ſemper urget reſponſio, quòd nimirum *præſentatio per Procuratorem*, tàm pro obtinenda gratioſa abſentia, ut in præſenti *Summ.diſt.n.*3. quàm ad effectum ſe *ad ſecundam reſidentiam* præſentandi, indulta de anno 1641. ut in *Summ.nu.*4. conceſſa fuit nè Canonici coarctarentur cum multiplici eorum incommodo, & periculo perſonalitèr intereſſe; Sicque talis Procuratoris Conſtitutio conſideratur in his, qui perſonalitèr tenebantur intervenire. Si ergò D.Card. fuit plenè diſpenſatus ab hac perſonali intereſſentia, uti incompatibili cum Dignitate Cardinalitia, per conſequens remanſit etiam abſolutus à conſtitutione Procuratoris, & actus geſti uſque ad annum 1688. cùm non proveniant à *radice obligativa* dicuntur voluntarii, & facultativi, nihilque præjudicant diſpenſato quin illos facere, & ad ſui libitum omittere poſſit, ut benè obſervat *Card.de Luca De benefic.diſc.*58.*num.*6.& 7.

24. Minus urget objectum vacationis Canonicatus, ut dicitur ſecutæ ex quo Dom.Cardinalis non obtinuerit ſpeciale indultum pro illius retentione, quæ data non cenſetur quoad *Canonicatus*, & ſimilia Beneficia, repugnantes Dignitati Cardinalis ex conſtitutione 79. ſeù veriùs Decreto Conſiſtoriali Sixti V. Etenim de legitima retentione d. Canonicatus ſatis conſtat ex Indulto ſa.me. Clementis X. conceſſo Kalendis Junii 1670. ibi: *Et inſuper ut ſtatum tuum juxta Cardinalatus ſublimitatem tenere valeas,&c. tecum ut etiam, &c. omnia, & ſingula Monaſteria,&c. necnon Prioratus,&c.Præpoſituras, Dignitates etiam majores, & principales, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſecularia, & regularia, quæ ex quibuſvis Conceſſionibus, &c. aut aliàs quomodolibet obtines, &c. ut priùs quoad vixeris, &c. retinere, necnon quoſcumque fructus,&c. percipere,&c. liberè,& licitè valeas, Cõſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum,&c. ſtatutis,&c. nequaquam obſtantibus, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Summar.exadverſo dato ſuper vacatione Canonicatus num.*2.

25. Ponderando dicta verba: *Præpoſituras, Dignitates etiam majores, & principales*; Si enim Papa induſit retentionem Præpoſituræ, ac Dignitatum etiam majorum, quales in univerſa Eccleſia ſunt *Archidiaconatus, Archipreſbyteratus, & ſimiles. Barboſ.de Canon.& Dignitat.c.*4.*nu.*4.& 5. prout etiam eſt Præpoſitura, quæ in Cathedralibus Germaniæ reputatur prima Dignitas poſt Pontificalem, ut obſervat *Barboſ.de Canon.cap.*9. *num.*18.*uſque ad fin.* & aſſiduam reſidentiam requirit.*cap. ex parte il ſecondo De Cleric. non reſident. Barboſ.d. cap.*9. *num.*18. & 20. utique palam eſt, quòd eo fortiùs Dom.Cardinalis diſpenſatus fuit in retentione Canonicatus, haben. idem onus reſidendi Cardinalitiæ Dignitati non conveniens.

26. Et quòd verè ex præfato Indulto conceſſa fuerit retentio d. Canonicatus, evidentèr convincit ſupradictum Breve ejuſdem Pontificis ſucceſſivè emanatum anno 1675. in quo, ut dixi, eidem Dom.Cardinali uti *Canonico* confirmavit Præpoſituram, ad quam à Capitulo Leodien.electus fuerat. Et clariùs demonſtrant tria ſubſecuta Indulta proviſionum Eccleſiæ Albanen.Commendæ Monaſterii Cluniacen.ac Præpoſituræ Collegiatæ Foſſenſis, emanata de annis 1689.& 1693. reſpectivè, in quibus ſpecialitèr tribuitur retentio etiam Canonicatus, & Præpoſituræ Leodien. cæterorumque omnium Beneficiorum, quæ quomodolibet Dom.Cardinalis tunc obtinebat. *Summ.num.*5. Ex quibus

Digitized by Google

plenè declaratum, & confirmatum fuit, quòd uſque ab initio fuerit conceſſa retentio dicti Canonicatus, juncta præſertìm obſervantia ipſius Capituli, à quo longiſſimi temporis ſpatio, ac etiam in actibus præſentis Electionis Dom. Cardinalis ſemper fuit pro Canonico recognitus, ut in punctualibus terminis Indulti ſuper Retentione *Rot. dec.383.num.35.cum ſeqq.p.19.rec.*

27. Intempeſtiva ergo, & omninò inſubſiſtens apparet oppoſitio vacati Canonicatus, cùm etiam in hac materia ille dicatur legitimus Elector, qui eſt in quaſi poſſeſſione eligendi, licèt nullum aliud jus pro ſe haberet. *cap. quærelam* 24.*De elect.* cum aliis adductis per *Paſſerin.de elect.cap.*11.*n.*40. ubi quòd *qui eſt in poſſeſſione eligendi vocandus eſt, quamvis ei quæſtio moveatur ſuper proprietate*. Et exuberat ſi adſit titulus coloratus à legitimo Superiore conceſſus. Quanto fortiùs ergo in caſu noſtro, quo concurrunt plura Indulta Apoſtolica, nedum coloratum, ſed pluſquam legitimum titulum retentionis Canonicatus tribuentia, quæ ulterius diuturna obſervantia triginta ferè annorum roborata apparent?

28. Poſtremò non juvat allegare exaggeratum impedimentum Belli vigentis inter Regem Chriſtianiſſimum, & Principes Germaniæ, cum quibus fœderata eſt Civitas Leodienſis, adducendo litteras avocatorias, ſeù bannimentales Imperatoris, in quibus interdicitur quodlibet commercium cum Gallis, eorumque receptatio; undè infertur, quòd non potuerit Eminentiſſimus Bullionus in dictam Civitatem Leodien. commodè, & ſine periculo ad Electionem convocari, tum ob pœnas in dictis litteris, & Bannis comminatas, tum etiam ob ſeditiones, & ſchiſmata, quæ ex adventu, & receptione D. Cardinalis Primarii Miniſtri, & Subditi Regis Chriſtianiſſimi, oriri potuiſſent.

29. Duplici namque reſponſione hæc aerea machina diſſolvitur. Prima quia quando per impoſſibile D. Cardinalis ex cauſa Belli prædicti de facto, ſeù, ut exadverſo dicitur, ratione facti fuiſſet in propria perſona impeditus accedere ad Civitatem Leodien. ſemper Capitulum tenebatur illum convocare, tamquam exiſtentem in loco commodo, & in Diœceſi, tempore faciendæ Electionis, ut ſaltem per Procuratorem votum in Electione dare potuiſſet, ad *Text. in cap. quia propter* 42. *§. Illud autem De Elect.* & in terminis præfati impedimenti *Abbas in cap. cùm omnis 6. num.7. verſic. diſtingue De conſtitut. Zabarell. in cap. Si autem num.*1. *verſic. ſecundo oppono De Election. Paſſerin. eodem tractat. cap.*10.*num.*35. *uſque ad* 40. Dum autem D. Cardinalis nedum non fuit vocatus, ſed poſitivè à Capitulo rejectus ſub prætextu foraneitatis, non percipimus qua fronte nunc coram Sacra Congregatione figuratum impedimentum Belli adducatur.

30. Et vana prorſus detegitur alia oppoſitio, quòd D. Cardinalis nullum inveniſſet, qui tale mandatum procuræ acceptaſſet contra prohibitionem Bannimenti Cæſarei, vetantis correſpondentiam cum ſubditis, & Miniſtris Francorum Regis. Etenim dictum Bannimentum exadverſo allegatum *litt.S.* annullat quidem commercia litterarum Cambii, aliaque negocia. ibi: *Ordiniamo, che ogni commercio, lettere di Cambio, corriſpondenza, & ogn'altro negotio per acqua, e per terra con gl'inimici dell'Imperio ſia totalmente caſſato, e c.*

31. Nullatenus autem comprehendit litteras, ſeù mandata procuræ perſonarum Eccleſiaſticarum ad explendos actus minimè ſuſpectos, ut fuiſſet commiſſio data alicui Canonico ad proferendum in Electione votum pro Domino

mino Cardinali,præſertim adhibita cautela expreſſa in eodem Bannimento ſub littera V. ibi: *Noi ordiniamo anco à tutti i Superiori Eccleſiaſtici ſecolari,che ordinino alli loro ſudditi, e c. che quelli, e c. non debbiano ricapitar lettere, e pieghi ſoſpetti,mandati loro; mà che li mettano nelle mani de' loro Superiori, li quali ſe ne valeranno ſecondo i doveri delle loro cariche, e c.* nulla quippè ſuſpicio oriri poterat ex tali mandato procuræ, dum cadebat in uno ex Canonicis, qui votum favore ejuſdem perſonæ, tàm reſpectu ſui, quàm reſpectu Dom. Card. proferre debebat, juxtà *Text.in cap.ſi quis juſto,§.porrò De Elect. in 6. Paſſerin. d.cap. 10. num.43. Barboſ.de Canonic.& Dignitat.cap.39.nu.14.* adeòut, nec etiam perſona eligenda reſideret in voluntate D. Cardinalis conſtituentis.

32. Prout eadem experientia docuit, ex quo Canonicus Poitiers impunè exhibuit mandatum procuræ ad ſuffragium ferendum pro Eminentiſſimo Domino Cardinali de Furſtembergh, quod tamen non fuit admiſſum ſub eodem prætextu Foraneitatis; undè infringitur motivum partis adverſæ, quòd Eminentiſſimus Principalis neminem reperiſſet, qui ejus mandatum recepiſſet.

33. Gratiſque prorſus exadverſo objicitur ſtetiſſe per D. Cardinalem, quo minus talem Procuratorem conſtituerit,dum poterat inſtare apud Capitulum, vel Nuncium, ut Decretum Foraneitatis removeretur; Patet enim ex tot epiſtolis Capitulo ſcriptis à menſe Februarii, uſque ad menſem Aprilis, quòd D.Cardinalis ſemper exoravit Capitulum, ut ejus jura prætenſam foraneitatem excludentia ab ipſo audire vellet, quod ſemper negavit, imò data opera decretum foraneitatis contra D. Cardinalem promulgatum occultavit uſque ad diem 7. Aprilis, ne ſtante brevitate temporis Electioni præfixi potuiſſet ad Summum Pontificem haberi recurſus, qui apud Nuncium Colonien. fuiſſet fruſtratorius, ut patet ex ejus littera,qua D.Cardinali ſignificavit ad hujuſmodi cauſas proprias facultates minimè extendi. *Summar. num.6.* & ſatis patet de pertinaci intentione Capituli, dùm etiam hodiè mordicùs eadem foraneitatis objectio promovetur; ut propterea mirum videatur quomodò pars adverſa id, quod totalem, & inexcuſabilem culpam Capituli redolet, D.Cardinali exprobrare audeat.

34. Secundò corruit figuratum periculum ſchiſmatis, ſeù ſeditionis, imminens ex adventu Domini Cardinalis, tum quia ſe contuliſſet ad Capitulum uti privatus cum ſimplici domeſtico famulatu, ut toties proteſtatus eſt, nec à perſona Eccleſiaſtica,inſigni pietate conſpicua, quidquam timeri poterat, tùm etiam quia requiſito D.Nuncio, ut à Cæſarea Majeſtate Paſſa-portum impetraret, idem Reverendiſſimus Nuncius die 31. Martii Domino Cardinali reſcripſerat: *Devo arguire,che S. M. ſia per degnarſi d'inviare il Paſſa-porto deſiderato da V.E. al Sig.Principe d'Heiderſeim ſuo Ambaſciatore in Liegi, acciòche lo traſmetta à V.E. quãdo però il ſuo ingreſſo in Liegi venga ora unicamente impedito dal motivo d'eſſer V.E. Franceſe, e d'aver aderito alla Francia dopo eſſerſi publicate le Avocatorie Ceſaree nella Guerra preſente.Summ.num.6.* Imò idem Dominus Nuncius abſolutè ſcripſit in Secretaria Status Eminentiſſimo Domino Cardinali Spadæ,quòd nempè Imperator tranſmiſerat Paſſa-portum prædictum, quamvis Eminentiſſimus Bullionius eſſet Subditus Galliarum Regis, ejuſque partes ſecutus eſſet durante præſenti Bello,ac nõ obſtantibus dd.Avocatoriis, ſeù Bannis Cæſareis, ut ex litteris aliàs huic Sac. Congregationi ab

eodem Eminentiſſimo Spada notificatis. Patet igitur ad ſenſum, quòd adventus D. Cardinalis ex motivo, quòd eſſet Miniſter, & Subditus Chriſtianiſſimi Regis, & publicatæ forent litteræ Avocatoriæ cauſa Belli, parere nequibat prætenſa ſchiſmata, aut ſeditiones. At quia Capitulum indebitè declaravit Foraneum, & incapacem voti Dom. Cardinalem, nil mirum ſi posteà Legatus Cæſareus, Leodii reſidens, Paſſa-portum Dom. Cardinali non tranſmiſerit, *dum ſtante dicta declaratione incapacitatis, non erat profuturus*. Ergo à primo ad ultimum ex ipſo facto apertiſſimè convincitur, quòd unicum motivum excludendi Dom. Cardinalem fuit prætenſa foraneitas, non autem prætextus Belli, & alia figmenta inutili artificio modò ſuſcitata: & dum foraneitas detegitur manifeſtè injuſta, & inſubſiſtens, contemptus, & injuria Dom. Cardinalis remanet incontrovertibilis, ex quibus Electio venit irritanda.

35. Additur prædictis ſimilis contemptus perſonæ Dom. Canonici Comitis de Rekem, qui eodem tempore ſe contulerat ad Civitatem Huyenſem, & cùm fuiſſet à Capitulo rejectus ſub eodem prætextu foraneitatis, appellavit ab hujuſmodi indebito ſpretu, & rejectione, ad Sanctiſſimum, proteſtans de nullitate Electionis, ut latiùs deducitur ab Informantibus pro d. Comite. Ex tali namque facto ſequitur, quòd numeratis, ut fieri debet, inter alios Capitulares his duobus Votis contemptis, jam ex quadraginta octo Vocalibus, Sereniſſimus Bavariæ Princeps ſola viginti quatuor habuiſſet, & ſic Electio non facta à majori parte corrueret, ad tradita per *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *nu.* 112. *& ſeqq.* Nil refragante, quòd in præſenti Capitulum conſtaret ſolùm in dd. Votis 24. remanentibus ad perficiendam Electionem, nec numerari debeant viginti duo Canonici, qui à Capitulo diſceſſerunt, & ſeſe alienos ab Electione præfata reddiderunt.

36. Etenim quidquid eſſet dicendum, ſi dd. Canonici voluntariè, & ſine cauſa ſe abſentaſſent à Capitulo. Secus eſt in noſtro propoſito, ubi præfati Canonici ex juſta, & legitima cauſa petierunt breve tempus unius diei, ut poſſet examinari Breve, ſeù Diſpenſatio à dicto Dom. Principe obtenta ſuper Eligibilitate, quod commodè fieri poterat, dum non imminebat terminus peremptorius. Indubitantèr verò, quia ipſe Decanus (cui ampliſſimam Statutum dedit facultatem Capitulum diſſolvendi, & reſolutiones negociorum quantumvis arduorum differendi. *Summ. num.* 7.) id præcipuè efflagitavit, & eventus ipſe diſputationis oſtendit quot nodoſas difficultates Breve præſatæ Eligibilitatis contineat; Undè legitima, & juſta cauſa petendi dictam dilationem remanet evidentiſſima, qua concurrente, Canonici recedentes non ſunt reputandi Extranei, quia non ſolùm tenebantur parere Statuto tribuenti talem facultatem Decano, ſed etiam ratione periculi, ne ſcilicet, ſi elegiſsent perſonam non canonicam, caderent à jure ſuffragii, & Electio aliter ſecuta nulla remanet, ad tradita per *Rot. deciſ.* 350. *par.* 17. *confirmata dec.* 5. *par.* 18. *recent.*

JACOBI

JACOBI SARDINI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO SECUNDA

Super contemptu.

1. AGimus de electione poſt interpoſitam appellationem celebrata: agimus de appellatione poſt inflictum gravamen interpoſita; quandocumque igitur appellandi cauſa juſtificetur, caſſanda venit electio; Juſtificatur autem appellatio ſtatim ac injuſtitia gravaminis demonſtratur, eaque reſultat ubicumque docetur, Eminentiſs. Cardinalem Bullionum Principalem, Capitularium Leodienſis Eccleſiæ Conſtitutionum vigore, nequaquam potuiſſe ſuo eligendi jure privari.

2. Hujuſmodi propoſitiones difficultatis punctum percutientes, decidenterque nequeunt in facto controverti, nec in jure impugnari. Siquidem primæ duæ, quòd electio die 20. Aprilis operata, ſequuta ſit poſt appellationem die 9. ejuſdem menſis interpoſitam, & Capitulo die 10. inſinuatam, & quòd appellationi præceſſerit gravamen die 27. Februarii Capitulari decreto irrogatum, & Eminentiſſimo Dom. Principali die ſolummodo 7. Aprilis notificatum, liquent ex traditis *in noſtro præterito Summario num.* 5.6.7.8.& 12.

3. Tertia verò, quòd caſſanda ſit electio poſt interpoſitam appellationem facta, quandocumque appellandi cauſa legitima juſtificetur, alia non eget probatione, quàm quæ literaliter reſultat ex *textu in cap. conſideravimus* 10. *De elect.* ut ibi: *Conſideravimus, quòd electio Joannis Frontini poſt appellationem ad Nos interpoſitam, &c. fuerit celebrata: perpendimus etiam, quòd electio B, necnon, & poſt appellationem fuit facta; quapropter utriuſque electionem omninò caſſamus, &c.* eamque communiter recipiunt Canoniſtæ, uti per *Bellamer. ibidem num.*9.*verſ.*8.*Butr. num.*2.3. & 5. *Abbas in pr. notab.* cum aliis in mea præterita Informatione allegatis.

4. Ejuſdem naturæ reperitur quarta; juſtificatur enim appellatio, nedum quando præceſſit, prout in præſenti, gravamen, verùm etiam quando veriſimiliter futurum timetur, uti expreſsè poſt *Bellamer. in cap. cùm nobis* 19.*n.*6. *De elect.* tradit *Petrus à Bayſio De elect. par.*2.*cap.*35.*num.*10.*par.*3.*cap.*12.*n.*4.

5. Parìque modo ſubſtinetur quinta cauſa; etenim undè motivum ſumpſit Capitulum privandi Eminentiſſimum Dom. Cardinalem ſuo eligendi jure, in allegata foraneitate conſiſtit: ideoque dum probatur, Eminentiſſimum Dom. Principalem nequaquam ex Capitularibus Conſtitutionibus dici potuit foraneum, ſtatim reſultat, perperam ſe geſſiſſe Capitulum, & appellationis cauſa juſtificatur, ut in ſimilibus terminis de eo, qui fuerat tanquam inhabi-

lis

lis rejectus, quòd juſtificet appellationem, habilitate probata, reſpondit viden. *Rota in deciſ.319.num.6.par.15.recent.*

6. Tota igitur difficultas cauſæ perneceſsè reſtringitur, ut videatur, an Eminentiſſimus Dom. Principalis fuerit, nec ne foraneus. Veritatem hanc agnovit hoc Sacrum Tribunal; undè in præteritis placuit reſolutionem differre, mandavitque legitimum exhiberi Leodien. Eccleſiæ Statutum, quod licèt in ultima propoſitione poſt haberi poſſe inſinuare conati ſint qui Sereniſſimi Domini Adverſarii jura patrocinantur, jam videntes ex eo foraneitatem rejici, ſicque interpoſitæ appellationis cauſam juſtificari, ideoque caſsandam eſſe electionem; ſuper eo tamen agendum eſſe, & ſecundùm ejuſdem diſpoſitionem cauſam terminandam eorum ſenſum fuiſſe, Eminentiſſimi PP. per demandatam legitimi Statuti exhibitionem ſatis declararunt, & meritò; nam Capitulum non quia commodè, & ſine periculo vocari non potuiſſet, Eminentiſſimo Principali convocationem denegavit: non quia crediderit eum vocandum non eſſe, qui viduatæ Eccleſiæ, & futuræ electionis notitiam haberet: nec quia opinari potuerit, eum extra Provinciam extare, dum in Oppido Huyenſi, ſicque in Diœceſi reperiebatur: vel quia tanquam bonorum Eccleſiæ uſurpatorem à liminibus ejuſdem arcendum exiſtimaverit, eumque Capitulari conſortio privandum.

7. Sed quia decreverat, eum eſſe foraneum, malè, ſeù nimis ſtudiosè Capitulares Conſtitutiones intelligendo, ideò nequaquam credidit eum eſſe vocandum. Legantur de prima ad ultimam literæ per Capitulum Eminentiſſimò Principali directæ, & exindè indicetur exadverſo locus, quo Capitulares aliam oppoſuerint denegatæ convocationi exceptionem, quàm quæ ex Capitularibus Conſtitutionibus, & ex præſuppoſita foraneitate reſultet.

8. In prima ſiquidem epiſtola 19. Februarii nil aliud petitæ convocationi Capitulares oppoſuerunt, quamquod plura diſcutienda forent, quæ reſolvi non poterant, quouſque defuncto Principi in perſolvendis juſtis erant occupati, ut ibi: *Verùm cùm plura, quæ diſcuſſione, ac maturiori deliberatione indigent in illis contineantur, Eminentiſſimam Celſitudinem Veſtram ægrè non laturam ſperamus, ſi Celſiſſimo Epiſcopo, &c.* juſtis perſolvendis occupati, *eiſdem reſpondere aliquantulum differamus, &c.*

9. In ſecunda verò diei 27. ejuſdem menſis, qua reſponſum dabant ſecundæ litteræ per Eminentiſſimum Principalem die 23. ejuſdem menſis Capitulo directæ, & in qua proteſtabatur ſe ſolo famulatu ſtipatum Leodium accedere velle, ut ibi: *Non accedo apud vos, Confratres chariſſimi, cathafractus, aut aliquo militari præſidio ſuffultus: abſit à me, ut ſi illud mihi liceret, ea media adhiberem; venio ſtipatus ſolo famulatu, & obteſtor vobis, & polliceor, mecum nullum alium exterum admiſſurum, & ſic ingreſſus meus totus erit pacificus, nec poterit ullo modo turbare ſtatum Civitatis Leodien.* eidem convocationem denegandam dixerunt, Statutis hærendo, ut ibi: *De cætero, Eminentiſſimæ Celſitudinis Veſtræ convocationem ſuas pati difficultates plurimum dolemus; licèt enim pro Sua Eminenti Cardinalatus dignitate, ac hujus Eccleſiæ Præpoſitura, &c. omnem, quem debemus, reſpectum habeamus, cùm tamen Eccleſiæ noſtræ Statuta, ac laudabiles conſuetudines, &c. eos, qui in feſto Sancti Ægidii Capitulo perſonaliter, vel ad minus per Procuratorem ſe non repræſentaverint, foraneos declarent, qui juxta eadem Statuta, quorum copia hìc jungitur,*

gitur, negociis Capitularibus intereſse, vel ſuffragium dicere non poſsunt, etiamſi de electione Epiſcopi, &c. & quavis alia re ardua ageretur; Speramus Eminentiſſimam Celſitudinem Veſtram ægrè non laturam, ſi præfatis Statutis, ac juramento noſtro nos conformantes, ab ejus convocatione abſtineamus: ibique addiderunt Statuti Capitulum ſub rubr. *De Capitulis ordinariis, & ſpecialibus.*

10. Cui cùm reſpondiſſet Eminentiſſimus Principalis, ut in ejus epiſtola 4. Martii, ut ibi: *Nullibi, quantum meminiſse poſsum, invenietur, privandum eſse voce activa in electione Epiſcopi, Præpoſiti, aut Decani Canonicum, qui non comparuerit per ſe, vel per procuratorem ſuum in Capitulo S. Ægidji, &c.* Iterum die 11. ei reſponderunt ejuſdem vocationi Statutum obſtare, ut ibi: *A Statutorum enim, ac laudabilium conſuetudinum hujus Eccleſiæ obſervatione, &c. nullatenus nobis recedere licet; unde cùm dicta Statuta, ac conſuetudines ejusdem convocationi obſtent, facilè nobis Eminentiſſima Celſitudo Veſtra compatiretur, &c.* in fine ſubdens: *Eminentiſſimam Celſitudinem Veſtram enixè rogamus, ut non nobis, ſed Statutorum, quibus adſtringimur, legibus imputare velit, ſi ejus intentioni non ſatisfaciamus*; & huic epiſtolæ addiderunt Statuti tranſumptum, *de ſecunda reſidentia* loquentem.

11. Idemque teſtati ſunt in ſucceſſiva epiſtola diei 26. Martii, ut ibi: *Unde eidem iterato obteſtamur nos plurimum dolere, quòd licèt debitum reſpectum pro Eminentiſſimæ Celſitudinis Veſtræ meritis, &c. habeamus, &c. ejusdem tamen deſideriis ſatisfacere non poſſimus, noſtriſque Statutis, quibus juramento adſtringimur, inhærere teneamur.*

12. Ac præ cæteris potiſſimum ponderanda venit epiſtola die 7. Aprilis Eminentiſſimo Cardinali conſcripta; ex ea etenim percipitur, nequaquam Capitulum eam curaſſe exceptionem, quæ nunc exadverſo ex motivo belli deſumitur, ſed ſolummodo, Statutariæ diſpoſitioni hærendo, convocationem denegaſſe, ut ibi: *Unde cùm juxta eas Eminentiſſima Celſitudo Veſtra in electione futura ſuffragium dicere non poſſit, nec ad illam ſit convocanda, inutilem omninò, & fruſtraneam, ſalvi, quam expoſcit, conductus tranſmiſſionem arbitramur, quem etiam ad illum effectum abſque recognitione competentiæ voti in electione, quod tamen Eminentiſſimæ Celſitudini Veſtræ juxta Statuta non competit, procurare non poſsemus, &c.*

13. Et plurimum confert hujuſmodi declaratio ad explicandum Capituli ſenſum in ſubſequenti epiſtola 15. Aprilis ſuper rejectione appellationis expreſſum, ubi arbitratum fuit, nequaquam competere Eminentiſſimo Principali jus appellandi, attento, quòd notoriè juxta Eccleſiæ Statuta, & conſuetudines, jus ſuffragii non haberet, ut ibi: *Eminentiſſimam tamen Celſitudinem Veſtram ægrè non laturam confidimus, ſi attento, quòd notoriè, juxta hujus Eccleſiæ Statuta, & conſuetudines, jus ſuffragii non habeat, niſi reſolutionibus, vel conſerentiis Capitularibus, quæ circa negocium Electionis fiunt intereſse poſſint, eidem etiam jus appellandi non competere arbitremur, adeoque appellationi, uti nulliter, & ſine gravamine interpoſitæ, propter etiam alias rationes uberrimè poſtmodum deducendas, & ubi opus inſinuandas, & quamprimum poterit Eminentiſſimæ Celſitudini Veſtræ tranſmittendas deferre non poſſimus, &c.*

14. Poſtquam etenim Capitulum jam declaraverat in præcedenti epiſtola, nequaquam curandū eſſe de ſalvi-conductus tranſmiſſione, ex quo tacitè pro-

bavit

bavit convocationi non bellum, ſed foraneitatem, & privationem vocis per Statutum indictam obſtare, benè colligitur, quòd illa præſervatio à ſubſequenti littera poſtmodum operata cum clauſula *propter etiam alias rationes, &c.* trahi non poteſt extra ſenſum Capituli, contendentis, appellationi deferendum non eſſe, tanquam ſine gravamine interpoſitæ, quia ſatis ex Statuto, & propter alias etiam rationes uberiùs poſtmodum deducendas notoriè de foraneitate conſtaret, quod etiam percipitur ex proprietate illius dictionis *propter*, quæ idem importat, *ac occaſione*, & operatur, quòd cùm ſit una ſpecies expreſſa, non includatur altera penitùs diverſa, & ſeparata, ut firmat viden. *Caſtrenſ. in conſ. 25. num. 1. volum. 1. cum ibi allegatis.*

15. Statuto itaque eſt quæſtio decidenda, ut vel foraneitas exadverſo præſuppoſita, vel appellatio juſtificetur. Et tamen, quod ſummoperè dolendum venit, Statutum hucuſque legitimum non exhibetur, quod veritate probata demùm quæſtio ſit decidenda.

16. Suis etenim literis die 27. Februarii Eminentiſſimo Principali directis, Capitulares ſolummodò tranſmiſerunt extractum ex Statutis *ſub articulo de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus*; Exindè in alia Epiſtola 11. Martii dederunt tranſumptum alterius Statuti ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, ubi recognoſci poteſt ex literarum ſerie Eminentiſſimis PP. per extenſum exhibita.

17. In prima verò hujus Cauſæ propoſitione fuerunt exadverſo producta Statuta anni 1563. quorum ſub titulo de ſecunda reſidentia adeſt illa diſpoſitio: *Item qui in dicta die B. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam non præſentaverit, is poſtea gratioſam abſentiam petere non poſſit, &c.*

18. In præterita verò propoſitione iterum authenticum deducendo Statutorum extractum *in Summario reſponſionis num. 1.* data fuit exadverſo dicta diſpoſitio *de ſecunda reſidentia*, abſque eo quod adeſſet injuncta illa diſpoſitio percutiens, & determinans earum omiſſæ comparitionis.

19. Nunc autem duplex allegatur Statutum; Alterum ſcilicet quod authenticum extractum aſſeritur ex Capitularibus Conſtitutionibus exiſtentibus in Leodien. Eccleſia, cui ſub titulo *de ſecunda reſidentia* defuit illa particula, quæ tangit caſum non factæ comparitionis, & alterum quod ex Archivio Nunciaturæ per Reverendiſſimum Nuncium tranſumptum aſſeritur, & quod dicitur compilatum anno 1560. ac inter acta Viſitationis R.P.D. Sanfelicii inſertum, cui ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, adeſt ſupradicta particula, ſed alio modo concepta; nam ubi in ſupracitato Statuto, in prima propoſitione exadverſo dato, dicta particula determinat caſum non factæ comparitionis petitionem gratioſæ abſentiæ non comparenti denegando, in præſenti contrarium diſponitur in caſum, operatæ ſcilicet comparitionis, & comparentem gratioſam abſentiam petere non poſſe ſtatuitur. ibi: *Item quicumque in die B. Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit.*

20. Verſamur igitur perneceſſe in dubio, an hujuſmodi particula, vel caſum negativum non factæ comparitionis, vel affirmativè operatæ præſentationis determinan. in eo Statuto, quod exiſtere dicitur in Leodien. Eccleſia, nec-ne reperiatur; nam ſi credimus Secretario Capituli, qui primum Eminentiſſimo Principali eum Epiſtola diei 11. Martii extractum dictæ diſpoſitionis

nis *de ſecunda reſidentia* tranſmiſit, ac etiamſi credimus extractui in præterita propoſitione exadverſo exhibito. *d. Summario reſponſionis num.* 1. cum quo concordat extractus nunc de mandato Reverendiſſimi Nuncii operatus, utique non extat iſta particula, neque negativa, neque affirmativa.

21. Si verò fides præſtanda eſt Statutis exadverſo in prima propoſitione impreſſis. *Summario ſuper oppoſition. num.* 1. adeſt iſta particula, & noſtram quæſtionem determinat, dum probat, non comparenti Capitularibus Conſtitutionibus ſolummodo gratioſam abſentiam denegare, nequaquam verò foraneitatem indicere.

22. Quòd ſi ſtandum eſt Statuto per Reverendiſſimum Nuncium Colonienſem tranſmiſſo, & ex viſitatione R.P.D. Sanfelicis, ac ex Archivio Nunciaturæ deſumpto, habemus particulam caſum affirmativum, operatæ ſcilicet comparitionis tangentem, & dum comparenti negat petitionem gratioſæ abſentiæ Statutariam diſpoſitionem manifeſtiſſima contradictione involvit; nam immediatè poſt titulum *de ſecunda reſidentia* adeſt titulus *de gratioſis abſentiis*, ubi diſponitur, ei concedendam eſſe gratioſam abſentiam, qui per ſe, vel per Procuratorem in Feſto Sancti Ægidii comparendo, ſibi ſuper gratioſa abſentia indulgendū eſſe petierit, ut ibi: *Qui primam reſidentiam perfecerit, ſiquidem 25. annos ætatis compleverit, & in feſto B. Ægidii per ſe, vel per Procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialiter pro illo anno mandatum habentem, gratioſam abſentiam ſibi dari petierit, arbitrio Capituli conſtituatur, & concedatur.*

23. Ideoque ſi Statuentes ſub titulo immediatè ſequenti, in Feſto Sancti Ægidii comparenti, & ſe repræſentanti, arbitrio Capituli dari poſſe decreverunt gratioſam abſentiam, quomodo credere poſſumus, quòd in antecedenti Capitulo ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, in feſto Sancti Ægidii ſe repræſentanti, petitionem gratioſæ abſentiæ denegaverint? utique hujuſmodi diſpoſitiones manifeſtiſſimam contradictionem præſeferrent: & conſequenter ne tale dicantur commiſiſſe Statuentes abſurdum, vel totalis defectus dictæ particulæ eſt admittendus, & ſic ſtandum veniret extractui tunc primum per Secretarium Capituli Eminentiſſimo Principali, necnon Domino exadverſo Agenti tranſmiſſo, & modò in extractu Reverendiſſimi Nuncii Colonien. repetito: vel fateri cogimur, quòd ſi talis adeſt particula, ea perneceſsè determinare debet caſum negativum non factæ comparitionis, prout habetur ex Statuto primæ propoſitionis exadverſo impreſſo, ne contrarietatis admittatur abſurdum.

24. Dicant igitur Adverſarii, quo velint uti Statuto, ſeù potius agnoſcant Eminentiſſimi PP. apertiſſimam neceſsitatem nunc concedendi compulſoriales, vel in ipſo limine primæ propoſitionis per nos petitas; ut demum, omni ſtudioſitate ſublata, ſit in aperto veritas, quæ hucuſque Statutorum ambiguitate occupatur.

25. Verumtamen quoquo ſe vertant DD. exadverſo cauſam patrocinantes, incidunt ſemper in foveam, quam faciunt; nam vel Statutum ſub dicto titulo *de ſecunda reſidentia* continet ſupra recenſitam particulam tangentem caſum non operatæ comparitionis in feſto Sancti Ægidii, & in iſto caſu aperta eſt excluſio foraneitatis exadverſo præſuppoſitæ, ex latè congeſtis in mea prima Informatione *à §. ſiquidem plures exhibentur uſque ad §. igitur in comperto remanet.*

26. Vel admittimus prædictam diſpoſitionem in Statuto deficere, & facilius aſſerta foraneitas removetur; Etenim, ſublata dicta diſpoſitione, caſus non factæ comparitionis eſt caſus à Statuto omiſſus, & conſequenter remanet ſub juris cenſura.

27. Eaque attenta certum eſt, nequaquam jure eligendi privari, niſi qui ſit ab officio ſuſpenſus, uti ex juribus latè deductis in mea prædicta Informatione *à §.percutit enim Statutum uſque ad §.probato itaque.*

28. Nec aliquid operari poteſt adeò exadverſo magnificata, & per Dom. *de Fuſco* in ejus reſponſione ſuper contemptu ad trutinam revocata, dictio *alioquin*, de qua in Statuto ſub dicta rubr. de ſecunda reſidentia. ibi: *Item quicumque in feſto B.Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem continuè, vel diſcontinuè, alioquin pro foraneo habeatur, &c.* determinat enim ibi Statutum caſus factæ præſentationis, & vult, ut qui ſe præſentaverit reſideat, *alioquin pro foraneo habeatur*, ſcilicet ſi non reſederit; undè trahi non poteſt ad caſum, ſi non comparuerit; ea etenim dictio ſtat adverſativè ad præcedentia, ut inquit *Bartol.exadverſo allegatus in l.1.ff.de condit.& demonſtr. num.*11.dicens: *in ſe ipſa orationem continet, & inducit conditionem contrariam præcedenti diſpoſitioni, exponitur niſi non fuerit prædicta*, & explicat *gloſſ.ſuper l. ſi finita §.ex hoc edicto verbo alioquin*, ubi caſum contrarium legali diſpoſitioni præmittit, dicendo, ideſt *ſi non mittetur in totas*, & ſui natura referri debet ad qualitates expreſſas, & non ad alias non expreſſas, ut benè firmat *Cened.practicarum, & Canonicarum quæſt.ſingulariter* 3.*num.*5. *& ex eo Barboſ.de dict.in verbo alioquin num.*3.

29. Et conſequenter referri non poteſt ad caſum in Statuto non expreſſum, alioquin hæc dictio non tantum contineret in ſe totam diſpoſitionem, & induceret conditionem præcedenti diſpoſitioni contrariam, ſed novam importaret diſpoſitionem, & ſuppleret de per ſe ſola quod Statuentes ommiſerunt: & quòd tantæ ſit efficaciæ hujuſmodi dictio, quòd valeat novam diſpoſitionem inducere, nullus eſt, qui dicat ex auctoritatibus exadverſo per Dom. *de Fuſco* allegatur, nec reperiri poterit; nam ſi ex ea induceretur diſpoſitio ſupplens caſum à Statuto ommiſſum, nimis impropriaretur Statuentium ſermo, dum efficeretur, quòd ex unica dictione *alioquin*, quæ ſuum habet legitimum intellectum, inducendo diſpoſitionem expreſsè præcedenti contrariam, induceretur diſpoſitio in caſu diverſo, & penitus ſeparato, ad hoc ut una diſpoſitio duos omninò diverſos caſus determinaret, quod à jure improbatur.

30. Atque, ut videretur quàm alienum ſit à Statuentium mente aſſerere, quòd ex dicta diſpoſitione non comparentibus cenſeatur indicta foraneitas, præcisè ponderandum venit ad quem effectum ſub dicta rubrica *de ſecunda reſidentia* fuerit per Statuentes repræſentatio ordinata; Eſt enim indicta ad effectum lucrandi fructus, ut ibi: *Quicumque in Eccleſia Leodien.velit reſidere, & fructus facere*, non autem ad effectum purgandi foraneitatem, nam quoad iſtum effectum adeſt ſua particularis diſpoſitio ſub titulo *de foraneis*: & conſequenter dum comparitio fieri debet ad effectum lucrandi fructus, & neceſſitas reſidendi ſub pœna foraneitatis eſt indicta Comparenti, ut ibi: *Item quicumque in dicto feſto, &c. ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, &c. reſideat,*

deat, *&c. alioquin pro foraneo habeatur*, *&c.* quomodo trahi poteſt adverſus non Comparentem, qui non curat fructus lucrari? præſertim dictum Statutum non arctat, ſed allicit, ac in facultate Capitularis reponit comparere, vel non comparere, procedendo cum verbo *volet*, quod facultatem, nequaquam verò neceſſitatem importat, uti ex juribus per me deductis in Informatione, *§. Verificatur autem, &c.*

31. Certè nimis Statuentium menti repugnaret, ſi diceretur, ex dicta dictione *alioquin* duplicem determinari caſum tàm expreſſum, quàm non expreſſum, præſertim ad effectum inducendi foraneitatem, vocis privationem in electionibus præſeferentem, quando ſimpliciter Statuentes voluerunt, eum teneri ad reſidendum, qui voluerit fructus lucrari.

32. Neque enim facit abſurdum exadverſo per Dom. *de Fuſco* magnificatum, quo dicit, quòd ſi talis non daretur intellectus, melioris eſſet conditionis qui magis peccaret in legem non comparendo, quàm qui minus comparendo, & non reſidendo. Ceſſat in hujuſmodi motivum quandocumque conſideratur qualis fuerat mens Statuentium; noluerunt enim Statuentes, ut aliquis Capitularis ad effectum lucrandi fructus ſimpliciter ſe præſentaret, & deindè reſidentiam contemneret, ideòque duriori lege obligatum voluerunt comparentem, & ſe exhibentem ad reſidentiam, quàm non comparentem, in quo nequaquam conſiderari poterat ſpretus non proſequutæ reſidentiæ, dum jam non comparendo ei erat indicta pœna privationis fructuum; undè opus non erat adverſus non comparentem aliam particularem diſpoſitionem inducere, prout erat neceſsè adverſus comparentem, & non reſidentem, dum ritè prætendere poterat per ſolam comparitionem ſibi fuiſſe quæſitos fructus, ſaltem pro tempore proſequutæ reſidentiæ, quod evenire non poterat in alio, qui nunquam ſe repræſentaverat; undè benè fecerunt Statuentes, ſi proſpicere voluerunt ad caſum factæ comparitionis, & comparentem, & non reſidentem cum illa dictione *alioquin* pro foraneo habendum eſſe dixerunt: & cùm adſit ſumma diſparitas rationis ab uno ad alterum caſum, idcircò una diſpoſitio nequaquam eſt alteri caſui aptabilis, nec ex ea poſſumus utrumque caſum determinare. *Maſcard. de General. Statutor. interpret. concluſ. 4. nu. 54. D. Manſ. in conſult. 32. num. 27. conſult. 280. num. 65. & conſult. 475. num. 15.*

33. Et potiſſimum, quia non ſumus in Statuto lucrativo, ut exadverſo malè prætenditur, ſed verè, & realiter in Statuto pœnali; nam ſi hujuſmodi Statutum imponet non Comparenti pœnam foraneitatis, quæ præſeferat privationem vocis, utique nedum eſt pœnale, ſed etiam eſt à juris diſpoſitione exorbitans; cùm de jure non detur alia privatio vocis, quàm quæ reſultat ex ſuſpenſione ab officio, quæ nequaquam incurritur ob non operatam comparitionem, ſeù reſidentiam, licèt reſidentiæ defectus de jure præbeat cauſam privationis officii, ſer. ſer. tamen peragendæ.

34. Imò pœnale redditur, & à jure exorbitans, dum foraneum declarat, & omnimoda fructuum acquiſitione privat Capitularem, etiam pro tempore quo reſedit; nam de jure pro tempore proſequutæ reſidentiæ acquiruntur fructus, undè ſemper verificatur, quòd agatur de Statuto pœnali, cujus nec etiam ex majoritate, vel potioritate rationis datur extenſio de caſu ad caſum, vel de perſona ad perſonam, maximè ad effectum inducendi pœnam, quæ tantùm tangere debet eos, qui ſunt expreſsè ſub diſpoſitione comprehenſi, ut

ex Juribus in alia Informatione congeſtis, §. *Quamobrem dum caſus, &c.*

35. Nec mirum eſt, ſi forſitan Statuentes voluerunt quodammodo melioris conditionis eſſe non Comparentem, quàm Comparentem, & non Reſidentem; nam non Comparens nulli facit injuriam, nec frangit fidem Eccleſiæ comparendo promiſſam, verumtamen ſuam ſubdit pœnam amiſſionis fructuum, ubi è contra Comparens, & ſe præſentans ad reſidendum, ſi poſtmodum reſidentiam non proſequitur, frangit fidem Eccleſiæ, & Capitularibus datam; undè nulli dubium eſt, quin graviùs ſit puniendus: ac in eo viget major ratio irrogandi graviorem pœnam, quàm in alio, qui ſibi per Statutum conceſſa facultate uſus, non curat fructus lucrari.

36. Prætereà ponderandum venit, repræſentationem in Capitulo Sancti Ægidii ad duplicem effectum fieri poſſe, ſcilicet ad effectum verè reſidendi, de qua diſponitur in dicto Capitulo *de ſecunda reſidentia*, & ad effectum petendi gratioſam abſentiam, & hæc eſt alia repræſentatio, de qua loquitur Statutum ſub Rubrica *de gratioſis abſentiis*, ut ibi: *Qui primam reſidentiam perfecerit, ſiquidem 25. annos ætatis compleverit, & in feſto Divi Ægidii per ſe, vel Procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialiter pro illo anno mandatum habentem, gratioſam abſentiam ſibi dari petierit, arbitrio Capituli conſtituatur, & concedatur.*

37. In hujuſmodi verò diſpoſitione, ubi conſideratur caſus Comparentis, non ad effectum reſidendi, ſed ad effectum petendi gratioſam abſentiam, quamvis ibi dicatur, quòd abſentia concedatur arbitrio Capituli, tamen non ſubditur, quòd ſi negetur gratioſa abſentia, ille qui comparuerit, & abſentiam ſibi denegatam petierit, ſi non voluerit reſidere remaneat foraneus, prout foraneitas ſub dicto titulo *de ſecunda reſidentia* indicitur ei, qui ſe ad reſidendum exhibuerit, eamque exindè non perfecerit; undè validiſſimum deſumitur argumentum, nequaquam voluiſſe Statuentes indeterminatè, ac in omni caſu foraneitatem indicere, ſed in certo tantùm caſu, quo daretur Eccleſiæ ſpretus ob promiſſam, & non proſequutam reſidentiam, & magis, magiſque convincitur, nequaquam poſſe ex dicta diſpoſitione *de ſecunda reſidentia*, ac ex dictione *alioquin* tàm Comparenti, quàm non Comparenti foraneitatem imponi.

38. Nec eſt ſilentio prætereundum, quòd Capitulares Conſtitutiones non curant comparitionem ſimpliciter fieri pro forma, ſed eam requirunt tanquam cauſam ſui effectus productivam; nam vult Statutum, ut quis comparere teneatur, vel ad effectum reſidendi, & lucrandi fructus, uti ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, vel ad effectum petendi gratioſam abſentiam, uti ſub titulo *de grat. abſent.* quæ gratioſa abſentia pariter ordinatur ad effectum habendi fructus etiam non reſidendo: & conſequenter ſi in iſto ſecundo caſu tranſit cum præſuppoſito, quòd denegari poſſit abſentia, quam vult concedi arbitrio Capituli, pernéceſsè admittit caſum, quòd quamvis comparitio reducatur ad non comparitionem propter denegatam gratioſam abſentiam, tamen non ſequatur, ut non comparens ſit foraneus; verumtamen quòd remaneat ſolummodò fructuum acquiſitione privatus.

39. Probato itaque nequaquam poſſe Statutum ſub illa diſpoſitione *de ſecunda reſidentia* ſub caſu affirmativo factæ comparitionis, etiam caſum negativum determinare, & in utroque foraneitatem indicere, dum alia exadverſo

verſo non indicatur diſpoſitio, quæ foraneitatem adverſus non comparentem indicat, ſeu ſaltem dubitativè quoad non comparentes, & quoad foraneitatis incurſum loquatur, cùm ex integra Statutorum hucuſque exadverſo exhibitorum revolutione nulla reperiri poſſit Conſtitutio, quæ tangat caſum non operatæ comparitionis, quatenùs demandata à Statuto *de ſecunda reſidentia* ſupra relata particula, quæ legitur in Statuto anni 1563. in prima hujus cauſæ propoſitione exadverſo impreſſa.

40. Parùm relevat allegata obſervantia, quia vel contendunt Adverſarii eſſe interpretativam, vel eam volunt præſcriptivam, & habentem vim inducendi conſuetudinem legis ampliativam, & ad utrumque effectum fruſtrà allegatur.

41. Nam interpretativa præſupponit exiſtentiam Statuti, & quòd Statutum ſit dubium; undè in præſenti prius demonſtrandum eſt ubi ſit ſtatutaria diſpoſitio, quæ præſeferat dubium, an non comparentes ſint nec-ne foranei, antequam ad obſervantiam recurratur, quæ ſolummodò attenditur ubi verba ſunt dubia. *Caſtren. in l. hæredes palam, §. ſi quis num.* 1. *ff. de teſtam. Becc. conſ.* 3. *num.* 74. *& ſeqq. Manſ. conſult.* 47. *num.* 31. *Rot. deciſ.* 319. *num.* 2. *par.* 6. & melius *in deciſ.* 335. *num.* 2. *part.* 18. *recent.* ubi expreſsè dicitur, obſervantiam interpretativam *præſupponere præexiſtentiam, & tenorem diſpoſitionum, quarum dubietas ex iis, quæ fuerunt poſtmodum obſervata, declaratur*

42. Neque pro dubia Conſtitutione deſervire poteſt diſpoſitio d. *de ſecunda reſidentia*, quæ vel ſumatur cum dicta particula caſum non factæ comparitionis determinante, vel ea ſublata, ſemper eſt de per ſe clara, nec indiget interpretatione, quia ſi adeſt dicta particula, habemus caſum expreſſum, nec alia egemus declaratione, ad effectum conſtituendi pœnam non comparenti; quòd ſi non adeſt, tunc caſus non factæ comparitionis eſt caſus omiſſus, undè non eſt, quòd illum tangere poſſit obſervantia interpretativa, dum nil eſt, quòd interpretari poſſit quoad caſum omiſſum, & juris communis diſpoſitioni reſervatum: & præſertìm dum conſtitutio clarè loquitur in caſu præciſo factæ comparitionis, & proſequutæ reſidentiæ; undè intrat regula, quòd in claris nulla detur interpretatio, uti per *Dec. in l. in ambiguis n.* 2. *De reg. jur. Gratian. diſcept.* 472. *in fin. Manſ. d. conſult.* 47. *num.* 30.

43. Et ſi in aliquo indigeret declaratione dicta conſtitutio *de ſecunda reſidentia*, quòd poſſet ex obſervantia declarari, hoc eſſet an dicta Conſtitutio aliàs ordinata ad effectum acquirendi fructus, ex ibidem indicta foraneitate adverſus comparentem, & non reſidentem, poſſit dici conſtitutum illud foraneitatis genus, quod, nedum privet acquiſitione fructuum, ſed etiam jure eligendi, dum aliàs poſſint ſtare ſimul, quòd quis habeatur pro foraneo ad certum effectum, nempè ut ſit fructibus privatus, & non ad alium, ſcilicèt ut ſit jure in Capitulo intereſſendi deſtitutus, præſertìm cùm agatur de Statuto odioſo pœnali, & juris communis correctorio, quod ſi verificari poteſt in caſu ſimplici, ſcilicèt in propria foraneitate per Statutum indicta ſub *tit. de foraneis*, non debet extendi ad caſum compoſitum, ad eum ſcilicet, qui ſub dicta diſpoſitione de ſecunda reſidentia foraneo aſſimilatur: hæc eſt dubietas, quæ reſultat ex *d. rubr. de ſecunda reſidentia*, & quæ determinari poſſet ex obſervantia ſubſequuta, quatenus probaretur adeſſe capitulares actus deter-

Digitized by Google

terminantes, eum, qui ſe præſentaverat, & non reſederat, tanquam foraneum fuiſſe eligendi jure privatum.

44. Sed ad effectum de quo agitur, conſtituendi ſcilicèt pœnam foraneitatis adverſus non comparentem, & non ſe præſentantem in feſto S. Ægidii, deficiente Statuto dubio, prodeſſe neque interpretativa obſervantia, ſeù ſaltem ad eam probandam deſervire non poſſunt actus capitulares, & declarationes exadverſo allegatæ, quia, ut dixi, iſta obſervantia non poteſt eſſe interpretativa, dum non habetur aliqua Statuti pars, quæ tangat non comparentes, & quæ ſit obſervantia, quoad foraneitatis incurſum, declaranda; undè ſi quæ reſultare poſſet obſervantia ex actibus Capitularibus, ea extaret obſervantia legis ampliativa, ſcilicèt conſuetudine præſcriptiva, & novæ legis inductiva, quæ non ità facilè inducitur, ut obſervantia interpretativa, ut explicat *Dom.Manſ.in conſult.*254.*num.*14.*& ſeqq.*

45. Quando enim adducitur obſervantia, ſeù conſuetudo contra id, quod in ſtatuto clarè eſt diſpoſitum, prout in dicto Statuto clarè diſponitur quoad caſum operatæ comparitionis, & neglectæ reſidentiæ non proſecutæ, non poteſt obſervantia interpretativa appellari, ſed eſt legis ſuppletiva, ut tradunt *Cravett.in conſ.*282.*num.*6.*cum concordan.*apud *Rot. coram Ludoviſ.dec.*162.*num.*3.

46. Et propterea talis requiritur obſervantia, quæ tranſiverit in præſcriptionem, ſeù conſuetudinem legitimè præſcriptam, ut explicat *Rot. d. deciſ.* 335.*num.*3.*par.*3. *recent.*& Concordantes habentur apud *Manſ. d. conſultat.* 254.*num.*17.

47. Hanc verò præſcriptionem utique præſeferre non poſſunt vel atteſtationes, vel capitularia decreta exadverſo allegata; nam, uti benè in facto probatur, neque atteſtationes aliquid concludunt, neque decreta ſunt adeò univoca, ut præſeferre poſſint ſtylum continuatum, & habentem vim conſuetudinis in Capitulo Leodien. eos tanquam foraneos repellendi à jure intereſſendi in Capitulo, qui ſe non repræſentarunt in feſto Sancti Ægidii; unicus enim adeſt actus, in quo expreſsè dicatur, quem propter non factam repræſentationem fuiſſe pro foraneo à Capitulo declaratum, qui quidem unicus actus, cui acquieſcere voluit Capitularis ille, adverſus quem fuit decreta foraneitas, nullimodè eſt potens ad inducendam legitimam præſcriptam conſuetudinem, pro qua præſertim requiruntur frequentia actuum, & temporis lapſus, uti comprobat *Rot.in d.deciſ.*335.*nu.*24.*par.*18.*recent.* Imò quòd ipſi actus fuerint in Judicio canonizati. *Rota in dec.*177.*num.*54.*par.*5. *deciſ.* 264. *num.*4.*par.*6.*& deciſ.*115.*num.*24. *par.* 8. *recent.* & potiſſimum, quòd emanaverint ab eis, qui poteſtatem habebant cōdendi Statuta, præſertìm juris communis correctoria, uti probant *Bart.in conſ.*136.*nu.*2.*par.*1.*Cravett. conſ.*134. *num.*25. benè *Cæphal.conſ.*299.cum aliis apud *Manſ.d.conſult.*254.*nu.*23.24. *& Rota poſt Gilian.ad Stat.Peruſ.deciſ.*99.*num.*49.50.

48. Quæ poteſtas utique deficit in Capitulo, cui non eſt permiſſum aliquid ſtatuere contra jus abſque confirmatione Sedis Apoſtolicæ, uti per *Rot. coram Manzaned.deciſ.*723.*num.*2. & præſertìm ad effectum privandi Canonicum voce eligendi, uti per *de Luc. in diſcurſ.*19. *num.*16. & per *Rot.coram Ottbobon.deciſ.*202.*num.*7.*cum ibi allegat.*

49. Non poteſt enim privatio vocis, quæ derivat à ſuprema Pontificis po-

poteſtate,ab alio inferiori decerni,uti per *Paſſerin. de elect.cap.5. num.3. cum ſeqq.* præcipuè cum Statuto vago, & incerto,à quo numquam cenſetur impoſita privatio vocis, quæ requirit ſpecialem expreſſionem tangentem caſum particularem, ſuper quo controverſia verſatur, ut benè explicat idem *Paſſerin.cap.31.num.16.in fine.*

50. Ceſſat igitur, quòd allegetur obſervantia, quæ cùm non poſſit haberi vim conſuetudinis novæ legis inductivæ, ſi quæ foret, quæ diceretur interpretativa, ex ſupra deductis rationibus, expreſsè foraneitatem quoad non comparentem rejicientibus, manifeſtè detegeretur erronea; undè non eſt apta veritati præjudicare, uti per *Rot.dec.710.num.6.par.6.recent.Manſ. d.conſult. 47.num.32.*

51. Nec ex eo, quod fuerit cum aliquibus ex Capitularibus ità ſervatum,officere poteſt Eminentiſſimo Principali ſibi illatum gravamen vindicare volenti, uti per *Ramon.conſ.9.num.21.cum ibi allegat.*

52. Præſertìm,quia quando actus deteguntur erronei,ſicuti non poſſunt aliquam obſervantiam inducere, ita ceſſat neceſſitas illos adhibendi in futurum, uti poſt *Cavaler.deciſ.595.num.5.Bich.deciſ.203.num.15.* tradit *Rot. in deciſ.516.num.13.par.18.recent.*

53. Prout neque hujuſmodi obſervantiæ robur aliquod præbere poteſt, quòd aliquoties ipſemet Eminentiſſimus Principalis, etiam poſt reportatam exemptionem à reſidendo,ſe ſe in Capitulo præſentaverit; nam quoad ipſum, prout quoad omnes alios etiam Capitulares,intrat regula de facultativis, in quibus nulla cadit obſervantia. *Surd.conſ.127.num.81.Rota deciſ.536.num.4. par.1.recent.* & coram *Penia deciſ.408.num.7.* plenè coram *Ludoviſ.dec.162. num.10.*ibique *Addent.& deciſ.354.num.19.par.19.recent.*

54. Et ad quamlibet obſervantiam excludendam ſufficiunt ipſimet Capitulares actus exadverſo allegati in prima Cauſæ propoſitione. *Summ. ſuper Oppoſitionibus num. 7.* ex quibus habetur, nequaquam fuiſſe Foraneos declaratos, quorum ſimpliciter adnotata legitur non operata repræſentatio;undè ex ipſa non facta expreſſione Foraneitatis adverſus eos, qui non ſe repræſentaverant,excluditur continuatus ſtylus, & inconcuſſa obſervantia eos habendi pro Foraneis, qui ſe non repræſentaverant: ſeù ſaltem inducitur contraria obſervantia, quæ pari modo reſultat ex facto, quàm ex non facto, uti per *Manſ.in conſult.293.num.19.& Rota in deciſ.647. num.3.par.4. diverſor. & deciſ.56.num.6.par.6.recent.*

55. Et ſicuti obſervantia dividi non poteſt, ut probat *de Luc. de Decim. diſc.17.num.6.* ita quandocumque non ſit uniformis,excluditur, quia non eſt apta firmare ſtatum, ut probat idem *de Luc.de Jur.patron.diſc.34.nu.11. cum ibi allegatis.*

56. Eaque ſublata, minùs Sereniſſimo Adverſario prodeſſe poteſt, quòd exadverſo aſſeritur,jus eligendi ab intereſſentia in Divinis derivare; nam uti jam in antecedenti informatione expreſsè probatum adeſt, hoc jus eſt annexum Canoniæ, & eſt in fructu poſſeſſionis, nec dependet à Beneficio, ſed ab Officio, uti ex juribus in mea præterita informatione allegatis §. *percutio enim,& ſeqq.*

57. Et demùm ceſſat quælibet difficultas in Eminentiſſimo Principali, ex indulto per ſan.mem.Clementis X. eidem conceſſo ſuper exemptione ab onere

re reſidendi, quam licèt conentur DD. exadverſo Scribentes reſtringere, ut eximat ſolummodò ab onere reſidendi Præpoſito injuncto, ideòque dicatur ſuffragari non poſſe ad effectum inducendi exemptionem ab onere ſe repræſentandi in Feſto Sancti Ægidii; manifeſtè tamen convincitur ad quemlibet effectum indultum prodeſſe debere.

58. Nam uti ſupra probatum adeſt, Statutum vult comparitionem fieri in feſto S. Ægidii, ad hoc, ut poſſit Capitularis velle ad perſonalem reſidentiam repræſentare, vel ad petendam gratioſam abſentiam, ad effectum ſemetipſum à reſidentia liberandi.

59. Undè reſultat, quòd fruſtranea redderetur exemptio, ſi ea non obſtante, tamen neceſſaria eſſet petitio gratioſæ abſentiæ, & annualis repræſentatio ad effectum habendi liberationem à reſidendo.

60. Quod ne detur inconveniens, ut ampliſſima Pontificia exemptio reddatur inutilis, ſicuti ex indulto derivare exemptionem à reſidentia negari nequit, hinc fateri cogimur, etiam præſtare exemptionem ab onere ſe repræſentandi in feſto S. Ægidii, dum iſta repræſentatio aliò non tendit, quàm ad inducendam reſidentiam, vel realiter explendam, vel per modum fictitium cum gratioſa abſentia, & intret de plano regula, quòd qui vult conſequens exemptionis à reſidentia, admittat antecedens, ſcilicèt quamlibet exemptionem à quocumque onere, quod ſit ad reſidentiam ordinatum.

61. Et quidem ridiculum fuiſſet, quòd Eminentiſſimus Principalis petiiſſet non teneri ad reſidentiam tanquam Præpoſitus, ſed tamen voluiſſet teneri ad reſidendum tanquam Canonicus, quaſi quòd poſſet reduplicare perſonam, quarum una teneretur ad reſidendum, & altera eſſet exempta.

62. Tollitur idcircò foraneitas, eaque ſublata ſufficit, ut irritetur electio, & hìc animadvertendum venit, quòd ex parte Eminentiſſimi Principalis, ad effectum irritandi ſequutam electionem, non deducitur ſolummodò contemptus derivans ex eo, quòd non fuerit vocatus, quod ſufficeret ad caſſandam electionem, uti ex juribus in præcedenti informatione in principio allegatur.

63. Sed deducitur injurioſus contemptus, qui fundatur in poſitiva rejectione de eo facta, mediante Capitulare decreto, vocis privationem præſeferente; undè non eſt, quòd exadverſo dicatur non conſtare de contemptu, quia non adſit poſitiva rejectio; uti probare ſtuduit *Dom. de Jandis* in ejus reſponſione ſuper Contemptu. *num. 5. & ſeqq.* nam in facto conſtat, Eminentiſſimum Principalem poſitivè, & cum injuria fuiſſe rejectum, eoque majori gravamine, quia nec eum admittere voluerunt poſt appellationem interpoſitam, licèt eſſet admittendus, uti expreſsè probat *Paſſerin. cap. 25. num. 602.*

64. Nec appellationi deferre, cui deferendum erat, ut priùs reſolveretur articulus prætenſæ foraneitatis, antequam attentaretur electio, ut probat *Rota in deciſ. 29. coram Ottbob. num. 46. 47.* quam ſequitur *Paſſerin. de elect. cap. 32. num. 6.*

65. Neque ſubſiſtit, quòd non habuerint Capitulares animum contemnendi, quia contrarium reſultat ex operatis; decreverunt enim die 27. Februarii vocis privationem, eademque die litteras Eminentiſſimo Principali tranſmiſerunt cum extractu Statuti ſub *tit. de ſuperſt. ordin. & ſpecialib.* & nihil de decreto ſunt alloquuti, ſicuti nec de eo mentionem habuerunt in ſucceſ-

ceſſivis epiſtolis, nec illud Eminentiſſimo Cardinali notificarunt priùs quàm fuerint expreſsè requiſiti, ut in epiſtola 7. Aprilis habetur: & hujuſmodi ſtudioſa taciturnitas jam operati decreti optimè patefacit,ſumma calliditate proceſſiſſe ad effectum circumveniendi Eminentiſſimum Principalem, eique adimendi modum, quo poſſet tempore habili ſibi inflictam iniuriam vindicare; calliditas enim fit tacendo,& eſt excogitatio ad circumveniendum, cujus exequutio eſt dolus, & fraus, uti poſt *Divum Thomam 2. 2. quæſt.55. art.5.* tradit *Paſſerin.de elect.quæſt.3.num.52.*

66. Eoque magis hujuſmodi injuria puniri debet, quia præfefert contemptum ſtudioſum perſonæ dignitate præſulgentis; undè caſſanda venit electio, ut in propoſito loquuntur *Lotter.de re benefic.lib.1. quæſt. 8. num.75. Barboſ.de jur.Eccleſiaſtico lib.1.cap.4.num.9.10.& vot.Canonic.lib.3.vot. 125. num.20.*

67. Quæ ſemper caſſanda venit quandocumque ſequuta eſt privatio vocis alicujus Capitularis nullo juris ordine ſervato, per ea, quæ tradunt *Caſtellin.* & alii, quorum verba tranſcribit *Barboſ.vot.can.47. lib.2. num.183.in præterita informatione allegat.§.quatenus igitur.*

68. Neque defendi poſſunt Capitulares ex eo quod poſt jam decretam vocis privationem petierint, ut ſibi ſcripto communicarentur rationes præſuppoſitam Foraneitatem excludentes; nam hujuſmodi requiſitio potiùs auget, quàm excludit Capitularium malitiam; Tacendo ſiquidem jam decretam vocis privationem, ac requirendo, ut ſibi ſcripto tranſmitterentur jura, ità voluerunt eludere Eminentiſſimum Principalem, ut tandiù tereret tempus,quod congruum non ſupereſt ad repellendam jam cum decreto inflictam injuriam.

69. Quòd ſi Capitulum voluiſſet in ſinceritate cordis procedere, etiam poſtquam Decretum tandiù Eminentiſſimo Principali tacuerat, ſaltèm debuerat appellationi deferre, & nequaquam iterum notoriè foraneum Eminentiſs. Principalem declarare; ſupererant enim adhuc 20. dies, antequam haberetur terminus ad eligendum per Canones præfixus; undè nullum periculum erat in mora, & commodè poterant, vel coram Reverendiſſimo Nuncio Colonien. vel coram quocunque alio Judice appellationis,ab utraque parte rationes allegari, ut ſuper allegata foraneitate juris ordine ſervato procederetur: indè reſultat, non propter ignorantiam, vel propter probabilem cauſam, ſed propter ſtudioſum deſiderium rejiciendi Eminentiſs. Principalem eidem tacuiſſe decretum, ut nullo modo poſſet eorum intentioni impedimentum præſtare.

70. His itaque firmatis,opus non eſſet alienigenis exceptionibus reſpondere;nam,ut in principio dixi,neceſſe eſt,hujuſmodi articulum ſuper allegata foraneitate determinare, ex quo derivat appellationis juſtificatio, & ſucceſſivè contemptus, & injuria cum privatione vocis inflicta, quibus ſtantibus, annullanda venit electio; Tamen ne credatur nos timere ubi non eſt timor, nunc exadverſo oppoſitis breviſſimè reſpondetur.

71. Prima ſiquidem oppoſitio ſuper præſuppoſita vacatione Canonicatus fundata,Sereniſſimo Adverſario in nihilum prodeſſe poteſt; nam ad hoc ut caſſetur electio, ſufficit eum fuiſſe rejectum, qui erat in poſſeſſione juris eligendi, quandocunque defectus juris non eſſet notorius, prout abſolutè ne-

nequaquam nunc oppoſiti Canonicatus, & ſucceſſivè juris eligendi defectus notorius dici poterat in Eminentiſſimo Principali, qui jam fuerat in antecedenti electione admiſſus; undè in nihilum juvat hujuſmodi exceptio, uti reſpondet *Paſſerin.de Elect.cap.14. num.30.* ibi: *Igitur ſi extraneus quaſi poſſidens jus eligendi,ejiciatur, ipſe aget de poſſeſſorio coram Confirmatore, priuſquam videatur undè ſibi competat eligere, & reſtituetur in poſſeſſione eligendi, & ad ejus inſtantiam caſſabitur electio.*

72. Minus obſtat ſecunda, ſcilicet, quòd non eſſet vocandus, quia extrà Provinciam extaret; nam dum cõmorabatur in Oppido Huyenſi utique erat in Provincia, ſcilicet in Diœceſi Leodien. ideoque vocandus erat, dum illi vocandi ſunt, qui reperiuntur in Provincia, ſcilicet in Diœceſi, uti per *Gloſſ. in cap.cùm inter De elect.& trad.Paſſerin.eod.tit.cap.11. num.35.*

73. Nec obſtat,quòd Oppidum Huyenſe eſſet ſub ditione Regis Chriſtianiſſimi, quia nihilominùs extabat ſub Diœceſi Leodien. undè continebatur ſub nomine Provinciæ Eccleſiæ Leodien. cujus nomen eſt generale,& plures in ſe continet ditiones, unicam Provinciam, ſcilicet unicam Diœceſim, conſtituentes, uti per *Bart. in Extravag.qui ſint rebell. §. Lombardiæ num.7.* & poſt *Ruin.num.22.num.45. lib.1.* conſiderat *Rota in deciſ.69.nu.3.* poſt *Tamburin.de jur.Abbat.*

74. Prætérquamquod fortius aderat in præſenti neceſſitas convocandi Eminentiſſimum Principalem, etiamſi extitiſſet extra Provinciam, ſcilicet extra Diœceſim, ſtante conſuetudine in Leodienſi Eccleſia exiſtente convocandi etiam extra Provinciam commorantes, uti probatur ex Inſtrumento ſequutæ electionis exadverſo dato in *primo Summario ſuper Electione litt. B.* ibi: *Ab eadem nihilominus abſentes,&c. tàm intra hanc Diœceſim, quàm Provinciam Colonien.ac alia ubilibet,&c. vocari poſſent,&c.* quæ quidem conſuetudo eſt omninò attendenda, ut tradit idem *Paſſerin.d.cap.11.num.36.*

75. Omitti etiam poterat tertia,ſcilicet,quòd Eminentiſs.Principalis non eſſet vocandus, quia viduatæ Eccleſiæ notitiam haberet, futuramque electionem peragendam ſciret; tollitur enim objectum ex iiſdemmet auctoritatibus exadverſo allegatis; nam *Abb.in cap. Eccleſia veſtra num. 9. De elect.* tranſit cum diſtinctione, ſcilicet,aut abſens ſciebat Eccleſiæ vacationem,& fuerat vocatus ad terminum præfigendum electioni, & iſto caſu non debet amplius vocari; quia ex quo eſt certioratus non debet iterum certiorari.

76. Aut ignoravit præfixionem termini, & in iſto caſu ſubdiſtinguendum eſt;nam ſi ignorantia procedit ex ejus malitia,quia ſe abſentavit ne convocaretur, & tunc haberi debet pro convocato.

77. Quòd ſi nec fuit vocatus ad præfigendum terminum, debet abſens abſolutè vocari, quantumcunque ſciverit præfixionem termini; quia iſta intimatio fit non ſolùm ad habendam notitiam, ſed requiritur à jure pro juſtitia. ita *Abb.* ut ibi: *Secundo caſu principali quando non fuit vocatus ad terminum præfigendum, dicunt communiter, quòd vocari debet ad Electionem, quantumcunque ſciverit præfixionem termini*: idemque firmat *Bayſ.in direct. election. part.3.cap.10.dum ſub num.2.* expreſsè quæſtionem movet, ut ibi: *quid dicendum erit, ſi Canonici abſentes ſciverint mortem Prælati,puta,quia erant cum eo, quando mortuus eſt, aut aliàs,an eo caſu ſi ſint in loca, undè ſint vocandi, debeant citari, ſeu moneri, &c.* eamque reſolvit ex *Gloſſ. in cap. cùm inter univer-*

verſus in verb.cognoverunt De elect. dicens, *quòd licet eligentes ſciant Eccleſiæ vacationem, eo tamen non obſtante, debent vocari:* quod etiam firmat *Innoc. in cap.Eccleſia cap.2.De elect.& Bald.in d.cap.cùm inter univerſas num.3.* ibi: *Quæro an ſcientes ſint citandi? reſpondeo, quòd ſic, quia ſimplex ſcientia non arctat, ſed citatio arctat, &c.*

78. Contraria verò procedunt, quando Capitularis poſt ei notificatam termini præfixionem, voluntariè ſit abſens: nec procedunt, quando quis nullo modo fuit vocatus, uti poſt alios rem explicat *Bart.d.cap.10.num.4.* dicens: *Si verò ſciunt diem aſſignationis pro Electione facienda, non eſſent amplius vocandi, ſi ſe abſentarent, quia ex quo ſciunt diem aſſignationis, certiorari non debent, &c.*

79. Et quidquam contrarium non probant *Innocent.in cap.Vintonien. De elect.num.6.* & *Paſſerin.cap.11. num.73.* quorum uterque noſtram cauſam defendit, dum admittunt, nequaquam licere privata authoritate vocalem ab Electione repellere, & eum de facto ſua poſſeſſione privare: & ſolummodo dicunt tunc non conſtare de contemptu, quando Capitulum utens jure ſuo modo debito, & legali, Capitularem ab electione repulit, quod nec per nos impugnatur.

80. Demum omitti poterat adeò exadverſo inculcata exceptio, quòd commodè, & ſine periculo Eminentiſs. Cardinalis vocari non potuiſſet, ad quod probandum aſſumptum, mirum eſt, quòd exadverſo tot cumulentur nugæ, prout eſt, aſſerere Eminentiſſimum Principalem fuiſſe Exercituum ductorem, Belli, & Pacis Plenipotentiarium, & quòd ad inſtar hoſtis ſe gereretur, dum per Tubicines litteras Capitulo tranſmittebat, undè poſſet, etiam cum mixtura laicæ poteſtatis, ex ejus convocatione impreſſio timeri.

81. Retorquentur enim adversùs Eminentiſſimum Principalem, ac in pravum ſenſum deducuntur expreſſiones illæ, quas ipſe Capitulo in ſignum amoris, & obſequiis inſinuavit, ut quantum in eo erat, publicæ libertati conſuleret; legantur itaque, prout decet, ejuſdem litteræ, & exindè videbitur quanta, ac etiam intollerabili injuria afficiatur amor, quo continuò Capitulum eſt proſecutus, dum volunt Adverſarii, ut Caput in membra irrueret, & ut hoſtis accederet, qui tanquam frater ad Capitularium Conſortium admitti pluſquam humilitèr petierat.

82. Hanc itaque exceptionem non erat auſum allegare Capitulum, videns, nullam ab eo potuiſſe operari impreſſionem, qui ſemetipſum ad Urbem accedere exhibuerat ſolo famulatu ſtipatum, ut Electioni inſerviret, non ut in Eccleſiam, & in ſibi Confratres arma portaret: neque curavit ejus perſonam à Civitate excludere, ſed ejus ſuffragium ab Electione rejicere, ideoque Capitulum ſatis apertè ſe declaravit in Epiſtola 7. Aprilis conſcripta, *inutilem omninò*, & fruſtraneam eſſe Salvi-conductus petitionem, quia etiamſi commodè accedere ad Urbem potuiſſet, nihilominùs tanquam Foraneus non poterat Electioni intereſſe, ut ibi: *Undè, cùm juxtà eas Excellentiſſima Celſitudo Veſtra in Electione futura ſuffragium dicere non poſſit, nec ad illam ſit convocanda, inutilem omninò, & fruſtraneam ſalvi, quam exponit Conductus tranſmiſſionem, arbitramur, &c.*

83. Et profectò miramur, quòd velint DD. exadverſo Scribentes obſequium Eminentiſſimi Principalis deducere, quòd ei Capitulum hanc non al-

legaverit exceptionem, nunc ex motivo Belli deſumptam, quando adeò enixam Capituli declarationem habemus, qua apertiſſimè faſſus eſt, non excludere perſonam, ſed votum, & nequaquam ex ejus adventu impreſsionem timere, ſed nolle ex ejus convocatione ſtatutarias diſpoſitiones infringere.

84. Ad quam veritatem comprobandam potiſsimum deſervit Epiſtola Reverendiſs. apud Cœſaream Majeſtatem Nuncii prædicto Eminentiſs. Principali die 31. Martii conſcripta, & in qua expreſse dicitur, quòd ſi aliud non extitiſſet impedimentum, ex quo impediretur ejus convocatio, quàm quod ſuggerere poterat motivum belli, utique fuiſſet convocatus, ut ibi: *Dalla riſpoſta datami in appreſſo da Sua Eccellenza, devo arguire, che Sua Ma. ſtà ſia per degnarſi inviare il Paſſa-porto deſiderato da V.E. al Signor Principe d' Heiderſein, acciocchè lo traſmetta a V.E. quando però il ſuo ingreſſo in Liegi venga ora unicamente impedito dal motivo d' eſſere V.E. Franceſi, e c.* quid innuunt hujuſmodi poſtrema verba, *quando però, e c.* niſi quòd jam innoteſcerit, non ex motivo belli, ſed ex motivo foraneitatis fuiſſe Eminentiſſimo Principali denegatam convocationem; ideòque in nihilo ei deſervire poſſe Salvos-conductus, prout jam Capitulum magis apertè declaraverat?

85. Tamen dicant quidquid velint Adverſarii, nunquam tale poterunt evitare dilemma: aut prætenditur, quòd timeretur ex convocatione impreſſio, & abuſus laicæ poteſtatis, quia poſſet Eminentiſſimus Principalis ejus intruſionem procurare, & hoc certe non ſine ſumma injuria ejuſdem qualitatis, & Perſonæ audiri poteſt: nec eſt credendum, quòd Eminentiſſimorum PP. Judicio, ad quos nunc ſpectat videre, an eſſet nec-ne convocandus, quia timeretur impreſſio, ad tradita per *Paſſerin. de elect. cap.* 11. *num.* 34. ſit hujuſmodi Partis aſſertio canonizanda; neminem latent enim zelantiſſimi Principis Eccleſiaſtici qualitates, quibus non bellorum ductor, ſed ſummæ pietatis cultor omnibus demonſtratur.

86. Sicuti nec dubitari poteſt, eum voluiſſe fidem Capitulo datam frangere, quando promiſerat in ejus Epiſtola 23. Februarii conſcripta, non cataphractus milite, ſed eius ſolo famulatu ad Urbem accedere, ut ibi: *Non accedo apud vos, Confratres chariſſimi, cataphractus, aut militari præſidio ſuffultus: abſit à me, ut ſi illud mihi liceret, ea media adhiberem: venio ſtipatus ſolo famulatu, & atteſtor vobis, & polliceor, mecum nullum alium exterum admiſſurum, &c.* Eſſet enim hoc præſumere doloſum animum in Eccleſiaſtico Principe, quando nec dolus in qualibet vulgari perſona præſumitur.

87. Abſit igitur, quòd valeant Poſteri tale quid ſuſpicare, & hujus Sacri Tribunalis ſententia ſuſpicionis fundamentum augere.

88. Aut verò prætenditur, eum non fuiſſe vocandum, quia commodè, & ſine periculo ipſe non valeret Leodium accedere: & in iſto caſu eſt inevitabilis per Canoniſtas communiter recepta concluſio, quòd ſi timor eſt perſonalis propter inimicitias, quas habent abſentes particularitèr, ita quòd non audeant venire, tunc citari debeant, ut mittant Procuratores, & unum pro cunctis allegare ſufficiat, *Bayſium De Elect. par.* 3. *cap.* 9. *num.* 9. & *par.* 12. *nu.* 2. dicens: *Ubi autem metus non eſſet realis, ſed perſonalis propter inimicitias, quas habent abſentes particulariter, & tunc non tenentur præſentes exire; ſed ſi abſentes eo caſu timent venire, conſtituant Procuratores, &c.*

89. Vident vim hujus Concluſionis Sereniſſimi Electi jura patrocinantes, ideòque aſſerere non dubitant, Eminentiſs. Principalem, nec Procurato-

rem

rem habere potuiſſe; ſed quanti valeat eorumdem aſſertio, Judicio Eminentiſſimorum Patrum ponderandum relinquitur; ſciant tamen, quòd Adverſarii negare nequeunt, Dom. Comitem de Poytiers ſe conſtituiſſe Procuratorem Eminentiſſimi Cardinalis Furſtembergici, cujus tamen votum Capitulum pariter ſub foraneitatis prætextu rejecit: ſciant etiam, Eminentiſſimum Principalem ejus habere Vicarium in Urbe Leodii pro exercitio juriſdictionis ſibi uti Præpoſito competentis, quam ejus nomine continuò, urgente bello, & non obſtante Imperiali Banno, exercere non recuſavit, & iſte eſt Canonicus Leodien. cui nulli dubium eſt, quin committere potuiſſet munus præſtandi vocem in Capitulo procuratorio nomine: & inde videant, an ſuſtineri poſſet, quòd etiamſi fuiſſet vocatus, non potuiſſet Procuratorem invenire.

90. Multa quidem deducuntur exadverſo, quæ ſolummodò oſtendunt non habere Adverſarios ubi certum conſtituant fundamentum, dum vident foraneitatem deficere: eaque ſublata, agnoſcunt, ſatis conſtare de contemptu, appellationem juſtificari, ideoque electionem eſſe caſſandam.

GABRIELIS

GABRIELIS PHILIPPUCCII

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO SECUNDA

Super contemptu.

1. Satis fundata videtur intentio Eminentiſſimi Dom. Cardinalis Bullionii circà ejus contemptum ex deductis in præterita Informatione Juris, pro cujus reaſſumptione ſupplicatur:dum in præſenti ad effugiendum tædium nihil repetam, ſed tantummodò conabor illa vindicare ab objectis Partis adverſæ,allatis in reſponſionibus traditis in die ultimæ Propoſitionis.

2. Hujuſmodi itaque contemptus evitari nequit ob prætenſam foraneitatem inductam à Statutis, tum quia diverſitas, ac contrarietas inter Statuta abundè demonſtratur per Dominum cauſæ Patronum, etiam quoad noviter tranſmiſſa, & reperta in actis Viſitationis R. P. D. Sanfelicii, adeout hodiè quoque remaneat eadem incertitudo, quænam ex illis ſint attendenda.

3. Tum quia quando eſſent attendenda ultimo loco collationata, rejectis omnibus aliis, clarè patet, illa diſponere, & foraneitatem inducere dumtaxat in caſu, in quo quis ultroneè ſe offert ad faciendam reſidentiam pro conſequendis fructibus, aliiſque emolumentis: nec ullum verbum, ac mentio ſit de altero caſu, in quo quis non curando dd. fructuum aſſecutionem, non ſe præſentavit, nec ſe obtulit ad reſidendum, ut latè oſtendi in præterita.

4. Quapropter iſte ſecundus caſus habetur pro omiſſo, dum Statuta tantum diſponunt, quantum loquuntur, neque ullatenùs extenduntur ad caſus litteraliter in illis non expreſſos. *Rom.conſ.*23.*num.*1.*Ancbaran.conſ.*193. *num.*1.*Rot.in recent.deciſ.*463.*num.*4.*in fine par.*1.& *deciſ.*703.*num.*2. *par.*2. *Cardinalis Cerr.deciſ.*905.*num.*21.& 22. ac proindè, tanquam caſus omiſſus, remanet decidendus ſub diſpoſitione juris. *Coccin. dec.* 111.*nu.*15.*Cardinalis Cerr.d.deciſ.*905.*num.* 21.

5. De jure autem nullibi reperitur cautum, quòd quis ob non reſidentiam privetur voce activa: & cùm jus votandi ſit annexum Canoniæ, ſicuti iſtius privatio induci non poteſt, niſi per habentem plenitudinem poteſtatis, nempè per Papam, ità nec etiam dicti juris votandi: & Statutum ab inferiore conditum ſuper hoc non reputatur validum, ut probavi in præterita.

6. Quinimò de jure hujuſmodi privatio ob non reſidentiam, non inducitur ipſo facto. *cap.ex parte* 8. *De Cleric.non reſ.* & ibi *Panormitan. num.* 2. *Calderin.*& *Imol.in cap.ex ſuæ* 11.*uterque num.*2.*eodem tit. Hojed. de incompatibilitat.par.*1.*cap.*18.*num.*4. & 5. ſed neceſſaria eſt nedum una citatio perſonalis, vel quatenùs hæc fieri non poſſit,trina per edictum, verùm etiam poſt lapſum ſex ſaltèm menſium requiritur ſententia declaratoria privationis. *d.*

cap.

cap.ex parte 8.*& cap.ex ſuæ* 11. *De Cleric.non reſiden. & vigore Sac.Concilii Tridentini ſeſſ.24.cap.12.De reform.*poſt dd.monitiones pro primo anno non reſidentiæ prius deveniendum eſt ad ſubtractionem medietatis fructuum, & creſcente contumacia in alio anno, privatio fit omnium fructuum, & deindè proceditur ad privationem Canoniæ, & omnium illi annexorum. *Barboſ. in collect.ad dict. Concil.num.69.& 70.& de offic.& poteſt.Epiſc.part.3.alleg.53. num.146.& ſeq.& de Canon.& dignitat.cap.20.num.15. & ſeqq.* Iſtarumque pœnarum gradus eſſe ad unguem ſervandos, aliàs nulla erit quælibet ſententia, & diſpoſitio inducens dictam privationem, ut præter *Barboſ.in loc. proximè citatis*, & alios ab eo relatos,docet *Rota coram Seraphin.decìſ.23.n.1.& 2. & deciſ.1346.num.2.& ſeqq.& coram Mantic.deciſ.67. num.4. & in recent. deciſ.117.num.1.& ſeqq.& num.6.cum ſeqq.& deciſ.312. à num.1. & per tot. par.15. Hæcque Juris, & Sac. Concilii* ſanctio obſervanda eſt etiam quando quis per decennium, & ultrà non reſediſſet,ad *Textum litteralem in d.cap. ex parte* 8.*De Cleric.non reſiden.*& ibi *Panormitan. num.3.* & alii communitèr, *Rot.in recent.deciſ.506.num.1.par.14.*

7. Firmiter ergò ſtante, quòd iſte ſit caſus omiſſus à Statutis, neque ille ſub expreſſis comprehendi valet ex eadem, vel majori ratione: quod probat communiter recepta doctrina *Bart.in l.omnes populi 9.ſub num.60.ff. de juſt. & jur.* ubi quærens, an ſtatutum extendatur ad caſus in eis non expreſſos, magiſtraliter diſtinguit per infraſcripta verba: *Aut quæris de aliis caſibus, in quibus eſt eadem ratio:& tunc, aut caſus illi per jus commune non ſunt deciſi, & ad illos extenditur: Aut ſunt deciſi per jus commune, & tunc Statutum ad illos non extenditur, ſed juris communis diſpoſitioni relinquitur: & ità loquuntur omnia jura. Maſcard.de generic.ſtatut.interpret.num.236.& ſequent.* Hocque procedit quamvis major ratio militaret in caſu omiſſo, quam in expreſſo. idem *Bart.in l.Cæſar 15.in 2.repetit.num.25.ff. de public. & vectigal. Honded.conſ.1.num.23.& conſ.8.num.15.& 16.volum.1.& conſ.12. num. 18. volum.2.Giurb.ad conſuetud.Meſſan.cap.10.Gloſſ.5.num.9.in fin.Barboſ. axiomat.38.num.2.in fine,Chriſtophor.med.ad deciſ.ſen.examinat.24. num.4.& 5. Cirocch.diſcept.38.num.9.Torr.de ſucceſſ.in primogenitur. Ital. part.2. qu.45. num.37.& 38.*

8. Omiſſionem hujus caſus,ut evitet Pars adverſa, prætendit demonſtrare illum fuiſſe comprehenſum in illo Statuti Capitulo, in quo dicitur: *Item qui in dicto Feſto Sancti Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exibuerit, vel præſentaverit,reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes,& unam diem continuò, vel diſcontinuò,alioquin pro foraneo habeatur, &c.* interpretando, illam dictionem *alioquin* converti in orationem negativam, & referri ad omnia ſuperiùs adducta, & ſic importare,ac ſi in Statuto dictum fuiſſet: quicumque in feſto S. Ægidii ſe non præſentaverit, vel ſi ſe præſentaverit, & non reſederit, eo anno pro Foraneo habeatur,ex *Bart.in l.1.nu.11.ff. de condit. & demonſtr.*

9. At prorſus extraneam à vero ſenſu eſſe hanc interpretationem, patefacit ipſamet natura dictæ dictionis *alioquin*, quæ eſt adverſativa, & ponitur adverſativè ad præcedentia, ut relato *Bart. in d.l.1.* & aliis, firmat *Dec. in l. mutuum 2.in 1.lectur. num.4. & in 2.lectur. num.7.ff.ſi cert. petat. Cacheran. ex adverſo allegat.deciſ.145.num.5.Barboſ. diction.17. num.2.* Omnes verò dictiones adverſativæ adverſantur retento themate, & terminis caſus præcedentis,

tis,

tis, repetuntque omnia præcedentia, præter ea, in quibus adverſantur. ità *Bart.in l.mariti 29.§.cùm autem num.1.ff.ad leg.Jul. de audit. Bald.in l.omnes populi 9.num.72.ff.de juſtit.& jur.* benè *Comm.conſ.233.num.3. volum.4.* latè exornans *Soccin.jun.conſ.83.à num.7.uſque ad 17.volum.1.Natt.conſ.570.nu. 8.& ſeqq.Gratian.diſcept.539.num.25.Cyriac.controv.400.num.8. & plur. ſequent.Manſ.conſult.266.num.16.& ſeqq.Palm.allegat.121.num.9.Rota coram Buratt.deciſ.215.num.2.& coram Merlin.deciſ.669.num.10.Peutinger.deciſ. 37.num.6. & deciſ.65. num.4. & 5.* Aliàs enim, ſi caſus ſequens non loqueretur in terminis præcedentis, adverſativa non ſtaret propriè, nec merè adverſaretur,ſed induceret caſum omninò novum,& diverſum ab antecedenti,contra propriam naturam, ut benè advertit poſt *Salycet.Corn. d.conſult.233.ſub num.3.verſ.non enim ſtat,volum.4.*quem,aliis relatis,ſequitur *Manſ. d.conſult. 266. num. 16.* Et conſequenter dicta dictio *alioquin*, dicitur adverſari ſolummodò qualitati reſidentiæ, ita ut germana intelligentia ſit, quòd retento ſemper themate ſpontaneæ præſentationis, qui ſe præſentaverit ad reſidendum, debeat reſidere per ſex menſes,& unum diem, & ſi non reſederit,pro Foraneo habeatur: & confirmatur exadverſo citata *Clement. attendentes 2. §. de Statut. Monach.*ubi Summus Pontifex determinat, Abbatiſſas, quæ ſunt ſolitæ benedici, ſuſcipere debere benedictionem intrà annum, alioquin à jure ſuo prorſus ſe noverint cecidiſſe: & tamen Doctores communiter tenent, illam dictionem *alioquin*, referri ad qualitatem benedictionis, ideſt, ſi non fecerint ſe benedicere, & non ad alias, inter quos *Vitalin.* ibidem *in princ. Zabarell. num.6.Joan.Andr.num.4.*

10. Præterea, ſi vera eſſet interpretatio Partis, quòd negativa importata per dictam dictionem ſtaret negativè quoad omnia præcedentia, ac ſi dictum eſſet, qui ſe non præſentaverit, habeatur pro Foraneo: ſequeretur maximum abſurdum, nempè quòd in caſu ſpontaneæ præſentationis, & non ſequutæ reſidentiæ, nulla eſſet inducta foraneitas, quod de directo contraìret expreſſæ, & litterali menti ſtatuentium; quod abſurdum, benè exadverſo agnitum; ut evitaretur, deſcenditur ad aliam magis, magiſque extraneam interpretationem, videlicèt, quòd per dictam dictionem, *alioquin*, convertitur Oratio in negativam, & contrariam præcedenti diſpoſitioni, ac ſi à principio dictum fuiſſet: quicumque in Feſto S. Ægidii non ſe præſentaverit, vel ſi ſe præſentaverit, & non reſederit, eo anno pro Foraneo habeatur: ac proindè in ſubſtantia prætenditur, quòd dicta negativa dictio, *alioquin*, partìm aſſumat naturam affirmativæ,& partìm retineat naturam negativæ, quod nullus ex Doctoribus exadverſo allegatis audet aſſerere, & adverſetur nedum citatæ exadverſo doctrinæ *Bart.ex l.1.nu.11.ff.de condit.& demonſtrat.* quia dum vult illam eſſe negativam,intelligit, in omnibus eſſe talem; verùm etiam axiomati in jure ſatis claro, quòd ex verbis negativis,inventis ad negandum nulla poteſt ſumi argumentatio affirmativa; quia verba negativa ſemper negant, & nunquam affirmant, ut inducendo plures *textus* firmat *Bald. in l.2. num.3.in fin. C.de condit.inſert.* & alios, addens *Curt.ſen.conſ.16.nu.15. Altograd.ſen. conſ. 20.num.15.& 16.vol.2.Barboſ.in loc.commun.argument. loc.27. num.25. Caccheran.dec.79.num.28.* cum aliis per *Rot.in rec.deciſ.69.num.11.par.18.*

11. Nec relevat,quòd aliàs melioris conditionis eſſet ille, qui majorem contumaciam, & inobedientiam commiſit in ſe non repræſentando, quàm

qui

Digitized by Google

qui ſe repræſentavit, & non reſedit, quod dicitur abſurdum; quia ponderatio ceſſat ex pluribus: Et primò quia nullibi reperitur diſpoſitum in Statutis, quòd quis teneatur ad ſe præſentandum, aliàs pro Foraneo habeatur, & ſic in eo nulla poteſt ponderari inobedientia.

12. Secundò, quia majorem rationem habuerunt ſtatuentes declarando Foraneum illum, qui ſe præſentando ad reſidendum, & non reſedit, quàm qui non ſe præſentavit, quia qui ſe præſentabat ad reſidendum, percipiebat fructus Canonicatus, undè non reſidendo rationabilitèr declaratur Foraneus; fidem enim datam ad reſidendum fallendo graviùs peccat, quàm qui ad illam non ſe adſtrinxit, nec fructus percepit. *l.*1.*Cod.de condit.pecun. Menoch.conſ.* 156.*num.*22.*Roland.conſ.*58.*num.*37.*vol.*3.*Roman.conſ.*52. *num.*1. Eoque fortiùs, quia non præciſa, ſed cauſativa tantùm reſidentia pro conſequendis fructibus inducta fuit per Statutum, ex allegatis in præcedenti.

13. Tertiò, quia abſurdum non eſt, ſi in hoc caſu omiſſo per Statutum, non habet locum pœna in caſu diverſo, & contrario per ipſum adjecta, dum ille remanet ſubjectus diſpoſitioni juris, & pœnis ab eo, & Sac.Concil. Trident.indictis, ut ſuperiùs probavi.

14. Quartò demum, quia in pœnalibus non fit extenſio de uno caſu ad alium, ut firmavi in dicta præcedenti informatione: neque ex identitate, vel majoritate rationis, ut in præſenti.

15. Neque ad hunc effectum aliquid proficit prætenſa obſervantia, ſive conſideretur uti interpretativa, ſive uti præſcriptiva; Siquidem accipi nequit, ut interpretativa, quia Statuta dubietatem aliquam non continent, dum clarè loquuntur de ſpontaneè ſe exhiberi ad reſidendum pro acquiſitione fructuum, nec aliquid in eis diſponitur de eo, qui ſe ſimplicitèr non exhibuit in Feſto S.Ægidii; Interpretativa verò obſervantia non habet locum, niſi circà verba dubia, ex congeſtis per *Surd.conſ.*426.*num.*47. *Caren. reſol.*68.*num.*8. fusè *Rub.de valid.legal.cap.*43.*à num.*43.*ad* 72.*Rota in recent.deciſ.*319.*n.*2. *& ſeqq.par.*6.*& deciſ.*244.*num.*46.*&* 47.*par.*8. Ulteriùs actus, qui afferuntur ad illius juſtificationem deberent concernere caſum præciſum cum omnibus ſuis qualitatibus, aliàs nihil operantur. *Priol.deciſ.*379. *num.*23. *& in recent. dec.*273.*num.*9.*&* 10.*par.*14. deberent eſſe uniformes, non autem difformes, ut infra apparebit. *Buratt.deciſ.*472.*num.*7. *in fine, Manzaned.dec.*553.*n.*11. *& in recent.deciſ.*94.*num.*26.*par.*12. eſſeque proximi temporis promulgationis dictorum Statutorum, non autem remoti, ut hic poſt decurſum ferè centum annorum. fa.mem. Alex.VIII. *deciſ.*26.*num.*14.*&* 15.*Celſ.deciſ.*201.*n.*4.

16. Si verò accipienda eſſet uti præſcriptiva, illa non probatur ex ſcripturis, ea ratione, quia iſtæ non coarctant negativam actus contrarii. *Rot. in recent.dec.*152.*n.*19.*p.*5. ſa.me. Alexandri VIII. *dec.*53.*nu.*17. *& ſeq.* & multò minùs ex atteſtationibus extrajudicialibus lite pendente procuratis. *Rot. in recent.dec.*389.*num.*18.*&* 19.*p.*19. vel ſaltèm juſtificanda eſſet cum omnibus neceſſariis requiſitis, nempè de viſu actus, cujus conſuetudo allegatur, de ejuſdem actus frequentia, ac de temporis diuturnitate. *Add. ad Buratt. deciſ.* 497.*num.*11.*& in recent.deciſ.*278.*num.*3.*&* 4.*p.*12. *& deciſ.*53. *num.*5. *& dec.*335.*nu.* . . *p.*18.*Card.Cerr.dec.*913.*n.*12. & ulteriùs concludendum eſſet, præfatos actus fuiſſe geſtos animo inducendi conſuetudinem. *Celſ. deciſ.* 393.*num.*12.*& in rec.d.dec.*53.*num.*6.*& d.dec.*335.*num.*5.*p.*18.

17. Hæc autem omnia deficiunt in præſenti hypotheſi; nam de duobus primis tantùm abeſt, ut conſtet, ut potiùs oſtendatur contrarium, [quoniam unicus] tantùm actus, in ordine primus, affertur ſuper foraneitate ob non repræſentationem in feſto S.Ægidii, qui non ſufficit. *Peutinger.dec.* 207. *num.*7.*Cardinalis Cerr.dec.*551.*num.*21. aliqui verò actus loquuntur de foraneitate incurſa ex aliis cauſis, & regula eſt indubitata, quòd actus, qui afferuntur ad conſuetudinem probandam percutere debent caſum præciſum, de quo agitur, cum omnibus ſuis qualitatibus, & circumſtantiis. *Cardin. Cerr. dec.*380.*num.*44.*& deciſ.*551.*num.*6.*& ſeq.& in recent.dec.*278.*num.*5. *verſ. deficiunt cum ſeqq.& verſ.hinc non relevat,part.*12.*& deciſ.*96.*nu.*21.*par.*17. *& deciſ.*544.*num.*19.& ſanè mirabile videtur, quòd per ſeculum, & ultrà conditi Statuti, non fuerint allati, niſi quatuor actus difformes, quod præbet maximam veriſimilitudinem, quòd ſi nobis permiſſum eſſet percurrere Libros Capitulares, & ad hunc effectum concederetur compulſoria, utique plures, ac plures in contrarium inveniri poſſent.

18. Reliqui autem actus uniri non poſſunt ad hunc effectum, cùm loquantur de foraneitate incurſa ex aliis cauſis; Nam ſimplicitèr his verbis concepti leguntur: *ex quo anno præterito foraneus extitit, &c. vel qui fuerat anno præterito foraneus*, & ſic poſſunt intelligi de ea foraneitate, vel ex quo iſti ſe præſentarunt in feſto Sancti Ægidii ad reſidendum, & poſteà non reſederunt juxtà modum præſcriptum in Statutis, vel ex quo ad Subdiaconatus Ordinem non fuerint anno præterito promoti, vel ex aliis cauſis, ex quibus per eadem Statuta indicitur foraneitas, & ſic remanent actus æquivoci, non ſufficientes ad probandam conſuetudinem, & ſat eſt ſola poſſibilitas in contrarium, ut non loquantur in caſu præciſo, ut ex pluribus auctoritatibus, & deciſionibus firmavit *Rota in recent.deciſ.*544.*nu.*16.*& ſeqq.part.*18. Accedente altera concluſione, quòd ex actibus difformibus conſuetudo non inducitur, ſed excluditur. *Rot.in recent.dec.*558.*num.*25.*par.*18.

19. Deficit etiam diuturnitas temporis, quæ quadragenaria deberet eſſe. *Garz.de benef.par.*5.*cap.*4.*num.*89.*cum ſeqq. Lotter.de re benef. lib.*2. *qu.*21. *num.*46.*Rot.in recent.deciſ.*197. *num.*4.*part.*1.*& deciſ.*278.*num.*5. *&* 6.*verſ. deficit etiam p.* 12. præcipuè cùm talis conſuetudo privandi voce activa ob ſolam non reſidentiam eſſet contrà jus, ut probavi in præterita, & ſic eò magis requireretur curſus 40. annorum. *Buratt.deciſ.*19. *num.*7. *& deciſ.*550. *num.*4.*& deciſ.* 800. *num.*9. & tamen iſti actus, quando eſſent uniendi, non complent dictum tempus, cùm incipiant anno 1652.& finiantur anno 1673.

20. Demum deficit actus extitiſſe factos animo inducendi conſuetudinem, quod non præſumitur, ſed articulari, & probari debere per allegantem conſuetudinem, firmant *Burſatt.conſ.*360.*ſub num.*58.*&* 63.*Saminiat.controverſ.*14.*num.*78.*&* 79.*cum aliis per Gob.de promiſs.feud.alienat.qu.*1.*nu.*51.

21. Excluſa ex his prætenſa foraneitate vigore Statutorum, & obſervantiæ, contemptus excuſari nequit ex eo, quòd tempore vacationis Eminentiſſimus Dominus Cardinalis degeret extrà Provinciam, & notitiam haberet de vacatione, & præfixione diei ad eligendum; Quia ad effectum ex juſtitia vocandi abſentem, non eſt curandum, an quis ſit intrà, vel extrà Provinciam, quia cùm non ſit à jure definitum, à quo loco ſit abſens vocandus, ſed ſolùm reſpiciendum ſit, an commodè vocari poſſit, & ille locus pro commodo habendus

dus

dus eſt, à quo poteſt abſens intrà ſtatutum electionis tempus convenire, indè fit, ut abſens ubicumque, ſive intrà, ſive extrà Provinciam exiſtat, ſit vocandus, ut benè ratioçinantur *Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub. 9. nu. 8. Paſſerin. eodem tract. cap. 11. nu. 8.* & alii relati egregiè per *Rot. coram Ninot. deciſ. 82. à num. 4. cum ſeqq.* & ſignantèr *num. 8. & 9. & in recent. deciſ. 371. à nu. 9. cum ſeqq.* ubi locus electionis diſtabat per 200. milliaria à loco, ubi degebat abſens, & in illius confirmatoria *deciſ. 374. num. 11. & 12. par. 14.* Et abſque hæſitatione in præſenti, quia Eminentiſſimus Dominus Cardinalis longè ante tempus ſtatutæ electionis jam advenerat ad Civitatem Huyenſem, poſitam inter Provinciam, & Diœceſim, & diſtantem à Civitate Leodii per 14. aut 15. milliaria, à quo loco ſaltèm potuiſſet in tempore conſtituere Procuratorem, ac proindè ſemper vocandus erat. *Rot. in d. deciſ. 371. num. 4. & ſeqq. & num. 9. cum ſeqq. & deciſ. 374. num. 9. junct. anteced. & ſubſeq. par. 14. & coram Ninot. d. deciſ. 82. ſub num. 9. cum ſeqq.*

22. Minùs refragatur notitia vacationis, & diei præfixæ electioni, quia adhuc abſens, qui eſt in loco, à quo vocari poſſet, vocandus eſſet, aliàs dicitur contemptus, quotiès ad præfixionem diei non fuit vocatus. ita *gloſſ. in cap. cùm inter univerſas 18. in verbo cognoverunt in fine De election.* & ibi *Compoſtellan. in princ.* ibi: *Sed quid ſi non ſolùm ſcivit Eccleſiam vacare, ſed etiam ſcivit terminum aſſignatum electioni faciendæ? reſpondeo nihilominùs eſt vocandus, niſi aſſignationi termini præſens fuiſſet. Hoſtien. 12. Joan. Andr. col. 2. verſ. immò ſecundùm Compoſtellanum, & ſi diem ſcirent vocari debuerunt, niſi aſſignationi interfuiſſent, vel ad ſtatuendum vocati fuiſſent, & in cap. Eccleſia veſtra 57. eodem tit. col. 4. in fine.* ibi: *Per hoc videtur, quòd Canonicus, qui ſcit aſſignationem diei, non tamen interfuit, nec fuit ad illam aſſignandum vocatus, debet vocari; ſecùs ſi interfuit, vel fuit vocatus. Anchar. num. 5.* & idem per eadem ferè verba, etiam ſi abſens ſciat diem electionis, ſi ad illam aſſignandam non fuit vocatus, tenent *Butr. ibidem num. 17. verſ. dic,* quòd aut fuit citatus ſimul ad diem aſſignandam, *& verſ. quandoque non fuit vocatus,* nec ad electionem, nec ad diem aſſignandam. *Abb. num. 10. Bellamer. num. 12.* & meliùs *in d. cap. Eccleſia veſtra 57. ſub num. 6. verſ. quòd autem primò dictum eſt, Boich. num. 7. Zabarell. num. 6.* & generalitèr quòd ſciens etiam ſit vocandus, quia vocatio non ſit, ut certioretur, ſed ut non poſſit dare de contemptu. *Renden. in prompt. recept. ſentent. tom. 1. tit. 35. num. 30. Barboſ. in d. cap. cùm inter univerſas 18. num. 8. De elect. & de jur. Eccleſ. univerſ. lib. 1. cap. 19. nu. 116.*

23. Pariterque non ſubſiſtit, quòd ad contemptum requiritur probatio doli, & animi injuriandi, quia Sac. Canones contemptum dicunt illum, qui ſimplicitèr non fuit vocatus, ſi aliàs erat vocandus, & exiſtebat in loco, in quo id commodè fieri poſſet: & Doctores, qui exadverſo allegantur, loquuntur extra caſum, quoniam *Sanctus Thomas, & Cajetanus,* quærunt an contemptores Legis peccent mortalitèr, vel venialitèr, ut eos referendo advertit *Caſtellin. de elect. in prælud. §. 11. per tot. num. 24. & 25. Felin.* verò, an ſint digni pœna corporali. *Paſſerin. & alii* de eo, qui non erat vocandus, & legali, ac debito modo fuit expulſus ab electione; At quatenùs pro cauſando contemptu requireretur dolus, & animus injuriandi, utrumque concurreret in præſenti; nam eo ipſo quòd abſens erat vocandus, & non fuit vocatus, dicitur contra ipſum commiſſa injuſtitia, & injuria, ut litteralitèr probant re-

relati per me in præcedenti Informatione.

24. Radicitùs denique corruit objectum Foraneitatis, tàm ex qualitate Cardinalitiæ Dignitatis, quàm ex Indulto conceſſo per ſan. mem. Clementem X. ut pluribus argumentis confirmavi in dicta informatione, quibus addi poteſt, quòd licèt in dicto Indulto Eminentiſſimus Dom. Bullionius diſpenſetur à reſidentia, & ab omnibus contentis in Statutis Eccleſiæ Leodien. occaſione obtentæ Præpoſituræ: Nihilominùs apertiſſimè apparet, Summum Pontificem voluiſſe diſpenſationem eidem largiri,etiam pro Canonicatu,tamquam Canonico, dum Indultum eſt inſcriptum: *Nos tibi Canonico Eccleſiæ Leodien. &c. Rota in Romana penſionis* 29. *Februarii* 1692. §. *animadverſum pariter fuit,coram R. P. D. Caprara*, & in illius confirmatoria *Romana, ſeu Nonantulana penſionis* 29.*Aprilis* 1693. *coram Reverendiſſimo D.Emerix* §.*prout nec extenſio in fine, ut in particulis*, in quibus firmatur,quòd cùm Indultum fuerit inſcriptum: *Hieronymo Matthæjo Duci Jovis*,ex hac inſcriptione cenſendum eſt, Papam cogitaſſe de implicantia exercitii Juriſdictionis Baronalis cum penſionis retentione, & voluiſſe implicitè diſpenſare: idemque præter auctoritates in eis allegatis, firmatum quoque fuit per *Rotam in rec. deciſ.*50.*num.*22.*&* 23.*par.*5.

25. Concordant tria alia Indulta per SS. D.N. elargita eidem Eminentiſſimo Dom. Cardinali occaſione proviſionum Eccleſiæ Albanen. Commend. Monaſterii Cluniacen. & Præpoſituræ Collegiatæ Foſſenſis, in quibus ſpecialitèr datur facultas retinendi Canonicatum, & Præpoſituram Leodien. una cum aliis quibuſcumque Beneficiis, quæ tunc quomodolibet obtinebat,quæve paritèr implicitam præſeferunt diſpenſationem à reſidentia; cùm notum eſſet Summo Pontifici incompatibilitatem reſidentiæ cum Dignitate Cardinalitia, ut tradunt proximè relatæ deciſiones,& tenent *Jaſon conſ.*117. *num.*4. *vol.*4.*Sanchez de matrim.lib.*8.*tit.de diſpenſat.diſput.*4.*num.*2.*Barboſ.vot. deciſ.lib.*1.*vot.*5.*dub.*2.

26. Non obſtat,præſentationem in feſto S.Ægidii eſſe compatibilem cum prænominata Dignitate Cardinalitia; quia hanc aſſertionem confutavi in præterita: & ulteriùs animadvertendum eſt,per Statutum nullibi Foraneitatem induci ex ſola, & ſimplici non præſentatione in dicto feſto, ſed acceſſoriè quoad eum, qui vult conſequi fructus Canonicatus: ac proindè tàm præſentatio, quàm reſidentia eſt cauſativa, non autem præciſa, & auctoritatibus comprobavi in præterita; Quinimmò quando etiam eſſet compatibilis, per ſupradictas implicitas diſpenſationes, cenſetur Eminentiſſimus Dom. Cardinalis ab ea exemptus.

27. Bellum verò, litteræ Imperiales, ac qualitas Nationalis, & Miniſterii Regii eximere nequibant à convocatione Capituli, ut latè demonſtravi in alia, & bellum potiùs excuſabat à reſidentia, & ſic à Foraneitate, ut præter aliàs allegatos,*Rota in recent.deciſ.*399.*num.*3.*part.*14.*& deciſ.*100.*num.*1. *& ſeqq. par.* 15. Et undequaque etiam ceſſat objectum ex epiſtola Reverendiſſimi Dom. Nuncii apud Cæſaream Majeſtatem, in qua tolluntur omnia ſupra deducta impedimenta, & niſi Capitulum proceſſiſſet ad declarationem Foraneitatis, Eminentiſſimus Dom.Cardinalis obtinuiſſet Paſſa-portum, non obſtantibus omnibus dd.exceptionibus.

28. Prætermitti quoque debuiſſet, quòd Eminentiſſimus Dom.Cardinalis pri-

privatus remanſerit Canonicatu vigore Conſtitutionis fel. rec. Sixti V. inter ſuas in ordine la 79. Tum ob dd. implicitas diſpenſationes Pontificias,tum ex alia diſpenſatione proveniente ex diſpoſitione juris, & ex regula Cancellariæ de triennali, quæ, quoties ſumus in pacifico poſſeſſore, defendit illum, etiam quoad retentionem incompatibilium,& facit præſumere diſpenſationem. *Sarnen.in d.regul.de triennal. quæſt.* 10. *per tot.* ubi quòd poſtquam in Rota fuerunt diſcuſſa quæ pro utraque opinione afferri poterant, tandem aſſerit ſub *num.* 18.*verſ.verùm quia*, fuiſſe concluſum pro affirmativa, quam pluribus argumentis convallat in *num.ſeqq.* & ſequitur *Mareſcott.var.lib.*1.*cap.*41.*n.*22. *Sanchez conſil.moral.lib.*2.*cap.*1.*dub.*31.*num.*28. *& ſeqq.* Et ratio eſt evidens, quia omnis Beneficiatus dicitur habere titulum coloratum, qui non reperitur excluſus in regula.*Sarnen.de triennal.quæſt.*25.*verſ.tandem advertendum*, *& verſ.& illa omnia*, *& quæſt.*28. *verſ.tamen prædictis*, ubi quòd hoc tenendum eſt pro concluſione certa,& infallibili. *Lotter.de re benefic. lib.*2. *qu.*53. *num.*15. cum aliis infra allegandis. Cùm itaque duo tantùm tituli diſcolorati reperiantur in regula, videlicèt collatio per ſimoniam, ac de reſervato,reſervatione in corpore juris clauſa, in omnibus autem aliis caſibus, & reſervationibus non exceptuatis,firmatur regula in contrarium.*Sanchez conſ.moral.lib.*2. *cap.*1.*dub.*31.*num.*4.*in fine*,*& dub.*34.*num.*3.*Tondut.quæſt.beneſ.lib.*1.*cap.*85. *num.*60.*&* 61.*Rota coram Penia deciſ.*882.*nu.*1. *verſ. quoad titulum cum ſeq.* *& deciſ.*1004.*num.*7.*coram Buratt.deciſ.*280.*num.*16.*& deciſ.*585.*num.*4. *& coram Bicb.deciſ.*171. *num.*4. *&* 5.

29. Eoque fortiùs, quia Eminentiſſimus Cardinalis nedum extat triennali pacificus poſſeſſor, ſed decennalis, ac trigennalis; undè pro eo militat præſumptio cujuſcumque melioris tituli, & diſpenſationis, ex ſatis *vulgat. allegat.Lapi* 89. quæ cùm inducat præſumptionem juris, & de jure,non recipit probationem in contrarium, ut docet *Lapus d.allegat.*89. *ſub num.*16. *verſic. nec obſtat. Maſcard.de probat.concluſ.*1373.*num.*10. *Mareſcott. var.lib.*1.*cap.*41.*num.*11.*junct.anteced.*

30. Et quando etiam extaret ſola poſſeſſio decennalis, adhuc titulus ex ea promanans, adeò roboratus remanet per aliam ſubſequentem triennalem, ut de illius invaliditate ampliùs dari non poſſet. *Bicb. deciſ.*395. *num.*12.*&* 14.*Coccin.deciſ.*475. *num.*4. *Penia deciſ.* 1004. *num.* 5. ubi quòd triennalis ſubſequens defendit titulum præſumi ex decennali, perindè ac ſi titulus realis, & viſibilis productus fuiſſet.

31. In nihilo refragante, quòd exadverſo fuerit exhibitum indultum conceſſum Eminentiſſimo Domino Cardinali tempore promotionis, in quo non legitur conceſſa retentio hujus Canonicatus; quia, ſtante dicta decennali poſſeſſione,præſumitur ipſum alium titulum meliorem ultra illum productum, & in actis apparentem. *Caſſador. deciſ.*4.*num.*4. *verſ.pro concluſione dicas De cauſ.poſſeſſ.& propriet.Buratt.deciſ.*280.*num.*16. *in fine*,benè *Sarnen. de triennal.quæſt.*10.*in fine*,*verſ.ſecùs* tamen eſt,ubi quòd non poteſt produci aliquis titulus, & invalidum illum probari,quin alius,& alius, & ſic in infinitum præſumatur ad favorem poſſeſſoris, quod melius confirmat in *quæſt.* 26. ubi quòd fortior eſt decennalis ſola ſine titulo, quàm triennalis cum titulo colorato, quia contra illam non poteſt concludi de alio titulo, cùm ſemper poſſit ad defendendum poſſeſſorem argui alius, & alius titulus præſumptus,&

ſic

ſie titulus inviſibilis, qui reprobari non poteſt ex quacumque oſtenſione librorum. Non ſic in poſſeſſione triennali, quæ requirit certitudinem alicujus tituli viſibilis, & palpabilis, quo mediante poſſideat, & ille titulus poteſt convinci falſus per oſtenſionem Regiſtri. Hactenùs Sarnen. cujus præciſa verba ſunt ſuperiùs relata, & docet *Rota in Leodien. Beneficii* 24. *Aprilis* 1662. *coram Reverendiſs. D. Bourlemont, §. poſtquam dictum fuerat, & §. deducebant ſimilitèr, impreſs. apud Moſſol. Trimegiſtr. legal. deciſ.* 91.

32. Concurrit, ut dicebam in præteritis, tàm ſuper contemptu, quàm ſuper ineligibilitate, quòd in præſenti non poterat tractari de confirmatione, quia nulla datur electio, cùm hæc requirat concurſum Votorum majoris partis Capituli, quæ hìc deficiebat; nam computatis duobus contemptis, nempè Eminentiſſimo Domino Cardinali, & Domino Comite de Reken, totum Capitulum conſtituebatur ex 48. Vocalibus, quorum ſolummodò 24. obtinuit Sereniſſimus Dominus Princeps à Bavaria, & ſic ad oculum patet, illum non habere majorem partem, & in paritate nulla datur electio. Nec officit reſponſio, quòd dum 22. ex Capitularibus exierunt è Capitulo, extraneos ſe ſe reddiderunt, itaut numerari nequeant inter Electores; quia de facili corruit reſponſio, quotiès non inſtat ultimum tempus ad eligendum præfixum à jure, vel à conſtitutionibus, ut hìc, dum adhuc ſupererant alii decem dies, & quiſque de Capitulo ob aliquam juſtam cauſam exire poteſt, ut in terminis *Caſtellin. de elect. cap. 8. ſub num.* 11. *verſ. quare in cap. in fine, & poſt Lavor. & alios, Paſſerin. eodem tract. cap.* 11. *num.* 95. quos ſequitur *Rot. in recent. deciſ.* 350. *num.* 4. *& ſeqq. par.* 17. *& deciſ.* 5. *num.* 1. *& ſeqq. & per tot. par.* 18.

33. Legitimam, ac juſtam fuiſſe cauſam allegatam per exeuntes à Capitulo, nempè priùs faciendam eſſe diſcuſſionem Brevis ſuper prætenſa eligibilitate, ac proindè differendam eſſe electionem uſque ad diem ſequentem, patens fit ex difficultate, quam ineſſe dignoſcitur ſuper hoc articulo ex hinc indè deductis, & ex majori probabilitate, quæ militat pro ineligibilitate, ut poſt *Innocentium* probat *Abbas antiquu. in cap. publ.* 58. *num.* 3. *in fine De elect.* ibi: *Si autem quis diceret ſeparatum ad probandum impedimentum, differri poſſet electio, ut Eccleſia non vexetur laboribus, & expenſis ſuperfluis*, & ſequitur, aliis relatis, *Jo: Andr. in eodem cap. publicato col.* 5. *in fine, verſ. tertiò quæro, & col.* 7. *verſ. tertiò decimò quæro.*

34. Cæterum, quæ dicuntur, quòd ad evitandum circuitum electus etiam nullitèr eſt confirmandus, quia iterum foret eligendus, & ad id per ſuperiorem Electores compellendi, & hoc procedere non obſtante contemptu alicujus: iſtæ ſunt propoſitiones contra jura aperta; quoniam ſi non caſſatur electio ob vitium perſonæ, ſed ob non ſervatam aliquam formalitatem, tunc repoſitum quidem eſt in libera facultate Electorum devenire ad novam electionem ejuſdem perſonæ; ſed ad hoc non neceſſitantur, juxtà *textus litterales in cap. conſideravimus* 10. *& cap. ſuper eo* 12. *De elect.* & ibi *gloſſ. in verbo niſi vitio perſonæ. Lavor. elucubrat. var. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 18. *Sigiſmund. à Bononia de elect. dub.* 100. *num.* 3. *Paſſerin. eodem tract. cap.* 25. *num.* 630.

35. Prout ubi adeſt contemptus, tunc non confirmatur electio, ſed ſimplicitèr caſſatur, ad *text. in cap. quòd ſicut* 28. *& cap. bonæ memoriæ* 36. *De elect.* & paſſim in aliis concordantibus in præterita cumulatis; ſolumque ſuperior poteſt confirmare nullitèr electum, quando aliàs electio devolveretur ad ipsū,

ſecùs

Digitized by Google

ſectis autem quando adeſt contemptus; & ratio diſparitatis eſt, quia in primo caſu ſuperior facit gratiam de ſuo abſque alterius injuria; in ſecundo autem faceret de alieno, nam præjudicaret contempto, qui aliàs ad novam electionem vocandus eſſet, & confirmaret electionem injurioſam, & injuſtam quoad contemptum, ut diſtinguendo firmat *Hoſtienſ. in cap. bonæ memoriæ 36. nu. 5.* & ibi *Jo: Andr. col. 1. verſ. poſſet etiam dici De elect.* & quòd caſſata electione ob contemptum debeat iterum fieri, convocato etiam dicto contempto, poſt plures *Lavor. var. elucubr. tit. 4. cap. 17. num. 18.* Nec refragatur *Facchin. conſ. 55. num. 34. & ſeqq. lib. 1.* quia ipſe loquitur de eo, qui non erat vocandus, dum non erat membrum Monaſterii, & publicus, & notorius concubinarius exiſtebat. *Pariſ. verò conſ. 97. à num. 16. cum plur. ſeqq. lib. 4.* verſatur in caſu, in quo contemptus non erat membrum Eccleſiæ, & non habebat legitimam ætatem, dum agebat annos decem, ut *num. 26. & ſeqq.*

PETRI

PETRI CORRADINI

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO SECUNDA

Super contemptu.

1. QUoties Contemptus proſequitur contemptum, Summi Pontifices non conſueverunt ſine ejuſdem conſenſu Electionem confirmare, ſed eam ſemper irritam, & nullius momenti declararunt, non obſtante quòd Electus eſſet perſona omni exceptione major, & Sedis Apoſtolicæ benemerita, & quòd pro bono pacis confirmari deberet Electio, ut probatur in *cap. bonæ memoriæ il 2. circa finem De Elect.* ubi quamvis porſona electa eſſet laudabilis, & digna, ut Papa ibidem proteſtatur, tamen quia unus fuit contemptus, caſſata fuit Electio. Id etiam probat *Gloſſ. in cap. quòd ſicut 28. verb. conſentire eodem tit.* ubi quærens, an ſi Electio tendat in utilitatem Eccleſiæ, & bonum pacis exquirat, quòd illa confirmetur, poſſit illa confirmari diſſentiente contempto, vel poſſit cogi contemptus ad conſentien. & poſtquam plura argumenta hinc indè adduxit, tandem communi opinioni adhærens, reſolvit, nec confirmari poſſe, nec eſſe cogendum contemptum ad conſentiendum; quia cùm contempto ſit facta injuria, & ſit ſublatum jus ſuum, non tenetur remittere contemptus injuriam, vel jus ſuum: nec poteſt juxta tramites juſtitiæ ſuperior, ad quem recurritur pro confirmatione, ſine ſatisfactione juris, & injuriæ contempti, Electionem confirmare: maximè quia ita invitis daret Epiſcopum, & tolleret liberum arbitrium, quod ab initio contemptus habebat in Electione, quam gloſſam ſequuntur *Anton. de Butr. in d. cap. quod ſicut num. 29. & 30. Abb. num. 3. Bald. num. 1. Barboſ. num. 5.* & latiùs *Cardin. Zabarell. §. Si autem num. 1. col. 2. poſt princip. litt. A.* & conſonat *Paſſerin. de Elect. cap. 11. num. 119.*

2. Hinc *Hoſtien. in ſumm. tit. De Elect. §. Qualiter facienda num. 11. poſt princip. verſ. Præſentibus litt. B.* dicit, quòd Jura Canonica volunt Electiones fieri omnibus præſentibus, ac proindè probat, ab hac forma præſcripta à Sac. Canonibus non poſſe recedi, niſi conſentiente contempto, vel eo non proſequente contemptum. ibi: *Et ideò hæc verba non ſunt adeò de forma, quin Electio à contempto ratificari poſſit.*

3. Hinc etiam *Abb. in cap. bonæ memoriæ 36. nu. 9. in fine eod. tit. De Elect.* ait, quòd actus omninò retractari debet, nec confirmari poteſt, quia legitimè factus non eſt uno contempto. ibi: *Debet actus retractari ad petitionem contempti, ex quo non legitimè geſtus eſt*, prout etiam latè tuetur *Bald. in dicto cap. bonæ memoriæ num. 4.* ubi quòd de rigore juris, actus eſſet ipſo jure nullus: & licèt Sac. Canones adhærentes æquitati voluerint, quòd actus valeat, id

tamen

tamen ſanciverunt, quoties contemptus ratificet, ſecus eo Electionem impugnante.latè etiam *Innoc.in d.cap.quòd ſicut num.*4. ubi quòd etiam poſt Conſecrationem,& Confirmationem debet Electio irritari,quoties citatus non fuit contemptus, & *num.* 5. ubi quòd id procedit etiamſi pro bono pacis confirmare oporteret Electionem: ſequitur ibidem *Butr.nu.*37. *& nu.*28. *& ſeqq.* ubi quòd ideò Sacri Canones noluerunt annullare actum à principio,ut potuiſſet ratificatione contempti approbari Electio, quæ aliàs omninò infirmanda eſſet.*Card.Zabarell.in cap.quòd autem num.*2.*eodem tit.*& latè *Oldrad. conſil.*63.*per totum*, ubi probat, quòd Jura Canonica reliquerunt in omnimoda libertate contempti approbationem, & reprobationem Electionis, adeout duobus in diſcordia Electis, poſſit contemptus unius Electioni conſentire, & alterius Electionem impugnare, cùm id dependeat à gratia ſolius contempti.

4. Nil mirũ itaque,ſi *tex.in c.cùm inEccleſiis* 33.*De præbend.in* 6.diſponat, quòd actus factus uno contempto irritari debet.ibi: *Alioquin quod in eorum abſentia fieri contigerit,eis inſtantibus irritari debebit*, ubi *Jo:Andr. & Monach.* notant quòd dictum verbum *debebit*, importat neceſſitatem, & latiùs id tuetur *Fagnan.in cap.publicato num.*18. *verſ. verùm ad petitionem De Elect.* qui probat, quòd ſuperior ad inſtantiam Contempti, nedum poteſt,ſed omninò debet caſſare Electionem: idemque melius tuentur *Sigiſmund.à Bonon.De Elect.dubit.*10.*à num.*5.*§.at huic aſſertioni,& ſeqq. Donat.in prax.Regul.par.*3.*tract.*4.*quæſt.*21.*num.*6.*Paſſerin.de Elect. d. cap.*11. *toto num.*124. qui optimè diſtinguunt, quòd quando ſuperior procedit ut Judex, ex nulla cauſa poteſt impedire ne Elector contemptus agat de contemptu, nec poteſt eo repugnante Electionem confirmare,quia læderet Juſtitiam, & jus Tertii à jure communi, & communi praxi Eccleſiæ conceſſum; quando verò procedit ut Dominus, & ſic utendo abſoluta poteſtate, tunc ſolùm poteſt Electionem confirmare, & imponere ſilentium contempto, ne agat de contemptu, quod non credimus cõtra Eminentiſſimum S.R.E. Cardinalem contemptum, & contra ſtylum Sedis Apoſtolicæ, quæ, aut nunquam, aut rarò ſolet uti abſoluta poteſtate, & in Confirmationibus Electionum procedere ſolet ut Judex, practicari eſſe.

5. His præmiſſis, ad tollen. exclamationes DD. exadverſo Scribentium, qui ſemper inculcant, quòd vocatio abſentium non eſt de ſubſtantia Electionis, quòdque Electio facta uno contempto, non eſt nulla, ſed valida,licèt infirmari valeat, videndum eſt in ſequelam ultimi reſcripti reſtringentis difficultatem hujus quæſtionis in ſolo contemptu, an verè valeat contemptus dicti Eminentiſſimi exadverſo evitari; Et quia quatuor ſunt quæſtiones, à quibus pendet deciſio contemptus, ideò breviter eas percurrere liceat.

6. Prima quippè quæſtio,quam excitant DD.exadverſo Scribentes ea eſt, an debuiſſet Eminentiſſimus Bullionus, tanquam degens extra Provinciam vocari, ſed hæc poterat libenter omitti; licèt namque tempore mortis bo.me. Epiſcopi Leodien. dictus Eminentiſſimus eſſet abſens, & extra Provinciam, tamen quia tempore factæ Electionis erat in Civitate Huyenſi, & pluries inſteterat apud Capitulum pro admiſſione,& Capitulum optimè ſcivit ejuſdem præſentiam intra Diœceſim, meritò admitti debebat, & ex hoc capite excludi non poterat,ut in terminis notat *Paſſerin.de elect.cap.*10.*toto nu.*39.ubi de veriori teſtatur.

7. Secunda quæſtio eſt, an contemptus dici poſſit, & vocandus eſſet, quando tanquam Subditus, & Miniſter Galliarum Regis ſine magno periculo accedere non poterat ad locum Electionis, hoſtilibus legionibus circumvallatum, nec obtinere poterat paſſa-portum; Et hæc quoque quæſtio libenter exadverſo omitti poterat, tum quia ex Epiſtola Reverendiſſimi Nuncii Germaniæ conſtat, quòd ex hoc Capite Imperator ipſe, ſummus juſtitiæ cultor, non denegabat paſſa-portum; Tum etiam quia propter periculum tangens perſonam Electoris, non poteſt ille excludi, ſed debet adhuc citari, ut mittat Procuratorem ad eligendum, ſive periculum ſit belli, ſive hoſtium, ſive aliud quodcumque ſimile, ut ultrà allegatos in mea præterita informatione *num.* 39. *& ſequent.* probat optimè *Compoſtell. in cap. quòd ſicut col.* 18. *num.* 41. ibi: *Numquid ergo ſi abſentes non poſſunt citari, vel venire ſine periculo, poſſint præſentes ſine illis procedere? reſpondeo, ubi ſine periculo non poſſunt venire, citandi ſunt, aliàs videntur contemni, quia poſſunt Procuratorem conſtituere:* ſequitur *Jo: de Anan. ibidem num.* 2. *Archidiac. in Can. quanto num.* 2. *diſt.* 63. *Cecoper. in lucubr. Canon. lib.* 4. *num.* 23. *Caſtellin. de Elect. cap.* 8. *nu.* 6. *verſ. ratio eſt. Gregor. Tholoſ. tit. de Elect. cap.* 6. *num.* 8.

8. Immò *Compoſtellan. in cap. quia propter col.* 14. *in fine eod. tit. De elect.* notat, quòd juſtum impedimentum, propter quod *text. in d. cap. quia propter* admittit, quem poſſe conſtituere Procuratorem ad eligendum, eſt præcisè illud, quod provenit ex timore veniendi ad Capitulum propter hoſtes, & ut benè ponderat *Caſtell. d. cap.* 8. *num.* 6. *verſ. ratio eſt*, cùm omne periculum, ſe tenens ex parte Electorum, evitari poſſit mediante conſtitutione Procuratoris; ideò propter tale periculum non poteſt impediri Elector ad ſuffragaudum mediante Procuratore.

9. Cùm itaque in caſu noſtro Capitulum Leodien. declaraverit dictum Eminentiſſimum privatum voce activa, & ſic eundem rejecerit ab electione, imò etiam privaverit facultate deputandi Procuratorem ad eligen. cùm is qui nullam habet vocem Procuratorem conſtituere non valeat, meritò ſub hoc vano periculi prætextu, non poteſt evitari contemptus; quia ſi Capitulum Eminentiſſimum prædictum privatum voce non declaraſſet, utique, non obſtante periculo, admitti debebat ad votandum per Procuratorem, nec debebat d. Eminentiſſimus inſtare, quòd admitteretur per Procuratorem; quia ſi privatus fuerat à Capitulo principali fundamento, ideſt voce, neſcimus quomodo ſine irriſione potuiſſet inſtare apud idem Capitulum pro conſtitutione Procuratoris.

10. Replicant DD. exadverſo Scribentes, quòd nec Procuratorem, qui voluiſſet ejus vice votum dare, Eminentiſſimus prædictus inveniſſet; Sed hæc eſt mera divinatio, quia aut exadverſo dicitur impoſſibile dicto Eminentiſſimo fuiſſe invenire Procuratorem de gremio Capituli propter bella, & eo quia erat Gallus, & Miniſter Galliarum Regis, & prohibitum erat commercium: & ſtatim tollitur talis impoſſibilitas, conſiderando primò, quòd hic non obſtante impetraverat ab Imperatore Paſſa-portum; Secundò, quia adeò multiplices fuerunt Epiſtolæ reciprocè ſcriptæ à Capitulo dicto Eminentiſſimo, & è contra, ut facilè ex earum lectura dignoſcatur, quòd nullum aderat impedimentum commercii, & quòd ſicuti d. Eminentiſſimus tranſmittebat litteras Capitulo, ita poterat tranſmittere mandatum procuræ directum uni

de

de gremio Capituli; Tertiò, quia fuit admiſſus ad eligen. & intrà Civitatem Dom. Comes de Poitiers, qui pariter erat Subditus Galliarum Regis, & morabatur in eodem Regno; Quartò, quia litteræ Avocatoriæ, ſeu Baunimentales Imperatoris interdicentes commercium, nullatenus comprehendere valent Canonicos, & Eccleſiaſticos volentes devenire ad Canonicam Electionem,& mandata procuræ ab iiſdem tranſmiſſa ad effectum eligendi;quia cùm mandatum procuræ debeat omninò dirigi uni de Capitulo,juxta *text.in cap. quia propter De elect.& in cap. ſi quis juſto 46.eodem tit.in 6. Lavor. Elcub. Canon.tit.4.cap.17.num.45.Tambur.de jur.Abb.tom.1.diſput.5. quæſt.3.n.12. Paſſer.de elect.cap.10. nu.35. & ſeqq.* adeout Procurator de Collegio habens duo ſuffragia, unum nomine proprio, & aliud uti Procurator, nequeat duos eligere, nec ſuffragia dividere.*d.cap.ſi quis juſto, §.porrò De election.in 6.Petr. Gregor.de elect.cap.6.num.11.Barboſ.de jur.Eccleſ.lib.1.cap.19.nu.105. Paſſer.d.cap.10.num.43.§.ſed tunc non poteſt*,meritò ceſſat omnis timor,omneque periculum, quod ex commercio oriri ſolet; quia ſicuti Capitulum admittit illum de ſuo gremio ad eligen. nomine proprio ſine ullo timore, ita quoque nullus poteſt conſiderari timor, quando eumdem admittit ad eligen. nomine alieno.

11. Aut exadverſo dicitur difficile fuiſſe invenire Procuratorem de gremio Capituli, qui vellet acceptare mandatum abſentis,& reſpondemus,quòd ſi dicta difficultas conſideretur habito reſpectu ad dictum Eminentiſſimum Bullionium, ſtatim ceſſat,ponderando, quòd inveriſimile admodum eſt, quòd nemo mandatum acceptaſſet, imò improbabile prorſus, dum dictus Eminentiſſimus habebat Vicarium ſuum de gremio Capituli, & dum diviſæ erant Canonicorum factiones in duas partes, ut eventus oſtendit, quarum quælibet dictum mandatum anhelaſſet; Si verò talis difficultas conſideretur ex parte Capituli, nempè quia Capitulum procuraſſet,aut impediviſſet directè, vel indirectè tale mandatum acceptari, tunc hoc ipſum effeciſſet, quòd contemptus diceretur d. Eminentiſſimus, ut egregiè notat *Compoſtell. in d.cap. quia propter col.14.circa finem, verſ.credimus tamen De elect.*ibi:*Credimus tamen, quòd ſi ex condicto Capituli, vel partis majoris ſit factum, ne vices abſentium recipiantur,quòd ob hoc poſſit abſens dici contemptus, & poteſt peti electionem caſſari, ne poſſit de malitia ſua gaudere, præcipuè cùm in Electionibus omnis fraus, & dolus debeat abeſſe*: ſequitur *Coſm.Guimier.ad pragmat.Sanction.tit. de election.§.idemque juramentum,verſ. caſibus in fine ſol. mihi* 32. ubi quòd ſi procurante Capitulo, vel majore parte Capituli, nullus de Capitulo velit acceptare mandatum, magis injurioſus dicitur contemptus,quia eſt doloſus.

12. Atque ideò undequaque patet, quòd hic eſt egregius prætextus adinventus ad colorandum contemptum, quando non probatur, prout probari concludenter deberet, quòd ſi fuiſſet data poteſtas Cardinali vocem ſuam dandi, & fuiſſet ab eo conſtitutus Procurator, adhuc tamen nullus inventus eſſet, qui mandatum acceptaſſet.

13. Tertia quæſtio eſt, an vocari debuiſſet ſtante aſſerto periculo,vel incommodo Eccleſiæ; In qua quæſtione, primo loco dicimus, quòd licèt ſupponeretur in jure concluſio, quòd quis vocari non debeat, quoties adeſt periculum, & incommodum Eccleſiæ, tamen neceſſe eſt, quòd periculum,& incommodum Eccleſiæ probetur, & quidem juſtum, & quòd redundaret in no-

notabile Eccleſiæ præjudicium, quòdque evitari alio modo non potuiſſet. pro hoc eſt elegans theorica *Hoſtien. in ſum.tit.de elect. §.qualiter facienda n. 11.col.16.poſt princ.verſ.ſed nec vult Princeps*.ibi: *Non tamen dico, quòd contemnatur abſens, quia hoc non eſt juſtum periculum*, & agit de timore, quòd Papa provideret interim de puero, & Imperator accederet, & inveniret Eccleſiam viduatam: conſonat *Sigiſm.à Bonon.de elect.dub.9.toto num.7.*

14. In caſu noſtro, nullum probatur juſtum periculum, vel grave damnum Eccleſiæ, ſi admiſſus fuiſſet ipſemet Eminentiſſimus; Et quamvis exadverſo dicatur, quòd poterat timeri periculum ſchiſmatis, vel rebellionis, eo quia in Civitate fœderata admittebatur Miniſter Regis inimici, tamen hoc eſt figuratum prorſus periculum, quia nec qualitas, nec conditio, nec mores dicti Eminentiſſimi, optimè Eminentiſs.PP. noti, ſunt capaces commovendi ſeditiones, & ſchiſmata: præſertìm in Civitate, quam dominabantur illi factionis contrariæ, & quam undique circumdabant Milites armati, & Duces convocati, ad effectum continendi populum, & Canonicos ipſos, & evitandi ipſamet pericula, quæ pars nunc exagerat; Et tamen ad excludendum figuratum periculum, & incommodum Eccleſiæ, ſatis eſt ponderare, quòd Canonici ipſi in pluribus, & quidem pluribus epiſtolis ſcriptis dicto Eminentiſſimo, non negarunt eum introducere in Civitatem, quatenus obtineret paſſaportum, & Imperator ipſe, ac ejus Miniſtri oſtenderunt ſe promptos ad concedendum dicto Eminentiſſimo paſſa-portum, ut teſtatur Reverendiſſimus Germaniæ Nuncius.

15. Sed dato, & non conceſſo, quòd aliquod incommodum, vel periculum Eccleſiæ timeri potuiſſet mediante præſentia Cardinalis, ſi tamen illud evitari poterat mediante conſtitutione Procuratoris, proculdubiò non poterat ſub hoc vano prætextu dictus Eminentiſſimus excludi.

16. Et quamvis non ignorem, quòd hoc caſu DD. noſtri videntur negare poteſtatem conſtituendi Procuratorem; Tamen qui eos attentè conſiderat, facilè cognoſcit, quòd non negant talem poteſtatem in noſtris terminis.

17. Quandoque enim adeſt incommodum, & periculum Eccleſiæ, ſi expectetur abſens, vel quia immineret periculum ſeditionis, vel ſchiſmatis, vel quia in poſterum negaretur aditus, & tunc vera eſt opinio, quòd præſentes poſſint devenire ad electionem abſente non expectato, nec valeat ille Procuratorem conſtituere, quia non debent ſtante dicto periculo præſentes expectare Procuratorem, vel mandatum procuræ; prout etiam quando ſubeſt periculum in vocando, quia non eſt tutus acceſſus, vel in loco adeſſet peſtilentiæ morbus, prout notat *Innocent.in d.cap.quòd ſicut*, ubi etiam *Butr. nu.24. De elect.Felin. in cap.cùm omnes ſub num.23. circa fin.verſ. Secundò declara de conſtit. Archidiac.in can.factus eſt num.3.7.quæſt.1. Sigiſm. à Bonon. dicto dub.9.nu.7.Mandagot.de elect.cap.4.& 5.& utrobique adden.litt.C. Caſtellin. dicto cap.8.num.6.*

18. Quandoque verò timetur incommodum, & periculum Eccleſiæ propter acceſſum Electoris ad Civitatem, prout in hoc caſu prætenditur exadverſo ſine ullo fundamento; Et tunc quia periculum, & incommodum ceſſat ſi ceſſat præſentia, non poteſt ullo modo Elector privari facultate ſuffragandi per Procuratorem, ſi periculum, & incommodum Eccleſiæ in Procuratore conſiderari non valeat, ut egregiè notat *Card.Zabarell. in d. cap.bonæ*

me-

memoriæ ſub num.2.circa finem col.4.De elect.fol.mihi 118.ibi:*Innocentius licèt non itâ clarè dicit, quòd hic timor erat juſtus de omnibus, ne electio fieret vitioſa, ſi fieret in Civitate, & quod dicit de omnibus,dic, tàm reſpectu Canonicorum, quàm Procuratorum.*

19. Cùm itaque in caſu noſtro tale periculum, vel incommodum Eccleſiæ, quod timeri poterat propter præſentiam Cardinalis in Civitate, concurrere non potuiſſet in Procuratore à dicto Eminentiſſimo conſtituto, quia Procurator debebat eſſe de gremio Capituli, & debebat eſſe de iis, qui admittebantur à Capitulo ad ſuffragandum, & qui nullam exceptionem habere poſſent, propter quam admitti non deberent: maximè, quia ſuffragia dividere nec poterat, meritò ceſſante tali ſomniato incommodo Eccleſiæ in perſona Procuratoris, non poterat Cardinalis impediri ſuffragari per Procuratorem; undè ſemper eluceſcit, quòd iſti ſunt prætextus nuper adinventi ad colorandum contemptum, quòdque voluntas Capituli ſola fuit intenta ad excludendum Dominum Cardinalem ex capite foraneitatis.

20. Quarta quæſtio eſt,in qua verè conſiſtit cardo hujus cauſæ,an Dom. Cardinalis eſſet foraneus, & privatus voce activa à Statuto Eccleſiæ de foraneis loquente.

21. In hac quæſtione præmittimus, quòd Statutum Eccleſiæ Leodienſis adeò varium, adeoque mutantis fidei redditur, ut meritò poſſit dici de hoc Statuto id quod *Cicer. Philippic.5.* dicebat de quodam homine vario, inconſtante, & ſibi contrario, qui modò togatus, modò palliatus comparebat: vel quod *Plato in Eutyphone* dicebat de Dhædaleis operibus, quæ erant adeò varia, adeoque inter ſe contraria, ut poſſent pluribus eodem tempore inſpicientibus diversè apparere.

22. Comparuit namque primo loco Statutum compilatum anno 1563. in quo in titulo de ſecunda reſidentia legitur capitulum ita diſponens. ibi: *Item, qui in dicta die Beati Ægidii ſe ad reſidentiam non præſentaverit,is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit*. Paulò poſt comparuit fides Secretarii Capituli,teſtantis,verba Statuti ibi tranſcripta extraxiſſe ex ſuo originali,ubi omittitur dictum capitulum.

23. Præcepit inde hæc Sacra Congregatio Reverendiſſimo Nuncio Colonien.ut extrahere faceret authenticum exemplar dicti Statuti,& tranſmiſſum fuit Statutum conditum anno 1560. in quo in titulo de ſecunda reſidentia deficit pariter dictum capitulum, & quod pejus eſt, idem Reverendiſſimus Nuncius tranſmiſit etiam ſimplicem copiam integri Statuti anni 1560.extractam ex alia copia reperta inter acta viſitationis R.P.D.Sanfelicii,in qua adeſt dictum capitulum, ſed alio modo conceptum. ibi: *Item,qui in die B.Ægidii ſe ad reſidentiam præſentaverit,is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit.*

24. Major proindè non poteſt dari contradictio, & difformitas in ſubſtantialibus; Quippè dictum capitulum optimè facit pro cauſæ deciſione, quia ſi in Statuto diſponitur, quòd is, qui in die Beati Ægidii ſe non præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit, jam habemus pœnam à Statuto indictam Canonicis ſe non præſentantibus dicta die:& proindè non poſſumus aliam pœnam foraneitatis,& privationis vocis addere,quam Statutum ipſum non indicit, juxta theoricam *Compoſtell. in cap.bonæ memoriæ il ſecondo col.1.circa finem,verſ.item nec privandi De elect.* ibi: *Item nec privandi;*

di; cùm enim certam pœnam propter contemptum contra ipſos inveniam, pœna privationis eos non puniam, cùm pœnæ ſint reſtringendæ.

25. Sed quatenùs hæc contrarietas, quæ ſolet tollere fidem etiam ſcripturis publicis, & ſolemniter extractis, juxtà *gloſſ. in cap. in memoriam diſtinct.* 19. quam ſequuntur *Pariſ. conſ.* 28. *lib.* 2. *Alb. conſ.* 224. *num.* 8. *Gramat. conſ.* 24. *num.* 4. *& ſeqq. Decian. conſ.* 99. *num.* 17. *lib.* 2. non adeſſet, adhuc tamen, etiam juxtà Statuti particulam tranſmiſſam, nunquam poterit dici foraneus, aut voce privatus dictus Eminentiſſimus Principalis.

26. Etenim in rubrica de capitulis ordinariis declaratur privatus voce activa Canonicus foraneus; ſed quinam talis Canonicus foraneus ſit, ibi non dicitur.

27. Videamus itaque quinam in aliis capitulis Statuti foraneus declaretur, & in hoc puncto habemus primo loco poſt titulum *de gratioſis abſentiis* rubricam *de foraneis*, ubi uniendo rubricam cum nigro, ut fieri debet, & notant *DD. in rubr. de reb. credit.* & ſignanter *Jo. de Imol. in rubric. digeſtorum De verbor. ſignific. num.* 3. declarantur foranei illi, qui primam reſidentiam non fecerint.

28. Habemus ulteriùs *in tit. de ſecunda reſidentia* diſpoſitum, quòd *quicumque in feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, reſideat eo anno ſex menſes integros apud Eccleſiam, alioquin pro foraneo habeatur.*

29. Neutrum horum capitulorum percutit caſum noſtrum; Non illud ſub *rubric. de foraneis*, quia Eminentiſſimus Bullionus primam reſidentiam abſolvit; Nec ſecundum ſub *tit. de ſecunda reſidentia*, quia utpotè literaliter loquens de illo, qui ad ſecundam reſidentiam ſe exhibuit, aut præſentavit, non habet locum in caſu negativo, nec in eo, qui ſe non præſentavit, nec exhibuit ad ſecundam reſidentiam; cùm enim ſit juris correctorium, non poteſt extendi de caſu ad caſum maximè contrarium, juxtà *gloſſ. in cap. quamquam*, poſt figurationem caſus, *verſ. nota* 1. *De elect. in* 6. cum aliis quos adducit *Sigiſm. à Bonon. de elect. dub.* 120. *nu.* 12. *& ſeqq.* & optimè *Rot. coram Coccin. dec.* 1447. *num.* 9. *& ſeqq.*

30. Ponderando præſertìm, quòd poſt titulum prædictum *de ſecunda reſidentia*, hæc verba leguntur. ibi: *Quicumque in Eccleſia Leodien. facta prima reſidentia volet reſidere, & fructus facere*. Undè ſi immediatè poſt Statutum reputat pro foraneis illos, qui ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerint, ſeu præſentaverint in feſto Beati Ægidii, & ſex menſes integros non reſederint, non loquitur de caſu diverſo à primo, ſed de eodem prorſus caſu, id eſt de illis, qui abſoluta prima reſidentia, volunt reſidere, & fructus facere, ita ſuadente dictione *item*, adjecta *in d. §. item quicumque in feſto Beati Ægidii*, quæ ſi adjecta ſit poſt orationem non perfectam, repetit omnes qualitates præcedentis capituli; ſi verò adjecta ſit poſt orationem perfectam, continuat eandem materiam, retento eodem themate, ut notat *Gemin. conſ.* 62. *nu.* 2. *verſ. nec obſtat. Silva conſ.* 64. *num.* 28. *Pariſ. conſ.* 49. *nu.* 48. *lib.* 2. *Natta conſ.* 387. *nu.* 12. *Grat. conſ.* 18. *num.* 39. *lib.* 1. Præſertìm quando nulla adeſt diverſitas perſonarum, vel rerum, & materia eſt eadem, ut proſequitur *Curt. jun. conſ.* 102. *nu.* 4. *Ancharan. famil. quæſt. q.* 53. *num.* 2. *&* 3.

31. Atque ideò ſi Statutum loquitur de illis, qui volunt reſidere, & fru-

ctus

ꝯtus facere, non poteſt extendi ad caſum omninò contrarium, in quo quis non ſe offerat ad ſecundam reſidentiam, nec curet fructus ſuos facere.

32. Nec aliquid facit dictio *alioquin*, adjecta *in d.§.item quicumque*; licèt enim vera ſit concluſio, quòd dicta dictio faciat reſolvere affirmativam in contrariam negativam, tamen non poteſt operari effectum exadverſo exoptatum, ac ſi Statutum diceret: *quicumque in feſto S. Ægidii ſe non præſentaverit*; Cùm enim Statutum loquatur præcisè de illis, qui volunt reſidere, & fructus ſuos facere, & voluntariè ſe exhibent, dictio illa *alioquin*, tanquam relativa, intelligitur retento eodem themate, & juxtà qualitates præcedenter expreſſas, juxtà *gloſſ.in cap.ut circa,verb.alioquin De elect.in 6.ubi Archidiac. num.4.verſ.alioquin.Cæned.poſt lib.practicab.& Canon.quæſt.ſingul.3. num.4. & 5.Barboſ. dict. 17. num.3.* Et cùm Statutum velit illum, qui ſe exhibuit ad ſecundam reſidentiam, reſidere eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, dictio *alioquin* operatur effectum ſuum, convertendo illa verba affirmativa, *reſideat eo anno*, in negativa *ſi non reſideat*, ut patet legenti.

33. Nec ſubſiſtit abſurdum exadverſo ponderatum, quòd nempè melioris conditionis eſſet is, qui ſe non præſentavit, quàm is, qui ſe præſentavit; quia ſatis eſt pro reſponſione conſiderare, quòd Statutum voluit pœna afficere eum, qui ſe ad reſidentiam exhibuit, & poſteà non reſedit; cùm enim is ſciret, quòd quando ſe ad ſecundam reſidentiam exhibebat in feſto S.Ægidii, promittebat eo anno in Eccleſia reſidere, & quidem reſidere ſex menſes, ut præcipit Statutum, meritò ſi non reſidebat, & ſic fidem non implebat, graviùs peccabat, quàm is, qui reſidere non promiſerat, nec ſe præſentaverat; Leges namque noſtræ, ob fidem non ſervatam dant actionem de dolo, necnon ad intereſſe, ut notat *Cravett.conſ.192.num.15. cum aliis adductis à Pariſ.de confid.quæſt.6.per tot.ſignanter num.9. & 10. & in l.1.ff.de pact. ac in l.1.in princ.ff.de conſtit.pecun.* habetur, quòd grave eſt promiſſa non adimplere, & proindè Statutum ſe exhibentem, & non reſidentem recenſet inter foraneos, nil diſponens de illis, qui nil promiſerunt, & ſe non exhibuerunt, relinquens hunc caſum ſub diſpoſitione juris communis.

34. Recurrunt properterà DD. exadverſo Scribentes ad obſervantiam, ſed illa nullius prorſus eſt momenti; Aut enim adducitur pro præſcriptione, & nullum prorſus concurrit requiſitum: aut adducitur pro interpretatione Statuti, & cùm Statutum nullam prorſus admittat ambiguitatem, quia loquitur de caſu affirmativo, in quo quis velit reſidere, vel ſe exhibeat, non autem in caſu negativo, ideſt, quando quis non ſe præſentavit, vel ſe non exhibuit, meritò non eſt locus obſervantiæ interpretativæ. *Rot.decis.39. nu. 11.par.2.diverſ.coram Buratt.deciſ.129.num.6.coram Coccin.deciſ.1546. n.2. coram Bich.deciſ.396.num.25.& ſeqq.& in rec.deciſ.223.n.8.& ſeqq. par.19.*

35. Præterea ad hunc effectum obſervantia debet eſſe individualis ſuper caſu de quo agitur. *Rot.deciſ.129.num.6.coram Buratt.deciſ.65. num.27. coram Arguell.& in recent.deciſ.227.num.9.par.18.* & debet probari per actus univocos, adeout ſola poſſibilitas in contrarium reddat actum æquivocum, & non ſuffragantem ad inducen. aliquam obſervantiam. *Rot.coram Buratt.dec. 464.ſub num.5.& in recent.deciſ.204. num.38. part.8. ac deciſ.290. num.21. par.18.*

36. Actus verò exadverſo adducti, vel ſunt æquivoci, vel non ſunt indivi-

viduales; Quatuor enim ſunt actus, qui adducuntur, quorum primus eſt æquivocus; Licet enim dicatur, quòd anno 1652. D. Arnoldus de Merode, defectu repræſentationis eo anno foraneus repertus fuit, nemo tamen divinare poteſt, quòd defectus repræſentationis fuerit ille non comparitionis in feſto S. Ægidii; Imò cùm Statutum in titulo *de ſecunda reſidentia* duo præcipiat, unum nempè, quòd is, qui vult reſidere, & fructus ſuos facere, perſonaliter die S. Ægidii ſe exhibeat, & præſentet; Alterum verò, quòd iterum ſe præſentet ad faciendam continuam reſidentiam ſpatio ſex menſium: verba illa, *ex defectu repræſentationis*, intelligi poſſunt de ſecunda præſentatione cum reſidentia, & ideò qui ſcripſit uſus eſt verbo difformi, *repræſentationis*, quando Statutum loquitur per verba, *ſe exhibuerit, & præſentavit*; Ultrà quod iſte eſt unicus actus mutilatus, & proindè ineptus ad obſervantiam comprobandam.

37. Secundus anni 1673. nil prorſus concludit: enunciat tantùm duos, nempè Canonicum Duras, & Archidiaconum Campiniæ, qui fuerant anno lapſo foranei; ſed quòd fuerint foranei prædicti, ex quo ſe non præſentaverint in die S. Ægidii, ex actu prædicto non deſumitur.

38. Tertius verò anni 1688. eſt ejuſdem farinæ: imò cùm referatur ad Statuta, intelligi debet juxtà tenorem eorundem.

39. Quartus verò anni 1604. loquitur de illo, qui tranſmiſerat mandatum procuræ ad effectum obtinendi gratioſam abſentiam, quæ cùm juxtà Statuta petatur ad effectum lucrandi fructus, perneceſſe actus prædictus præſupponit, quòd quis ſe prius præſentaſſet in feſto S. Ægidii; quia aliàs gratioſam abſentiam obtinere non poterat, vel ſaltèm actus prædictus remanet æquivocus, & proindè nil concludens, ex jam citatis.

40. Atteſtationes verò, ultrà quod ſunt mendicatæ lite pendente, & ſic nullum probationis gradum faciunt, ex vulgatis, omnes, excepta illa Joannis Forgeun Beneficiati, qui unicus eſt, ac lite pendente, ac nimis animosè deponit: nil aliud concludunt, niſi quòd Statuta Eccleſiæ de foraneis loquentia ſint in viridi obſervantia; undè intelligi debent de illis capitulis Statuti, quæ loquuntur de foraneis in caſibus ſupra expreſſis, non autem de caſu noſtro, de quo Statutum non diſponit, ad tradita per *Rot. deciſ.* 207. *num.* 9. *par.* 5. *& dec.* 227. *num.* 10. *par.* 18. *recent.*

41. Et ceſſat quævis amaritudo, conſiderando, quòd ſi verè is, qui ſe non præſentat in feſto S. Ægidii eſſet foraneus, mille caſus reperirentur, in quibus plures deſcripti eſſent in Catalogo foraneorum in actibus Capitularibus Eccleſiæ, prout deſcripti fuerunt illi pauci, qui exadverſo adducuntur: & quod plus urget, Pars ipſa fatetur, quòd pluribus annis Eminentiſſimus Bullionus non comparuit dicto die, & tamen nunquam ipſe inter foraneos adnotatus reperitur: & dum actus Capitulares, in quibus deſcribuntur foranei, fieri ſolent in hac Eccleſia, ut videre eſt ex actibus exadverſo adductis, hoc eſt optimum argumentum probandi, quòd nulla adeſt obſervantia: quæ ſi adfuiſſet, non omiſiſſet Capitulum dictum Eminentiſſimum inter foraneos deſcribere, nec omiſiſſet tales actus adducere, ſicuti mendicavit paucos actus ſupradictos æquivocos, & nil concludentes.

42. Quòd autem Dom. Cardinalis comparuerit aliquando in feſto Sancti Ægidii per Procuratorem, & in mandato procuræ dixerit, quòd conſtituebat Pro-

Procuratorem ad comparen. prout moris erat in dicto feſto, nil prorſus facit;quia prædicta comprobant tantùm obſervantiam in dicto feſto comparendi, de quo non diſputamus, ſed non probant, quòd qui in dicto feſto non comparuit, foraneus dicatur, de quo tantùm nos quærimus.

43. Præterea, ut diximus in præteritis, Dom. Cardinalis fuit diſpenſatus à reſidentia, atque ideò tanquam diſpenſatus, & ſic habens licentiam à Papa, nec tenebatur reſidere, nec ullum actum facere in ſequelam reſidentiæ, nec ligatus erat Statuto pœnali Eccleſiæ,ex adductis in mea præterita informatione *in num.26.& ſeqq.*

44. Et quamvis exadverſo dicatur, quòd dictus Eminentiſſimus fuerit diſpenſatus tanquam Præpoſitus, non tanquam Canonicus: tamen quia Papa ſcivit, dictum Eminentiſſimum in eadem Eccleſia retinere etiam Canonicatum, perneceſſe diſpenſatio prædicta comprehendit etiam reſidentiam illam, qua tenebatur dictus Eminentiſſimus ratione Canonicatus; Alias enim ineptum eſſet aſſerere, quòd Papa voluerit habere dictum Eminentiſſimum in eadem Eccleſia, eadem hora, eodemque momento pro reſidente ratione Præpoſituræ, & ratione Canonicatus pro non reſidente: imo eveniret, quòd fruſtrà dictus Eminentiſſimus diſpenſatus fuiſſet, quia non potuiſſet ab Eccleſia recedere ratione Præpoſituræ, ſi retineri debebat, tanquam non diſpenſatus ratione Canonicatus, ut ultrà adductos in præterita optimè probat *Navar. conſil.14.per totum De Cleric.non reſiden.*ſignantèr quia Papa motus eſt ad diſpenſandum propter impedimentum Cardinalitiæ dignitatis,quod idem prorſus aderat in eodem ſubjecto, ſive Præpoſito, ſive Canonico, ex allegatis in præterita.

45. Nil relevante quòd hæc diſpenſatio trahi non poſſit ad iſtam exhibitionem facien. in feſto S.Ægidii,ex quo poterat fieri per Procuratorem;quia cùm negari non poſſit, iſtam Comparitionem eſſe principium reſidentiæ, ut exadverſo admittitur, immo eſſe quid acceſſorium reſidentiæ, & tale acceſſorium,in quo juxta lecturam Partis,quam nos negamus, eſt inducta pœna privationis vocis activæ, & ſic maxima pœna, affirman. eſt, quòd diſpenſatio à principali, & à totali reſidentia trahatur etiam ad omnia acceſſoria, & maximè ad illa, quæ tantam pœnam merentur, adeout remaneat in libertate diſpenſati comparere,& non comparere, ut notat *gloſſ. ſingularis in cap. non poteſt 21.verbo retinere De præbend.in 6.* & melius *Abb. in cap. quia in tantum num. 4. & 5. De præbend.* ibi: *Et concludit,quòd eſt in Electione ſua;nam ex quo diſpenſatum eſt ſuper principali, videtur diſpenſatum eſſe ſuper acceſſoriis.*

46. Undè comparitio facta à Domino Cardinali mediante Procuratore aliquibus annis, tanquam procedens ex actu facultativo, nil prorſus facit ad rem; Sicuti enim ſi Dominus Cardinalis voluiſſet reſidere, potuiſſet:ejuſque reſidentia non concluderet, quòd ipſe diſpenſatus non eſſet: ita quoque ſi voluit comparere, maximè quia per plures annos omiſit etiam comparere, quod non omiſiſſet per Procuratorem, ſi diſpenſatum ſe non cognoviſſet.

47. Subſiſtit etiam, quòd hoc Statutum, tanquam non confirmatum à Papa, non valeret, nec præſumi poſſet confirmatio ex lapſu temporis ſine obſervantia, ut in præterita probavi.

48. Ex quibus videre poſſunt Eminentiſſimi PP. & Illuſtriſſimi Judices, an

an hoc Statutum potuiſſet adduci ad effectum repellendi Dom. Cardinalem ab Electione, & eum declarandi inhabilem; Ad hunc enim effectum neceſſe eſt, quòd inhabilitas ſit notoria, quæ nullo jure celari poſſit, ut egregiè notat *Paſſerin.de elect. cap.11. ſub num.73. poſt medium, verſ. adjungi etiam poteſt,* qui optimè diſtinguit caſum à caſu.

49. Maximè dum dictus Eminentiſſimus ab hac declaratione Capituli appellavit ad Sanctiſſimum: & quidquid ſit an appellatio ſuſpenderit Electionem, itaut eam reddiderit nullam, & attentatam, de quo in præterita mea informatione *à numer. 2. & ſeqq.* indubitatum tamen eſt, quòd hæc appellatio ſuſpendebat efficaciam d. declarationis inhabilitatis, adeout potuiſſet interim dictus Eminentiſſimus ad Electionem procedere, ut in puncto probat *Navar.conſil.8.De Elect.in antiq.lib.1.Sigiſmund.à Bonon.de Elect.par.2. cap.5.dub.94.num.5.uſque ad finem.*

50. Confugiunt DD. exadverſo Scribentes, videntes nullo jure poſſe evitari contemptum, ad defectum tituli Dom. Cardinalis, credentes quòd per promotionem ad Cardinalatum vacaverit ejuſdem Canonicatus, & ſic tanquam Canonicus admitti non potuiſſet ad votandum.

51. Sed objectum, utpotè prorſus inſubſiſtens, facilè tollitur, conſiderando, quòd à die, quo ad Cardinalatum dictus Eminentiſſimus promotus eſt, uſque ad diem electionis, lapſi ſunt vigintiquinque ferè anni, quibus dictus Eminentiſſimus pacificè Canonicatum poſſedit: & ſciente, ac patiente Capitulo, omnes actus, quos cæteri Canonici gerunt, fecit: quo caſu certa eſt concluſio, quòd præſumitur diſpenſatio, quæ in hac materia ex ſola decennali poſſeſſione præſumitur, ut in terminis notat *Pariſ.de reſign.lib.3.quæſt.6.ſub num.74.Ricc.in prax.for.Eccleſ.reſol.593.per totam, Barboſ. de poteſt.Epiſc. par.3.alleg.62.num.30. Rot.coram Bich.dec.198. num.31. & ſeqq. ſignanter num.33.& 36.*

52. Tanto magis, quia D. in facto ſcribens, plures adducit diſpenſationes, & decretum conciſtoriale, in quibus Dom. Cardinalis ſupponitur Canonicus, & diſpenſatur etiam ab incompatibilitate ratione Canonicatus, ac datur eidem facultas retinendi etiam Canonicatum Leodien. Et licèt exadverſo dicatur, quòd iſtæ diſpenſationes, tanquam obtentæ poſtquam Canonicatus per promotionem vacaverat, non ſuffragentur; Tamen ultrà quòd Canonicatus de facto non vacaverat, dicimus, quòd iſtæ diſpenſationes, & prædicta indulta magis manifeſtant, quòd uſque ab initio fuerit conceſſum Indultum retinendi dictum Canonicatum, & ſic magis convalidant dictam præſumptionem, reſultantem ex longæva poſſeſſione, ut optimè ponderat D. Cauſæ Patronus.

53. Parum refragante, quòd ex prædictis Indultis pro parte noſtra oſtenſis, tollatur præſumpta diſpenſatio; tum quia dd. Indulta fuerunt adducta ad magis coadjuvandum præſumptionem, & ad magis comprobandum Indultum retentionis uſque ab initio; Tum etiam quia in beneficialibus habemus, quòd ex productione unius tituli etiam infecti, non excluditur præſumptio, & poſſibilitas alterius tituli; quia in hac materia datur multiplicatio titulorum, ut notat *Rot.deciſ.122.num.22.& ſeqq.deciſ.402.nu.9.deciſ.482.nu.9. uſque ad finem,* ubi optimè apud *Poſth. de manut.& in recent.dec.222.n.17. par.16.*

54. Et tollitur quævis difficultas, ponderando, quòd Dom. Cardinalis erat in

in quaſi poſſeſſione Canonicatus: imò quod plus eſt in quaſi poſſeſſione eligendi, dum votum dederat in electione Epiſcopi nuper defuncti, quo caſu non poterat excludi, & ſi excluſus fuit ratione deficientiæ tituli, dicitur contemptus, juxta *text. litteralem in cap. in geneſi* 55. ibi: *Nec præmiſſi duo Canonici poterant ſic excludi, cùm primus exiſteret in Canonicatus poſſeſſione, vel quaſi, & ad tractatus, ac electiones dignitatum, & perſonatuum, quæ occurrerunt tanquam Canonicus ſit vocatus, De elect. ubi gloſſ. verbo poſſeſſione*: idemque cavetur *in cap. cùm Eccleſia De cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & egregiè *Compoſtella in d. cap. in geneſi col. 5. verbo in poſſeſſione*, ubi probat, quòd idem procedit, quamvis Canonici ſint proteſtati nolle admittere illos, qui de jure non ſunt admittendi: idemque repetit *in cap. Cumana poſt princip. eodem tit.* ubi quòd ridiculum eſſet dicere, quòd propter proteſtationem Canonicorum, quis commodum ſuæ poſſeſſionis amitteret, & latè *Caſtell. de elect. cap. 5. num. 6.* ubi quòd hic eſt caſus deciſus *in d. cap. in Geneſi.*

55. Creſcit contemptus, dum ultrà dictum Cardinalem fuit contemptus etiam Dom. Comes de Rekem, & rejectus ſub eodem prætextu foraneitatis. Fuerunt quoque contempti 22. alii Canonici, qui ad aliam electionem proceſſerunt; Et licèt vera ſit concluſio, quòd recedentes voluntariè à Capitulo, habeantur tanquam extranei, nec ſunt computandi in numero eligentium: hæc tamen regula limitatur quando, prout hìc, receſſerunt ex juſta cauſa, & petierunt terminum unius diei, ad effectum conſiderandi Breve eligibilitatis Sereniſs. Electi; hoc enim caſu, quia Breve prædictum non carebat ſuis difficultatibus, prudenter ſe oppoſuerunt dicti Canonici, & petierunt inducia ad effectum ponderandi, an Breve ſufficeret: & proindè dum non petierunt tempus extra terminum datum ad eligendum, ſed intrà illum, debebant omninò expectari, ut eleganter notat *Compoſtell. in cap. ſtatuimus col. 2. verſic. ſi quis in Capitulo, ubi ſit electio, De elect.* ubi, *quòd ſi induciæ deliberatoriæ denegantur*, adeſt legitima cauſa appellandi, & recedendi: & optimè etiam *Caſtellin. eodem tract. cap. 16. toto num. 1. omninò vid.* Præcipuè, quia Decanus ipſe, caput Capituli, ad quem juxta Statuta pertinet etiam jubere, quòd differatur Capitulum, inſtetit differri Electionem, & tamen auditus non fuit, ut optimè probat *Gloſſ. in cap. bonæ memoriæ il 2. verſ. ſi major pars*, ubi *Hoſtien. n. 2. & Anton. de Butr. num. 22. De elect.* ubi, quòd hoc caſu non poteſt procedi ad electionem; Atque ideò Electio fuit omninò nulla, tanquam facta, vel contempta æquali parte Capituli, vel non facta à majori parte, computatis vocibus contemptorum, ut probavi in præterita.

56. Peregrina, & nova prorſus in jure noſtro eſt concluſio exadverſo adducta, quòd nempè tunc ratione contemptus caſſetur Electio, quando contemptus eſt doloſus, & fraudolentus; Hanc quippè concluſionem nemo prorſus Canoniſta firmare poteſt, & illi, qui contemptum ceſſare dicunt quoties adeſt aliqua cauſa excluſiva doli, loquuntur de contemptu præceptorum Eccleſiæ, Clavium, Dei, & ſimilium, prout loquitur *Felin. in cap. ſi quis num. 7. De major. & obedien.* & loquuntur quotquot exadverſo adduci poſſunt.

57. *Text. autem in can. cùm Adrianus diſt. 63.* loquitur præcisè de Legatis Imperatoris, qui non fuerunt vocati in electione Papæ, & dicit *textus*, quòd Legati, *accepta ratione, quòd non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu*, non fuerint vocati, tacuerunt; quia vocandi de jure non

erant: & per illa verba Papa explicat, quòd id non fuerat factum in contumeliam Auguſti, ſed tantùm ne intereſſent electioni Legati Principis ſecularis, & ſic res tranſiret in exemplum, ut optimè notat ibidem *Gloſſ.* in figuratione caſus, & melius *verb. temporis*, ubi, quòd Papa voluit tollere malum exemplum,& latiùs ibidem *Geminian.poſt princip.*

58. Cæterum, ut probavi in principio, contemptus in electionibus,non ſonat in contumeliam, ſed oritur ex eo, quòd ſicuti omnes intereſſe habentes in electionibus debent vocari,ideò ſi aliquis vocatus non eſt,dicitur contemptus,ſi tamen de jure vocandus erat: & proindè non ſufficiunt ad evitandum contemptum omnes cauſæ, ſed tantùm illæ, quæ approbantur à DD. & à ſacris Canonibus tanquam legitimæ, & juſtæ, & quæ ſunt juſtificatæ, ut patet ex DD. ſupra citatis, & non obſcurè notat *Rot. deciſ.* 87. *num.*8. *coram Ninot.*

ANTONII

ANTONII-MARIÆ DE BECCHETTIS

ADVOCATI ROMANI

ALLEGATIO SECUNDA

Super contemptu.

1. IN poſtrema Congregatione præſentis Cauſæ, habita ſub die nona Auguſti proximè elapſi, in qua nulla emanavit reſolutio, latiſſimè oſtendimus, ex parte Reverendiſſimi Capituli Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis, commiſſum fuiſſe manifeſtum, & inexcuſabilem contemptum in actu controverſæ Electionis faciendæ de Epiſcopo ſucceſſore in locum claræ memoriæ Joannis Baronis de Helderen defuncti, adversùs Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Bullionum in eadem Eccleſia Præpoſitum, & Canonicum. Et quidem probavimus illum commiſſum ex duplici capite.

2. Ex uno, quia idem Dominus Cardinalis non fuit evocatus, ſeu citatus ad interveniendum dicto Actui Capitularis Electionis; cùm tamen abſolutiſſimi Juris ſit, quòd evocatio, ſeu citatio ad intereſſendum Electioni, ſit facienda omnium Capitularium exiſtentium intra eandem Diœceſim, vel in loco etiam extra Diœceſim, à quo tamen, habita diſtantiæ menſura cum tempore faciendæ Electionis, commodè evocari, & vocati commodè accedere poſſiint. *cap. coram 35. ibique gloſſ. verb. in Provincia De Elect. Gloſſ. in cap. cùm in Eccleſiis 33. verb. ſi commodè De præbend. in 6. Gonzal. in cap. cùm inter univerſas 18. num. 8. & ſeqq. De Elect. Speculat. lib. 4. tit. de Elect. §. 1. num. 2. & 3. Lovor. elucubrat. Eccleſiaſt. de Elect. tit. 4. cap. 17. num. 1. & ſeqq. Paſſerin. de Elect. Canon. cap. 11. ſub num. 35. & num. 38. Rota dec. 288. nu. 1. & ſeqq. coram Mantic. deciſ. 82. num. 4. & ſeqq. coram Ninot. deciſ. 371. num. 4. 7. & 8. par. 14. deciſ. 5. num. 7. par. 18. & deciſ. 141. num. 10. par. 19. rec.*

3. Quod inevitabilitèr faciendum erat in caſu præſenti; nam ſi inſpiciatur tempus ſecutæ vacationis Eccleſiæ, de quo Dominus Cardinalis reperiebatur extrà Diœceſim Leodienſem, erat adhuc evocandus; dum ex particulari conſuetudine Eccleſiæ Leodienſis, ex quolibet loco, etiam extra ſuam Diœceſim, Capitularium vocatio eſt facienda, ut aſſeritur in ipſomet Inſtrumento Electionis, dato in contrario *Summar. num.* 1. Indèque in hac evocationis materia, quoad locum undè ſit facienda, cujuslibet Eccleſiæ præcipua conſuetudo eſt unicè ſervanda. *Gloſſ. in cap. cùm inter 18. verb. remoti. Gloſſ. in cap. coram 35. verb. in Provincia in fine. Gloſſ. in cap. in geneſi 55. verb. de conſuetudine, De Elect. Altaſerr. in d. cap. coram 35. Pirring. in Jus Canonic. tit. de Elect. fol. mihi* 211. *num.* 130. Si verò inſpiciatur tempus ante Electionem ſecutam,

re-

Digitized by Google

reperiebatur Dominus Cardinalis intrà Diœceſim, ſcilicèt intrà Civitatem Huyenſem, quæ eſt de Diœceſi Leodienſis Eccleſiæ, ut apud *Fagnan. in cap. cùm ex injuncto ſub num. 16. De nov.oper.nunciat.* Hujuſmodique exiſtentiam Domini Cardinalis intrà Diœceſim ſciviſſe Reverendiſſimum Capitulum, manifeſtè deſumitur ex Epiſtolis ad eumdem Dominum Cardinalem ibidem tranſmiſſis, atque aliàs in Summario traditis, talitèr quòd data ſcientia, certò certiùs evocatio illius fieri debebat. *Rot.d.deciſ.82.per tot.coram Mantic.*

4. Ex altero capite, quia nedum non fuit Dominus Cardinalis evocatus, quod ſatis contemptum importat, juxta præfatorum Canonum præſcripta; ſed ulterius, cùm ipſe pluries perhumanitèr petiiſſet admitti ad actum Electionis, fuit expreſsè rejectus, & recuſatus ab eodem Capitulo, ut in noſtro præterito *Summ.num.* 1.3. *&* 5. Contemptus autem Elector, ſeu Capitularis indubitantèr dicitur, quoties accedere volens, recuſatur, & non admittitur. *d.cap.in geneſi 55.verſ.nec præmiſſi duo,ibique Card.Zabarell.num.3. notab. 17.col.4.in 6.oppoſit.verſ.undè etiam, Gonzal.in d.cap.bonæ memoriæ 36.nu.7. De electtion.Tamburrin.de jur.Abbat.tom.1.diſput.5.quæſit.3. nu.5.Franciſc. Rocc.de offic.tit.de nullitatib.excitand.§.9.num.8.& ſeqq. Murg. de Benefic. quæſt.3.ſub nu.65.verſ.pro quo notandum,Rot.deciſ.225.nu.3. coram Buratt.*

5. Et ſic ſtante non unico, ſed reduplicato contemptu, & contra perſonam eximia Cardinalatus Dignitate præfulgentem commiſſo, tantò major redditur injuſtitia, & injuria, qua dicitur affici Elector contemptum patiens. *Gloſſ.in cap.quòd ſicut 28.ſub verb. conſentire, verſic.ſed dic, quòd injuria,De Elect.Oldrad.conſ.64. Caſtellin.de Elect.cap.8. ſub num.1.verſ. itaut, Samuel eodem tract.diſput.2.controv.7.concluſ.2.nu.3.Fagnan.in cap.quia propter 42. num.38.De Elect.Paſſerin.de Elect.cap.14.nu.48.Pignatell.conſultat. Canon. conſult.1.num.14.& 25.tom.1.Rota deciſ.2021.nu.38.coram Coccin.* Ideòque cùm de hujuſmodi contemptu Domini Cardinalis, coram Sanctiſſimo, & in hac Sacra Congregatione deputata, reclamet, Electio quantumvis eſſet in ſe valida, non poteſt ſubſtineri, & confirmari; quia venit illa irritanda, reſcindenda, & caſſanda ad inſtantiam contempti id petentis, juxta Sacrorum Canonum ſtabilimenta, & omnium Doctorum receptiſſimam opinionem, ut in *cap.quòd ſicut 28. De Elect.ibique Cardinalis Zabarell. in §. ſi autem in princip.Ancharan num.3.Joann.Andr.num.1.& 16.Bellamer.num.26.Anton. de Butr.num.30.Imol.num.21.Abb.Panormit.in d.cap. bonæ memoriæ num.6. Innocent.in cap.in geneſi nu.8.eodem titul. Henric.Boich.in cap.nec Epiſcopi num.2.De temporib.ordinat.Altaſerr. in d.cap. cùm inter univerſas 18. & in cap.quòd ſicut,verſ.ſed horum, Gonzal.in d.cap.bonæ memoriæ 26.ſub num.7. De Elect.Oldrad.conſ.64.per tot.Joann.Wameſ.conſil.Canon.16.num.42.tom.1. Spad.conſ.116.nu.1.vol.3.Samuel.de Canon.Elect.diſput.2.contr.7. concluſ.1. num.1.Lavor.elucubrat.canon. De Elect.tit.4.cap.17.num.15. Tamburrin.de jur. Abbat. tom.1.diſput.5.quæſit.3.nu.1.Caſtellin.de Elect.cap.4.ſub num.25. in fine, Pirringh.in jus Canonic.lib.1.tit.6.ſect.3.§.3. num.139.fol.mihi 214. Franciſc.de Roye Inſtit.Canon.lib.1.tit.11.De Elect.pag.mihi 80.Rocc.de offic. tit.de nullit.excitand.§.9.nu.4.Paſſerin.de Elect.Canon.cap.3.nu.106.& ſeqq.*

6. Quæ jura negligi, & parvipendi non valent, etiamſi unicus ſit Elector contemptus, qui actualiter reclamet; quia etiam unico contempto reclamante, eſt hujuſmodi remedium caſſationis per Canonicas Sanctiones irrevo-

ca-

eabiliter conceſſum, ea reddita ratione, quòd in talium Electionum Actibus, plus valeat contemptus unicus obeſſe, quàm multorum contradictio, ut per hæc præciſa verba ſtatuit, & reſpondit *Summus Pontifex Innocentius III. in cap. venerabilem 34. erga medium, & in cap. bonæ memoriæ 36. De Elect.* & tradunt nemine diſcrepante *Abb. in mox cit. cap. bonæ memoriæ num.6. Oldrad. conſ.64. per tot.* & cæteri, relatis antiquioribus, Moderni *Altaſerr. in d. cap. inter univerſas* 18. *ibique Gonzal. ſub num.9. in fine, Wagnereck in d. cap. bonæ memoriæ, verſ. noſtrum reſponſ.2. erga finem, Wameſ. Conſil. Canon.21. ſub num.12. verſ. quippe omiſſo tom.1. Franciſc. Rocc. reſponſ.67. num.1. lib.2. Caſtellin. de Canon. Elect. cap.4. num.25. Tamburin. de jur. Abbat. tom.1. diſput.5. quæſit.3. num.2. Lavor. d. cap.17. num.13. Pignatell. conſultat. Canon.23. num.5. tom.1. Murg. de Benefic. qu.3. ſub num.65. verſ. hoc ſuppoſito, Sperell. dec.181. num.10. Rot. deciſ.28. num.1. poſt eamdem Murg. ad Conſtit. Benedict. & deciſ. 190. num. 2. coram Rembold.* Idque de plano procedit, etiam quòd perſona electa ſit laudabilis, & digna; cùm non valeat impedire ſancitam caſſationem, juxta verba prænotati textus *in cap. bonæ memoriæ.* ibi: *Quamvis laudabile teſtimonium perhibeatur de ipſo. Caſtellin. loc. mox cit. ſub num.25.* Non enim electo fit aliqua injuria, quia electio caſſatur propter injuſtitiam, & injuriam factam ipſi contempto in electione, juxtà ſuperius animadverſa: & proindè non ſigillatur fama Electi, cùm non veniat ex vitio perſonæ. *Anton. de Butr. in cap. conſideravimus* 10. *num.9. &* 18. *ibique Wagnereck notab.4.*

7. Nil ſubſiſtente in propoſito, quòd Canones loquentes de contemptu, loquantur de formali injurioſo, & vilipendente, non autem de illo habente aliquam coloratam cauſam; quia totaliter oppoſitum in ſubjecta materia, Canones, & Doctores omnes ſtatuerunt, nempè quòd Elector Capitularis, & præcipuè aliàs admiſſus ad eligendum (prout in alia Eccleſiæ vacatione, quæ evenit de anno 1689. fuit admiſſus Dominus Cardinalis per medium Procuratoris) non poſſit excludi à præſtatione vocis, & ſuffragii ex qualibet cauſa, niſi privatio, & ſuſpenſio ſit clariſſimè, & undique probata: reſpondit, irritando Electionem jam factam, Sanctiſſimus Pontifex *Gregorius IX. in cap. in geneſi* 55. ibi: *Nec præmiſſi duo Canonici poterant ſic excludi, cùm primus exiſteret in Canonicatus poſſeſſione, vel quaſi, De Elect. Gloſſ. in cap. cùm Vintonienſis 25. verb. admiſerant eod. tit. ibique Abb. num.*10. *verſ. ſed quoad præcedens dictam*, ubi diſtinguit inter notoriè privatos, & non notoriè, qui non debent impediri, niſi prævia declaratione Superioris, ſed admitti cum proteſtatione. *Gloſſ. in cap. cupientes, §. cæterum verb. Beneficiis, verſ. & ſi hac ſuſpenſione De Elect. in 6. Spad. conſ.116. ſub num.5. & 6. lib.3.* & propterea Inhabilitas ad eligendum, ut quis ex ea poſſit contemni, & ab actu Electionis excludi, debet eſſe ita manifeſta, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, quòdque poſteà convincatur. idem *Abb. in cap.2. num.15. De poſtulat. Prælat. Gonzal. in d. cap. inter univerſas nu.11. De Elect. Peyrin. quæſt. Regular. to.1. qu.1. cap.31. §. . . . Lavor. d. cap.17. num.6. & 7.*

8. Neque Auctoritates in oppoſitum laudatæ huic veritati opponuntur; quia *Felin. Cardin. Anton. de Burgos, B. Anton. D. Thomas, Cajetan. & alii*, loquuntur in cæteris materiis indifferentibus, in quibus ad inducendam culpam damnabilem, requiritur dolus, ad quem excludendum ſufficit quælibet cauſa, etiam colorata: & proindè non urgent in materia Electionis, in cujus

actu

actu id ſtabilitum eſt favore Electoris, ut nempè quælibet cauſa eum excuſet à privatione; quæ ſi non ſit clariſſima, non admittitur, juxtà prædlegata. Et cæteri alii Doctores pariter in contrarium adducti, & loquentes de actibus Electionum, nullatenus firmant requiri dolum tanquam cauſam contemptus in contemnentibus; ſed è contra dumtaxat firmant actum ipſum contemptus eſſe cauſam productricem doli, qui habetur pro effectu contemptus, ut ex lectura. Et *Andr.Facchin.in conſ.55.num.39.verſ. quartò dato, & ſeqq. lib.1.* loquitur dumtaxat circa obſervantiam formæ *cap.quia propter*, & quoad pluralitatem Votorum in poſtulatione, imò *ſub num.34.& ſeqq.* ubi de contemptu tractat, tantùm abeſt, ut aliquid in contrarium ſtatuat, ut è converſo dumtaxat firmet, exceptionem contemptus non poſſe allegari ab alio, quàm ab ipſo Electore vocando: quòdque duo Monachi Electores in ejus caſu, non poterant dici contempti, ex quo unus erat publicus, & notorius Concubinarius, & ſic ab officio privatus, & alter alteri Monaſterio cum Animarum cura præfectus erat, undè deſierat eſſe membrum illius Monaſterii. *Et Paſſerin.de Elect.cap.14.num.49.* loquitur de Electore inhabili, qui nunquam fuerat in poſſeſſione juris eligendi.

9. Cùm de cætero, poſſemus de facto dicere, contemptum, de quo agitur, non promanaſſe ex ſimplicitate, aut ſinceritate animi; ubi per impoſſibile ad ſenſum Partis deberet probari cum dolo; quia ſi circumſtantiæ illum aſſociantes perpendantur, indè emergit animi præmeditata, & conſpirata injuriatio, dum Decretum Foraneitatis fuit à Capitulo exaratum, illudque appensatè in abſcondito retentum, nec promulgatum, niſi poſt menſium intervallum, ne poſſet habere Dominus Cardinalis opportunum tempus ad reclamandum. Inſuper tale Decretum ſecum ferens privationem vocis Capitularis adverſus unum ex Electoribus, ſine eo quod prius citetur, & detur copia eorum, quæ contra ipſum ſunt fulminata, ut poſſit ſe defendere, quando defenſiones ſunt de jure naturali, ut in propoſito probat *Peyrin. de offic. ſubdit.Regular.tom.1.quæſt.1.cap.31.§.10.fol.mihi 134.Sperell.dec.181.n.10.* Non caret culpa, & defectu contra jus naturale, ut de ſe patet.

10. Ulteriùs, dum Dom.Cardinalis pluries humaniter rogavit Capitulum in tot epiſtolis aliàs datis, ut removeret hujuſmodi indebitum obſtaculum, & ſemper continuavit morem ei gerendo, etiam exindè augetur injuria contemptus. *Spad.conſ.116.ſub num.5.& 6. lib.3.* & demum contemptus ex malo animo, & injurioſo convincitur, dum ubi Dom.Cardinalis vidit poſt tot preces, & rationum inſinuationes, omnia à Capitulo inflexibiliter parvipendi, appellavit ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ejuſque Sanctam Sedem Apoſtolicam, atque appellationem opportunè eidem Capitulo notificavit, quod, ea omninò ſpreta, attentatè devenit ad actum Electionis. Undè prudentiæ, ac Juſtitiæ Sapientiſſimorum Patrum ſtat dignoſcere, an ſine injurioſo contemptu, atque ſine myſterio fuerint hæc omnia peracta, ut exadverſo vellet ſupponi, quando Electio facta ſpreta appellatione, ſecum fert rationem caſſandi ſe ipſam, tanquam nullam, ut ſunt *textus in cap. conſideravimus 10.in cap.bonæ memoriæ 23.& in cap.auditis 29.De Election.*

11. Hinc ſublatis prædictis, non videtur juvare ad excludendam contemptus exceptionem afferta Foraneitas, incurſa à Domino Cardinali vigore Statuti hujus Eccleſiæ; quia iſtius Statuti Particulæ uſque nunc ſemper dif-

difformi, & vario tenore exhibitæ, juxtà ſeriem recenſitam in facto per Dominum cauſæ Patronum, non parum reddunt incertum animum circa ejuſdem ſubſiſtentiam, & verum illius contextum; cùm nihil magis magna pericula involvat in Judiciis, quàm inconſtantia, & variatio, ut latiſſimè animadvertit claræ memoriæ *Cardinalis Albit. in ſuo tractat. de inconſtant. in Judic. in Præfat.ferè per tot.*

12. Sed procedendo etiam cum particula ultimo loco extracta ex Cancellaria Capituli, adhuc in ea nihil aliud ſancitum habetur, quàm quòd: *Quicumque in Feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam Reſidentiam exhibuerit, reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem continuè, vel diſcontinuè; alioquin pro Foraneo habeatur, nec ullos omninò fructus faciat dicto anno, niſi de licentia Capituli abeſſe illum contingat, &c.* Et deindè ſubſequitur aliud caput. ibi: *Item, qui in die B. Ægidii ſe ad Reſidentiam præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit.* Ex quo apertiſſimo tenore primi capitis habetur dumtaxat, quòd qui, jam facta prima Reſidentia, volet ſecundam quoque facere, ſi poſtquam ſe exhibuerit, aut præſentaverit ad illam faciendam. ibi: *Se ad ſecundam Reſidentiam exhibuerit*: tunc ſi deindè variando illam non impleverit, tunc pro Foraneo habeatur. Et in alio ſubſequenti ſecundo capite, addendo vim primo, præcipitur, quòd qui ad hanc ſecundam Reſidentiam jam ſe præſentaverit, non poſſit poſteà gratioſam abſentiam petere. Igitur expreſsè patet, quòd Statutum voluit occurrere caſui illi, qui forſan frequenter tunc contingebat, quòd Canonici ſe præſentabant in die feſto B. Ægidii, declarando ſe velle facere ſecundam Reſidentiam, & deindè nunquam illam implebant, ſed petebant gratioſam abſentiam à Capitulo, & fructus percipiebant; voluit, inquam, occurrere tali caſui, ſanciendo, quòd ſi poſt admiſſionem ad Reſidentiam, quis recedat, habeat pœnam foraneitatis, fructus non percipiat: & inſuper, quòd poſt talem præſentationem factam ad effectum faciendi Reſidentiam, nec amplius poſſit variare, petendo gratioſam abſentiam. Sed hujuſmodi pœnam non ſtatuit, nec in aliqua parte Statuti iſta legitur contra illum, qui non ſe præſentavit ad faciendam dictam ſecundam Reſidentiam, & illam non promiſit: & quidem non abſque ratione, quia iſte nullo modo decepit, nec variavit, dum non promiſit, ſe præſentando ad reſidendum: & ſic ad iſtum caſum, de quo nullo modo loquitur Statutum, non poteſt ipſum trahi, nec extendi, quia in Statutis illud dumtaxat ſtrictè attenditur, quod legitur ex littera ſancitum, & tantum dumtaxat diſponit, quantum loquuntur, ità ut non vindicent ſibi locum in caſu omiſſo, juxtà monitum *Bartol. in l. qui liberis, §. hæc verba nu. 7. ff. de vulg. & pupill. Cioſ. conſ. 45. num. 3. & conſ. 102. nu. 7. lib. 2. Paul. Chriſtin. ad Conſtitut. Mechlinien. tit. 7. artic. 6. num. 9. Triſtan. deciſ. Cathalon. 12. num. 22. Rot. deciſ. 181. nu. 4. & 5. par. 5. recent. deciſ. 1641. nu. 4. coram Coccin. deciſ. 327. num. 9. coram Cardin. Celſo, & deciſ. 905. num. 20. coram Cardin. Cerro.*

13. Imò ad evidentiam oſtenditur, ſtatuentes in dictis capitibus conſideraſſe tantùm eos, qui ſe præſentant ad reſidendum, contradiſtinctè ab eis, qui non ſe præſentant ad reſidendum; nam in alio titulo ſubſequenti *de Gratioſis abſentiis*, diſponendo de eis, qui primam Reſidentiam perfecerint, & vi-

vigeſimum quintum annum compleverint, dat eiſdem facultatem petendi gratioſam abſentiam, quæ habilitat ad perceptionem fructuum, & ejus conceſſionem remittit arbitrio Capituli, ut in hodierno *Summ.n.*3. Quapropter ex littera hujus Statuti habemus tres præciſos caſus. Unus eſt ejus, qui ſe præſentavit pro faciendo ſecunda Reſidentia, & illam ſervat: & iſte percipit utique omnes fructus abſque ulla pœna. Secundus eſt ejus, qui ſe præſentat expreſsè pro illa facienda, & poſtmodum illam non ſervat: & iſte, nedum amittit fructus, & habetur pro Foraneo, juxtà primum Statuti caput, ſed inſuper interdicitur ei etiam petitio gratioſæ abſentiæ, ut in ſecundo capite. Tertius denique eſt ejus, qui jam expleta prima Reſidentia, non petit admitti ad ſecundam Reſidentiam, nec illam promittit, quinimò declarat ſe nolle facere, dum petit gratioſam abſentiam, juxtà dictum titulum de gratioſis abſentiis. *d.Summ. num.*3. & iſti, ſi vult poſſe percipere fructus, datur dicta facultas per ſe, vel per Procuratorem petendi gratioſam abſentiam, quæ facultas eſt denegata ei, qui ſe præſentaverat ad ſecundam Reſidentiam, ut ſupra. Et in hoc caſu eſt in arbitrio Capituli gratioſam abſentiam concedere, vel denegare; ità ut ſi denegetur, non poteſt dici impoſita pœna foraneitatis, ſed dumtaxat amiſſionis fructuum.

14. Et proindè ex hac caſuum animadverſione, reſultante ex litterali textu ejuſdemmet Statuti, nobis patet, quòd Foraneus eſt ille, qui promittit ſecundam Reſidentiam, petendo ad eam admitti, & deindè non ſervata fide vult recedere, nec illam facere, contra quem eſt Statutum, privando etiam Beneficio petitionis gratioſæ Abſentiæ. Sed contra eum, qui non promiſit hanc ſecundam reſidentiam, tantùm abeſt, ut ſit impoſita pœna Foraneitatis, ut quinimò non ſit clauſa via etiam percipiendi fructus, dum eſt reſervata facultas petendi etiam per Procuratorem Gratioſam Abſentiam, cujus conceſſionem ſuo arbitrio Capitulum reſervavit.

15. Indè quæratur à primo ad ultimum totus Statuti Contextus, non adinvenietur unquam talis caſus Foraneitatis in eo, à quo non fuit incepta, & promiſſa ſecunda Reſidentia; ideòque quod Statutum non dicit, nec nos dicere poſſumus. *Merlin.de legitimit.lib.*3.*tit.*1.*quæſt.*17.*ſub num.*3.*Rot.dec.*113.*num.*5.*coram Ubald.* Et præcipuè cùm importet pœnam privationis vocis in Electionibus, & ſic odium redoleat, quo caſu rejicitur quælibet extenſio, ſeu argumentum etiam ex identitate, vel majoritate rationis reſultans. *Roccus Epiſcopus Iſclanus ſelect. jur. diſput.cap.*179.*num.*6. ubi latè Concordantes.

16. Quod convincitur etiam ponderando, quòd ſi indiſtinctè voluiſſent Statuentes pœnam Foraneitatis imponere in omnibus dictis caſibus, juxtà Partis Adverſæ ſenſum, facillimè ſe expediviſſent unico verbo, nempè faciendo Foraneos omnes, qui non explerent ſecundam Reſidentiam. Sed cùm tale quid non fecerint, ſed diſtinxerint, ut ſupra, caſum à caſu, indè oritur deficientia voluntatis, cùm Statutum, quod quando voluit aliquid in aliquo caſu, dixit, & expreſſit, demonſtrat, quòd in alio caſu noluerit; quia ſi voluiſſet, in illo etiam pariter ſe declaraſſet, ut inquit *Rot.coram Card. Cerr. deciſ.*905.*num.*13.*&* 14.*& coram Cardinali Vicecomite dec.*96.*num.*7. *poſt Urceol. de tranſact.*

17. Indè

17. Indè opus non eſſet reſpondere interpretationi exadverſo deſumptæ à dictione *alioquin*, adjecta in Statuto, quaſi quòd diſpoſitio affirmativa per eam reſolvatur in negativam contrariam, nempè ac ſi Statutum dixiſſet: quicumque in feſto S. Ægidii ſe non præſentaverit, vel exhibuerit pro ſecunda reſidentia, pro Foraneo habeatur, ex doctrina *Bartol. in l. 1. num. 11. ff. de condit. & demonſtrat.* quoniam Statutum non loquitur ſimpliciter, ſed cum qualitate adjecta. ibi: *Quicumque, &c. facta prima Reſidentia volet reſidere, &c.* ut in principio *Summ. num.* 2. & deindè quando ad effectum faciendi ſecundam Reſidentiam ſe præſentavit, ut ſubditur ibidem *d. nu.* 2. tunc vult, quòd reſideat, *alioquin* pro Foraneo habeatur. Igitur dictio *alioquin* reſolvitur in contrariam negativam, ſi non reſederit cum ſua qualitate, ſcilicet, poſtquam ſe exhibuit, & ſe præſentavit ad effectum reſidendi; ſed non reſolvitur in negativam in caſu quo non ſe præſentavit ad reſidendum; quia præfata dictio operatur intrà terminos, & qualitates prænarratas tantùm, illiſque retentis, ut declarat ipſemet *Bartol. in loco ſup. citat. Cened. poſt libr. practic. & Canonic. quæſt. ſingul.* 3. quam ſequitur quoque *Barboſ. de diction. verb. alioquin num.* 3.

18. Neque deficiente omninò littera Statuti, inductiva pœnæ prætenſæ Foraneitatis, in caſu, de quo agitur, juxtà hucuſque diſcuſſa, poteſt jus aliquod conſtitui in obſervantia, quia obſervantia præſcriptiva nullo modo adeſt, neque exadverſo prætenditur: & interpretativa non habet locum; quia cùm textus, & littera Statuti reſtringantur ad caſum promiſſæ, ſeu ſuſceptæ Reſidentiæ, nec aliquam mentionem faciant de caſu noſtro, ex toties ſupradictis, non poteſt per conſequens allegari; quia obſervantia interpretativa operatur ſolùm quando diſpoſitio habet verba capacia complectendi caſum, non autem quando ſunt de per ſe clara, & habent ſuum ſenſum ad aliquem caſum; quia eſſet novum Statutum inducere, non jam factum declarare. *Bardellon. conſil.* 51. *num.* 19. *Caren. reſol.* 68. *num.* 8. *Thomat. dec.* 280. *num.* 15. *Rot. dec.* 184. *num.* 5. & 6. *coram Greg. XV. dec.* 234. *num.* 51. *coram Coccin. dec.* 997. *num.* 13. *coram Dunoz. jun. dec.* 136. *num.* 9. *par.* 1. & *dec.* 623. *num.* 4. *par.* 3. *recent.*

19. Præterquam quòd actus exadverſo exhibiti, ſingulatim recenſiti, & latè diſcuſſi per Dominum Cauſæ Patronum, nihil penitus concludunt, ut ne prolixam eorum repetitionem hìc faciamus, benè oſtenditur in ejus informatione à *§. agnoſcit pars adverſa*, uſque *ad §. cæterum*. Et indubitàter, quia reſpiciunt caſus diverſos, nec demonſtrantur percutere caſum præciſum noſtræ controverſiæ, ſcilicet ob non repræſentationem in die feſto B. Ægidii, & ſic cum ejus particularibus circumſtantiis, ut pro legali obſervantia requiritur. *Caren. reſolut.* 119. *num.* 2. *Rocc. Epiſcop. Iſclan. diſput. jur. ſelect. cap.* 79. *num.* 11. & 12. *Rot. deciſ.* 69. *num.* 23. & *deciſ.* 422. *num.* 20. *coram Priol. deciſ.* 89. *num.* 3. *coram Card. Cerro.* Quinimò ipſa penitùs, & innegabilitèr deſtruitur; quia ſi ex non præſentatione ſecuta in die feſto Beati Ægidii, ex obſervantia eſſet incurſa Foraneitas, ut exadverſo ſupponitur probari ex quodam unico actu anni 1652. in perſonam Canonici Arnoldi de Merode, utique, fuiſſet deſcriptus pro Foraneo etiam Dominus Cardinalis ab anno 1689. uſque ad annum 1693. & tamen in iſtis omnibus annis deſcribitur dumtaxat

tanquam non ſe repræſentans,quod reſpicit amiſſionem fructuum;nunquam autem declaratur,ſeu deſcribitur tanquam Foraneus, ut in præterito *Summ. Partis num.* 7. Et ſic tantùm abeſt, quòd adſit obſervantia contra Dominum Cardinalem, ut è contra adſiſtat pro eo contra Capitulum; quia illa non minus benè deducitur ex facto, quàm ex non facto. *Rot.dec.*647.*num.* 3.*part.*4. *diverſor. & deciſ.*660.*num.*17. *coram Bich.* & paſſim alibi. Imò aſſertæ contrariæ obſervantiæ probatio tollitur ex hac alia in contrarium favore Domini Cardinalis, cùm ſufficeret ita fuiſſe practicatum etiam per unicum actum, juxtà doctrinam *Bartol.in l.ſemper in ſtipulantibus in fine,ff.de reg. jur.* ſequitur *Rot.deciſ.*100.*num.*19. *coram Card.Cerr.*

20. Sed quando etiam poſſet in omnem impoſſibilem caſum amplecti ſenſum inductæ Foraneitatis, nihilominùs Statutaria diſpoſitio comprehenderet Dom.Cardinalem, qui ab illa remanet abſolutè exceptuatus ob eximiam ejus Dignitatem, ac ob diſpenſationes à Reſidentia, juxtà fundamenta, quæ latiſſimè deduxi pro præterita Congregatione in alia mea informatione, quatenùs opus ſit benignè reaſſumenda, à §. *ſed ſi Capituli ſenſui* uſque *ad* §. *efficaciam*,ubi omnibus pleniſſimè in contrarium deductis videtur ſatisfactum.

21. Agnoſcentes doctiſſimi DD. mei exadverſo in jure ſcribentes, non poſſe ex ſuperiùs diſcuſſis clarum contemptum diſcolorare, allegarunt, Dom. Cardinalem non eſſe amplius Canonicum,ex eo quod non obtinuerit Indultum pro Retentione Canonicatus, quæ etiamſi ſit data, intelligitur conceſſa quoad alia Beneficia, & ad Eccleſias Cathedrales, Monaſteria, & ſimilia, non autem ad alia, quæ videntur repugnare Dignitati,& gradui Cardinalatus,puta ad Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, & Canonicatus, ut ſunt verba Decreti Conſiſtorialis Sixti V. de quo in ejus *Conſtit.*79. *in Bullar.tom.*2. Verùm tollitur objectum,dum habetur Indultum expreſſum ſuper Retentione,conceſſum à ſan. mem. Clemente X. datum in exadverſo *Summario* ſuper vacatione Canonicatus *num.* 2. ubi etiam cum derogatione quibuſcumque Apoſtolicis Conſtitutionibus, datur Retentio omnium mox dictorum, quæ repugnant Statui Cardinalatus. ibi: *Prioratus, &c. Præpoſituras,Dignitates etiam majores, & Principales*, ſub quarum appellatione veniunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Præpoſituræ, & cæteri ſimiles in Eccleſiis Cathedralibus. *Moſcon.de Majeſtat. Milit.Eccleſ.part.*1. *cap.*14. *ſub litt.C.Quintanaduen.in Eccleſiaſt.lib.*1.*cap.*4.*num.*7. *Ceccoper. elucubrat. Canon.lib.*1.*num.*137.*Bengeur de Benefic.diviſ.*§.12.*ſub num.*3.*&* §.15. *nu.*1. Et præcipuè in Eccleſiis Cathedralibus Germaniæ, in quibus Præpoſiti,& alii ſimiles, ſemper dicuntur Prælati, & Dignitates. *Wagnereck in cap. unic.verſ. ſunt prætereà,uſque ad finem,De offic. Primicer.* Et inſuper ulterior, & expreſſa conceſſio Retentionis habetur in aliis Indultis, de quibus in hodierno *Summario num.*5.

22. Verùm ſat eſt, Dom.Cardinalem fuiſſe in poſſeſſione Canonicatus, & tanquam talem ſemper in præteritum agnitum fuiſſe in tot,tantiſque actibus, ab ipſo Capitulo: quinimò admiſſum ad præſtandum Votum per Procuratorem in alia Electione peracta de anno 1689. ut aliàs diximus. Etenim, ne quis à jure eligendi arceri poſſit, abſque vitio damnati contemptus, ſufficit,

cit, quòd fuerit de facto in poſſeſſione Canonicatus, ſeu in quaſi poſſeſſione juris eligendi, pro quo non attenditur, nec quæritur proprietas, ne poſſit extrà vitium contemptus à Voto excludi, ut in his terminis caſſatur Electio aliàs peracta, ex aperto textu ſæpèdicto *cap. in Geneſi* 55. *De Elect.* ibi: *Nec præmiſſi duo Canonici poterant ſic excludi, cùm primus exiſteret in Canonicatus poſſeſſione.* Et paulò inferiùs: *Et ad tractatus, ac electiones Dignitatum, & Perſonatuum, quæ occurrerunt pro tempore faciendæ, tanquam Canonicus ſit Vocatus, ibique gloſſ. verb. poſſeſſione, Wagnereck in cap. cùm olim 7. verb. Epiſcopis notab. 1. & 2. De cauſ. poſſeſſ. & propriet. Spad. conſ. 116. ſub num. 7. verſ. minus applicatur lib. 3.*

23. Pariformis denique irrelevantiæ detegitur aliud exageratum impedimentum, deſumptum ex acerrimo Bello vigente inter Imperium, & Gallorum Regem, quod impediebat omne commercium Gallorum, & ſic etiam Dom. Cardinalis cum Leodienſibus Imperio confœderatis. Quoniam reverenter, & enixè rogantur Eminentiſſimi Patres ponderare, & animadvertere, quòd Bannum Imperiale prohibet omne commercium cum Subditis inimici Regis, quantumvis Eccleſiaſticis, concernens negocia, contractus, aliaſque intelligentias in prophanis, juxtà verba. ibi: *Ordiniamo, che ogni commercio, lettere di cambio, o riſpondenza, ed ogn'altro negozio per acqua, e per terra con gl'inimici dell'Imperio, ſia totalmente caſſato, e c.* Et eodem themate retento, dirigitur quoque erga Eccleſiaſticos. ibi: *Noi ordiniamo anco a tutti i Superiori Eccleſiaſtici, e Secolari, che ordinino a i loro ſudditi, e c. che quelli, e c. non debbano ricapitare lettere, e pieghi ſoſpetti mandati loro; ma che li mettano nelle mani de' loro Superiori, li quali ſe ne valeranno ſecondo i doveri delle loro cariche, e c.* Quapropter ex tenore hujus Banni, nunquam reſultat, nec trahi valet prohibitio Exercitii, & jurium merè Eccleſiaſticorum, utpotè eſt actus dandi vocem in Capitulo, quod clariùs probari non poteſt, quàm ex confeſſione ipſiuſmet Capituli, in cujus replicatis Epiſtolis Domino Cardinali ſcriptis, & aliàs in *Summario* datis per extenſum, nullibi adductum legitur per ſomnium, talis Banni obſtaculum, ſeu impedimentum; ſed allegata, & inculcata ſemper apparet ſola inſubſiſtens excluſio vigore præfati Statuti. Et quidem nefas eſt diverſo modo dicere, & credere de actu emanato à piiſſimo, & religioſiſſimo Cæſare, cujus ſemper intentio glorioſiſſima fuit Sacrorum Canonum, & Conciliorum ſanctiones intactas præſervare, non autem infringere, prout eveniret, ſi ejus Edicta, & Banna, Poteſtate Laicali promulgata, Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum jura infringerent, ſeu tollerent, quod facere non poterat, juxtà tradita apud *Bernard. Laurent. de poteſt. ſæcul. ſuper Eccl. & Perſon. Eccleſiaſt. in princip. num. 1. & ſeqq. inter tract. magn. tom. 11. fol. mihi 329. à t. Wameſ. conſ. Canon.* 502. *num. 4. &* 5. *tom. 2.* Idque etiam comprobatur ex Epiſtolis Reverendiſſimi Nuncii, qui teſtatur, difficultatem non adfuiſſe apud Cæſaream Majeſtatem concedendi Paſſa-portum Domino Cardinali, quantumvis Gallo, ex vi prænarrati Banni; undè tale impedimentum, quod non fuit in mente Capituli, neque in intentione Auguſtiſſimi Imperatoris, pro certo ſperatur, quòd hodiè non erit admittendum, tanquam exortum, & inſinuatum hîc in Urbe coram Summo Pontifice, cujus animus in puncto confirmationis, non eſt inſtruendus ex opinione, & reputatione aliorum, ſed

ex

ex Sacris Canonibus, & Regulis juris, ut ad rem inquit *Spad.conſ.116.num.9.lib.3.*

24. Quo Banno ſecluſo, ubi res ad ſola Bellorum conſocia impedimenta reducitur, potuit Capitulum forſan excuſari à contemptu ob non evocationem, de quo ſolo loquuntur omnes Canoniſtæ, cæterique Doctores exadverſo laudati, ut ex benigna illorum lectura; ſed non poteſt excuſari ab alio magis injurioſo contemptu commiſſo, quo recuſavit Dom. Cardinalem ad ſuffragium ferendum admittere ut ſupra; nam Canonici, cæterique Eccleſiaſtici, quoad eorum jura Eccleſiaſtica, etiam inter Bellorum incendia, plena ſecuritate gaudere debent, nec inter Hoſtes inter ſe connumerantur, juxtà reſponſum Summi Pontificis Alexandri III. *in cap. innovamus De Treug. & Pac.ibique Ancharan.num1.Joann.de Anan.in princip. Gonzal.num.9.& ſeq.* ubi id probat etiam ex pluribus Conciliis, *Fagnan.& Wagnereck,Malpheſ. in Summ.tract.12.cap.3.num.187.tom.2.Petr.Bellin.De re militar. tit.9.num.7. inter tract.magn.tom.16.fol.mihi* 344. *à t.*

25. Nec juvat, quòd etiam urgebat timor Diſſentionum, Schiſmatum, ſeu aliarum controverſiarum ex acceſſu Dom.Cardinalis;quia nec iſta extranea excuſatio numquam à Capitulo adducta, quinimò oppoſita, exceptioni ex profeſſo ſemper adductæ,ni ſæpè memoratis litteris ſuper Foraneitate,tollit undique inexcuſabilem contemptum: nedum quia Doctores,& Canoniſtæ in contrarium indicati, ut plurimum loquuntur quoad excuſandam ſolam evocationem; ſed fortiùs, quia hujuſmodi timor diſſentionum, ſeu periculi, eo quia in loco Electionis faciendæ adſint inimici alicujus Electoris, vel ibi ejus Pars contraria dominetur, non facit, quòd poſſit denegari dare Votum per medium Procuratoris, ut diſtinguendo caſum à caſu, clarè firmat *gloſſ.in cap.quia propter 42.verb. venire non poſſit, De Elect. gloſſ.in cap.ſi quis juſto 46.verb.detentus,uſque ad finem,eodem tit.in 6.Innocent.in cap.2. ſub num.2. verſ.ſecus ſi propter,De nov.oper.nunciat.Abb.in cap.cùm omnes 6. ſub num.7. verſ.aut ſine culpa,Spad.conſ.116.ſub num.6.lib.3.*

26. Et ratio excluſiva omnis abſurdi, & quorumcumque poſſibilium ſcandalorum, ubi quis admittitur ad votandum per Procuratorem, oritur ex eo, quòd mandatum ad præſtandum ſuffragium in caſu impedimenti, fit in alium Canonicum de gremio ejuſdem Capituli,ut communiter docent Canoniſtæ *in d.cap.quia propter*, & probat *Rot.in deciſ.372.num.4.part.14.recent.* Undè ſicuti alter de Capitulo, in quo factum fuiſſet mandatum, nullam habebat exceptionem in dando votum ſuum, nec alicui ſcandalo, aut ſchiſmati cauſam dediſſet ex ſuo voto, ita nec dare potuiſſet ex voto alterius; quia Procurator conſtitutus non poteſt dare votum pro alio ad favorem perſonæ diverſæ ab ea, cui accedit cum ſuo proprio ſuffragio. *Felin. in cap. cùm olim num.3.De ſentent.& re judic.Lavor.in elucubrat.tit.4.De Elect.cap.17.nu.58. Rocc.Epiſcop.Iſclan.diſputat.jur. ſelect. cap.51. num.132.* Et proindè ipſum mandatum ad dandum votum, debet eſſe generale, nec poteſt eſſe reſtrictum ad certam perſonam, ut ex Sacro Concilio Tridentino, ac ex Reſolutionibus Sacræ Congregationis ejuſdem Concilii,firmavit *Rot. in alia cauſa Leodienſi, quæ eſt la deciſione 141.num.16.& 17.par.19.recent.*

27. Nec ſubſiſtit modò aliqua replicatio,quòd nemo ſuſcepiſſet tale man-

datum;

datum; quia talis repugnantia negativa non probatur à Parte adverſa, & quilibet ex Eminentiſſimis Patribus poteſt animo ſecum revolvere, an ſit veriſimile, quòd nemo ad inſtantiam Dom. Cardinalis tale mandatum ſuſcepiſſet inter Capitulares Leodienſes. Undè debebat prius Capitulum admittere D. Cardinali Deputationem Procuratoris ad votum ferendum: & ſi non fuiſſet adinventus aliquis, qui acceptaret, & omnes recuſaſſent, tunc factus locus eſſet diſpoſitioni *textus in cap. ſi quis tuto* 46. *De Elect. in* 6. ubi datur facultas deputandi virum Religioſum etiam non Capitularem, cujus deindè admiſſio ſtetiſſet in arbitrio Capituli; ſed dum non evenit iſte caſus, ob denegatam à Capitulo abſolutam poteſtatem dandi votum, non poteſt objici caſus, qui figuratur, ſed non evenit. In reliquis recurrunt Reſponſiones in alia Informatione uberiùs traditæ.

GASPARIS

GASPARIS TURCHI

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS, ET FACTI

Super contemptu.

1. STatuta tranſmiſſa à Domino Nuncio Coloniæ, nullatenus deſervire valent ad deciſionem Articuli controverſi: an Canonicus qui ſe non præſentavit in feſto Sancti Ægidii habendus ſit pro foraneo: & multò minus ad firmandam ejuſdem prætenſæ foraneitatis obſervantiam. Etenim, animadverſa in alia propoſitione hujus cauſæ difformitate hujuſmodi Statutorum compilatorum anno 1560. & 1563. fuit ordinatum, *ut extraheretur ex originali Exemplum authenticum Statuti Eccleſiæ Leodien. quod ſit in obſervantia*; Et tamen Deputati D. Nuncii ex libro, ubi dicitur contineri Statutum anni 1560. quod Secretarius Capituli teſtatur eſſe in obſervantia, ſolùm extraxerunt duo Capitula ſub titulo *de ſecunda reſidentia*, & aliud ſub titulo *de Capitulis Ordinariis, & ſpecialibus. Summario Partis num. 3.*

2. Nullum igitur fieri valet fundamentum in hac particula, ſeu fruſto Statuti, quamvis eſſet legale, & authenticum. Quia cùm ad excluſionem prætenſæ foraneitatis poſſint valdè conſerre, & allegari alia Capitula, præſertim de gratioſa abſentia, & cæteræ partes ejuſdem Statuti combinari, & obſervari: debebat utique totum, & integrum Statutum exemplari ex ſuo originali, ut tota lege perſpecta, & à nobis jura Eminentiſſimi Dom. Cardinalis Bullioni promoveri, & ab Eminentiſſimis PP. eorum rectiſſimum Judicium deſuper proferri tuto poſſet.

3. Neque ſubſtantialis iſte defectus ſuppletur ex copia informi integri dicti Statuti anni 1560. quam tranſcribi curavit Dom. Nuncius ex alio Exemplo reperto inter acta Viſitationis R.P.D. Sanfelicii de anno 1656. per acta, & quod uſque tunc aſſerit fuiſſe prælectum, uti obſervantia munitum; Nam in primis iſta copia uti ſimplex ſumptum de ſumpto nihil probat. Deindè in titulo de ſecunda reſidentia eſt difformis ab eodem titulo nuper, ut ſuprà in forma authentica extracto ab originali; nam dicta copia continet diſpoſitionem de eo qui ſe præſentavit ad reſidentiam in feſto Sancti Ægidii, qui ſi deindè petit gratioſam abſentiam ei denegatur; dicta verò particula authentica id non continet.

4. Prætereà in Summario aliàs exadverſo dato, hæc eadem diſpoſitio erat concepta cum dictione negativa, *qui ſe non præſentaverit in die S. Ægidii, gratioſam abſentiam petere non poſſit*, quod magis excludebat prætenſionem foraneitatis, ut etiam fatetur D. exadverſo ſcribens in facto. Undè cùm ex

una

una parte detur particula Statuti authentica, carens dicta diſpoſitione particulari, quæ multum conferre poteſt ad hujus articuli deciſionem, & ex alia detur copia illam continens contrario modo, quo aliàs fuit expoſita: planum eſt, quòd in hujuſmodi diverſitatis anfractu, debet ipſum origiual integrè afferri, ut certum Judicium efformari poſſit.

5. Et vana eſt ponderatio in exadverſo informatione *num.* 10. quòd dicta Diſpoſitio,ſeu Articulus fuit omiſſus in extractione,tamquam non pertinens ad foraneitatem; Dum enim erat deſcriptus in medio ejuſdem tituli *de ſecunda reſidentia*, ex quo potiſſimum exadverſo deſumitur foraneitas, nullo modo omitti debuit, nec permitti trunca, & mutilata extractio ejuſdem tituli,cùm non eſſet in poteſtate extrahentium dijudicare quænam partes Statuti pertinerent, vel non pertinerent ad foraneitatem. Indèque ſemper clarior apparet defectus hujus extractionis, & neceſſitas videndi in forma authentica totum hoc Statutum Eccleſiæ Leodien.

6. Nil relevante,quòd copia integra à Nuncio tranſmiſſa concordet cum aliis in regiſtris Pii IV. Quia ſatis eſt dicere,quòd original exiſten. in Archivio Leodien. quod debet unicè attendi, uſque nunc apparet diverſum, dum caret dicto Articulo: imò multa adeſſe poſſunt in dicto originali, quæ non reperiantur in prædictis copiis, & dari poſſet caſus, quòd in ſtatuto originali dictus Articulus *ſtudioſè exadverſo omiſſus* cantet negativè:*qui ſe in die Sancti Ægidii non præſentaverit, is poſteà gratioſam abſentiam petere non poſſit:* & ſic alio modo, quàm cantant copiæ prædictæ. In hac autem materia ex tot varietatibus, & confugiis oritur magna prædictorum ſuſpicio, dum directè non fuit deventum ad authenticam extractionem totius Statuti, ut ſanè fieri debebat.

7. Ultrà quod allegata conformitas copiæ Dom.Nuncii cum alia exiſten. in dd. regiſtris Pii IV. nullatenus ſubſiſtit, & Dom. Secretarius, qui utramque collationavit, plures, & ſubſtantiales difformitates in eadem copia adnotavit, quam oculis Eminentiſſimorum PP. ſubjicere poterit: adeò ut à primo ad ultimum urgere videatur præciſa neceſſitas habendi in forma authentica integrum controverſum Statutum.

8. Minuſque venit attendenda aſſerta obſervantia; quatenus enim Dom. Nuncius dicit Statuta anni 1560. uti præelecta à Sanfelicio in viſitatione anni 1656.*Preſupponendo,come ora appariſce de fatto,che quelli foſſero all'ora in oſſervanza, come lo ſono adeſſo*: id non relevat, quia ad hoc concludendum debuiſſet Dom.Nuncius dare acta dictæ Viſitationis, ex quibus appareret,an dicto Viſitatori fuerint exhibita etiam Statuta anni 1563. & an ipſe præelegerit illa anni 1560. uti obſervata: & quoad obſervantiam de præſenti Dom. Nuncius nihil teſtari poteſt; Quæ verò dicta ſunt in acta extractionis à Canonicis, & Secretario Capituli,ſunt verba generalia, quæ non percutiunt caſum foraneitatis contra Canonicos, qui in feſto Sancti Ægidii ſe non præſentant in Capitulo, ut probavi in Informatione.

9. Cæterum Statuta prædicta, conſiderata etiam eo modo, quo deſcripta ſunt in dicta particula extracta de ſecunda reſidentia, nec per umbram conſtituunt foraneos Canonicos ſeſe in die Sancti Ægidii non præſentantes, ut legenti, & relegenti patet: ſatiſque eſſe debet in hac materia pœnali, odioſa,& contra jus dicere: Statutum de hoc caſu non loquitur. Nec juvant extra-

neæ interpretationes, quòd diſpoſitio Statuti de eo, qui ſe præſentat ad ſecundam reſidentiam, & poſteà non reſidet, verti debeat in negativam ob dictionem illam *alioquin habeatur pro foraneo*, ex quibus, quaſi per machinas DD. exadverſo Scribentes conantur trahere, & detorquere verba Statuti in eorum ſenſum; quia ſemper cum affirmativa, ſive cum negativa Statutum loquitur, & intelligendum erit in caſu, & ſuppoſito, quòd Canonicus volens facere ſecundam reſidentiam, & fructus lucrari, ſe ſe ad illum exhibuerit, & poſteà reſidentiam non perfecerit, quod ſanè non adaptatur, nec verificari poteſt in Canonico non curante dictos fructus lucrari, & ſe non præſentare in Capitulo d. die Sancti Ægidii, ut latè probant DD. Mei in jure Scribentes, & præſertìm D. *Philippuccius* in ſua ſecunda Juris, *num*.8. *cum ſeqq*.& latè D. Advocatus *Vaillant*.

10. Neque caſus iſte Canonici ſimpliciter ſe non præſentis in feſto Sancti Ægidii à Statuto omiſſus, dici valet comprehenſus in dd. Capitulis de ſecunda reſidentia ex obſervantia. Nam tale motivum corruit, tum quia nullum adeſt Statutum præcipiens annalem repræſentationem Canonicis in die Sancti Ægidii, cujus verba pro incurrenda pœna foraneitatis ſint dubia, ut ſic ab obſervantia interpretativa ſuppleantur, ideòque potiùs opus eſſet probare obſervantiam præſcriptivam in præſenti, nec minus allegatam. Tum etiam quia actus nimia affectatione à Deputatis Dom. Nuncii, ut dicitur, extracti à Libris Capitularibus, nullius ſunt relevantiæ, nec juſtificant prætenſam obſervantiam in caſu controverſo, ut ſingillatim eis reſpondendo probavi in Informatione.

11. Adeo ut nec allegari mereatur, quòd in feſto Sancti Ægidii anni 1693. etiam Magnus-Magiſter Teutonicus fuerit ex defectu præſentationis declaratus foraneus. Nam ex dicta declaratione, imò apparet, quàm irrationabiliter Capitulum ad ſui libitum effingat hujuſmodi foraneitates. Licèt enim Teutonicus ſe repræſentaſſet annis 1691. & 1692. & jam primam, & ſecundam reſidentiam impleviſſet: attamen quia in anno 1690. non apparebat de repræſentatione, noluit illum admittere de anno 1693. ut legitur in exadverſo *Summ. num*. 14. quod equidem quàm ſit abſurdum nemo non videt, dum non obſtante foraneitate antecedentis anni, ſemper Canonicus eo anno, quo ſe præſentat, admitti debet, & maximè quia Teutonicus duobus annis præceden. 1691. & 1692. ſe præſentaverat, & fuerat admiſſus. Undè tanto minùs ſub prætextu non factæ præſentationis anni 1690. poterat rejici anno 1693. meritò igitur nulla ratio eſt habenda de hujuſmodi Actibus, ſeu Declarationibus ſuper obſervantia foraneitatis, quæ abſque ullo fundamento Statuti, aut rationis, ſed proprio Marte Capitularium irrogatur.

12. Quinimò conſtat de obſervantia contraria, dum ab anno 1689. fuit adnotatus defectus repræſentationis in Dom. Cardinali per quinque annos, abſque eo quòd fuerit declaratus foraneus, ut in primo Partis *Summ. ſuper oppoſitionibus num*. 7. Et præſentationes mediante Procuratore ſecutæ pro parte Domini Cardinalis uſque ad annum 1688. Mandatumque Procuræ ejuſdem cum expreſſione: *Et Nos ad reſidentiam, prout moris eſt, repræſentandum*: Nihil urgent, quia, ut ſæpius diximus, ſunt actus voluntarii, & facultativi, dum nulla præexiſtebat obligatio, ſeu neceſſitas talis Præſentationis: illaque clauſula, *ut moris eſt*, explicat ſolitum facultativum faciendi tales

Præ-

Præſentationes, & gratis aſſeritur indè provenire facultatem votandi, ponderatis ſequentibus verbis: *Et in Electionibus,quando in abſentia noſtra votare contigerit,nomine noſtro ſuffragium dandum*. Quia perſpicuè apparet ea continere diverſum jus, ſeu poteſtatem Procuratori tributam, nempè dandi votum in Electionibus faciendis totaliter independentem à repræſentatione, ſicque argumentum nihil concludit.

13. At quando per impoſſibile vigeret in Canonicis Leodien. talis annalis obligatio ſe præſentandi in feſto S. Ægidii, hæc locum ſibi vindicare non poterat in Eminentiſſimo Dom.Principali noſtro,plenè ab obſervantia hujuſmodi actuum, & repræſentationum Capitularium ex Indultis Pontificiis diſpenſato, uti Cardinalitiæ Dignitati non convenientium, ſicuti patet ex Indulto Clementis X. emanato ſuper Præpoſitura.præterito noſtro *Summario num.15.* eximente Dom.Cardinalem tàm uti Præpoſitum, quàm uti Canonicum; Atque hujuſmodi Diſpenſatio fortius oſtendit, quòd actus Præſentationis per conſtitutionem Procuratoris poſteà geſti à Dom. Cardinale, jam auctoritate Apoſtolica ab eis exempto,fuerunt ad exuberantiam, & merè voluntarii, ut proindè ex illis perperam exadverſo adducatur obſervantia obligativa ſe præſentandi in feſto S. Ægidii ſub pœna foraneitatis.

14. Dicere verò, quòd talis annua præſentatio eſt actus volitus à Statuto principaliter,& de per ſe,etiam præſcindendo à reſidentia,ad quem tenentur etiam Canonici actu reſidentes, cùm ſit actus momentaneus habens diverſam rationem,non repugnantem Dignitati Cardinalitiæ,eſt ſubtilis animadverſio adinventa ad ornatum materiæ. Sed carens omni fundamento facti, dum toto Statuto perlecto talis Præſentatio in abſtracto nullibi legitur à Statuto præſcripta, ſed quidem cauſativa,& in concreto, vel aggrediendæ ſecundæ reſidentiæ, vel petendi gratioſam abſentiam, ad faciendos fructus ſuos, ut benè demonſtrat Dom. Advocatus *de Vaillant* in ſuo *reſponſoJuris, num.61.& ſequentib.* Nec unquam in tot actibus Capitularibus, exadverſo datis, ſit mentio, quòd Canonici jam actualiter reſidentes fecerint d. Scenam momentaneæ repræſentationis; ſed benè quidem adnotantur Canonici abſentes, qui mittunt mandata Procuræ, vel qui anno antecedenti abſuerunt, ut exindè fructus ſuos faciant. Cùmque ab huiuſmodi obligationibus perſonaliter reſidendi, & petendi gratioſam abſentiam fuerit Dom.Cardinalis plenè diſpenſatus, fateri oportet, quòd multò magis fuit diſpenſatus ab hujuſmodi formalitate Præſentationis per Procuratorem, ſubrogata loco perſonalis Comparitionis, quòdque propterea actus, ut ſuprà geſti per conſtitutionem Procuratoris à Dom. Cardinali emanarunt ex abundanti, ad oſtendendam ſuam eximiam,& fraternam charitatem,qua Perilluſtre Capitulum Leodien. proſequitur, non autem ad inducendam obligationem, & quòd aliàs haberet locum figurata pœna foraneitatis, ut probavi in Informatione *numero* 23.

15. Hoc validiſſimum, & inexpugnabile fundamentum non concutitur ex nimis ſerotina oppoſitione, quòd per aſſumptionem ad Cardinalatum Canonicatus vacaverit,ex Bulla, ſeu Decreto Conſiſtoriali Sixti V.quòdque pro illius retentione non ſuffragetur generale Decretum diei 19. Maji 1670. adducendo ulterius, quòd Eminentiſſimi Furſtembergius, & de Haſſia in eorum Indultis ſpecificè obtinuerunt retentionem Canonicatuum,in exadver-

ſo *Summ.num.*30.&31. Etenim quòd Dom. Cardinali Bulliono fuerit indulta retentio Canonicatus,liquidò patet ex Brevi Apoſtolico ſa. mem. Clementis X. expedito,vigore dicti Decreti Conſiſtorialis,die 19. Maji 1670. in quo Summus Pontifex,una cum titulo Sancti Laurentii in pane, & perna,decrevit ad ſui favorem retentionem etiam Præpoſiturarum,ac Dignitatum majorum,& principalium, cæterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, quæ quomodolibet Dom. Cardinalis obtinebat. *Summ. Partis num.*28. Cùm autem indubitatum ſit,ſub nomine Dignitatum Majorum, & Principalium,ac Præpoſiturarum venire Archidiaconatus,Archipresbyteratus , & ſimiles , quæ in Cathedralibus requirunt actualem reſidentiam , & ſunt incompatibiles cum Dignitate Cardinalitia, & præſertim in Cathedralibus Germaniæ, in quibus Præpoſitura habetur pro prima Dignitate, utique palàm eſt, quòd ſicuti Dom.Cardinalis poterat dictas Majores Dignitates retinere , ità multò magis Canonicatum Cathedralis Leodien. nec opus fuit in Indulto ſpecialiter talem Canonicatum nominare, cùm ſufficiat ſimiles,& majores Dignitates reſidentiales nominaſſe ; prout pariter ſub eadem verborum formula apparent concepta dicta Brevia DD. Cardinalium Furſtembergii , & de Haſſia , licèt ibidem etiam Canonicatus nominetur , ut *d. Partis Summario num.* 30. ibi: *Omnia , & ſingula Monaſteria etiam Conſiſtorialia , Prioratus etiam Conventuales , Canonicatus , & Præbendas , Præceptorias, Præpoſituras, Dignitates etiam Majores, & Principales,&c.*

16. Et quòd revera ſub dicto Indulto data fuerit retentio Canonicatus apertiſſimè demonſtrat Breve ejuſdem Clementis X.favore Dom.Cardinalis, expeditum de anno 1675. in quo confirmavit Præpoſituram Leodien. præfato Dom.Cardinali,uti Canonico collatam cum ampliſſima diſpenſatione à reſidentia, & obſervantia Statuti dictæ Eccleſiæ . præterito noſtro *Summar. num.*15. Non poteſt autem melior afferri declaratio, an ſub diſpoſitione dicti primi Indulti data fuerit retentio Canonicatus , quàm Breve ejuſdem Papæ, qui alias gratias Dom.Cardinali conceſſit cum neceſſario ſuppoſito, quòd eſſet Canonicus, ad tradita per *Rotam deciſ.*383.*num.*35.*cum ſeqq. par.*19.*rec.*

17. Atque huic irrefragabili veritati benè conferunt tria alia ſubſecuta Indulta Proviſionum Eccleſiæ Albanen. Commendæ Cluniacen.ac Præpoſituræ Foſſenſis , pariter exprimentia retentionem prædicti Canonicatus cum uniformi , & longiſſima obſervantia , ſecundùm quam Dom. Cardinalis in actibus, & functionibus Capitularibus fuit ſemper recognitus pro Canonico: & propterea nefas ſit, quòd hodiè cum iſtis inſubſiſtentibus prætextibus Pars adverſa quærat effugere manifeſtum contemptum , & injuriam illatam Dom. Cardinali,excluſo à voto præſentis electionis ſub frivolo,& mendicato prætextu foraneitatis.

18. Præterquod ad effectum, de quo agitur, exuberare debet,quòd Dom. Cardinalis eſſet in poſſeſſione eligendi , quo caſu nullatenus à voto excludi potuiſſet , cùm tali caſu ſufficiat quicumque coloratus titulus à Superiore habitus . Multò magis ergo in caſu noſtro , quo multiplex Brevium Apoſtolicorum titulus clarus , & legitimus fuit ad majorem cautelam exhibitus, adeout ſuperfluæ prorſus remaneant quæſtiones de proprietate, & poſſeſſione inutiliter exadverſo excitatæ ; cùm in D.Cardinali, poſſeſſore nedum triennali , ſed tricennali, quilibet melior titulus præſumi debeat, ex latè adductis

per

per *Dominum Philippuccium , numero 28. cum ſequentibus.*

19. Denique non urget prætextus belli, vigentis inter Imperium , & Regem Chriſtianiſſimum, ex quo Pars adverſa exagerat, Dom.Cardinalem, Natione Gallum , & dicti Regis Miniſtrum,non potuiſſe ſine periculo , & incommodo Eccleſiæ Leodien. ad electionem convocari, aut admitti, ſtantibus præſertim litteris avocatoriis , ſeu bannis Imperatoris , quibus prohibitum fuit commercium cum Gallis, tanquam hoſtibus ; undè infertur , quòd neque per Procuratorem erat admittendus Dom. Cardinalis ad ſuffragium ferendum, dum periculum non conſiſtebat tantùm in ſua perſona , ſed erat commune etiam Eligentibus , qui non potuiſſent tale mandatum acceptare ob pœnas comminatas in dictis Bannis . Siquidem ad repellendum hujuſmodi objectum, malè exadverſo ſundatum,in primis ſupplicamus caveri à ſuppoſito, de quo paſſim in Informationibus Partis , quòd ſcilicet Dom. Cardinalis eſſet Plenipotentiarius Gallorum Regis in re bellica , quaſi ad ejus nutum, uti ſupremi Armorum Ducis,bellum duceretur . Quod quidem ſuppoſitum , quàm ſit à veritate alienum, toti Orbi notorium eſt ; cùm Rex Chriſtianiſſimus habeat ſuos Duces ad arma promovenda , & Eminentiſs. Cardinalis ſit quidem Magnus Eleemoſynarius, & ſic Ordinarius Cappellæ Regiæ, ubi, ad paſcendum gregem ſibi commiſſum,reſidet:& ſi degens menſibus præteritis in Oppido Huyenſi ſpopondit Armiſtitia , ut electio Epiſcopi Leodien. liberè, & pacificè perficeretur , id tamen non ſua auctoritate, ſed obtenta ad propriam ſupplicationem deſuper Regis conceſſione talem fecit promiſſionem , & publicavit , ut videre eſt in ejus epiſtolis , quæ perperam exadverſo detorquentur,ad conſtituendum Dom. Cardinalem ſupremum Armorum Præfectum.

20. Hoc igitur ſchiſmatum, & ſeditionum periculum Eccleſiæ Leodien. hîc manipulatum ab Agentibus Sereniſſimi Principis à Bavaria, numquam à Capitulo fuit ſomniatum in menſibus Februarii,Martii, & Aprilis præteritorum,quo tempore D. Cardinalis inſtabat admitti ad electionem. Imò poſcente Dominum Cardinalem ſalvum-conductum , ut privatus , & ſimplici ſamulatu ſtipatus ad Capitulum accederet, ſemper fuit excluſus,prætextu foraneitatis ; cùm de cætero nulla alia exceptione repelleretur , & ſalvus-conductus datus foret, niſi ex cauſa foraneitatis foret inutilis , ut patet ex epiſtola . ibi: *Undè cùm, juxta eas conſuetudines,Em.V.in electione futura ſuffragium dicere non poſſit, nec ad illam ſit convocanda, inutilem omninò, & fruſtraneam ſalvi-conductus tranſmiſſionem arbitramur,quem etiam ad illum effectum abſque recognitione competentiæ voti in electione ,quod tamen Em. V. juxta Statuta non competit, procurare non poſſemus , &c.* Neque refragatur votum Lovanien. & alia ſcriptura Capituli , ut prætenditur edita menſe Martii præteriti ſuper hoc impedimento belli, in Partis *Summ.nu.* 18. & 19. Quia,dato etiam, quòd tunc temporis compoſita ſint , certè nunquam ſuerunt ad notitiam D. Cardinalis deducta,ut patet ex lectura omnium epiſtolarũ Capituli ad Em.S. tranſmiſſarum . Et veriùs videtur hæc omnia modò confingi ad palliandum, ſed inutiliter,manifeſtum contemptum D. Cardinalis , quod certè credimus non profuturum.

21. Cæterum periculum ſchiſmatum , ſeu factionum , tàm in admiſſione Perſonæ Dom. Cardinalis , quàm ejus mandati Procuræ ad votandum, funditus

tus corruit ex facto. Patet quippè ex epiſtola Nuncii Cæſarei, *in Summaria Partis num.* 23. quòd cùm Dom. Cardinalis ſupplicaſſet Cæſaream Majeſtatem, ut ſibi paſſa-portum concederet, Reverendiſs. Nuncius reſcripſit: *Devo arguire, che Sua Maestà ſia per degnarſi inviare il paſſa-porto deſiderato da Voſtra Eminenza al ſuo Ambaſciadore in Liegi, acciocche lo traſmetta a Voſtra Eminenza, quando però il ſuo ingreſſo in Liegi, venga ora unicamente impedito dal motivo di eſſere Voſtra Eminenza Franceſe, e d'aver aderito alla Francia dopo pubblicate l'Avocatorie Ceſaree nella guerra preſente, e c.* Ecce ergo, quòd Imperator ipſe in D. Cardinali notiſſimæ pietatis, & fidei Viro, quamvis Nationis Gallicæ, & Chriſtianiſſimi Regis Magno Eleemoſynario, non ſuſpicabatur ſeditiones, aut ſchiſmata, quæ modò exadverſo obtenduntur; Nec promiſſio dicti paſſa-portus ſunt verba Curialia, quia adſunt etiam litteræ ejuſdem Reverendiſſimi Nuncii ſcriptæ in Secretaria Status, talem conceſſionem paſſa-portus plenè confirmantes, & jam huic Sac. Congregationi ab Eminentiſſimo Spada notificatæ.

22. Atque hoc nudum factum exuberat ad claudendum os Parti, quæ tot aereis periculis conatur adumbrare Dom. Cardinalem, uti hoſtem publicè proſcriptum à Civitate, & Capitulo Leodien. adeout nec ibi per mandatum Procuræ nominari poſſet, quin potius luce meridiana clarius ex actis, & litteris Capituli convincitur, quòd fautores Dom. Principis Clementis procurarunt publicari aſſertam foraneitatem, & excluſionem Dom. Cardinalis à voto proferendo, ut hoc modo paſſa-portum conceſſum, uti fruſtratorium, morarentur, benè ſcientes, quod ponderis eſſet aliud unicum votum, ſi fuiſſet contrarium, ut docuit experientia ſecutæ electionis cum diſſentione medietatis Capituli.

23. Multò fortiùs ergo elucet contemptus Dom. Cardinalis, dum illum rejiciendo à voto, impeditus fuit conſtituere Procuratorem ad ſuffragium in electione ferendum, quatenus perſonalis intereſſentia ei permiſſa non foret. Aſſumptum verò exadverſo magnificatum, quòd nemo contra prohibitionem bannimentorum Imperialium ſuſcepiſſet tale Mandatum, eſt prorſus frivolum. Jam enim in facto demonſtravi, dicta bannimenta hæc non prohibere, ſed ſolùm litteras, & tractatus ſuſpectos, ut latiùs refertur in dicto Juris reſponſo *Dom. Vaillant, numero* 177. *cum ſequentibus.* Idque, & comprobat ipſa evidentia; nam Eminentiſs. Dom. Cardinalis ſemper retinuit Leodii ſuum Vicarium, nempè Dominum Henricum Dumont, Canonicum Cathedralis Leodienſis, qui, præfatis litteris avocatoriis non obſtantibus, correſpondentiam cum Eminentia Sua palàm continuavit, & adhuc continuat, ut ex ejuſdem epiſtola 30. Aprilis currentis anni, qua denuntiat dicto Eminentiſſimo Domino quoddam officium vacans per obitum Beeckman, cujus proviſio ad Eminentiam Suam, ratione Præpoſituræ, ſpectat, ſe deſtinaſſe Canonico Rond, ac proindè litteras proviſionis mittit ad dictum Eminentiſſimum Cardinalem, ſignandas in perſona prædicti Canonici Rond. *Summar. in calce num.* 1. certiùs ergo dicendum eſt, quòd idem Canonicus acceptaſſet mandatum Procuræ ad dandum votum pro eodem Eminent. Cardinali in præterita electione, niſi Capitulum tam injuſtè eum foraneum declaraſſet. Maximè, quia talis procura ad ferendum ſuffragium in electione nullam ſuſpicionem ingerere poterat, nec ratione perſonæ Procuratoris, qui eſſe debebat

unus

unus de gremio Capituli, nec reſpectu perſonæ eligendæ, quæ nominari non poterat à Dom. Cardinali, ſed in conſcientia, & voluntate ipſius Capitularis conſiſtebat, qui propterea tàm pro ſe, quàm pro mandante utrumque votum dare tenebatur; nam hoc caſu, ſicut Capitulum ſine ullo timore, aut periculo admittit ſuum Canonicum ad eligendum nomine proprio, ita nullus timor adeſſe poteſt, quando eumdem admittit ad eligendum nomine alieno.

24. Simile commercium litterarum convincitur quoque ex altera epiſtola ſcripta ab Officiale Leodienſi die 25. Aprilis 1694. ad Dominum Comitem Poitiers, ad Civitatem Huyenſem reverſum, qua mandatum Procuræ ad dandum votum in deliberationibus habendis circa negotia concernentia ſequutam electionem novi Epiſcopi expoſcit: eumque rogat ſuum obſequium præſtare ejus nomine dicto Eminentiſſimo Cardinali Bullionio. *Summ. num. 2.*

25. Inexcuſabilis igitur apparet contemptus, & injuria D. Cardinali illata, undè ſubſecuta electio venit penitùs irritanda. Neque talis irritatio evadet inutilis, vel quia in nova electione à Capitulo facienda ſit reeligendus Dominus Princeps à Bavaria, vel quia, juxtà Concordata Germaniæ, proviſio eſſet ad Sanctiſſimum devoluta. Etenim Canones, & DD. nullibi dicunt, quòd hoc caſu ſit de neceſſitate reeligendus primus Electus, ſed ſolùm, quòd poteſt ab Electoribus denuò eligi. ità *Abbas* exadverſo allegatus *in cap. bonæ il ſecondo, De Elect. num. 5.* ibi: *Nota ſextò, quòd Eligentes, aliquo Canonico contempto, non per hoc debent privari poteſtate eligendi: imò caſſata electione, ne propter contemptum poteſt Capitulum procedere ad aliam electionem, & illum, quem priùs elegerant de novo aſſumere; quia cùm electio non ſit caſſata propter delictum Electi, poterit de novo eligi.*

26. Si autem irritata præſenti Electione iterum in alia nova facienda cum voto Dom. Cardinalis reeligetur Dom. Princeps Clemens, dicta irritatio non erit inutilis, quia Dom. Cardinalis ita reintegrabitur ad jus votandi, ſibi de jure competens in præſenti Electione Epiſcopi, & Principis Leodien. quod non ſine gravi injuria à Capitulo ademptum fuit; & ideò non ſolet, nec debet à Confirmatore remitti, quia faceret injuſtitiam, & præjudicaret contempto. *Hoſtien. in cap. bonæ 36. nu. 5. & ibi Joan. Andr. col. 1. verſ. poſſet etiam dici, De Elect. Paſſerin. de elect. cap.* 11. *tot. num.* 124. ubi quòd quando Superior Confirmator procedit ut Judex, non poteſt impedire ne Vocalis contemptus agat de contemptu, vel eo repugnante electionem confirmare, quia læderet juſtitiam, & jus Tertii à jure communi, & praxi conceſſum.

27. Neque credimus eſſe agendum de devolutione; quia hoc caſu, quo Electio irritatur propter contemptum, facultas denuò eligendi ad Superiorem non devolvitur. latè *Lotter. de re benefic. lib. 3. quæſt. 17. num.* 114. *cum ſeqq. ſignanter num.* 121. *Paſſerin. d. cap.* 11. *num.* 125. *in fine*: & concordata loquuntur de Electionibus, quæ minùs canonicè, ſeù contra formam *cap. quia propter* factæ ſunt, non autem de Electione peracta uno, ſeù pluribus Canonicis contemptis, ut benè comprobat *Dom. Philippuccius in ſua Reſponſione Juris.*

28. Quoad Dom. Comitem de Rekem, in his, quæ exadverſo objiciuntur, reſpondent DD. pro eo Informantes.

JACOBI

JACOBI SARDINI

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super contemptu.

1. NOn eſt contemptus lapis ille, quem principalitèr projicimus ad infringendam Electionem Sereniſs. Principis Adverſarii, uti ſupponit *D. Stanchus* in principio ſuæ novæ Juris, atque *D. Jacomettus* in ejus ultima Informatione, paritèr in principio, & unanimitèr cum Dom. *de Jandis* concludunt in Reſtrictu, & affirmare non dubitat Dom. *de Fuſco*, ut in ejus Informatione *num.* 2.

2. Sed eſt appellatio, quæ dummodò juſtificetur, electionem omninò caſſandam conſtituit, ad litteralem diſpoſitionem *text. in cap. conſideravimus De Elect. cum concordantibus, allegatis in mea ſecunda Juris, num.* 3.

3. Poterant itaque omitti concluſiones illæ proœmiales, ſcilicet, quòd electio, dum non peccat in potentia, & minus in forma ſubſtantiali, propter omiſſam vocationem abſentis, ſit confirmanda, quandocumque non concurrat potens cauſa ex formali contemptu derivans, quam cognoſcere debeat confirmator, uti per *D. Stanchum, num.* 2. & latiùs in Reſtrictu à *§. prout* uſque ad *§. certè nequit*, & per Dom. *de Fuſco num.* 3.

4. Sufficit enim ad intentum, quòd caſſari debebat electio, quandocumque, vel conſtet de contemptu ex injuſtitia derivante, ſicuti negare non audent DD. mei exadverſo ſcribentes, ut in Reſtrictu *§. agitur ergo, &c.* & in Informatione Dom. *de Fuſco à num.* 3. *uſque ad* 6. vel juſtificatur appellatio, itaut electio demonſtretur attentata, ut firmant authoritates per me allegatæ in mea prima Juris *§. & omninò.*

5. Et antequam ad ulteriora procedatur, reſpondendo iis, quibus exadverſo probare prætenditur, nequaquam per nos rejici poſſe præſuppoſitam foraneitatem: & ne cum æquivoco procedatur in re tam clara, explicanda venit propoſitio, toties exadverſo inculcata, quòd non detur contemptus, quandocumque non adſit poſitiva rejectio cum injuria, ac injuſtitia operata, adeo ut ex quacumque cauſa probabili, licèt injuſta, imò ex ignorantia excludatur, prout exadverſo aſſeritur per Dom. *de Stanchis* in nova Juris, *num.* 2. & in Reſtrictu à *§. minùs autem contemptus*, uſque *ad §. excluſo contemptu*, & per Dom. *de Fuſco à num.* 4. *uſque ad* 9.

6. Hanc etenim propoſitionem benè declarat *Paſſerin. exadverſo allegatus, De Elect. cap.* 11. *num.* 73. nec DD. meorum exadverſo ſcribentium probat aſſumptum, ſed de eo loquendo, qui talis eſt, qui remanet ipſo Jure privatus

voce

voce dicit, *quòd non eſt neceſſe hunc citare*, admittens tamen, quòd *audiendus ſit*, & quòd adſit neceſſitas ejus crimen in Judicio probandi, quòd ſi probatum fuerit, tunc *Electio non erit ad ejus inſtantiam caſſanda, quia non fuit illi facta injuria : & licèt tunc habuerit adhuc quamdam ſuæ vocis poſſeſſionem, & quoddam jus, hoc erat infirmum, & debile, & nullum declarandum, ubi de ejus delicto conſtaret, & quidem per ſententiam retrotrahendam ad diem commiſſi criminis; ideò ubi poſteà in Judicio de crimine conſtet, judicandus eſt privatus voce tempore Electionis, & tamquam is, qui ad illam jus non habuit, & qui proptereà non poteſt agere de contemptu.*

7. Velint itaque nolint Adverſarii, ſemper ſtat in ſuo eſſe per nos adducta propoſitio, quòd coram Eminentiſſimis Patribus ſit audiendus Eminentiſſimus Principalis, licèt dicatur, ejus vocationem ſub prætextu inhabilitatis fuiſſe omiſſam, adeo ut, ex juſtificatione habilitatis ejuſdem, reſultet contemptus, ad infringendam ſequutam Electionem de per ſe ſufficiens, uti ex Juribus in mea prima Informatione in principio allegatis.

8. Et plurimum confert doctrina ejuſdem *Paſſerini* loco ſupra allegato *verſ. ſolùm igitur*, ubi proſequendo diſcurſum ſupra relatum, ſubdit : *Solùm igitur ille, cujus inhabilitas ita eſt occulta, ut de ea convinci non poſſit, poteſt agere de contemptu, ſi non ſit vocatus*; nam in præſenti dnm adeò dubitatur, imò dum penitus excluditur foraneitatis motivum ex huc uſque deductis, & inferiùs deducendis, manifeſtè ex ipſa *Paſſerini* doctrina convincitur, Eminentiſs. Principali actionem competere ſuper contemptu.

9. Eoque fortiùs, quia ſi, ut ſequitur *Paſſerin. Aliud eſt expellere vocalem, ne eligat, & aliud eſt illum non vocare, nam per primum privatur poſſeſſione eligendi, ideò ubi inhabilitas non ſit notoria, ſed indigeat Judicis declaratione, non liceat vocalem inhabilem, auctoritate privata, vi ejicere ab electione, & eum de facto privare ſua poſſeſſione*. Utique redditur manifeſtum, imò innegabilem, Eminentiſſimum Principalem fuiſſe contemptum, quia dum ejus inhabilitas ex præſuppoſita foraneitate deſumpta, tanta indiget probatione, prout innoteſcit ex Juribus modò tàm ad eam includendam, quàm ad illam excludendam hinc indè allegatis, utique non licebat Capitulo ejus privata authoritate, & nullo Juris ordine ſervato, Eminentiſſimum Principalem ab Electione repellere.

10. Nec Sereniſſimo Adverſario, ſicuti nec Capitularibus, ejuſdem Electioni faventibus, prodeſſe poſſunt quæ ſubdit idem *Paſſerin. cap.* 14. *ſub n.* 48. ſcilicet, quòd non eſt contemptus ubi non eſt injuria, nec injuſtitia; nam præſupponit caſum, quo Capitulum, utens jure ſuo, excluſerit modo debito, & legali quem non tenebatur admittere ; undè non tangit caſum, quando Capitulum, prout in præſenti, non modo debito, & legali, ſed facto, Capitularem rejecit, eum poſitivè declarando jure privatum Electionibus intereſſendi, quem caſum ſolummodò tangit in *d. cap.* 11. *ſub num.* 73. ubi, uti ſupra probatum adeſt, favet omninò noſtræ intentioni.

11. Prout eam defendit *Innocent. in cap. querelam num.* 6. §. *ad omnes prædictas, verſ. ſed quid ſi dicat*, ubi expreſsè reſpondens objecto per Dominum *de Fuſco* excitato ſub *num.* 4. ubi negat, Electores habuiſſe malam fidem, & animum injuriandi, ideòque ceſſare contemptum, expreſsè dicit, quòd etiamſi privatio vocis, & expoliatio juris proceſſerit ex ſimplicitate, vel ignorantia,

tamen poterit privatus agere ad caſſationem, & inſtare ſuper contemptu, ut ibi: *Sed quid ſi dicat ſe non expoliaſſe, nec animo expoliandi elegiſſe, ſed ex ſimplicitate, vel ignorantia: tunc poterit petere caſſari quod factum eſt, non per interdictum, ſed quia non ſervata forma, quia ex contempto, facta eſt. ſup. eod. cap. quòd ſicut.*

12. Et hìc notandum venit, quòd dum ibidem doctiſſimus *Innoc.* ſe remittit ad diſpoſitionem *cap. quòd ſicut*, ubi diſponitur, caſſandam eſſe electionem ſi fuerit operata aliquibus non vocatis, ſed contemptis, admittit contemptum incurri etiamſi privatio vocis, & expoliatio Juris ex ſimplicitate, vel ignorantia proceſſerit.

13. Neque contrarium probat in *cap. cùm Vintonienſis ſub num. 6.* exadverſo allegato, ubi ſimpliciter firmat, tenere Electionem factam ſuſpenſis non vocatis, quia tali caſu non privantur poſſeſſione eligendi, ſed facto declaratur, propter delictum, vocem in præſentem electionem non habere, & Electores nihil ſubtrahunt, ſed eorum utuntur jure in eligendo: & eſt notabile quod, ſubdit ſub §. *quid dices de occultis excommunicatis*, &c. ubi idem procedere reſpondit, quod ſupra dixerat de ſuſpenſis, ſcilicèt quòd procedi poſſit ad electionem eis non vocatis, quod tamen intelligendum monet, *quando probari poteſt, quòd ſint privati ipſo Jure, quia ſi probare non poſſunt, tàm in primo caſu, quàm in ſecundo punientur*. Undè magis, magiſque reſultat à futura probatione amiſſi Juris pendere validitatem, vel invaliditatem operatæ electionis, & excluſionem contemptus non vocatorum. Et optimè ſatisfacit objecto diſpoſitio *text. in cap. cùm Eccleſia Sutrina, De cauſa poſs. & propr.* qua caſſatur Electio propter ſecutam excluſionem ejus, qui licèt eſſet in poſſeſsione eligendi, tamen fuerat excluſus propter præſuppoſitam deficientiam Tituli, quæ deficientia fuerat coram Pontifice Confirmatore canonizata; undè fortiùs intrat in præſenti irritatio, dum Eminentiſs. Principalis habilitas, & competentia vocis ab omni contraria oppoſitione vindicatur.

14. Sublato igitur hujuſmodi Adverſariorum motivo, ſemper noſtrum recurrit principium, quòd caſſanda veniat Electio, tàm ex contemptu, quàm ex appellatione, dum utriuſque juſtificatio ab articulo foraneitatis dependet.

15. Singulis itaque reſpondendo, quibus exadverſo impugnatur inſubſiſtentia foraneitatis per nos demonſtrata. Primò, & principaliter negatur quod in Reſtrictu ſupponitur, §. *minus autem*, Capitulum omni obſequio proceſsiſſe adversùs Eminentiſsimum Principalem, dum ſumma calliditate ſe ſe geſsiſſe jam probatum adeſt in mea ſecunda Juris, *num. 65.* dum tamdiù tacuit jam decretam vocis privationem: & calliditas fit tacendo, & eſt excogitatio ad circumveniendum, ut ex authoritatibus ibi allegatis.

16. Secundò dicimus, nequaquam Adverſariorum intentionem foveri ex Statutis nuper per Reverendiſsimum Nuncium Colonienſem ad Curiam tranſmiſsis; & quamvis Dom. *Stanchus*, quaſi per adventum novi Solis, diſsipatas extare caligines aſſerat, ut in *num. 8.* tenebras tamen potiùs, quàm lucem operatam Statutorum tranſmiſsionem præſeferre ſatis demonſtravi in mea ſecunda Juris à *num. 16.* uſque *ad num. 24.*

17. Et ſummoperè nobis gaudendum venit, quòd in elaboratiſsimis huc uſque exadverſo exaratis informationibus nulla fuerit adducta Statutaria Conſtitutio, quæ probet Adverſariorum intentum, ſcilicèt quòd foraneita-

tem

tem indicat adverſùs non comparentes, & ſe repræſentantes in feſto Sancti Ægidii, ſed hanc ſolummodò conantur eruere pœnam,interpretando Conſtitutionem ſub Rubr.*de ſecunda reſidentia*, ut in Reſtrictu *d. §. minus autem*, & per Dom.*de Fuſco* in ejus informatione ſub *num.*13.

18. Verumtamen deficiunt in ipſo conatu,quia non adeſt ſubjectum, ex quo poſſint ſaltem interpretativè eorum intentioni fundamentum præſtare; Nimis enim clarè loquitur Conſtitutio in caſu affirmativo operatæ comparitionis,& non proſequutæ reſidentiæ; Undè ſemper cuicumque Adverſariorum interpretationi illud obſtabit reſponſum, quòd caſus non factæ comparitionis eſt caſus omiſſus,quem ſupplere nequit dictio *alioquin*, quæ tantùm refertur ad qualitates expreſſas,non autem ad non expreſſas,ut in mea ſecunda Juris,*num.*28.

19. Et in rei veritate,nimis interpretationi exadverſo datæ repugnant juris principia, per quæ Statutum tantum diſponit, quantum loquitur, præſertìm, quando agitur de Statuto odioſo pœnali, & à juris communis diſpoſitione exorbitante, cujus nedum per interpretationem ad caſus, & perſonas diverſas non datur extenſio, ſed etiam quantum fieri poteſt, fieri debet reſtrictio, & limitatio, ut corrigat jus commune minus quàm fieri poteſt.

20. Et fruſtrà exadverſo deducta interpretatio deſumi poſſe prætenditur ex veriſimili ſtatuentium mente, & ex argumento à contrario ſenſu, uti acuendo pro viribus ingenium, firmare ſtudet Dom. *Stanchus in num.* 9. interpretatio enim à veriſimili ſtatuentium mente, ad effectum inducendi novam,& omninò diverſam diſpoſitionem,non admittitur in Statutis.

21. Prout nec admittitur ad hunc effectum alia deſumpta à contrario ſenſu, quæ ceſſat quoties Statutum eſt Juris adverſativum, prout noſtrum eſſe probavi in mea informatione, *numer.* 33. & hanc concluſionem firmant *Jaſ.in l.2.num.4.ff.de offic.ejus,cui mand.erit juriſd. Bald. in conſ.*443. *lib.2.Decian.conſ.*32.*num.*11.*vol.*2.& cum aliis *Barboſ.in loc.commun.argum. loc.*27.*num.*21. vel quando non habetur pars affirmativa Statuti in ſpecie de qua agitur, à qua poſſit trahi argumentum à contrario ſenſu, prout eſſet, ſi ſtatutum dixiſſet,quòd Capitulares ne ſint foranei,teneantur comparere, &c. ex quo benè reſultaret à contrario ſenſu,non comparentes eſſe foraneos.

22. Imò tantum abeſt,quòd ex veriſimili mente ſtatuentium deſumi poſſit interpretatio exadverſo deducta, quod potiùs omninò ſtaret ad dextructionem, ut latè probavi in mea ſecunda Juris à *numer.* 30. uſque ad *num.*39.

23. Ceſſat igitur quòd ex Statuto nuper tranſmiſſo noſtra determinetur quæſtio,ut ſupponit Dom.*de Fuſco* in ejus ultima informatione,*num.* 19. Nam ſi loquitur de Statuto expreſſo, utique non adeſt: quòd ſi vult uti interpretatione, ea minus juvari poteſt; nam ſolummodò inſiſtit ſuper efficacia dictionis *alioquin*, quæ quanti valeat jam eſt ſupra probatum.

24. Et dum admittit ſub *num.* 21. quòd uterque caſus de eo, qui nullo modo ſe præſentaverit in dicto feſto S. Ægidii, & de eo, qui ſe præſentaverit,& non reſederit,non poſſit ſimul concurrere,dum expreſsè in Statuto cantum eſt, eum pro foraneo haberi, qui ſe præſentaverit, & non reſederit; ideò ex conceſſis convincitur,ſtatutum referri non poſſe ad caſum de eo,qui nul-

ſimodè ſe præſentavit, juxtà naturam eorum,quæ ſimul concurrere non poſſunt, & in quibus urget diverſa ratio: & iſte caſus omiſſus nequit interpretatione ſuppleri, ut ex adductis in dicta mea ſecunda Informatione dicto *num.*28.

25. Æquivocum autem continet quod deſumitur per Dom. *de Fuſco* ex titulo *de capitulis ordinariis, & ſpecialibus*, ut in ejus informatione *nu.* 22. nam inter eos, qui non habent vocem activam in electionibus, numeratur ille, qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit; ſed ibi Statutum non loquitur de ſecunda reſidentia,uti ſupponitur in dicta informatione, verumtamen de prima,quæ ſub titulo *de foraneis* eſt indicata ad purgandam foraneitatem; undè vult Statutum ſub dicta Rubr.*de capitulis ordinariis,& ſpecialibus*,quòd ſi aliquis, durante tempore primæ reſidentiæ,ad effectum purgandi foraneitatem, inchoatæ, eam nequaquam expleverit, quia impetraverit gratioſam abſentiam: ſi evenerit hoc intermedio tempore caſus cujuſdam Electionis peragendæ, non poſſit ſuffragium ferre, dum annualem reſidentiam non explevit. Sunt adeò clara verba Statuti, quòd interpretatione non egent, ut ibi:*Item qui impetrata gratioſa abſentia ab Eccleſia abeſt, niſi primam, & annualem reſidentiam abſolverit.*

26. Stat pariter in ſuo eſſe per me deducta diſtinctio in mea prima Juris, *§.ultrà quam quod erit animadvertendum, & §.noſtrum autem Statutum*, ſcilicèt inter propriam, & impropriam foraneitatem per Statutum indictam, quam fruſtrà impugnare conatur Dom. *de Fuſco ſub num.* 27. nam propriè Foraneus eſt qui continetur ſub *tit. de Foraneis*; impropriè verò,qui ſub dicta Rubr.*de ſecunda reſidentia* Foraneo aſſimilatur, ut ibi: *Pro Foraneo habeatur,&c.*

27. Nec ſubſiſtit, quòd dicta Rubr. *de Foraneis* aliquid ſignificare non poſſit, quia non habeat orationem perfectam,uti per Dom.*de Fuſco ſub n.*28. nam retenta regula, quòd rubrum explicet nigrum, uti per *tex. in l. unic.C. ne lic.tert.prov.Bald.conſ.*34.*num.*3.*lib.*3. ubi quòd Rubrica eſt quaſi initium legis, & latè *Surd.conſ.*263.*num.*12.13.*Maſcard.de general.Stat.interp.concl.* 2.*num.*189.*& Manz.conſult.*16. *num.*28. clarè liquet,eum Foraneum haberi, qui nondum primam expleverit reſidentiam, & in eo propriam foraneitatem verificari, & ideò excluditur à præſtatione vocis in Capitulo,ſub Rub. *de Capitulis ordinariis, & ſpecialibus*; quia dum propter impetratam gratioſam abſentiam nondum explevit annualem reſidentiam ad purgandam foraneitatem neceſſariam,adhuc Foraneus exiſtimatur.

28. Et quamvis ſatis etiam quoad iſtum caſum per Statuentes conſultum fuiſſe dici poſſet ex ſola excluſione Foranei,ut ibi: *Item Canonicus foraneus,&c.* qualis eſt, qui primam annualem non complevit reſidentiam:tamen ne dubium remaneret utrum ſub hujuſmodi diſpoſitione contineretur qui dictam annualem reſidentiam incæperat, & propter impetratam abſentiam deſeruerat, voluerunt idcircò ad quamlibet dubietatem removendam, etiam hujuſmodi determinare caſum cum expreſſa diſpoſitione, ut ibi: *Item qui impetrata gratioſa abſentia, &c.* undè exadverſo per Dom. *de Fuſco* cumulata *num.* 28. *&* 29. penitùs removentur, & nihil ad rem concludere demonſtratur.

29. Nul-

29. Nullibi verò in noſtro Statuto legitur, quòd repræſentatio in feſto S. Ægidii, uti ſupponit Dom. *de Fuſco ſub num.* 30. requiratur ad effectum conſtituendi domicilium in Civitate Leodienſi; verumtamen qua de cauſa ſit requiſita jam demonſtravi in mea ſecunda Juris in *numer.* 38. ſcilicet ad effectum lucrandi fructus, vel cum perſonali reſidentia realitèr explenda, vel ad effectum obtinendi gratioſam abſentiam; undè non eſt, quòd torqueatur ingenium ad indagandam cauſam, & firmandum effectum repræſentationis per Statutum ordinatæ.

30. Nec quidquam facit, quòd DD. Cardinales aliquando ſe repræſentaverint; nam ut jam dixi in dicta mea ſecunda juris, *numer.* 53. verſamur in facultativis, in quibus non inducitur neque neceſſitas, neque obſervantia.

31. Fruſtrà verò probare prætendit Dom. *de Fuſco ſub num.* 31. quòd ſecunda reſidentia ſit principalitèr deducta in præceptum; nimis enim clarè loquuntur Statuti verba: *quicumque volet reſidere, &c.* & ex quibus omnimoda neceſſitas reſidendi excluditur, uti ex deductis in mea prima informatione.

32. Neque tantùm dicimus, Eminentiſſimum Cardinalem, utpotè diſpenſatum à Reſidentia per Apoſtolicum Breve Clementis X. noluiſſe ſe præſentare in feſto Sancti Ægidii, ſed ex ipſa ſtatutaria diſpoſitione neceſſitatem exadverſo præſuppoſitam excludi: & hoc eſt, quod latè probavi in mea prima Informatione, §. *vult enim Statutum*, & exadverſo deducta per Dom. *de Fuſco ſub d. nu.* 31. ſi benè conſiderantur nihil aliud efficiunt, quàm noſtram fovere intentionem, dum admittunt, quòd diſpenſatus non teneatur ad reſidendum; quæ verò deducuntur ſub *eodem nu.* gratis aſſeruntur, dum ſupponitur, Statutum nedum allicere Canonicos ad ſe repræſentandum in feſto S. Ægidii ſub ſpe lucrandi fructus, ſed etiam metu foraneitatis, & excluſionis vocis activæ in electionibus, & denegationis gratioſæ abſentiæ, quando nullibi ex Statuto habetur, ex quo poſſit ſubſtineri ſuppoſitum, & tali pacto deducitur in comprobationem illud, quod eſt in quæſtione.

33. Et ſi ut admittit D. *de Fuſco ſub nu.* 32. diſpenſatio à Reſidentia operetur, quòd diſpenſatus habeatur pro præſente, & reſidente, jam ex ipſa diſpenſatione vicimus, etiam in ſenſu Dom. mei, adeò eruditè exadverſo cauſam patrocinantis.

34. Cavendum tamen eſt ab æquivoco, cum quo per eum proceditur ſub *d. nu.* 32. nam Canonici, qui actu reſident, & ſunt præſentes, tenentur quidem ſe præſentare in feſto S. Ægidii in Capitulo Generali; ſed non exindè ſequitur argumentum exadverſo deſumptum ſub *eodem nu.* quòd etiam diſpenſati à reſidentia pari modo ſe repræſentare teneantur. Nam repræſentatio Canonicorum aliàs intereſſentium, ſed non habentium continuam diſpenſationem à reſidendo, ideò eſt neceſſaria, quia ſi ſe non repræſentarent, vel ad effectum reſidendi, vel ad effectum petendi gratioſam abſentiam, non poſſunt haberi pro reſidentibus; undè tot requiruntur repræſentationes, quot fieri volunt reſidentiæ.

35. Sed ceſſat hujuſmodi neceſſitas in eo, qui omnimodam diſpenſationem habet à reſidendo; iſte namque ſemper habetur pro reſidente, & ab ipſa die, qua diſpenſationem obtinuit, ſatis declaravit ſe velle continuè reſidere

per

per modum fictitium, ſcilicèt per viam reportatæ diſpenſationis à reſidendo; undè non habet opus annuatim, ſe ad hanc ineundam declarationem repræſentare, ideòque vel eſt inapplicabilis exadverſo deducta *Gloſſ.in cap.unic.De Cleric. non reſidentib.* vel optimè retorquetur, dum dicit, *quòd ſi quis impetrat, quòd in abſentia percipiat proventus ſuos, ac ſi præſens eſſet, diſpenſatio faciat eum reputari pro præſente,&c.*

36. Parumque facit, quòd actus intereſſentiæ inſtantaneè compleri poſſit,uti ſubdit ſub *num.* 33. nam ut dixi in mea ſecunda Juris, Statutum ideò vult comparitionem fieri,ad hoc, ut Capitularis declaret an velit, vel realiter reſidere, vel per modum fictitium cum gratioſa abſentia, ideòque ſemper ac ex reportata diſpenſatione jam quis declaravit ſe nolle actualiter reſidere,etſi diſpenſatus jam per modum fictitium pro reſidente habetur, utique nec ipſa momentanea repræſentatio per Procuratorem explenda, neceſſaria remanet, uti per me deductis ſub *num.*57. uſque ad *num.62.*

37. Videt doctiſſimus *de Fuſco*, & cum eo vident alii DD. mei exadverſo ſcribentes,nequaquam ex Statuto ſuſtineri poſſe præſuppoſitæ Foraneitatis motivum, ideòque ſe vertunt ad obſervantiam,ut in Reſtrictu, *§. veritas hujus intelligentiæ,& §.ſeq.per D.Stanchum, num.*12.*& num.ſeq. & per Dom.de Fuſco ſub nu.* 34. ſed quanti valeat hujuſmodi obſervantia, jam præventivè demonſtravi in ſecunda Juris à *num.*40.*uſque ad num.*57.

38. Nec quidquam roboris hujuſmodi obſervantiæ præbere poteſt mandatum Procuræ Eminentiſſimi Principalis præſertim ponderatum per Dom. *Stanchum in §.ſimiliter*, & per Dom.*de Fuſco ſub d.num.* 34. nam quamvis EminentiſſimusPrincipalis,aliquando ſe repræſentaverit cum illa expreſſione: *nos ad reſidentiam, prout moris eſt,repræſentandum*, non indè ſequitur, ergo adeſt neceſſitas continuò ſe repræſentandi; Verumtamen ſemper illud recurrit reſponſum, quòd verſamur in facultativis; moris eſt enim, ut is ſe repræſentet in Eccleſia Leodien. qui vult ſuos fructus facere; ſed qui non vult fructus lucrari,nullibi moris eſt, quòd ſe repræſentet ad evitandum Foraneitatis incurſum. Et licèt Eminentiſſimus Principalis, etiam in mandato expreſſerit,ſe conſtituere Procuratorē ad effectum dandi ſuffragium in Electionibus, & collationibus Beneficiorum, & officiorum, ad diſpoſitionem per-Illuſtris Capituli ſpectantium.præſenti *Summ. Partis nu.*11. quando in ejus abſentia vacare contigiſſet, non indè prætendi poteſt, quòd ſi aliquando non curavit hujuſmodi mandatum perficere, ideò evaſerit ſuo jure privatus;ſed intrat regula, quòd actus facultativi poſſunt omitti, abſque eo quod ex eorumdem omiſſione cenſeatur omittenti in aliquo præjudicatum.

39. Sublatis itaque exadverſo deductis ad comprobandum præſuppoſitæ foraneitatis incurſum, iterum dicimus opus non eſſe ſuper aliis exceptionibus inſiſtere, dum foraneitate ſublata, ſatis conſtat de contemptu, reſultante ex poſitiva rejectione, operata cum privatione vocis injuſtè decretæ, & ſatis remanet appellationis cauſa juſtificata.

40. Et præſertim non eſt opus EE. PP. ſuper aliarum exceptionum rejectione fuſiùs defatigare,dum in præſenti ceſſat omninò illa dd.exadverſo ſcribentium aſſertio, quòd ſtante bello, & poſt Avocatoriarum promulgationem, nequaquam habere potuiſſet Eminentiſſimus Principalis cum aliquo Capitulari commercium, & multò minùs Procuratorem conſtituere: dum

ſatis

ſatis liquet ex Epiſtola ejuſdem Vicarii,in Civitate Leodien. exiſtentis,originaliter in manibus Illuſtriſſimi Segretarii exhibita, continuò habuiſſe, etiam poſt Avocatorias,cum iſto Capitulari commercium, qui poſt indictum bellum perſonam Eminentiſſimi Principalis repræſentavit in exercitio Juriſdictionis tamquam Præpoſiti ſibi competentis; undè ſemper urget inevitabilis illa concluſio,quòd Eminentiſſimus Cardinalis fuiſſet citandus,ad hoc ut conſtituere potuiſſet Procuratorem quatenus timuiſſet Leodium accedere propter bellum.

41. Eoque magis viget iſta concluſio quanto non audent eam negare dd. exadverſo ſcribentes; ſed ut evitetur confugium quærunt negando potentiam habendi Procuratorem, ſic arguendo à poſſibili, ſeu potius divinando; undè cùm ex habito commercio, tàm cum dicto Capitulari, quàm cum ipſo Capitulo, penitùs deſtruatur motivum, quòd Eminentiſſimus Principalis tamquam hoſtis publicus reputaretur, & ceſſat quodlibet ex motivo belli emendicatum ſubterfugium, & ſemper remanet in aperto veritas,quòd fuerit Eminentiſſimus Principalis non propter bellum, ſed propter foraneitatem rejectus, & quòd ea ſublata, ſit electio caſſanda.

42. Nec prætereundum eſt,quòd non poſſunt modò Eminentiſſimi Patres judicare, an ceſſante foraneitatis motivo, Capitulum excluſiſſet,vel non excluſiſſet tunc temporis Eminentiſſimum Cardinalem, quod cùm incertum ſit, imò cùm expreſsè hujuſmodi exceptionem rejecerit Capitulum dum declaravit, quòd fruſtrà petebantur ſalvi-conductus dum erat jure ſuffragii privatus, ut in Epiſtola 7.Aprilis, de qua in mea ſecunda Juris, *num.* 12. *circa principium*, *& numer.* 82. *circa finem*, non poſſumus in præſenti, quo lis jam pendet, nec divinare utrum Capitulum ſecluſa foraneitate ſaltem per Procuratorem Eminentiſſimi Principalis votum recepiſſet, nec Capitularium ſtare aſſertioni, quorum, ceſſante foraneitate, ad ſuſtinendam electionem, nunc intereſt affirmare, quòd non poterat ob belli impedimentum Eminentiſſimus Principalis admitti.

43. Cæteris verò exadverſo oppoſitis ſuper defectu Canonicatus ſatis liquet reſponſio ex eruditè deductis per Dominum meum *Philippuccium*, ut in ejus ſecunda Juris, *num.*28.& ea ſemper validiſſima recurrit reſponſio deducta ex *Paſſerino cap.*14.*num.*30.de qua in mea ſecunda Juris *num.*71.

GABRIELIS

GABRIELIS PHILIPPUCCII

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super contemptu.

1. VEtera ſunt omnia ; quoniam DD. exadverſo ſcribentes repetunt ad unguem quæ deduxerint in prioribus ſcriptis ad evitandum contemptum , & prætermittunt abſque reſponſione ea , quæ adverſus eorum fundamenta attuleram in Informatione Juris, data in die præteritæ propoſitionis , quæve dicto tempore fuerunt eis communicata ; undè opus non eſſet ulteriori replicatione.

2. At ut clariùs eluceſcat bonum jus Eminentiſſimi Cardinalis, pondero, cavendum eſſe à propoſitione , quòd abſens ſciens vacationem Eccleſiæ , & diem præfinitæ electionis non eſt vocandus , & ob id non poteſt dare de contemptu; quia *Caſtellin.& Cardin. de Luca in reſtrictu* partis allegati, *§. certè nequit*, nullum verbum de hoc faciunt, *& Panormit. ac Paſſerin.* vel ſolitarii remanent, vel utpotè indefinitè loquentes, intelligendi ſunt juxta diſtinctionem communiter à Canoniſtis allatam , quòd hoc procedat quando abſens fuit vocatus ad præfiniendam diem electionis , ſecus è contra, ut in hoc caſu; prout in hodierna mea Juris, *num.* 22.

3. Cavendum paritèr eſt ab altera propoſitione , quòd abſque dolo , & animo injuriandi non inducitur contemptus ; nam Sacri Canones hoc non requirunt , ſed volunt ſtatim ac non fuit vocatus, qui erat vocandus dicatur contemptus: & Doctores, qui exadverſo allegantur , loquuntur vel in foro poli ad effectum decernendi an contemptores legum peccent mortalitèr, vel venialitèr , vel an digni ſint pœna corporali , vel alia mitiori , ut in hodierna mea Juris, *num.* 23.

4. Prout non ſubſiſtit, Statuta imponere neceſſitatem ſe præſentandi in feſto Sancti Ægidii, & contra non adimplentem indicere pœnam foraneitatis; Quia clarè patet ex eorum lectura, hanc præſentationem fuiſſe relictam in mero, & libero arbitrio cujuſcumque , & præſertìm illius, qui deſiderat fructus ſuos facere, ut indicant illa verba: *quicumque volet reſidere, &c. quicumque ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit , aut præſentaverit* , quæ præ ſeferunt ultroneam præſentationem, & per conſequens etiam facultatem non reſidendi , immò , & contraveniendi , ut in priori mea Juris , data in die ultimæ propoſitionis *numer.* 8. *& numer.* 10. Et dictio illa *alioquin* adverſativa , operationem ſuam non extendit ad principium diſpoſitionis , ità ut ſenſus ſit : quicumque non ſe exhibuerit ad reſidendum habeatur pro Foraneo ; ſed illam reſtringit ad qualitatem reſidentiæ , & ſic retento ſemper themate caſus illius Canonici , qui ſpontaneè ad reſidendum ſe exhibuit, & po-

ſteà

ſteà non reſedit, iſte habendus ſit pro Foraneo, ut in hodierna Juris, *num.* 9. *cum ſeqq.*

5. Nec aliud voluit *Bartol.in l.*1.*num.*11.*ff.de condit.& demonſtrat.* quia iſte dicit, hanc dictionem non solùm facere orationem conditionalem, ſed in ſe ipſa orationem continere, & inducere conditionem contrariam præcedenti diſpoſitioni; Adaptando itaque hanc doctrinam caſui noſtro: Principium illud Statuti: *Quicumque volet reſidere, &c. quicumque ad reſidendum ſe exhibuerit*, nullam continet diſpoſitionem, ſed ſolummodò ponit caſum, ſuper quo eſt diſponendum; Diſpoſitio ergo Statuti totalitèr reſidet in illis verbis: *Reſideat eo anno apud Eccleſiam ſex menſes integros, & unam diem*; undè dum *Bartol.* dicit, quòd dictio *alioquin* inducit conditionem contrariam præcedenti diſpoſitioni, idem eſt ac ſi dixiſſet: & ſi non reſederit, habeatur pro Foraneo. Nam hæc verè eſt conditio contraria præcedenti diſpoſitioni: & in his terminis loquuntur omnes textus, qui per eumdem *Bartolum* referuntur, ut in *l.ſi finita* 15.*§.ex hoc edicto, ff.de damn. infect.* ubi quæritur, an in hoc edicto ſi non cavetur, mittendus in poſſeſſionem illius partis ædiū, quæ ruinoſa eſſe videtur, vel in totas ædes, & decidit in totas, alioquin non habebit res exitum, & ibi *gloſſ.* in verbo *alioquin*, ait: *alioquin, ideſt ſi non mittetur in totas*, & in *l.etiam elegantèr* 7.*§.penult.ff.de dol.mal.* ubi quæritur an contra illum, qui vincit litem ex dolo malo Procuratoris Adverſarii, competat actio de dolo malo, & deciditur quòd non, ſi Reus paratus ſit Judicium transferre in ſe, alioquin de dolo actio erit danda, & ibi *gloſſ. in verbo alioquin*, aſſerit: *Alioquin, ideſt ſi non eſt paratus transferre*; en ergò quòd iſti textus ponunt actum, & poſteà ſuper eo diſponunt, & dictionem *alioquin*, non referunt ad caſum, ſed ad diſpoſitionem factam ſuper dicto caſu: & eodem modo procedunt alii textus adducti per *Bartolum*, & per me in fonte recogniti, quos non refero, ne longior ſiam. Quod comprobatur, quia omnes Doctores qui aſſignant dictæ dictioni naturam adverſativam, utuntur dicti *Bartoli* doctrina, & ſic, de primo ad ultimum, præfata dictio intelligenda eſt, retento ſemper themate ejuſdem caſus.

6. Præterea animadvertendum eſt, quòd Statuta, quæ modò afferuntur, ſunt illa condita de anno 1560. transmiſſa ad Urbem pro confirmatione, quam licèt obtinuerint una cum illorum regiſtratione in Dataria: Attamen litteræ confirmationis nunquam fuerunt expeditæ, ac proindè in nulla haberi debent conſideratione, juxtà determinationem regulæ 27. & 52. Cancellariæ, in quibus ſancitur, ante confectionem litterarum Gratiam Apoſtolicam eſſe informem, & interdicitur quibuſcumque Judicibus, etiam S.R.E. Cardinalibus, facultas judicandi juxtà ſupplicationes ſignatas ſuper quibuſcumque impetrationibus cum decreto irritanti. Nec valet dici, quòd Gratia per ſolam Signaturam dicatur perfecta, quia donec non expediuntur litteræ, eſt omninò informis, ut ſtatuitur in *d. regul.* 27. & aſſimilatur homini in utero Matris adhuc exiſtenti, donec per expeditionem litterarum in lucem, & mundum deducatur. *Sarnen. in regul. de non judicand.quæſt.*1. & in eadem *Mandoſ.quæſt.*15.*num.*2.*& Cokier.num.*27.*Lotter.de re beneſ.lib.*3. *quæſt.*1. *num.*19.*Tondut.quæſt.beneſ.lib.*1.*quæſt.*26.*num.*20.*Corrad.in prax.diſpenſat. lib.*2. *cap.*3. *in princip.* & latè *Roſa de execut. litter. Apoſt.par.*1.*cap.*2. à nu. 12.

12. *cum plur. ſequent. Rota in rec. deciſ.* 254. *num.* 13. *par.* 13. Eoque fortiùs quia per Dom. Datarium poſſet ſupplicatio, etiam poſt regiſtrationem, mutari, cancellari, & retineri. *Amevden. de ſtyl. Datar. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. cum aliis per *Roſam de execut. litter. Apoſt. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 10. *& ſequent.*

7. Circà verò obſervantiam Statutorum, illa neque interpretativa, neque præſcriptiva exiſtit, dum pro utraque non afferuntur actus individuales, & præciſi cum concomitantia omnium qualitatum, & circumſtantiarum in præſenti caſu concurrentium, prout opus eſſet, maximè cùm deficiant omnia alia neceſſaria requiſita, ut plenè probavi in hodierna Juris *numer.* 15. *cum pluribus ſequentibus*. Neque pro obſervantia adduci merentur repræſentationes, quas in præteritum fecit Eminentiſſimus Dom. Cardinalis Bullionius, ac plures alii; quia cùm iſti actus fuerint facultativi, non inducunt obſervantiam obligativam, ut in priori mea Juris, *numer.* 23. in qua ulteriùs in *numer.* 14. adnotavi defectum poteſtatis ità ſtatuendi in Capitularibus, ad quod nihil unquam fuit reſponſum, nec modo reſpondetur.

8. Quòd autem ex cauſa Belli, timoris ſchiſmatis, & qualitatis Nationalis vocatio non eſſet facienda, ſilere deberet ex pluribus deductis, tàm in priori *numer.* 32. *cum duobus ſequentibus*, quàm in hodierna *numer.* 27. Et litteræ Dom. Nuntii Apoſtòlici apud Cæſaream Majeſtatem ſatis manifeſtum faciunt, quòd hæc omnia ampliùs attendenda non erant: & reſponſio, quòd contenta in eis importent modeſtam negationem, non ſubſiſtit; quia præciſam præſeferunt voluntatem concedendi paſſa-portum, quando alia non obſtarent, quòd eſſet Gallus, & adhærens Regi Chriſtianiſſimo; ideòque niſi Capitulum deveniſſet ad declarationem Foraneitatis, certè potuiſſet Eminentiſſimus Dom. Cardinalis ad locum electionis accedere.

9. Agnoſcunt DD. exadverſo ſcribentes, quòd re vera Foraneitas ex nullo ex objectis capitibus ſuſtineri poteſt; Undè ſe volvunt ad carentiam Canonicatus, ex quo ille ſit incompatibilis cum Cardinalatu, ac proindè vacaverit in primo inſtanti Promotionis; Quia hoc objectum latiſſimè confutavi in hodierna mea Juris à *numer.* 28. *cum pluribus ſequentibus*; & reſpondi in *numer.* 31. quòd non eſt attendendum Indultum conceſſum tempore Promotionis, in quo non legitur conceſſa retentio dicti Canonicatus, neque hujuſmodi negativam probatam remanere ex perquiſitione regiſtrorum, in quibus hujuſmodi Indulta deſcribi ſolent; quia pro faciendis hujuſmodi diligentiis deputandi erant per hanc Sacram Congregationem duo Officiales, juxtà notorium ſtylum: & ulteriùs citandus erat Eminentiſſimus Dom. Cardinalis, quo omiſſo, diligentiæ factæ lite pendente, & ſuo Marte, non ſuffragantur. *Rota in recent. deciſ.* 323. *num.* 4. *par.* 2. & debent fieri in regiſtris etiam inſolitis, & in omnibus locis, in quibus diſpenſatio fieri potuit. *Gregor. deciſ.* 262. *num.* 1. & ibi *Add. num.* 2. *& apud* 2. *vol. conſ. Farinac. deciſ.* 356. *num.* 3. *& in rec. d. deciſ.* 323. *num.* 4. *par.* 2. ubi quòd ſufficit poſſibilitas, quòd non fuerit adnotata, ad effectum, ut diligentiæ non relevent, maximè cùm diſpenſatio potuerit obtineri etiam per ſimplex Chirographum, quod in libris Datariæ, & Segretariæ non regiſtratur. *Rota in recent. deciſ.* 175. *num.* 56. *par.* 9. nec contrarium firmat *Ameyden.* exadverſo allegatus.

10. Po-

10. Potiſſimum quia quæcumque diligentiæ eſſent irrelevantes, ſtante poſſeſſione nedum triennali, & decennali, ſed etiam trigennali, & ultrà, quæ de per ſe præſumit titulum etiam inviſibilem, cujus negativa improbabilis remanet per quaſcumque librorum, & regiſtrorum perquiſitiones, ut ex *Sarnen.* & aliis probavi in hodierna in *d. num.*31.

11. Eoque faciliùs, quia diligentiæ non tendunt ad probandum Eminentiſſimum Dom. Cardinalem poſſeſſorem decennalem, & trigenalem, aut non fuiſſe communitèr habitum pro Canonico, in quibus caſibus ſolet admitti probatio in contrarium; ſed reſpiciuntur probationem non tituli, aut tituli infecti, quo caſu nulla probatio admittitur, ut in ſpecie diſtinguendo tradiderunt *Mandoſ. ad allegat. Lapi* 89. *poſt litteram I. la* 3. *quæſt.* 9. *poſt med. verſ. ego ſic diſtinguerem, Mareſcott. var. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 72. *& ſeqq. Maſcard. de probat. concluſ.* 1373. *num.* 12. *Pariſ. de reſignat. lib.* 10. *quæſt.* 4. *num.* 8. *&* 9. *Tondut. quæſt. beneſ. lib.* 1. *cap.* 85. *num.* 9. *& ſeqq.* apud quos plures *Rotæ* deciſiones; Præſertìm quia Dom. Cardinalis exiſtit in quaſi poſſeſſione eligendi, & ad eam per idem Capitulum fuit admiſſus in præterita vacatione Eccleſiæ, & d. electio ſortita fuit effectum per ſubſequentem confirmationem; undè ea non venit ſpoliandus. *Paſſerin. de electiion. cap.* 14. *num.* 29. *&* 30.

12. Demum non ſubſiſtit, quòd electio, quando etiam nulla fuiſſet, adhuc eſſet confirmanda: Tum quia electio devoluta eſſet ad Summum Pontificem, tàm de jure communi. *cap. quamquam* 18. *De elect.* quàm vigore concordatorum Germaniæ: tum quia electores tenerentur iterum reeligere primum electum, & ad id aſtringi poſſent per Superiores.

13. Non ſubſiſtit primum; quia devolutio electionis non fit ad ſuperiorem, niſi in caſibus à jure expreſſis; quia cùm privatio facultatis eligendi importet pœnam, iſta non cenſetur irrogata, niſi expreſsè à jure caveatur, teſtante de communi *Paſierin. de elect. cap.* 31. *nu.* 16. *&* 26. ubi plures concordantes in *d. cap. quanquam* 18. ſolùm privantur Electores in caſu, quo vel indignum ſcientèr elegerunt, vel proceſſerunt ad electionem contra formam traditam in Generali Concilio, & ibi *Gloſſ. in verbo Generali Concilio ſupra eodem cap. quapropter:* & idem ſtatuitur in concordatis Germaniæ; nam jubetur fieri electiones Canonicas, & niſi fiant Canonicè, reſervatur electio Summo Pontifici; electio autem Canonica vigore dd. Concordatorum tunc dicitur, quando ſervatur forma tradita per *d. cap. quia propter;* è converſo autem ea dicitur non canonica, quæ inobſervantiam dicti capitis continet, ut tradit *Nicolaus exadverſo relatus ad d. Concordat. German. tit.* 1. *De reſervat. dub.* 1. §. 4. *Ameyden. de ſtyl. Datar. lib.* 1. *cap.* 15. §. 6. *num.* 20. *&* 21. & magiſtralitèr, diſcuſſo articulo, fuſiſſimè docet *Rota coram Coccin. deciſ.* 1552. *à num.* 41. *uſque ad* 55. quam referunt, & ſequuntur *Caſtellin. de elect. poſt cap.* 4. *ſub num.* 28. *in fine, verſ. neque facit cum ſeqq. Lavor. elucubrat. var. tit.* 4. *cap.* 21. *ſub num.* 160. *cum plur. ſeqq.* Quapropter dum ex conceſſis etiam per Partem Adverſam electio hodiè apparet Canonica, per neceſſarium conſequens, ſi irritanda venit ex alio capite, quàm ex inobſervantia *d. cap. quia propter*, non devolvitur electio ad Superiorem, ſed remanet facultas eiſdem Electoribus, ac ſi nova accidiſſet vacatio. *Lavor. elucubrat. var. tit.* 4. *cap.* 21. *num.* 93. *Paſierin.*

*rin.de elect. cap.*12. *num.*41. Prout neque Electores adſtringi poſſunt ad eligendum denuò primo loco electum,ex allegatis in hodierna mea Juris, *num.* 34. *cum ſeqq.*

14. Neque ad rem confert *textus in can. cùm Adrianus* 19. *diſtinct.* 63. quia ille loquitur de contemptis Legatis Imperatoris in electione Summi Pontificis, qui etiam acquieverunt, dum eis notificatum fuit, id non fuiſſe factum ex cauſa contemptus, ſed ad tollendum hujuſmodi abuſum etiam quoad alios Principes.

15. Reliqua non egent reſponſione, & confutata remanent ex præcedentibus.

PETRI

PETRI CORRADINI

ADVOCATI ROMANI

RESPONSIO JURIS

Super contemptu.

1. IN ſubſtantia, difficultas hujus cauſæ, ſublatis vanis exceptionibus, reducitur ad articulum foraneitatis, & ad impedimenta, propter quæ exadverſo prætenditur non potuiſſe admitti ad ſuffragandum ratione belli, & hoſtilitatis, Eminentiſſimum Bullionum, ejuſque Procuratorem; Verùm breviter oſtendam, non obſtan. argumentis contrariis, læſam fuiſſe Juſtitiam, læſumque jus d. Eminentiſſimi: ac propterea permitti non debet, ut res tranſeat in Exemplum, & contra Sacros Canones confirmari non debet Electio, quam uno contempto omnia Jura Canonica, una voce irritandam eſſe decernunt.

2. Reſpondi præventivè in mea ſecunda Informatione Juris, quòd Statutum numquam ſomniavit diſponere de hoc caſu; quia dum in rubrica de foraneis, juncto nigro, declaravit foraneum eum eſſe, qui primam reſidentiam non fecerit, diſponens poſteà, quòd Canonicus foraneus non habeat vocem in Capitulo, intelligi perneceſſe debet de foraneo juxtà Statuta, & ſic de illo, qui primam reſidentiam non fecerit.

3. Tantò magis, quia in *tit. de ſecunda reſidentia*, loquens de eo, qui promittens, & ſe offerens ad reſidendum, poſteà per ſex menſes in Eccleſia non reſedit, non vocat eum abſolutè foraneum, dum revera Statutum foraneos tantùm fecerat eos, qui primam reſidentiam non feciſſent; ſed dicit, quòd talis habeatur pro foraneo, ideſt aſſimiletur illis, quos in rubrica de foraneis, foraneos fecerat.

4. Nec meretur iterum adduci dictio *alioquin*, cujus vigore prætendunt DD. exadverſo ſcribentes, illa verba: *quicumque in feſto S. Ægidii ad ſecundam reſidentiam ſe exhibuerit, aut præſentaverit*, convertere in negativa; Hæc namque lectura repugnat ſenſui Statuti, ſenſui Grammaticali, & dictæ dictioni *alioquin*.

5. Si enim d. dictio reſolveret dd. verba *exhibuerit*, & *præſentaverit*, in negativa, adverſaretur ſenſui Statuti; Ita namque Statutum, qui ſe non exhibuiſſet, & præſentaſſet, cogeret eo anno ad reſidendum ſex menſes integros, quod eſt contra litteram Statuti: & quamvis pars replicet, quòd etiam d. verbum *reſideat*, converti debeat in negativam *non reſideat*: tamen cum hac lectura ſenſus grammaticalis non currit.

6. Dicere autem, quòd Statutum conſiderat duos caſus diverſos, ideſt quan-

quando quis ſe non exhibuit, & quando non reſedit, eſt addere verba Statuto odioſa, dum lectura ipſa ad oculum demonſtrat, quòd verba omnia ſunt adeò conjuncta, ut unus tantùm ſit caſus.

7. Et quidem dictio prædicta *alioquin*, nullam aliàm negativam involvit, niſi illam ſi *prædicta*, quæ ſupra diſpoſuit Statutum, quis non fecerit, ut notat *Dec. in l. mutuum damus num. 7. ff. ſi cert. petat. Jaſon. in §. in perſonam num. 8. inſtit. de action.* ibi: *Exponitur enim alioquin, ideſt ſi prædicta non fecerit.*

8. Undè dum Statutum ſupra diſpoſuit, quòd is, qui ſe exhibuit, aut præſentavit in feſto B. Ægidii, reſideat eo anno ſex menſes apud Eccleſiam, alioquin habeatur pro foraneo: dicendum eſt, quòd dictio *alioquin*, nullum alium habeat effectum, niſi diſponendi quòd ſi is, qui ſe exhibuit, & præſentavit non reſederit ab anno apud Eccleſiam ſex menſes, & ſic non fecit quod promiſit, is pro foraneo habeatur.

9. Imò cùm natura d. dictionis ſit reſolvere diſpoſitionem, ſi omnes qualitates præcedentes in caſibus enumeratis non concurrant, ut egregiè notat *Tiraq. de retr. lignag. §. 8. gloſſ. 6. num. 1. in fin. & 2. Rot. dec. 557. num. 11. coram Amat. Dunoz.* ſequitur perneceſſe, quòd ſi non concurrant caſus enumerati à Statuto, ideſt quis ſe exhibuerit, & præſentaverit, diſpoſitio reſolvatur: & in caſu, quo quis nec ſe exhibuit, nec præſentavit, Statutum locum habere non valeat.

10. Et ſicuti abſurdum eſſet dicere, quòd Statutum, vel lex jubens, quòd ſi quis corrumpat mulierem, eam ducat in Uxorem, alioquin ſolvat mille, mille ſolvi debeant etiamſi quis mulierem non corrumpat, ac ſi dictio *alioquin* totam orationem convertat in negativa, & illa verba *ſi quis corrumpat*, convertat in negativa ſi non corrumpat, quod, ut dixi, eſſet abſurdum, & contra litteram legis, quæ adjecit dictam dictionem *alioquin*, reſpectivè ad id, quod debet facere is, qui corrupit, juxta Theoricam *Salycet. in d. l. mutuum num. 5. in fin. ff. ſi cert. petat.* Ita quoque in caſu noſtro abſurdum prorſus eſt prætendere, quòd d. dictio *alioquin* convertat in negativa illa verba: *qui ſe exhibuerit, vel præſentaverit.*

11. Et proindè cùm nulla major diverſitas poſſit dari, quàm inter caſum affirmativum, & negativum, impoſſibile eſt, quòd Statutum prædictum loquens de eo, qui ſe exhibuit, & præſentavit, extendi valeat ad eum, qui ſe non præſentavit, nec ſe exhibuit: nec obſervantia aliquid facit, tum quia non eſt probata, tum etiam quia interpretativa non ſufficit; quia obſervantia interpretativa ſupponit Statutum, & quòd verba Statuti ſint dubia; undè cùm in caſu noſtro Statutum de eo, qui non comparuit in feſto S. Ægidii, non adſit, nec in locis citatis loquatur de hoc caſu, ſed de caſu totaliter oppoſito, meritò hæc obſervantia non eſt apta ad condendum novum Statutum, ut in d. ſecunda Juris probavi.

12. Sublata foraneitate, cui tantum adhæſit Capitulum, excludi non poterat d. Eminentiſſimus propter aſſertum figuratum periculum; quia DD. ex adverſo ſcribentes jam fatentur, quòd periculum ſe tendens ex parte d. Eminentiſſimi, non eſt in conſideratione, dum debebat admitti ad ſuffragandum per Procuratorem, ex allegatis in prima, & ſecunda mea Informatione; Admittunt quoque, quòd periculum ſchiſmatis, & ſeditionis adeſſe non poterat

pro-

propter rationes in ſecunda meaJuris adductas in *num.* 14.

13. Nunc ſe reſtringunt ad periculum, quod paſſi fuiſſent Canonici ſi admiſiſſent dictum Eminentiſſimum, Miniſtrum principalem Regis Chriſtianiſſimi, cum quo ipſa Civitas Leodien. fœderata bellum gerebat, & prætendunt, quòd litteræ Avocatoriæ Imperatoris,prohibentes omninò commercium, terrere debebant Canonicos ne admitterent Miniſtrum Regis inimici, imò hoſtem ipſius Civitatis: & quòd de jure ſit prohibitum Subdito loqui cum inimico Regis,& quòd Rex punire poteſt eos, qui ſine ejus licentia admittunt Procuratorem ab hoſte conſtitutum.

14. Verùm iſtæ ſunt ſimplices exagerationes verborum,quæ nulli prorſus juris fundamento nituntur; quia ex prædictis non imminebat periculum Eccleſiæ, ſed periculum Canonicis, qui timebant,ut exadverſo dicitur,puniri, ſi admittebant d. Eminentiſſimum in Civitatem: ac proindè cùm tali periculo Canonici occurrere poſſent, excludendo dictum Eminentiſſimum à Civitate, & admittendo, quòd ipſe ſuffragaretur per Procuratorem, & ſic per organum unius de gremio Capituli,& qui eſſet Amicus,& non ſuſpectus, & admitteretur ad ſuffragan.per ſe, meritò propter hoc aſſertum periculum, Canonici non poterant privando Cardinalem voce activa, ei adimere facultatem ſuffragandi per Procuratorem; eodem namque modo inducitur contemptus aptus ad irritan. Electionem, quando quis excluditur, & quando non admittitur ejus Procurator,vel ei denegatur facultas Procuratorem conſtituendi *Jo:Andr.in cap.quia propter num.45.De Elect.*

15. Et licèt exadverſo replicetur, quòd idem imminebat periculum, ſi admittebatur Procurator hoſtis ſine licentia Imperatoris: ſatis ſit pro reſponſione ponderare, quòd eodem modo, quo non licet loqui cum hoſte,vel Miniſtro hoſtis, vel non licet acceptare mandatum Procuræ, aut illud tranſmittere hoſti, eodem modo non licet hoſtibus litteras, vel nuncium mittere, juxtà *text.apertum in l.1.circa finem,ff.ad leg.Jul. Majeſt.* ibi: *Quive hoſtibus Populi Romani nuncium, litteraſve miſerit*, ubi *Bart.* notat,quòd tranſmittere litteras hoſtibus eſt jure gentium inhibitum; quia idem eſt loqui cum hoſte, ac cum eo habere amicitiam, & commercium, ac eidem litteras ſcribere.

16. Quis ideò credet periculum juſtum, quale juxtà Theoricam *Hoſtien.* in ſecunda mea Juris *num.*13.debet eſſe,quando Capitulum d. Eminentiſſimo pluries, atque pluries tranſmiſit Epiſtolas publicè, & palam, nullo impediente, nemine contradicente,impunè,ſine ulla pœna, aut timore pœnæ,& quando per epiſtolas adeò repetitas, & per Nuncios habuit cum d. Eminentiſſimo commercium adeò patens, & nemo punitus eſt, & nemo reſpondere d. Cardinali timuit; undè ſi nemo timuit epiſtolas ſcribere, & commercium publicè, & palàm cum d. Cardinali habere:quomodo in mentem ſenſati Viri venire poteſt,quòd Capitulum non potuiſſet admittere unum de gremio ſuo amicum cum mandato Procuræ Cardinalis ad ſuffragan. pro eodem ſine timore pœnæ, quando fecit multò plus publicè, & palàm? plus enim eſt cum hoſte commercium adeò repetitum habere per adeò repetitas epiſtolas, quàm admittere Procuratorem ad ſuffragandum, & quidem Procuratorem, in quo nullus poterat cadere timor, & qui palàm oſtendens ſuum mandatum,& unicam epiſtolam,in qua mandatum continebatur,nullas pœnas juſtè timere poterat, ſignanter ab Invictiſſimo Imperatore, cui applicari non poſſunt exempla

ſla à Dom. meo *Stancho* in *numer.* 21. adducta; cùm ejus reverentia erga Clericalem cœtum ſit ſatis nota, & nullum poſſet cadere delictum etiam in terminis belli in eo, qui publicè oſtendiſſet epiſtolam d. Cardinalis, in qua ſolum mandatum Procuræ incluſum eſſet.

17. Et revera, licèt de jure gentium, & juxtà regulas belli, licitum non ſit loqui cum hoſte, nec licitum ſit litteras mittere, nec mandata Procuræ recipere, aut commercium cum hoſtibus habere: id tamen intelligitur, quando quis dolo malo, ad effectum prodendi ſecreta Principis ſui, vel juvandi hoſtes, talia facit, ut habetur in *d.l.1.in fin. ff. ad l.Jul. Majeſt.* Secus quando bona fide, alia de cauſa prædicta fiant; Tunc enim nulla pœna affici poteſt is, qui epiſtolas mittit, vel mandatum procuræ recipit, ut egregiè probat *Gigas de crim.læſ.Majeſt.rubr.qualiter,& à quibus quæſt.*20.*&* 21.*utrobique num.*4.*Schneid.de feud. par.*8. *cap.*1. *num.*87. nec quando mandatum non recipitur occultè, ſed palàm, & publicè Capitulo oſtenditur, ut cavetur, præcisè in *Concil.Tholet.* 4. *can.*3. juxtà verba adducta in contrario reſtrictu *§.cùm enim.*ibi: *à gente extranea occultè accipere.*

18. Et proindè, ſicuti nullam pœnam timuit Capitulum, quando ſcripſit Epiſtolas pluries, atque pluries dicto Eminentiſſimo, quia Epiſtolæ negocium Electionis concernebant, & ſic negocium Eccleſiæ, non negocia Principis: ita multò minus poterat timere pœnam ullam acceptando mandatum, & ſic unam Epiſtolam, in qua incluſum erat mandatum, quod non concernebat negocia Principis, ſed tantùm negocium Electionis, & in quo actu nullus propè timor concurrere poterat.

19. Sine dubio dum admiſit Dominum Comitem de Poitiers, qui erat Subditus Regis Chriſtianiſſimi, & ſic etiam, juxtà ſuppoſitum Partis adverſæ, hoſtis: & quod plus eſt, & ponderandum ſupplicamus, cùm d.Comes oſtendiſſet mandatum Procuræ Eminentiſſimi Cardinalis à Furſtembergh, pariter Miniſtri Regis Chriſtianiſſimi, & magis ſuſpecti Imperio, juxtà lecturam Partis adverſæ, tamen Capitulum non rejecit dictum mandatum tanquam conſcriptum ab hoſte, vel Miniſtro hoſtis, ſed illud rejecit tanquam conſcriptum à foraneo, quem prætendebat non habere vocem, & nemo fuit punitus; undè omnibus penſatis, clarè patet, quòd hic timor non adfuit, nec adeſſe poterat, & quòd eſt timor prorſus vanus, & nuper adinventus ad coloran. contemptum. *Card.de Luca De Regul.diſc.*53. *num.*9. *& ſeqq.* loquitur de caſu, in quo Canonici non vocati, erant rebelles, ac inobedientes proprio Prælato, & adhærebant Seculari Poteſtati, quæ excluſerat Abbatem, & alios à Monaſterio, & proindè pôterant omitti.

20. Verum eſt, quòd nullus de Capitulo tenebatur acceptare mandatum; ſed non ideò ſequitur, quòd nemo illud acceptaſſet, & tamen id probare tenetur Capitulum tanquam fundamentum ſuæ intentionis pro excluſione contemptus: & diviſio Capituli in duas factiones reddit id improbabile, quia quævis pars, & ſignanter illa, quæ adhæſit Decano, non omiſiſſet acceptare mandatum, & ſic habere etiam iſtud votum.

21. Iterum DD. exadverſo ſcribentes probare conantur, quòd contemptus excludatur ex qualibet cauſa etiam colorata, ac ſi requiratur, quòd quis contemnatur dolo, & malitia; ſed quod dicunt non probant, quia nemo ex adductis exadverſo id firmat in puncto Electionis; & eſt hæc propoſitio

tio contra *text.in cap.in geneſi* 55.*De Elect.*ubi DD. & alii adducti in ſecunda mea Juris, *num.*54. ibi enim ſuerant excluſi duo Canonici, quorum primum Capitulum excluſerat, quia non habebat titulum: & tamen quia ille exiſtebat in quaſi poſſeſſione Canonicatus, & Juris eligendi, textus dicit, quòd excludi non poterat, & quòd contemptus fuerat, ut notant *Compoſtell.Caſtell.& alii in d.n.*54. adducti. Signum evidens, quòd cauſæ coloratæ non excludunt contemptum; aliàs enim magis colorata cauſa dari non poterat iſta deficientia tituli: & proindè urget ſemper Canoniſtarum Axioma, quòd ad evitan. contemptum requiruntur cauſæ à Sac.Canonibus approbatæ, & juſtæ, ac juſtificatæ.

22. Recurrunt tandem DD.exadverſo ſcribentes ad ultimum refugium, & ſuadere conantur, quòd actio contempti intenta eſt ad deſtruendam Electionem factam, ut alia ſequatur Electio, in qua ipſe interveniat; Undè cùm in caſu noſtro alia non ſit facienda Electio,ſive quia de Jure, ut prætendit Dominus meus *Petrus Fuſcus*,jus eligendi quoties ratione contemptus irritatur, Electio devolvitur ad Superiorem: ſive quia id eveniat propter concordata Germaniæ: ſive quia ſperare non poſſit Dominus Cardinalis quòd admittatur, ideò ceſſet ejus actio.

23. Verùm hæc propoſitio eſt præcisè contra Sacros Canones, quia non exindè ceſſat actio contemptus, nec exindè ſine ejus conſenſu confirmari poteſt Electio; quia Electione caſſata, alia facien. non ſit Electio, in qua ipſe intervenire debeat, ut latè probat *Oldrad.toto conſ.*64. qui tuetur, quòd Electis duobus in diſcordia, poſſit contemptus agere de contemptu,& caſſari debeat Electio illius, cui ipſe non conſentit, licèt non deveniatur ad aliam Electionem, ſed propter conſenſum ab eodem præſtitum Electioni alterius, confirmetur alterius Electio.

24. Et quidem nemo exadverſo adductis firmat hanc concluſionem: & Sacri Canones voluerunt caſſari Electionem tanquam factam in injuriam, & læſionem juris contempti, quæ injuria, & læſio ſemper durat, quouſque non ſit caſſata Electio: & quamvis caſſata Electione, jus devolutum eſſet ad Superiorem, non ideò quia non ſequitur alia Electio ceſſat injuria, & reparatum eſt jus contempti, ut ſenſui patet.

25. Cæterum de jure,ratione contemptus,non devolvitur Electio ad Superiorem, ſed ſpectat ad eoſdem Electores,juxtà theoricam *Abb. in cap. bonæ memoriæ il ſecondo,num.*5.*&* 9.*De Elect. Petr.à Baiſ.de Elect.par.*3. *toto c.*7. *Lavor.Elucubr.Canon.cap.*17.*num.*18.*Tboloſ.de Elect.cap.*14.*nu.*5. *Paſſerin. eod.tract.cap.*11.*num.*125.*in fine.*

26. Nec contrarium cavetur in concordatis; quia in *conſt.* 1. *Nicolai V.* §.3.*bull. nov.to.*1.*f.mibi* 305. id non cavetur, & Papa juxtà concordata ſolet providere, quando Electiones peccant in forma, & ſunt nullæ, & quando de jure cavetur,quòd propter nullitatem Electionis jus devolvitur ad Superiorem,ſecùs quando electio eſt valida,& pendet à voluntate contempti eam irritare, & inſtare pro caſſatione: in quibus terminis non habemus in concordatis diſpoſitum, quòd contra diſpoſitionem Juris Papa voluerit ſibi reſervare hoc caſu jus conferendi, & tollere iis, quibus privilegium dabat beneficium,quod ipſi de jure communi habebant.

27. Cæteris fuit præventivè reſponſum.

JACOBI SARDINI

ADVOCATI ROMANI

REPLICATIO JURIS

Super contemptu.

1\. UT citiùs, quàm fieri poſſet, adeò celebris quæſtio terminaretur, vel in ipſo limine judicii legitimum diximus compulſandum fore Leodien. Eccleſiæ Statutum, ut veritas haberetur, non, ut dilationibus juvaremur; Nec adeò de juſtitia diffidimus, uti ſupponit Dominus in facto exadverſo ſcribens in ejus reſponſione ſuper contemptu *num.* 1. ut, quomodocumque ſe habeant Statuta, Eminentiſſimo Principali ſubterfugia quærere ſit neceſſarium: quando nil ultrà petit, niſi, quòd decidatur præſuppoſitæ foraneitatis articulus, à quo ſemper, ſemperque dicimus cauſæ deciſionem pendere, dum, ea ſecluſa, nedum manifeſtus reſultat contemptus cum injuſtitia, ac poſitiva rejectione operatus; ſed potiſſimum juſtificatur appellatio, quod ſufficit ad intentum.

2\. Probet igitur, non tantùm afferat in dicta reſponſione ſub *num.* 2. Dominus in facto ſcribens, in quo juris principio æquivocetur, & in quo ſtatuti intellectus per nos confundatur; prætereùndo enim per eum deducta à *d. num.* 2. uſque ad *nu.* 11. quia dilationes non quærimus, quandocumque credant Eminentiſſimi PP. ſatis de Statutorum legitimitate conſtare, (quamvis impugnari poſſit, dum neque extractores impleverunt mandatum Reverendiſſimi Nuncii, omittendo extractum Statuti ſub *tit. de foraneis*, licèt in hac parte Statutum foraneitatem percuteret) & ponderando quæ per eum ſubduntur ſub *num.* 14. fatendum eſt, quòd *valdè æquivocatur exadverſo ſuper puncto Juris*, dum noſtræ Statutariæ Conſtitutiones diſpoſitioni Juris *in Clement. ut ii De ætat. & qualitat. & Trident. Synod. in cap. 4. de reformat. ſeſs.* 22. æquiparant.

3\. Allegata namque *Clement. in princ.* diſponit, *ut nullus de cætero in hujuſmodi Eccleſiis vocem in Capitulo habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè concedatur, niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus.*

4\. Et exindè ſubdit, ut illi, qui dignitates obtinent, ſe promovere debeant ad Ordines Sacros intrà annum, quòd ſi promoti non fuerint, *nullo modo vocem in Capitulo habeant earumdem; ipſiſque diſtributionum, quæ dantur his, qui certis horis interſunt, pars dimidia ſubtrahatur, non obſtantibus quibuslibet Conſuetudinibus, vel Statutis. pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad Ordines recuſantes ſtatuuntur in jure, nihilominùs in ſuo robore permanſuris.*

5\. In Tridentina verò Conſtitutione, pariter demandatur Ordinum ſuſce-

ſceptio, intrà annum, juxtà prædictam Conciliarem Viennenſem diſpoſitionem,& ſubditur: *Cogantque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſe ipſos exercere,ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu Divino præſtare, ſub eiſdem,& aliis etiam gravioribus pœnis arbitrio eorum imponendis, &c.*

6. Statutum autem noſtrum, vel attendatur ſub Rubr. *de ſecunda Reſidentia*, vel ſub *tit.de Capitulis Ordinariis, & ſpecialibus*, nullibi cum prædictis Conciliaribus diſpoſitionibus conformatur; non ſub dicta Rubrica *de ſecunda Reſidentia*, ubi pro foraneo habendum eſſe declaratur Capitularem illum, qui ſe præſentat, & deindè non reſidet: imò privatur acquiſitione fructuum, etiam pro tempore proſequutæ reſidentiæ; undè in nihilo hæc diſpoſitio cum Conciliari diſpoſitione conformis redditur, quæ ſolummodò privationem vocis imponit non ſuſcipientibus Sacros Ordines, & non implentibus per ſeipſos ſibi commiſſa Officia.

7. Et minùs cum ea concordat altera, de qua ſub *tit. de Capitulis Ordinariis, & ſpecialibus*, ſaltèm in ea parte, in qua Canonicum tamquam foraneum à voce repellit, dum nullibi in jure, vel in Concilio legitur, quòd privetur voce Capitularis ille, qui poſt ſuſceptos neceſſarios Ordines, & legitimè acquiſitam Canonicatus poſſeſſionem reſidere non curat, negligendo fructuum acquiſitionem,ſed tamen retinendo Officium, & Juriſdictionem;ideòque jus præſtandi ſuffragium in Capitulo, quod ab Officio, nequaquam verò à Beneficio dependet, ut latè probavi in mea prima Juris,*§.nec privatio.*

8. Exorbitant itaque à juris diſpoſitione noſtræ Conſtitutiones, ideòque earum etiam conceſſa validitate, ſemper illud urget motivum ſine contradictione ab omnibus tum Canoniſtis, tum Legiſtis receptum, quòd extendi non poſſint de caſu ad caſum, maximè ad effectum imponendi pœnam,uti ex juribus jam in Informationibus cumulatis.

9. Poterat autem omitti motivum ſub *nu.* 13.*& ſeqq.* in dicta reſponſione ponderatum, quòd in die Sancti Ægidii celebretur Capitulum Generale, ideòque ſit neceſſaria omnium Capitularium formalis repræſentatio, eamque ordinare potuerint ſtatuentes etiam ſub pœna privationis vocis; Nam quandocumque etiam hujuſmodi admitteretur propoſitio, quæ tamen ſine præjudicio veritatis recipi non poteſt, per ea, quæ tradit *Eminent.de Luc. de Canon.& Capit.diſc.*19. *num.*18.ubi negat poſſe Capitulum vocis privationem ſtatuere: tamen neceſſe eſſet, quòd exadverſo clarum deduceretur Statutum, expreſsè privationem vocis imponens adversùs non comparentem in d. Generali Capitulo; alioquin non ſufficit eam deſumi velle interpretativè, dum requirit ſpecialem expreſſionem, uti poſt alias authoritates deductas in mea prima Juris *§.ex qua,&c.*idem ex *Panormitan.& Navarr.* determinat *Paſſerin.de Election.cap.*31.*num.*16.*verſ.privationem etiam vocis,&c.*

10. Nec facit intelligentia exadverſo in dicta reſponſione deducta ſub *num.*15.*& ſeqq.* Eſto enim quòd Statutum conſideret Canonicos in duplici ſtatu, in eo ſcilicet in quo continuò reſederint, & eos mandet ſolummodò obligatos eſſe ad ſe exhibendum in dicta die Sancti Ægidii, quia Statutum de eis diſponat per illud verbum *exhibere, &c.*

11. Ac in eo,in quo quis anno præcedenti non reſederit, & non reſidentem velit teneri ad ſe repræſentandum expreſſis verbis,ut ibi: *Se præſentare, & offerre ad reſidentiam verbis expreſſis, &c.* non indè ſequitur, quòd retenta

tenta diſpoſitione Statuti cum hac diſcretiva inter obſervantes, & defectuoſos, ille, qui non reſederit, declaretur foraneus.

12. Imò ex hoc ipſo excluditur intentio Partis; nam ſi Statutum ſupponit caſum, quòd quis non reſederit anno præcedenti, nedum admittit poſſe Capitulares eorum arbitrio ſecundam inchoare, vel deſerere, vel omittere reſidentiam; ſed expreſsè adversùs non comparentes, & non reſidentes foraneitatis incurſum rejicit, dum non vult eos alia pœna affectos, quàm ad ſe repræſentandum expreſſis verbis, ut ibi: *Et ſi fortè anno præcedenti non reſederit, ſe expreſſis verbis ad reſidentiam offerre, & præſentare, &c.*

13. Et potiſſimùm ponderanda venit hæc diſcretiva exadverſo explicata ſub *nu.* 19. nam ſicuti ex ea reſultat, ſtatuentes reſpexiſſe tàm ad caſum quolibet anno proſequutæ reſidentiæ, quàm ad caſum aliquando omiſſæ, ut ibi: *Et ſi fortè anno præcedenti, &c.* dum exindè in ſubſequenti diſpoſitione ſub eadem Rubr. §. *Item quicumque, &c.* foraneitatis incurſum decernit adversùs ſe ad ſecundam reſidentiam exhibentem, vel præſentantem; Et deindè promiſſam reſidentiam non explentem, intrat de ſua natura regula de diſcretivis, ſcilicèt quòd ubi ſtatuentes voluerunt foraneitatem incurri, expreſſerunt; tacuerunt autem ubi noluerunt; ideòque ceſſat ex hac ipſa diſcretiva quælibet difficultas, & removetur quodcumque, quod exadverſo excitari poſſet, objectũ, ut ex juribus in mea prima informatione allegatis §. *reſultat itaque.*

14. Verum autem eſt quod aſſeritur ſub *num.* 21. ſcilicèt, Statutum duas ſpecies Canonicorum conſiderare, etiam quando diſponit per illa verba: *Item quicumque in feſto B. Ægidii ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, &c.* erronea tamen eſt illatio ex hac præmiſſa deſumpta, ſcilicèt Statutum tàm adversùs ſe exhibentes, aut præſentantes, & exindè non reſidentes, quàm adversùs omninò non comparentes foraneitatem indicere, dum hujuſmodi conſtitutio pœnæ in utroque caſu ex ipſa diſcretiva excluditur, quandocumque poſt diſcretivam pœna reperitur in uno tantùm caſu ordinata.

15. Nec ex eo, quòd Statutum cogitaverit caſum non proſecutæ reſidentiæ ſub illis verbis: *Si fortè anno præcedenti non reſederit, &c.* & exindè utramque Canonicorum ſpeciem conſideraverit ſub illa diſpoſitione: *Item quicumque, &c. ſe ad ſecundam reſidentiam exhibuerit, aut præſentaverit, &c.* indè ſequitur, quòd Statutum ſit dubium quoad incurſum foraneitatis adversùs non comparentes, uti ſupponitur ſub *num.* 22. itaut detur locus obſervantiæ interpretativæ; nam potiùs, ut dixi, ex ipſo diſcretivo loquendi modo quælibet dubietas removetur; quia Statutum conſiderat utrumque caſum, utrumque comprehendit ſub ſua diſpoſitione, & demum pœnam in certo caſu conſtituit; undè reſultat omnimoda excluſio alterius caſus, & excluditur dubietas, quæ non poteſt oriri quoad caſum omiſſum.

16. Tunc autem urgeret illatio, quando verificaretur ſuppoſitum, de quo ſub *num.* 23. ſcilicèt quòd Statutum in principio procederet per verba præceptiva, *debebit perſonalitèr ſe exhibere*; verumtamen noſtrum Statutum conceptum legitur cum verbo facultativo *volet*, & ejus ſenſus eſt: *qui volet debebit ſe exhibere*; ſed de eo, qui non volet, dicat Dom. exadverſo in facto ſcribens, ubi in Statuto diſponatur? & nulli dubium eſt, quòd abſurdum eſſet dicere, quòd in ſtatuto diſponente, ut ſe præſentet,

non

non comprehenderetur à contrario ſenſu, qui ſe non præſentaret, ſed tale oritur abſurdum, quando habetur ſtatutum præceptivum, & non quando adeſt ſtatutum facultativum, ut ex ſuprà firmatis.

17. Videt objecti vim Dom. exadverſo reſpondens, ideòque à *num.* 31. *uſque ad* 35. conatur hanc facultatem rejicere, ſed fruſtrà; nam licet illa dictio *reſidere*, importet effectivam reſidentiam, non dextruit potentiam alterius dictionis *volet*, cui ſubordinatur futura reſidentia; Undè niſi volumus, quòd detur illa confuſio intellectus noſtri Statuti, de qua in dicta reſponſione ſub *num.* 2. priùs præmittendum eſt, quòd Statutum procedit cum verbo facultativo *volet*, deindè cum verbo præceptivo *debebit*, & poſtmodum juxta verum ſenſum diſpoſitionem debemus intelligere, quòd qui volet reſidere, comparere debebit, & qui comparuerit, ne fiat foraneus, teneatur reſidere.

18. Torqueantur quoquo modo poſſunt exadverſo ſcribentium ingenia, nullam aliam poterunt præſeferre legitimam Statuti intelligentiam; undè ſemper veriſſimum erit dicere, caſum non factæ comparitionis, quoad incurſum foraneitatis, fuiſſe per Statuentes omiſſum, ideòque prorsùs redditur inapplicabilis diſpoſitio *text. in cap. de illis De condit. appoſit. & cap. Romana* 1. *De cenſibus* exadverſo allegata *ſub num.* 33. quia ſtant ſimul, quòd quis non poſſit ſecundum actum gerere antequam primum impleat, & tamen quòd implementum primi actus ſit facultativum, non præceptivum, quod ſufficit ad intentum.

19. Ceſſat igitur quælibet difficultas, etiam ex deductis exadverſo quoad deficientiam præſuppoſitæ foraneitatis; Undè nec urgent exempla, neque Capitulares actus exadverſo ad effectum comprobandi obſervantiam allegati; nam quod operatum fuit cum aliquibus Capitularibus, & præſertìm cum Sereniſſimo Teutonico prædefuncto, afficere non poteſt Eminentiſſimum Principalem, ut jam probavi in mea ſecunda Juris, *num.* 51. quia hujuſmodi actus neque poſſunt præſeferre obſervantiam interpretativam, deficiente Statuto interpretatione indigente, neque præſcriptivam, uti ex latè deductis in dicta mea ſecunda Juris, *num.* 47. ideòque deteguntur erronei, & nequaquam attendendi, ut in eadem mea ſecunda Juris, *num.* 52.

20. Sublata demum foraneitate, nunc tædet calamum revocare ad eam refellendam exceptionem, ad quam comprobandam, nedum exadverſo cumulantur figmenta, & nugæ, ſed coacervantur injuriæ, & retorquentur in odium, quæ laudari deberent.

21. Iterum enim dicitur, Eminentiſſimum Principalem facultatibus ampliſſimis fuiſſe munitum, & ſecretis inſtructionibus Regis Chriſtianiſſimi, quibus fomenta ad ſeditionem ſuppeditaret.

22. Et mirandum profectò eſt, quòd velint Adverſarii fraudulentum reddere Eminentiſſimum Principem, & Patriæ Leodienſis perniciem excogitantem, ejuſque Eccleſiæ ruinam, quando ſolummodò pro ejus libertate eum laborantem legimus in Epiſtolis, ad quas ſatius eſt EE.PP. pro neceſſaria reſponſione remittere, ut habeatur medela, undè vulnus infertur, quàm tempus terere in reſpondendo iis, quæ nauſeam excitarent, niſi tamquam ad jocum compoſita reciperentur, eodemque modo, quo per Torquatum compoſita extat Alethis oratio, cujus exemplum in contraria reſponſione laudatur ſub *num.* 45.

23. Et

23. Et ne tali pacto fingatur nos longius ire, uti ſupponit Dom. exadverſo ſcribens ſub *num.*36. ſtrictè ſuper difficultate agendo, iterum dicimus, nequaquam Capitulum voluiſſe excludere perſonam, ſed votum: & hujuſmodi motivo nihil exadverſo reſpondetur, licèt in eo difficultatis cardo conſiſtat.

24. Ceſſabat enim quævis umbra timoris ex admiſſione Procuratoris, tum quia Procurator conſtituendus erat perneceſſe unus de gremio Capituli, tum quia nec potuiſſet ſuffragium dividere, uti per *Paſſerin. in cap.* 10. *de Elect.num.*75.*&* 43.

25. Eoque fortius ſtringit in præſenti hæc toties repetita concluſio, quia penitùs removetur Adverſariorum confugium in eo repoſitum, quòd Eminentiſſimus Principalis nec Procuratorem habere potuiſſet, dum ex literis Dom. Canonici Clercs, & Capitularibus decretis noviter per Dominum cauſæ Patronum Eminentiſſimis PP. exhibendis, & originaliter exiſtentibus in manibus Illuſtriſſimi Secretarii, palam habetur Dominum de Clercs ſe Procuratorem conſtituiſſe Eminentiſſimi Principalis ad effectum interponendi Appellationes, eaſque Capitulo notificandi: quod ſi fecit in actu Capitularibus odioſo, utique libentiùs feciſſet pro ſolo exercitio præſtandi votum, cum quo nulla Capitulo inferebatur injuria.

26. Nec minus urget Epiſtola Domini Canonici dù Mont, ex qua probatur, continuò Eminentiſſimum Principalem exercitium Juriſdictionis Præpoſituralis poſt indictum bellum, & publicatas Avocatorias retinuiſſe, & munia contuliſſe Præpoſituræ annexa; & ex hoc redditur innegabile, nequaquam fuiſſe Eminentiſſimum Principalem Imperiali Proclamate comprehenſum, & tamquam inimicum Capitulari conſortio privatum.

F I N I S.

LEODIEN.

LEODIEN.

ELECTIONIS.

Congregatio particularis à Sanctiſſimo Dom. N. deputata: propoſito, diſcuſſoque dubio, an Electio in Epiſcopum Leodienſem de perſona Sereniſſimi, & Reverendiſſimi Principis Joſephi-Clementis ex Bavariæ Ducibus, Electoris Colonienſis, facta à Capitulo, & Canonicis ejuſdem Eccleſiæ, ſit confirmanda? Pluries informantibus Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Bullionio, ac Dominis Comite de Rekem, & Decano dictæ Eccleſiæ, ejuſque adhærentibus ex una: nec-non prædicto Sereniſſimo Electore ex altera partibus: omnibus maturè, ac diligentiſſimè perpenſis, unanimi Patrum ſententia cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, prædictam Electionem eſſe confirmandam. Et facta relatione, Sanctitas Sua dictæ Congregationis ſententiam benignè probavit. Datum Romæ die 18. *Sept.* 1694.

INDEX

INDEX.

A

DE Abbatiſſis, quæ ſolent benedici, ſi intra annum non ſuſcipiant benedictionem quid decernendum? pag. 456.nu.9

Abſentium vocatio, an ſit de ſubſtantialibus formæ electionis? 97.2

Abſens ultrà tres menſes, etiam ex cauſa evidentis Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatis, non habetur pro reſidente in Eccleſia, niſi ea cauſa fuerit à ſuperiore approbata. 107. 31 & ſeqq.

Sub hac diſpoſitione includuntur etiam S.R.E.Cardinales. ibid.

Abſens à Capitulo non poteſt extra Capitulares alium conſtituere Procuratorem ad ferendum ſuffragium, 163.44 & alibi.

Abſentes quando amittant omnia jura? 199. 17 & alibi

Abſentes quando poſſint conſtituere Procuratores, ut electioni faciendæ interveniant? 208.38. & 359.39

Abſens quando aliàs ſcit vacationem, & electionis diem, an ſit citandus? 243.5 & alibi.

Abſentis jus quando videatur infirmum, & inutile? 246.11

Abſens extra Provinciam tempore vacationis Eccleſiæ, an habeat uſum Procuratoris? 274.20 & 21

Abſens propria culpa non eſt vocandus ad electionem. 303.15.359.39 & alibi.

Abſentis vocatio commodè non fit imminente bello. 303.16 & alibi.

Abſentes qui debent citari, etiam ad numerum computantur. 318.3

Si non computantur, an valeat ele-

ctio facta à majori parte præſentium? ibid.nu.4.& 5.

Solùm abſentes è loco, ubi electio celebratur, admittuntur ad votum ferendum per Procuratorem. 328.27

Abſentes in loco valdè remoto, an ſint vocandi? 344.17.& 372.76

Abſens nemo judicatur:& quare? 363.16.& 364.23

Pro abſurdo vitando verba debent impropriari. 152.12

Abſurda, quæ conſiderat Gloſſa in Clement. ut ii De ætate, & qualitate. 230.50

Apud Deum non habetur acceptio perſonarum. 305. 4

Quæ ſint acceſſoria? 99.10

Acceſſus ſi eſt multiplex, non ſufficit probare, quòd aliquis non ſit tutus; ſed probandum eſt, nullum acceſſum eſſe tutum, alioquin non concludit probatio. 74. 11

Actio de contemptu quando pereat? 216.6

Actus facultativi non inducunt obligationem. 94. 58

Actus ſucceſſivè ſequuti, quando conſtat de origine tituli, referuntur ad titulum præambulum, & cauſam præcedentem; ideò excludunt omnem facultatis præſumptionē. 112.7

Actus cuinam tribuendi? 205.24

Solus timor, & ſuſpicio actus operatur idem, quod eſſet ex ipſo actu. 276. 30

Actus humani nunquam operari valent ultrà mentem, & cognitionem agentis. 293.33.371.72 & alibi.

Quod feſtinanter, & immaturè actum eſt, an debeat irritari? 330. 33

Actus facultativi nunquam dicuntur

emanati ex neceſſitate, *& nullum præjudicium inducunt.* 335.21. 373.86. *& alibi.*
In actibus intellectus poteſtas ex quo dependeat? 396.109
Validitas actus ex quo pendeat? ibid.
Per unicum actum immediatum, & pacificum, conſtituitur quis in quaſi-poſſeſſione eligendi, conferendi, aut præſentandi. 398.123
Actus quando deteguntur erronei, non poſſunt aliquem uſum inducere, nec ſunt poſtea in exemplum deducendi. 447.52
Unus actus non ſufficit ad aliquid probandum. 458.17
Actus, qui afferuntur ad conſuetudinem probandam reſpicere debent caſum præciſum, de quo agitur, cum omnibus ſuis qualitatibus, & circumſtantiis. ibid.
Actus æquivoci non ſufficiunt ad probandam conſuetudinem. ibid.n.18
Ex actibus difformibus non inducitur, ſed excluditur conſuetudo. ibid.
Actus factus uno contempto irritatur. 465.4
Adagium: Turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes, *quomodo intelligatur?* 269.6
Quò puſilla eſt res, eò fortiùs adimplenda. 82.34
Æneas Sylvius poſtea Pius II. 15.5
Agendi, & excipiendi jus, à quo metiendum ſit? 81.29
Agentes id, ad quod incitat rumor, & fama, an excuſentur? 233.4
Albanenſis Eccleſia. 433.26. *& alibi.*
Alethes quomodo ſe geſſerit cum Gothofrido Bullionio? 262.45. *& alibi.*
Alexander III. Vide Joannis Sariſburienſis
Alexander VII. 203.6
Alexander VIII. 15.6 *& alibi.*
Alienatio bonorum Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis eſt interdicta Prælatis. 407.198
Quid, ſi fieret aliqua alienatio, & Prælatus ſe excuſaret illam non dolosè feciſſe? ibidem.
Aloyſius Manſus Advocatus, & Patricius Lucenſis. 183.
Utrumque alternatim æquè ex privilegio determinat. 65.3
Amatus Jacomettus Advocatus Romanus. 6. *& alibi*
Quæ ſtent ampliativè? 224.30
Anaſtaſius Epiſcopus Theſſalonicenſis. Vide Sancti Leonis Magni.
Anaſtaſius Presbyter, Cardinalis tituli S. Marcelli, quare in Concilio Romano fuerit ab omnibus canonicè depoſitus? 105.28. *&* 127.24
An hic Anaſtaſius fuerit Cardinalis? ibid.
Anaſtaſius Bibliothecarius refert acta Romani Concilii, & geſta per Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem tituli S. Marcelli. ibid.
Animus declaratur tàm ab antecedentibus, quàm à conſequentibus. 17.8
Annus, qui conceditur illi, cui commiſſa eſt Parochialis Eccleſia, quando incipiat? 327.23
Anthemius Subdiaconus. Vide S. Gregorii Magni.
Antonius Vaillant Advocatus Gallus. 305. *& alibi.*
Antonius-Maria de Becchettis Advocatus Romanus. 477.
Antuerpienſis Eccleſia. 100.11
Apoſtolica Sedes aliquando bona Eccleſiæ benignè ſolet concedere in favorem pauperū Principum. 310.40
Apoſtolicæ Sedis nomine comprehenduntur etiam S. R. E. Cardinales. 363.14
Appellatio extrajudicialis interpoſita per nonnullos de Capitulo à futura minus Canonica electione, ſi deindè fuerit compertum, electionem fuiſſe Canonicam, an vitiet electionem, & an faciat attentatum? 7.6
Sub appellatione adminiſtrationis ali-

alicujus nominati, quæ adminiſtratio intelligatur? 35.12
*Appellatio extrajudicialis non ſuſpendit electionem.*74.10.88.25.*&* *alib.*
Ampliatur. 117.29
Quo caſu eam retractet? 74.10.*&* 176.47
Appellans tenetur interim ſervare ſuum jus-jurandum: & quare? 95.70
An admittatur appellatio ab electione ſine expreſſione cauſæ rationabilis, & ſine jure-jurando? 117.28.*&* 133.38
Appellatio ex cauſa injuſta, tenui, & improbabili, an impediat actum electionis: & an operetur effectum devolutionis ad Apoſtolicam Sedem? 139.10 *&* *alibi.*
Quando quis appellare non poſſit? 141.17
Appellans ab his, quæ rata habuit, non eſt audiendus. 142.*n.eod.*
Ampliatur. *ibid.nu.*18
Quando procedatur contra eos, qui obtinuerunt, tanquam contumaces? 143.25
Quando appellationis nulla ſit habenda ratio? *ibid.*
Quando appellantes ab electione non citandi, nec audiendi ſint? 144.*nu.* *eodem.*
Appellantes debent per ſe, vel per Procuratorē ſpeciatim inſtructum adire ſuperiorem, ac ſervare terminos præfixos à jure canonico. *ibid.n.*26
Appellatio quando nullum effectum operari poſſit? 161.39
Appellatio in quibus terminis non ſuſpendat electionem, nec faciat attentata? 186.23
Quando nullo modo detur appellatio, nec fiant attentata? *ibid.nu.*24
Quando appellatio non ſuſpendat, nec impediat electionem? 187.25
Appellatio inter Electores, quando non impediat electionem? 201.22
Quid ſi ſit inter Electos? *ibid.*
Appellatio non impedit actum, qui non præjudicat juri appellantis. 227.40
Propter appellationem in aliquo articulo, quando ſuperſederi debeat, etiam in cauſa principali? *ibid.*
Appellatio quando ſit nulla? 273.17
Appellatio in quibus terminis intelligatur habere clauſulam ſalutarem? 283.2
Appellans, coram Judice confirmatore debet probare, & juſtam oſtendere ſuam appellationem. *ibid.nu.*3
Appellatio ſine jure-jurando, an impediat electionem? *ibid.nu.*4
Appellatio an reddat electionem attentatam? 284.5
Petens deleri electionem ob appellationem, debet probare cauſam ſufficientem. *ibid.*
Appellatio etiam legitima, an reddat attentatam electionem: & quid operetur? *ibid.*
Quid ſi de appellatione intra menſem non ſit monitus qui obtinuit? 297.2
Appellatione pendente, an quis poſſit eligere, & an poſſit ab electione repelli? 333.11.*&* *alibi.*
*Appellationis effectus.*348.29.*&* 351.2.*&* 3
Solemnitates in appellatione requiſitæ à cap.ut circa De electione in 6.
quæ in appellatione non ſint neceſſariæ? 352.6
*Appellatio debitè intimata, eſt prima in ordine proceſſus judicialis.*362.7
Non appellatur à ſententia Canonis, vel Legis; ſed poteſt benè appellari à ſententia declarante, aliquem incidiſſe in pœnam Canonis, vel Legis. 365.25
Poſt appellationem omnia ad ſuum ſtatum debent reduci; & quidquid poſt appellationem fit, debet revocari. 381.140
Si de aliqua exceptione quæſtio oriatur, & exindè appellationem fieri contin-

contingat, an ſit exceptioni ſuperſedendum? ibid.
Poſt appellationem legitimè interpoſitam, illa pendente, nihil ampliùs poteſt innovari, atque attentari. 396. & 397. 112.
Appellatio quãdo probetur? 437. 4. & 9.
Quoties ad arbitrium alicujus aliquid fieri committitur, mandata cenſetur facultas implendi, & non implendi: immo adverſus faciendi. 342. 8
Arca Domini nunc per Eccleſiam repræſentatur. 313. 56
Archiepiſcopus volens viſitare Provinciam, priùs plenè tenetur viſitare Eccleſiæ ſuæ Capitulum, ac Civitatẽ, & Diœceſim propriam. 260. 33
Argentoratenſis Epiſcopus. 418. 5
Argumenti aſſumpto ceſſante, ceſſat & ipſum argumentum. 99. 10
Argumentum de principali ad acceſſorium quando procedat? 100. 13. & alibi.
An procedat quando ratio eſt diverſa? 158. 34
Argumentum de majori ad minus, an admittatur? 117. 26. & 347. 26
Quale argumentum contineat æquivocationem de ſimplicibus ad ſecundum quid, & nullo modo ſit validum? 275. 27
Arnoldus de Merode Canonicus Leodienſis. 236. 14 & alibi.
Arnoldus Baro de le Tradt Archidiaconus Campiniæ, Canonicus Leodienſis. 393. 88
S. Athanaſii Symbolum. 180. 5. & alibi
Nihil eſt attentandum, & Sedis Apoſtolicæ auctoritati deferendum eſt, quando aliquis ad illam confugit, tanquam ad matrem omnium Eccleſiarum. 381. 140
Atteſtationibus factis à Sacerdotibus prævio jure-jurando, & circa pertinentia ad eorum officium, plena fides habetur. 235. 12 & alibi.
Ampliatur. ibid.
Quod attribuitur uni, ſingulis aliis attribuendum eſt. 156. 25
Auctor loquens contra communem ſententiam non eſt admittendus. 13. 17
Ab Auſtria. Vide Georgius.
Axiomà: Latet anguis in herba, *eſt notum.* 280. 13

B

C*Ardinalis de Baden Canonicus Leodienſis.* 86. 10
Abbas Faldenſis. ibid. n. 11
Balduino Archiepiſcopo Trevirenſi fuit commendata Eccleſiæ Moguntinæ adminiſtratio. 59. 3
Battoldus de Vanſul Officialis Capituli Leodienſis. 328. 26
Bavaricæ Domus laudes. 50. 14 & ali.
De Becchettis. Vide Antonius-Maria.
Dom. Beeckman. 494. 23
Bellicenſis Eccleſia. Vide Bonifacio de Sabandia.
Bellum, an poſſit præbere juſtam cauſam nõ reſidendi? 348. 31. & 460. 27
Ut vacent priora Beneficia, ultra electionem, & confirmationem Epiſcopi, quid requiratur? 33. 6
Stylus Curiæ Romanæ, quòd ante conſecrationem conferantur Beneficia, ibid. nu. 7
Illatio ex dicto Stylo. ibid. nu. 8
Ex quo inductus? ibid. nu. 9
Quare receptus? 34. 10
Qui Beneficium habet, fructus non habet, non eſt plenè adeptus. 37. 17
Per ſecundi Beneficii conceſſionem factam ei, qui noſcebatur aliud Beneficium habere, non cenſetur indultum ſuper retentione primi cum ſecundo Beneficio. 40. 23
Ratio. 41. 25
Quando cenſeatur diſpenſatum? ibid.
Proviſio facit ut poſt collationem ſecundi Beneficii quis poſſit acceptare ſecundum Beneficium, & dimittere primum. 40. 24
Ad incidendum in pœnam ineligibilitatis,

litatis, vel inhabilitatis ad alia Beneficia ex retentione plurium incompatibilium, quid requiratur? 41.26

Diſpenſatio pluralitatis Beneficiorum in Concilio Lateranenſi fuit reſervata Sedi Apoſtolicæ. 42.27

Qui habuit diſpenſationem Apoſtolicam, quamvis nullam, & vitioſam, dummodò vitium non ſit apertum, & manifeſtum, vitat pœnam ex retentione plurium incompatibilium. ibidem nu.28.

Quid ſi quæſtio ſit, an ea diſpenſatio ſit ſufficiens pro retentione plurium Beneficiorum Curatorum? ibidem.

In Curia Romana ſervatur, ut Beneficia vacent à die promotionis, non expectata conſecratione. 44.4

Quare hic Stylus invaluerit? ibid.

Pœna retentionis incompatibilium ſtatuitur in cap. dudum De electione. 46.10

Beneficiorum incompatibilitas à quo oriatur? 50.15

Qualis textus incompatibilitatem, & vacationem inducat? 53.7

Quando hoc procedat? ibidem.

Quare Beneficia vacent ex conſecratione, aut ex lapſu temporis? ib.

Beneficiorum vacatio inſeparabilitèr ſequitur culpabilem dilationem conſecrationis. ibid.

Obtinens ex legitima diſpenſatione cum Curato Beneficium aliud reſidentiam requirens: Reſidens in Curato, an acquirat alia reſidentiæ jura? 101.17

Promotus ad Cardinalatum amittit omnia Beneficia curata, quibus eſt annexum onus reſidendi: nec illa abſque diſpenſatione Apoſtolica retinere poteſt. 104.26

Proviſus de ſecundo Beneficio non tenetur dimittere primum, niſi obtenta pacifica poſſeſſione ſecundi. 168.17

Ad Beneficii vacationem remorandam, aut ſaltem retentionem excuſandam, ſufficit quælibet moleſtià ſuper proprietate, aut fructibus. ibid.

Beneficiorum pluralitas, ſemper invi ſa Eccleſiaſtico inſtituto. 170.25

Ampliatur. ibid.

Plura Beneficia obtinenti dabatur electio. ibid.

Poſteà ſublata fuit hæc facultas eligendi. ibid.

Pœnæ contra retinentes plura Beneficia incompatibilia. ibid. & 171.26

Quando pœnæ iſtæ habeant locum? ibid. & nu. 28

Quando quis ſpolietur Beneficio, & dignitate, quam ab Eccleſia tenet? 228.45

Qui tenet ab Eccleſia Beneficium æquiparatur Feudatario, & Militi quoad obſequia attinet, & fidem. ib.

In Beneficialibus quodlibet poſſeſſorium habet admiſſam cauſam proprietatis. 232.59

Beneficia Eccleſiaſtica, & fructus indè advenientes quare concedantur? 269.7

Beneficii quinam ſit pacificus poſſeſſor? 310.36

Ex retentione plurium Beneficiorum incompatibilium inducitur pravaricatio juris, & in tranſgreſſionis notam incurritur. 311.43

Beneficiorum collatio, an comprehendatur in fructu temporali, & utili? 372.80

Omnis Beneficiatus dicitur habere titulum coloratum, qui non reperitur excluſus in regula. 461.28

In Beneficialibus, ex productione unius tituli etiam infecti, non excluditur præſumptio, & poſſibilitas alterius tituli. 474.53

Comes de Berlò. 19.17

Bibliotheca Barberina. 127.24

Bituricenſis Eccleſia. 218.10

Canonicus Bocholtz. 209.43 & alibi.

Ad bonam fidem non requiritur, quòd titulus ſit juſtus, ſed ſufficit aliqualis titulus. 42.28

Bona fides præſumitur in poſſeſſore alicujus rei, dummodò non fuerit interpellatus, nec judicialitèr, nec extrajudicialitèr ad illam deferendam. 49.11

Bona fides ſatis eſt ad tollendam execrabilitatem ex incompatibilitate Beneficiorum. 56.16

Ideo admittitur quælibet cauſa. ibid.

Excuſat cauſa etiã injuſta. 57.n.eod.

Ubi exuberat bona fides, furtum non habet locum. 66.9

Bona fides excludit dolum, & malitiam. 133.36

Qui bona fide agit, quamvis jus alterius lædat, non facit contra juſtitiam. 216.5

Bona fides nunquam poteſt juvare poſſeſſorem rei illicitæ. 311.43

Bonifacio de Sabaudia mandata fuit Eccleſiæ Bellicẽſis Procuratio. 59.3

Bonnæ Civitas à Menſa Archiepiſcopali Colonienſi dependet. 310.37

Breve Apoſtolicum examinare ad quem pertineat? 4.22 & alibi.

Breve Apoſtolicum diſpenſationis ad quid requiratur in electione? 11.13

Breve Apoſtolicum in dubio reputatur validum. 12.16

Exceptio turbida nullatenùs executionem Brevis retardat. ibid.

Brevia Apoſtolica in Germania quare exhibeantur in Capitulis? 16.7 & alibi.

Una pars Brevis Apoſtolici declarat alteram. 48.6

Breve Apoſtolicum ad ea, quæ non exprimit non poteſt extendi: & quare? 68.6 & 93.57

Cardinalis Bullionius Regis Chriſtianiſſimi Magnus Eleemoſynarius. 70.16 & alibi.

Præpoſitus Major, & Canonicus Eccleſiæ Leodienſis. 97.1 & alibi.

Regis Chriſtianiſſimi Miniſter ſupremus, & Plenipotentiarius. 209.39. & alibi.

Epiſcopus Albanenſis. 328.26

Electus Cardinalis à Clemente IX. menſe Auguſti 1669. 398.122

Bullionii Ducatus an pertineat ad Eccleſiam Leodienſem? 70.17.84.41.90.39 & alibi.

Bullionius. Vide Godefridus.

C

CAlliditas quomodo fiat: & quid ſit? 449.65, & alibi.

Sacri Canones quando decernant vacationem incompatibilium, & quãdo eorum retentionẽ prohibeant promotis ad Epiſcopatum? 44.4

Canonum, & Conciliorum ſanctiones infringerentur, ſi edicta, & Banna, poteſtate laicali promulgata, Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum jura infringerent, ſeu tollerent. 485.23

Canonici, qui non debent, nec commodè poſſunt intervenire in Capitulo, an dicantur contempti? 67.13

Canonicus Foraneus in Capitulo Leodienſi nullo modo negotiis Capitularibus intereſſe poteſt. 68.2.85.3 & alibi.

Quis dicatur Canonicus Foraneus? 68.3.72.3 & alibi.

Canonici Leodienſes Foranei nullum habent ſuffragium in Epiſcopi electione. ibid. & alibi.

Canonicorum à Capitulo diſceſſus ex tenui cauſa, non obſtat electioni faciendæ à majori parte. 80.24

Canonicus, qui ſine periculo venire, & admitti non poteſt, non eſt à Capitulo vocandus, nec admittendus. 83.40.91.45 & alibi.

Ampliatur. 110.45

Canonici Leodienſes tenentur legere, & addiſcere ſuæ Eccleſiæ ſtatuta in prima reſidentia. 85.1

*Ex Canonicis Leodienſibus qui dicantur foranei? ibid.n.*2.87.16.334.13 *& ſeqq.& alibi.*

Pœna Canonicis Foraneis impoſita. 91.40.*&* 42.*& alibi.*

A Canonico non inſerviente Eccleſiæ non ſubtrahuntur diſtributiones, ſed illi non tribuuntur. 92.48

Canonicus, qui habetur pro reſidente ex diſpenſatione gratioſa, an ſit ſolutus petendi certa die in Capitulo generali admiſſionem ad reſidentiam? 100.11

*Canonicus in Capitulo, quando non habeatur pro reſidente? ibid.nu.*12

*Canonicus impeditus ex cauſa juſta, debet comparere per Procuratorem. ibid.nu.*13

Canonicus, qui ſervit Papæ, vel Epiſcopo non tenetur ad reſidendum. 103.23

Canonicus, qui litem intendit contra Eccleſiam, non poteſt habere vocem activam, nec paſſivam in Epiſcopi electione. 110.44

Citandi non ſunt Canonici abſentes extra Provinciam à tempore vacati Epiſcopatus, & diei ſtatutæ electionis, quamvis poſteà ſuperveniant in Provincia. 115.20

Quid ſi Canonicus omiſſa citatione conqueſtus non ſit? ibid.

Quando Canonicus teneatur mittere ad Capitulum Procuratorem? 119. 7 *& ſeqq.*

Canonicus, qui non eſt in ſacro Subdiaconatus ordine conſtitutus, an repellatur à jure ſuffragii? 155.25

An repellatur à jure ſuffragii Canonicus non imbanditus, & non conſtitutus in Subdiaconatus Ordine? ibidem.

Ut Canonicus cenſeatur excluſus à Capitularibus functionibus ſufficit illum declarari Foraneum. 174.39

Canonicus non ejectus à Capitulo, ſed tamen non vocatus, an valeat queri de contemptu? 196.9

Concluſio, quòd Canonicus abſens poſſit ſuffragium ferre per Procuratorem, de quo Canonico intelligatur? 220. 17

Nec admiſſio, nec patientia facit aliquem Canonicum, niſi ex Canonico titulo. 231.55

Quid ſtatuat Concilium Tridentinum de Canonicis, qui ſuffragium intendunt habere in Capitulo? 255. 12

Quando Canonicis debeant fieri monitiones de redeundo in Capitulum? 329.32

Canonicus exiſtens in poſſeſſione, aut quaſi-poſſeſſione Canonicatus, non debet excludi ab electione: & ſi contemnitur, electio irritatur. 364.19 *& alibi.*

Canonici exeuntes è Capitulo tempore electionis faciendæ, an ſe reddant extraneos, quotiès non inſtat ultimum tempus ad eligendum præfixum? 462.32. *&* 475.55

Canonici ob aliquam juſtam cauſam poſſunt exire è Capitulo, dummodo ſuperſint alii dies pro electione celebranda. ibidem.

Juſta cauſa, quæ poſſit eſſe? 462.33

Canonicus abſens ſi vult ferre ſuffragium per Procuratorem in electione, debet mandatum dirigere in aliquem de Capitulo. 467.10 *& alibi.*

Et Canonicus Procurator conſtitutus habens duo ſuffragia, alterum nomine proprio, alterum uti Procurator, non poteſt duos eligere, nec ſuffragia dividere. ibid.& alibi.

*Quid, ſi Capitulum contendat ne abſentium vices recipiantur? ibidem nu.*11.*& alibi.*

Mandatum ad ſuffragium ferendum, quomodo debeat eſſe? 486.26

Et ſi abſens non inveniat Capitularem, qui ſuſcipiat mandatum, an habeat facultatem deputandi alium non

Ca-

Capitularem : & an ſit in Capituli arbitrio illius admiſſio? 487.27
Canonicus, cujus inhabilitas ita eſt occulta, ut de ea convinci non poſſit, poteſt agere de contemptu, ſi non eſt ad ſuffragium vocatus. 497.8
Cantaurienſis Epiſcopus. 58.1
A Capitulo recedentes in actu electionis, habentur pro renunciantibus, & extraneis. 10.8 *& alibi.*
Opinio, & diſtinctio Lotterii *ſuper hoc reprobata.* 17.11 *& ſeqq. & ali.*
Capituli poteſtas defluit in unum, vel plures pro diverſitate munerum. 11.11
Abſurdum eſt dicere, quòd quiſque proteſtatus, ſeu exiens poſſit privare congregatum Capitulum jure eligendi. 12.14
Ampliatur. *ibid. n.* 15
Capitulum non poteſt opponere de interpretatione, aut de ſubſiſtentia Brevis Apoſtolici, quando eidem ſignificata fuit mens Pontificis. 16.7
Quomodo à Capitularibus contrabatur contumacia? 21.4
Capituli ſanior, & magis ſpectabilis pars qualis ſit? 22.7
Congregato Capitulo pro electione facienda, eaque incboata, quæſitum eſt jus majori parti pro illa proſequenda, & complenda, licèt minor recedat. 25.13. & 165.3. & 4
Ampliatur. 25.13
Capitulo in partes diviſo, altero ex electis defuncto, debita eſt coelecto, nedum confirmatio, ſed nova electio, quatenùs opus ſit : & quare? 27.18
Capituli major pars, an poſſit procedere ad electionem, aliquibus Capitularibus repugnantibus? 57.17
Facta electione à majori parte Capituli, an minor pars poſſit ſine animæ gravamine ab illa recedere? *ibid.*
Capitulum Calaritanum. 58.1
Capitularium contemptorum abſentium vota, an veniant computanda, ac ſi eſſent præſentes? 66.11
Quando vota abſentium numerentur? 67. *n. eod. & alibi*
Capitularium vota, qui receſſerunt à Capitulo, an ſint numeranda? ibid. nu. 12
Capitulum Leodienſe in qualificatione ſuffragiorum de Canonicorum foraneitate, quomodo ſe gerat? 70.13. & 82.36
Capitulum poteſt deputare ſcrutatorem quem maluerit. 80.26
Capituli ſola poteſtas, abſque alia confirmatione, ſufficit pro ſuorum ſtatutorum validitate, etiam ſi fuerint pœnalia. 83.37
Capitulum in limine ſuffragiorum in electionibus poteſt ſtatuere quid requiratur. *ibid.*
Capitulum per viam Notorii poteſt ex ſe declarare Canonici Foraneitatem. 95.68 *& alibi.*
Ampliatur. *ibid.*
Capitulum Ravennatenſe. Vide Ravennatenſis.
Capitulum excludens quem non tenetur admittere, non eſt injuſtum. 122.12
Quod à Capitulo ſtatuitur de vocatione abſentium in electionibus, eſt obſervandum. 130.33
Cæteri de Capitulo poſſunt electionem peragere in loco ſolito, abſque interventu illorum, qui metuunt, & ſine periculo vocari non poſſunt. 137.8
Capituli litteris an fides habenda ſit? 153.16
Capitulum poteſt ſtatuere ne Canonicus in aliquo caſu ſuffragium in Capitulo habeat. 185.16. & 189.38
Capituli diſpoſitio non eſt ſententia. 238.26
Capitulum non poteſt ſtatuere, ut electio ex aliquorum contemptu ſit nulla. 242.2
Capitulum Cantaurienſe. Vide Joannis Sariſburienſis.

Ca-

Capitulum à ſingulis Capitularibus qua in re diſtingui oporteat? 275.25

An poſſit Capitulum in iis, quæ ſpectant ad temporale lucrum, & bonam adminiſtrationem, condere contra jus particularia ſtatuta? 336.23 *& alibi.*

Capitulum non poteſt, neque de perſona, neque de privilegiis S.R.E. Cardinalis judicare. 363.14

Capitulo non eſt permiſſum aliquid ſtatuere contra jus abſque confirmatione Sedis Apoſtolicæ. 446.48

Limitatur. *ibid.*

Capitularis quando dicatur contemptus? 478.4

In Capuanæ Eccleſiæ adminiſtrationem Innocentius III. Subdiaconum præfecit. 59.3

Cardinales in inferioribus Beneficiis non tenentur ad reſidentiam. 69.7 *& alibi.*

Quando gaudeant hoc privilegio? ibidem nu. 8

*Cardinales renunciare non poſſunt privilegio conceſſo ordini Cardinalitio. ibid.nu.*10.94.62 *& alibi.*

Limitatur. 112.5

Cardinales cùm abſunt à Romana Curia, & manent in miniſterio apud Reges, non excuſantur à reſidentia, nec gaudent Beneficio cap. cùm dilectus De Cleric. non reſid. 73.7. 82.33.94.59 *& alibi.*

Cardinales, qui ſunt in Curia adjecti ſervitio Papæ, quare excuſantur à reſidentia? 73.8.379. 126 *& alibi.*

Cardinales non comprehenduntur ſub Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſtatutis generalibus, niſi expreſsè de eis mentio facta fuerit. 103.22. *&* 337.27

In qua re hoc privilegium locum habeat? 103.22

Etiam Cardinales includuntur à Concilio Tridentino in revocatione expectativarum. *ibid.*

Cardinalis gerens duplicem perſonam, alteram uti Cardinalis, alteram uti Epiſcopus, vel Canonicus alicujus Eccleſiæ, ſubjicitur omnibus legibus, & ſtatutis, quæ generaliter loquuntur de Epiſcopis, vel de Canonicis. *ibidem.*

Cardinales ſunt Conſiliarii, Collaterales, & Summi Pontificis coadjutores in Eccleſia univerſali dirigenda. *ibid.nu.*23. *&* 379.126

Quidam Doctores ſentiunt, ex vi Cardinalatus non excuſari aliquem à reſidentia ſuæ Eccleſiæ inferioris: & hoc videtur deciſum à Tridentino. 104.24

Nullus Cardinalis antiquo jure eligi poterat in Epiſcopum; & ratio. ibid. & alibi.

Limitatur. *ibid.*

Cōſtitutio extravagans Joannis XXII. Execrabilis, *de Cardinalium reſidentia, quomodo intelligenda?* *ibidem nu.*26. *&* 379.121

Solvitur objectum à Tridentino deſumptum de Cardinalibus negantibus ſe teneri ad reſidendum. 104.27 *& ſeqq.*

Quomodo olim Pontifices appellaverint Cardinalem inferioris Eccleſiæ, & Cardinalem Eccl. Romanæ? 105.28

Cardinalis tituli S. Praxedis. Vide Ravennatenſis.

Cardinalibus eſt permiſſum in diverſis Eccleſiis aſſequi plures dignitates. 106. 31

Limitatur. *ibidem.*

Cardinales Eccleſiæ Leodienſis Canonici, paruerunt ſtatutis ejuſdem Eccleſiæ, etiam exiſtentes Romæ in Conclavi. 107.34

Cardinales abſentes cauſa muneris Regii, Præſidis, Confeſſarii, Conſiliarii, Proregis, & ſimilium, an habeantur pro reſidentibus in ſuis Eccleſiis inferioribus? *ibid.nu.*35

Inter Cardinalium privilegia, & Deo ju-

juratam obligationem, non adeſt contradictio. 112.5
Cardinales, an in odioſis ſub generali ſtatutorum diſpoſitione comprehendantur? 125.21
Cardinales quando in generali ſtatuto, & conſtitutione comprehendantur? ibid. & 126 nu. eodem.
Cardinalis Conſtantienſis. 134.39. Vide Pius II.
Cardinales, quare patiantur repulſam? ibidem.
Cardinales à quibus ſtatutis, & mandatis cenſeantur excluſi? 175.44
Cardinales præſident Urbi, & Orbi; & illis extrinſeca, & intrinſeca innoteſcunt. 181.14
Per Cardinalatum vacant omnia beneficia minora, & in ſpecie Canonicatus: & quare? 200.21 & alibi.
Cardinalibus in aſſumptione ad Cardinalatum indulgetur generalis detentio omnium, quæ obtinent, præter vacabilia. 338.30. & 346.24
Cardinales, an comprehendantur ſub diſpoſitione univerſali, quando non eſt odioſa odio irrationabili? 345.21
Qui impediunt quò minus Cardinales dignitatis ſuæ officia explere poſſint, ſunt ipſo facto excommunicati. 377.109
Conſtitutiones Pontificiæ, præſertim quando ſunt pœnales, non comprehendunt Cardinales: & quare? 378.117
Cardinales cùm ſint pars corporis Papæ, & membra Eccleſiæ univerſalis, nunquam ut hoſtes, & inimici apud ullam Eccleſiam ſingularem haberi poſſunt. 399.132
Et nunquam ſub ſpecie belli arceantur ab exercitio functionum, quæ ipſis incumbunt ratione juris ſpiritualis. ibid. nu. 133
Carnotenſis Eccleſia. 153.18
Carolus Rex Francorum. 134.39. Vide Pius II.
Regis Caſtellæ filii, Procuratione funguntur Eccleſiæ Toletanæ, & Hiſpalenſis. 59.3
Nemo, præſertim vir prudens, unquam caſualiter operatur. 261.39
In quibus caſibus caſus non expreſſus cenſeatur pro omiſſo? 368.56
Caſus peculiares, qui excuſant ab adeundo Judice. 412.21. & 22
Caſus omiſſus remanet decidendus ſub diſpoſitione juris communis. 454.4
Cauſa finalis, quæ impulit diſponentem, ampliat, & declarat diſpoſitionem: & tanquam mens, & anima diſpoſitionis, præfertur verbis, ſicut anima corpori: & continet caſus omiſſos, ut genus ſpecies. 39.21
Cauſa probabilis admittitur. 42.27
Ad cauſam præſcribendi non requiritur, ut titulus ſit juſtus, ſed ſufficit aliqualis titulus. ibid. nu. 28
Cauſæ finalis ratio non ſolùm ſervat, imò ampliat diſpoſitionem. 77.11
Ubi adeſt cauſa productiva, effectus adimplementi referendus eſt ad cauſam exiſtentem, non ad meram voluntatem. 94.58
Cauſa quæ putata eſt juſta, tollit contemptum, quamvis ſit verè injuſta. 216.5
Cauſa colorata excuſat à dolo, & à pœna. 217.8
Ampliatur. ibidem.
Malam cauſam qui foveant? 254.1
Quæ cauſæ excuſent à contemptu? 290.24
Cauſa credulitatis quando excuſet ab incurſu pœnæ? 408.205. & alibi.
Cauſæ coloratæ non excludunt contemptum. 513.21
Quæ cauſæ requirantur ad evitandum contemptum? ibid.
Certum non dimittitur pro incerto. 78.17
Certus amplius non eſt certior faciendus. 187.30. & quare? 243.5
Cicero Philippic. 5. quid dixerit de qui-

quodam homine, qui modò togatus, modò palliatus videbatur? 469.21
Quando non expoſcatur citatio? 115.18
Citationibus pluribus æquipollent Epiſtolæ repetitæ. ibid.n.19
Citatus ad comparendum, cùm nec per ſe, nec per Procuratorem compareat, reputatur contumax, & condemnatur ad expenſas. 142.21
Quando ob omiſſam citationem nullus dicendus eſt contemptus? 172.34
Citationis forma eſt pro ſimplici notitia, qua ſtante non requiritur. 243.5
Clauſula vacent, & vacare cenſeantur eo ipſo, appoſita in Indulto Apoſtolico, quando ſuppleat defectum interpellationis? 49.11
Clauſula ex nunc pro ut ex tunc, quid operetur? 52.5
Clauſulæ poſteriores reſtringunt priores diſpoſitiones. 370.65
Clemens V. in Concilio Viennenſi pronunciavit nulla, & invalida judicia prolata contra illos, qui non fuerunt legitimè citati: & quare? 364.24
Clemens X. 68.6 & alibi.
Clerici, & alii omnes Eccleſiaſtici, conſtituunt partem diſtinctam à Republica Civili; & ideò non ſubjacent legibus bellorum, quæ inter illorum Principes Chriſtianos geruntur. 109.42 & 339.37
Limitatur. 109.43 & 162.43
Aliter dicere eſt iniquum. 109.42
Clerx. Vide Matthias.
Cœnobii Cluniacenſis Commenda. 433.26 & alibi.
Si quis aliqua coactionis umbra intercesſit in aliquo actu, evaneſcit coactio, ſi deinde liberè ratum habeat illum actum. 10.6
Archiepiſcopus Colocenſis. 16.7
Colonienſis Eccleſia. 28.1 & alibi.
Compulſoria quando denegentur? 286.10. & 11
Concilium Baſileenſe translatum ab Eugenio IV. Ferrariam, & deindè Florentiam. 15.5
Lateranenſe ſub Julio II. & Leone X. ibidem.
Alterum Lateranenſe ſub Alexandro III. 58.1
Alterum ſub Innocentio III. 105.27
Lugdunenſe ſub Gregorio X. 38.19 & alibi.
Romanum ſub Leone IV. 105.28 & alibi.
Acta hujus Concilii referuntur ab Anaſtaſio Bibliothecario. ibidem. Vide Anaſtaſius.
Sinveſſanum. 16.7
Tridentinum expreſsè reſervavit, & illæſas reliquit Conſtitutiones Eccleſiarum proprias. 107.33
Viennenſe. Vide Clemens V.
Conclavis cauſa à quacumque obligatione excuſat. 87.12
Concordata Nicolai V. cum Federico Cæſare de Epiſcoporum electionibus. 9.2.213.62.416.41 & alibi.
Qui poteſt condere, poteſt deſtruere, ac in meliùs efformare. 384.11
Conditione aliqua pendente, nihil geſtum cenſetur. 47.3
Conditionis virtus qualis ſit? ibid.
Una conditio ex pluribus adimpleta non ſufficit. ibid.nu.4
Qui cōditionis principio opponitur toti conditioni contravenit, & facit in totum conditionem deficere. 152.14
Archidiaconus Condroſius. 431.18
Confeſſio emiſſa in precibus contra cōfitentem adeò probat, ut impugnari nullatenùs poſſit. 113.9
Confirmatio in dubio non eſt deneganda. 13.19
Confirmatio Apoſtolica quando præſumatur? 83.37
Sacræ Congregat. Conſiſtorialis ſtylus in confirmandis electionibus. 19.19
Quando quis de ſe conqueri debeat? 114.17
Ante Conſecrationem non eſt conſumma-

matum ſpirituale fœdus coniugii inter Epiſcopum, & Eccleſiam: & ratio. 33.6
In Archiepiſcopo ultra Conſecrationem requiritur Pallii ſuſceptio: & quare? ibid.
Invitus conſecrari non poteſt. 52.4
Conſecratio dat titulum incompatibilem. ibid. nu.6
Ante Conſecrationem gratia non eſt conſumpta. 53.n.eod.
Qui eſt in mora petendi Conſecrationem quid amittat? 327.21
Qualis conſenſus retractari non valeat? 247.16
Qualis conſenſus præſtitus non teneat? 289.22
Qui vult conſequens, vult etiam antecedens. 169. 20
Conſilia prava mora valeſcunt. 166.8
Conſtitutiones Apoſtolicas obſervantia interpretatur. 45.9
Conſuetudo præſcriptiva, & novæ legis inductiva non ita facilè inducitur, ut obſervantia interpretativa. 446.44
Ad inducendam legitimam præſcriptam conſuetudinem, quid requiratur? ibid. nu.47 & 457. 16 & ſeqq. Vide Actus.
Contemptor dicitur, non contemptus, qui rogatus contradicit. 13.18
Contemptus quis intelligatur? 70.14
Contemptus, an pertineat ad validitatem, vel tantùm ad Juſtitiam electionis? 72.1
Nullus contemptus conſiderari valet in eo, qui ad ferendum in electione ſuffragium non erat admittendus. ibid.nu.2
Contemptus termini quando procedant? 90.38
Contemptus non eſt, ubi nõ eſt injuria, nec injuſtitia: & quare? 98.5 & ali.
Contemptus dici non poteſt qui ſuffragium non habet. 121.12
De contemptu quis agere poſſit? 173.35
In electione magis nocet unius contemptus, quàm plurium contradictio. 183.1.341.2 & alibi.
Quando quis dicere non valeat de contemptu? 187.31
Agere de contemptu eſt agere de injuria. 195.5
Contemptus excluditur per ignorantiam. ibid. & alibi.
Ampliatur. 244. 8
Quid ſit contemptus ex Divo Thoma? 195.6 & 245.9
Qui judicare debet, utrum adſit nec-ne contemptus? 196.10
Qui dicantur contempti? 206.28
Pro vero contemptu quid requiratur? 212.61
Contemnere quid ſit? 216.4 & 234.6
Contemptus quando conveniat? 216.4
Quando quis non poſſit conqueri ſe contemptum? 218. 10
Contemptus quando penitùs tollatur? ibidem.
De contemptu agere quid ſit? 244.8
Contemptus petens deleri electionem, poſſeſſorium, & petitorium intentat. 252.30
Contemptus non eſt, qui non eſt vocandus. 260. 34
Quando querelæ de contemptu nullus ſit locus? 275. 29
Pro contemptu excludendo quid ſufficiat? 285.8 & alibi.
Qualis contemptus requiratur pro irritanda electione? ibid. & alibi.
In contemptu quid requiratur? 289.23
Contemptus continet dolum, & delictum. ibid. & 302.13
A quo vindicari poſſit contemptus? 290. 23
Contemptus quando apud Judicem ſuperiorem debeat exaudiri? 330. 33
Contemptus in electionibus unde dicatur? 352. 7
Contemptus quando ſit major, & evidentior? 380. 129. & alibi.
Qui juſtè ejectus eſt ab electione, non poteſt

poteſt agere de contemptu. 407.190
Quid ſi ejectus ſit injuſtè? *ibidem.*
Qui dicatur in contemptum clavium celebrare? *ibid.nu.*193
Contemptus dicitur ubi eſt injuſtitia, licèt non adſit dolus, neque animus injuriam inferendi. 408. 204 & 426.2
Ad contemptum evitandum quæ cauſæ ſufficiant? 476. 58
Actus contemptus eſt cauſa productrix doli. 480.8
*Contemptus injuriæ undè augeatur? ibidem nu.*10
Contrarietas, ſeu repugnantia ſolet tollere fidem etiam ſcripturis publicis, & ſolemnitèr extractis. 470. 25
Contrariorum natura quæ ſit? 153. 16
Contumax quis dicatur? 13. 18
In conventionibus privatis promiſſa exactè ſervanda. 392.74
Ampliatur. *ibidem.*
Copula,&c.*diverſimodè operatur.* 155. 22 & *ſeqq.*
*Cornelius Faes Vicarius General.*1.3
Cornelius. Vide Petrus.
Ad correctionem evitandam, ſi opus ſit, fieri debet relatio etiam ad remotiora. 152.13
Culpa lata æquiparatur dolo. 42. 26
Cupidi ab Apoſtolo *promoveri prohibentur.* 311.47
Liberum exercitium curæ animarum, in quo verſatur Eccleſiæ regimen, eſt pars præcipua, & dignior. 36.14
Cui cura aliorum eſt demandata, quid in ſe ipſo debeat oſtendere? 325.7
De Curtis. Vide Joannes-Baptiſta.

D

Damni refectionem fruſtrà petit, qui dedit illi cauſam. 117. 28
Declarationi expreſſæ magis ſtatur, quàm factis contrarium indicantibus. 10.6 & *alibi.*
Iteratæ declarationes plenam libertatem manifeſtant. 27.17
Ad quam declarationem non poſſit deveniri non ſervato juris ordine? 347. 28 & 352.4
Quæ declarationes comprehendant ſolummodò laicos, & non Clericos? 348.32
Decretum latam contra indefenſum, an ſit nullum? 347. 28
Quid decretum ſit nullum? 363.14
*Decretum contrarium juri Divino, & humano, evaneſcere debet. ibid.n.*17
*Congregationis Decretum definitivum cauſæ pro Electore Coloniēſi.*519
Defenſio an poſſit denegari? 347. & 348.28
*Defenſiones sũt de jure naturali.*480.9
Dei Unigenitus Filius non venit legem ſolvere, ſed adimplere. 111.4
Delegatis Apoſtolicis, tanquam repræſentantibus Delegantem, major fides præſtatur, quàm mille Notariis. 236.15
Quæ delicta nunquam præſumantur? 279.5
Tantum derogatur, & conceſſum cenſetur, quantum dictum, aut expreſſum, aut opus eſt ut inferatur excluſa omni extenſione. 184.10
*Qui non detrahit, ut detrahat?*288.20
Dictio alioqui, *quid contineat? quid inducat? ad quæ referatur?* 150.8 & *ſeqq.*179.1.442.28. & 29 & *alibi.*
Quomodo intelligatur? 471.32
Quid operetur? 483. 17
Ejus natura. 510.9
Dictio donèc, *eſt repetitiva præcedentium.* 34.11
Dictio eo ipſo, *quid immutat?* 50.13
Dictio &, *quid denotet?* 259. 32
Dictio habeatur. 260.34
Dictio itèm, *quid operetur?* 154.21 & *ſeq.* & 470.30
Dictio nèc, *eſt augumentativa præcedentis.* 259.32
Dictio niſi, *quid inducat?* 222.23

Dictio

Dictio poſteà, quid denotet? 223.26
Dictio priùs. 230.50
Dictio prò, quid exprimat? 279.10
Dictio propter, quid denotet? 440.14
Dictio quouſque, eſt repetitiva præcedentium. 34.11
Dictio reſidere, quid ſignificet? 259.32
Dictio tamen, eſt adverſativa, & repetit omnes antecedentes qualitates. 35.11
Dictiones relativæ, & repetitivæ repetunt omnes qualitates antecedentes. ibidem.
Omnes dictiones adverſativæ adverſantur retento themate, & terminis caſus præcedentis: & repetunt omnia præcedentia, præter ea, in quibus adverſantur. 455.9
Quid, ſi caſus ſequens non loqueretur in terminis præcedentis? 456 n. eod.
Quando præſumatur malus animus differendi? 297.1
Priores dignitates in adminiſtratione conceſſæ, non vacant per electionem, & confirmationem. 52.6
Ampliatur. ibidem.
Dignitas, quæ non facit ad actum, non habetur in conſideratione in illo actu. 114.15
Qui dignitatem Epiſcopalem obtinuit, non poteſt ad novam dignitatem Epiſcopalem eligi; & quare? 306.7
Qui plures dignitates Eccleſiaſticas incompatibiles ſine venia Apoſtolica retinet, eſt ineligibilis ad Epiſcopatum. ibid. nu. 8
Retinens plures dignitates, improbæ cupiditatis affectu, ſine valida diſpenſatione, incurrit in avaritiæ, & cupiditatis vitium. 311.47
Si quis ad dignitatis apicem per ſubreptionis aſtutiam aſcenderet, eſſet res perniciosa exemplo. 325.1
Dignitatis Cardinalitiæ præeminentiæ. 345.20. 346.22. 363.14. & 378. 117. Vide Cardinales.
Dignitas Cardinalitia vileſceret, ſi cuilibet liceret contra Cardinalem ſententiam in quacumque re proferre. 363.14
Dignitates majores in univerſa Eccleſia quæ ſint? 433.25 & 484.21
Dilatio ad probandum id, quod probatum non relevaret, vel ſi non ſine ſuſpicione malitiæ peteretur, non eſt concedenda. 139.11
Limitatur. ibidem.
Dilatio ad probandum, quo caſu non ſit concedenda? ibid. nu. 12
Diligentiæ factæ, lite pendente, proprio Marte, & parte non interpellata, non ſuffragantur. 506.9
Oppidum Dinant, à Rege Chriſtianiſſimo occupatum, eſt Leodienſis Eccleſiæ Patrimonii. 200. 19 & alibi.
Diplomata reſpicientia quod intereſt Cameræ, dari nō poſſunt ſine expreſſa facultate Summi Pontificis. 146.13
Si nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Sede Romana frangitur, peſſum ruere oportet omnes Eccleſiæ Canones. 317.87
Diſpenſatio emanata à non habente facultatem, rejicitur. non rejicitur emanata à Papa. 46.10
Quilibet habilis effectus per diſpenſationem, habetur ac ſi eſſet habilis de jure communi. 48.5
Conceſſio per diſpenſationem, ſicuti durare debet uſque ad ſtatum legitimæ ætatis, ità durare debet adminiſtratio. ibid. n. 6
Diſpenſatio procedens ex publica utilitate ſecum fert licitam retentionem beneficiorum. 53.8
Diſpenſare ſuper ætate ſpectat ſolùm ad Romanum Pontificem. 58.1
Etiam ſuper incompatibilitate plurium Eccleſiarum. ibid.
Pro diſpenſatione inducenda ſufficit poſſeſſio per triennium, præſertim à Pontifice tolerata. 61.10
Pro diſpenſatione inducenda, dum adeſt reſiſtentia duorum titulorum, requiri-

vitur poſſeſſio decennalis: & quare? ibidem.
Sola ſcientia impedimenti in Principe inducit diſpenſationem. 62. 11
Diſpenſatio ad incompatibilia non conſumitur in primo actu, ſi verba ſint univerſalia, & reiterationem inducant. 65. 4
An diſpenſatio ad obtinenda plura, ſufficiat ad plura retinenda. ibidem.
Sedes Apoſtolica facultatem habet diſpenſandi de retentione pluriumEccleſiarum, & diſpenſare conſuevit cum Principibus. 77. 8
Nova diſpenſatio quando præſumatur? 78. 13
Diſpenſatio, ſeù facultas conceſſa ſub una ex duabus qualitatibus concurrentibus in eadem perſona, non porrigitur ad alteram qualitatem. 98. 7
Diſpenſatio de majori dignitate, an comprehendat aliam dignitatem ſimilem, vel minorem? 99. 8
Qualis diſpenſatio dicatur ſubreptitia? ibid. & alibi.
Diſpenſatus à principali an ſit diſpenſatus ab acceſſorio? ibid. nu. 10. & 158. 33
In diſpenſationis impetratione debet fieri expreſſa mentio juris-jurandi præſtiti; aliàs diſpenſatio eſt ſubreptitia. 102. 19 & alibi.
Diſpenſatio eſt ſtricti juris, & non trahitur de caſu ad caſum. 124. 18 & 306. 12
Ampliatur. ibidem.
Limitatur. 347. 26
Tot diſpenſationes requiruntur quot obſtacula. 124. 18
Cui diſpenſatum eſt de reſidentia non cenſetur diſpenſatum de intereſſentia. 157. 31
An abſque diſpenſatione Apoſtolica valeat quis duas dignitates, vel officia cum duabus præbendis in una Eccleſia conſequi, & retinere? 159. 35
Quando diſpenſationi cenſeatur renunciatum? 160. 37
Cui diſpenſatum eſt ut reſidere non teneatur, non cenſetur diſpenſatum, ut in caſu non reſidentiæ poſſit percipere fructus. 184. 10
Cui diſpenſatum eſt ad obtinendum, nō cenſetur diſpenſatum ad retinendum, quamvis id ſit minùs. 185. nu. eodem.
Cui diſpenſatum eſt ad Archiepiſcopatum non cenſetur diſpenſatum ad Epiſcopatum, licèt ſit idem ordo. ib.
Tot requiruntur diſpenſationes quot ſunt vincula. ibid.
A Proœmio conceſſæ diſpenſationis deſumitur cauſa finalis. ibid. n. 12
Diſpenſatio non trahitur ad defectum non expreſſum. 193. 15
Diſpenſatio de reſidentia quid operetur? 225. 32 & ſeq. & 270. 10
An comprehendat præſentiam certa die, & hora? 271. nu. eod.
Diſpenſatio ſuper reſidentia nihil novi juris tribuit in beneficiis, ſed vetus jus, ſi quod eſt, conſervat & prorogat. 230. 52
Ampliatur. ibid. nu. 53
Diſpenſatio trahi non poteſt ad articulos non expreſſos, & Pontifici incognitos. 258. 26
Diſpenſare quid ſit? 271. 10
Tacitæ diſpenſationes contra jus nunquam admittuntur. 307. 19
In diſpenſationibus verba tantum valent, quantum ſonant. 309. 32
Ex patientia, aut tolerantia, aut retentione beneficiorum incompatibilium nunquam tacita, aut expreſſa diſpenſatio induci poteſt. 311. 43
Tacita diſpenſatio non præſumitur contra jus commune. ibidem.
Quando ex diſpenſatione diu differtur ordinatio Epiſcopi, an interim beneficia vacent? 321. 25
Diſpenſatio prorſus à Canonibus aliena quomodo explicanda ſit? 326. 10
Diſpenſatio comprehendit ea omnia, quæ

quæ ſunt adnexa,& connexa,conſequutiva, & dependentia. 355.22 & 356.25 & *ſeq.*

Diſpenſatio quando præſumatur? 474.51

Diſpenſatio poteſt obtineri etiam per ſimplex Chirographum, quod in libris Datariæ, & Secretariæ non adnotatur. 506.9

Diſpoſitionis correctio nunquam poteſt induci per ſubauditos intellectus. 48.7

In diſpoſitionibus ratio expreſſa in præfatione non ſolùm declarat, ſed reſtringit diſpoſitionem. 100.11

Diſpoſitioni juratæ nunquam à Pontifice derogatum cenſetur. 111.4

Ampliatur. *ibidem.*

Diſpoſitio cap. fin. De elect. in 6. *de quibus confirmationibus intelligatur?* 142.22

Diſpoſitum in caſu ſimplici habet locum etiam in mixto. 192.6

In diſpoſitionibus alternativis, per optionem unius tollitur altera. 390.67

Diverſitas diſpoſitionis in uno, vel altero caſu, quid operetur? 420.5

Una diſpoſitio non poteſt diverſos caſus determinare. 442.29 & 443.32

Ceſſat omnis diſputatio ubi adeſt caſus legis. 343.11

Diſſenſus aliorum quando conſenſui cæterorum prævaleat? 329.33

Divinus cultus tanto augetur, quanto plures actu Eccleſiæ ſerviunt. 269.7

Emolumenta promovendorum ad Doctoratum, per ſtatutum Reginæ Joannæ quomodo diſtribuenda? Vide ſtatutum.

Ubi nullus dolus, nulla culpa conſiderari poſſit? 117.27

Dolus, & fraus non præſumitur in iis, quorum non intereſt. 233.3

Nec in Eccleſiaſticis, & in univerſo concordi Capitulo. *ibid.*

Ampliatur. 452.86

Dolus quot modis conſideretur? 408.205

An idem dominium penes duos eſſe poſſit? Vide poſſeſſio.

Dominus temporalis ſaltem de facto poteſt obſtare, ne admittatur Prælatus, de quo timet, ne ſcrutetur, & prodat hoſti ſecreta ſui Principatus. 228.46

Ibi eſt Spiritus Domini, inquit Apoſtolus, *ubi eſt libertas; & ubi tumultus, & diſcordia reperiuntur, exulat omninò Spiritus Domini.* 312.52

Sanctificetur Dominus in iis, qui appropinquant ipſi, ut in conſpectu omnis Populi glorificetur, *ait Sacra Scriptura.* 416.43

Dotem melius eſt ſolvere in auro, vel argento, quàm in ære. 233.1

Dubium ſolum ſufficit ad excuſandam pœnam. 46.10

Dæmont. Vide Henricus.

Dom. Duraz Canonicus Leodienſis. 393.89 & *alibi.*

E

Pro Eccleſiaſtico ordine qui nam intelligantur? 23.8

Eccleſiæ Colonienſis, Leodienſis, & Hildeſimenſis, unitæ fuerunt ſpatio pluſquam centum annorum ſub Principibus Bavaris. 50.14

Plurium Eccleſiarum retentio non eſt de jure incompatibilis: & quare? 54.9

Eccleſiæ conceſſæ in adminiſtrationem nullam inducunt incompatibilitatem. 59.4

Etiam commendatæ ad certum tempus. *ibidem.*

Quid dicendum in commenda perpetua, ſeu ad vitam? *ibid.*

Eccleſia non regitur ab Adminiſtratore, ſed à ſolo Epiſcopo, cujus titulus eſt. 60.6

Eccleſiarum ex natura rei incompatibilium

bilium retentio, facit quem ineligibilem; non retentio Eccleſiarum à Romanis Pontificibus probata. 62. 12

Eccleſia Epiſcopalis in titulum retenta cum alia in temporalem adminiſtrationem conceſſa, remanet eligibilis. ibidem.

Eccleſiæ in Germania opus eſt ut regantur ſub uno, & eodem. 78. 16

Eccleſiaſtici de locis Principum belligerantium, de jure habent ſecuritatem. 229.48. & 486.24

Verùm hoc non ſervatur de facto. 229.48

Plures Eccleſiæ commendatæ quando retineri poſſint abſque incompatibilitatis vitio? 320.15 & ſeqq.

Eccleſia nullam admittit exceptionem perſonarum in actibus, qui ad Eccleſiam jure ſpirituali ſpectant. 376. 105

Eccleſia Romana eſt Mater, & Magiſtra cæterarum Eccleſiarum. 379. 126

Eccleſiæ Romanæ ſerviens, ſingulis Eccleſiis creditur inſervire. ibid.

Eccleſia eſt una, & univerſalis per totum Orbem diffuſa; & nunquàm ſubjicitur Edictis, quæ inter Principes Chriſtianos per bellum emanantur. 399.133

De Elderen. Vide Joannes.

Omnia contenta in Inſtrumento electionis Epiſcopi, cenſentur plenè probata, dummodo electio ſit valida, utpotè facta plenis ſuffragiis à toto Capitulo, & ſervatis ſervandis. 2.9 & 118.3

Quando electio dicatur facta à toto Capitulo? 2.10

Exeuntes de Choro, & non redeuntes, tàm ab electione, quàm à contradictione fiunt alieni. ibid.n.11

In tali caſu facultas totius Capituli conſolidatur in iis, qui remanent in Capitulo, præſertim quando remanet major pars. ibid. n.12 & alibi.

Ampliatur. ibid.nu.13. & 3.14.

Quando non ſufficiat major pars Capituli, & requirantur duæ tertiæ partes? ibid.nu.16 & ſeqq.

Electionis requiſita. 4.29 & 20.2

In electione abſentia à miſſa de Spiritu Sancto, an inficiat jus ſuffragii? 5.31

Deſideria petentium electionis confirmationem, ſi nihil eſt quod electum impediat, debent impleri. ibid.nu.34

Si recedit major pars Capituli, electio facta à minori, quando ſubſtineatur? 6.4

Quid, ſi recedat pars minor? & an interpellari, aut moneri debeat? ibid.

In electionibus Scrutatores quales eſſe debeant? 7. 5

Electio ſubſtinetur etiam ſi Electores non interfuerint miſſæ Spiritus Sancti. ibid.nu.7

Valet argumentum à matrimonio, aut à profeſſione, ad electionem, quod ad voluntatis libertatem attinet. 8.8

Quotieſcunque conſtat de electione Canonicè celebrata cum requiſitis cap. quia propter 42. De electione, *nunquam denegatur confirmatio Apoſtolica: & ratio.* 9. 1

Electio quando præſumatur Canonica? ibid.nu.4 & 22. 6

Electionis forma, & virtus non conſiſtit in præambulis, & præliminaribus; & eorum omnimoda omiſſio electionem non vitiat. 10. 5

Electionis publicatio fit ſemper ab uno, nomine totius Capituli, & ſic à quocumque deputato, dummodo ſit de cœtu. 11.11 & alibi.

Ampliatur. ibid. n.12 & 26.15

Innocentius III. quid dixerit ſufficere, ut electionem præcedat? 14.4

Electionis confirmatio eſt actus puræ juſtitiæ diſtributivæ. 20.1

Electus pro confirmatione inſtans, nullam petit gratiam, ſed meram ju-

juſtitiam. *ibidem.*
Cùm de electione ſummi Sacerdotis tractatur, quis præponendus? 23.8
Ob bellum poteſt fieri electio in termino reſtricto. 25.13
Veniens incboata electione eſt admittendus. 26.16
Ratione retentionis plurium Eccleſiarum incompatibilium, electio nulla eſt judicanda. 31.1
Concordata inter Nicolaum V. & Federicum Imperatorem; quid contineant de Epiſcoporum electionibus? 49.10
Quando pendeat ab arbitrio alicujus Electi dimittere antiquas, & aſſequi novas Eccleſias? 50.15
Electionis confirmatio non eſt retardāda ob frivolam exceptionem. 51.1
Electus cum Indulto Apoſtolico, de ineligibilitate redargui non poteſt. ibidem nu. 2
Electus an ſemper habilis præſumatur? 57.16
Eligibilis remanet Anathemate ipſo jure obſtrictus ante ſententiam, ſeu declarationem hominis. 62.13
Electus ne incurrat in ineligibilitatem, ſumenda eſt omnis interpretatio illi magis favorabilis, & benignior. 63.15
Si ante electionem non fuit ſtatutum, eum, qui non fuit admiſſus, ſuffragio exutam eſſe, utrum ſubſtineatur electio, ſi poſteà non eſſe admittendum conſtiterit? 72.2
Electionis Inſtrumento ſtandum eſt; & illud in materia electionis pleniſſimè probat. 79.22
Electio valida eſt, nec de ea diſceptandum quando requiſita numerata per Doctores in cap. quia propter 42. *& alibi* De electione, *ſunt adimpleta. ibidem.*
Electio non eſt nulla propter contemptum, quamquam poſteà probato contemptu ſit irritanda. 84.43
In electionibus plus obſiſtit contemptus unius, quàm plurium præſentium contradictio. 97.1. & 479.6
In electionibus an quis vocari debeat, vel cenſeatur contemni, ſtandum eſt conſuetudini, vel ſtatuto. 97.2
Electionis Proceſſus non eſt Judicialis, ſed extrajudicialis. 108.39
Electio diſtinguitur à cognitione. 109. *num. eodem.*
Electores an removere teneantur impedimenta acceſſus ad locum electionis, ut abſentes Coelectores tutò poſſint intervenire. 115.22
Electio, quæ ſine metu liberè proceſſit, eſt confirmanda. 121.10 & *alibi.*
Electio eſt actus extrajudicialis. 130.33
Electio Canonica facta poſt appellationem non fit attentata. 133.38
Electores, non attenta quacumque appellatione, quando ad electionem procedere poſſint? *ibidem.*
Si locus ubi electio eſt facienda ſubjiciatur dominio ſæculari, ex eo nil inferri poteſt contra libertatem electionis. 137.7
Quid agendum tempore electionis, ſi adſit metus realis; quid ſi metus perſonalis? 138.8
Electio facta à Capitulo, aliquo ex vocandis non vocato, & contempto, non eſt nulla, nec invalida, ſed valida, & legitima; irritatur tamen illo contempto opponente. 183.2
Confirmatur. *ibid. nu.* 3
Valet electio facta non vocatis illis, qui ſunt inhabiles ad eligendum. 184.5
Ad confirmatorem ſpectat cognitio an Canonicus admitti debeat ad electionem. 186.21
Limitatur. *ibid.*
Quando ſpectet ad Præſidentem Capitulo? *ibid.*
Ampliatur. 242.3 & 4
Electionis confirmatio neceſſariè, & celeritèr à Sacris Canonibus ſua-

ci-

cipitur peragenda. 194.3
Quando is ad quem confirmatio ſpectat, confirmare teneatur? 197.11 & 293.34
Data electionis invaliditate, an poſſit eſſe valida confirmatio? 197.11
Electio quando confirmanda? ibid.
Electio facta de inhabili, & in qua adfuerunt ſuffragia per vim, & metum extorta, an confirmanda? ibid. nu.12 & 13.246. 15 & alibi.
Electus, ſolemnitate, & forma non ſervata, an ſit iterum eligendus? 198. 13 & 247.16
Pro electione ſubſtinenda quid ſufficiat? 200.20
Electus habet jus diſtinctum à jure eligentium. 207.33 & alibi.
Quare Sacri Canones velint electionem irritari ratione contemptus? 212.62
Electiones propter contemptum non ſunt nullæ ipſo jure, ſed ſemper validæ, donec irritentur. 213.66
Electio peracta non vocato eo, qui debuit intereſſe, non eſt ipſo jure nulla. 215.3
Electio quando reſcindatur, ſive deleatur? ibid.
Canones, qui ſtatuunt pœnam deletionis electionis, adverſus quos Electores loquantur? 216.4
Electionis jus quando ſpectet ad Sedem Apoſtolicam? ibid. nu.6
Electi jus contra non vocatum. 228.43
Electio non poteſt impugnari ab eo, cujus poſſeſſio non eſt manutenibilis? 232.59
In electionis materia Sacri Canones expoſcunt celeritatem: & quare? 236.18
Electio, quæ non peccat in potentia, nec in forma ſubſtantiali, omni jure valet. 241.1 & 2
Electionis confirmatio an debeatur excluſo contemptu? 246.12 & 13
Electio benè geſta, non poteſt dici injuſta per omiſſionem alicujus ſolemnitatis. ibid. nu.13
Electi jura. 251.26 & alibi.
Contra petentem electionis confirmationem, an poſſit opponi exceptio ſpoliationis? 253.30 & 293.31
Pro electione irritanda, quid Sacri Canones requirant? 271.12 & ſeq.
In electionis negotio eſt validum argumentum de mandato Judiciali ad extrajudiciale. 274.22
Electio eſt negotium ſive judiciale, ſive extrajudiciale. ibid. n.23
Electio quando vitietur? 278.2
Ad electionem validam declarandam quid ſufficiat? 281.18
Electio in dubio confirmari debet. ib.
Electiones, tanquam actus neceſſarii propter Electorum appellationes extrajudiciales, non retardantur, nec dici poſſunt attentatæ. 283.1
Electores an teneantur expectare declarationem Majorum, aliquem habere ſuffragium in electione? ib. n.3
Si electioni ſuperioris Religioſus non petita facultate velit conſentire, an hæc electio ſit valida? 289.22
In electionibus omnis fraus, & dolus abeſſe debet. ibid. nu.23 & 467.11
Eligentes, aliquo contempto, delinquunt contra proximum. 290.23
Electionis deletio quare à Sacris Canonibus ſancita ſit? ibidem.
Electio etiam cum formali contemptu eſt valida ex poſſeſſione eligentium, & forma ſubſtantiali. 291.27
Electio eſt confirmanda, quando contemptus non habet jus accedendi ad futuram electionem. 295.41
Non eſt diſpoſitum in jure, quòd Coelectores teneantur removere impedimentum pro acceſſu Coelectorum abſentium. 302.11
Pro facienda Epiſcopi electione, trimeſtre indicitur à jure, ſub pœna devolutionis. 303.16
In electionibus præcipuè ab omnibus

Eccleſiæ Canonibus commendatur libertas. 312.52.& 53

Omnes Canones inſurgunt contra pravos uſus ſæcularium Poteſtatum in electionibus. 313.56

In electionibus oppreſſio manifeſta eſt vitanda. ibid.nu.59

Ampliatur. ibidem.

Ut probetur, electionem factam fuiſſe per pravum uſum ſæcularis poteſtatis, quid ſufficiat? 314.63

Electores non poſſunt ſuffragium ſuum publicare ante ſcrutinium. ib.n.64

Omittentes preces prævias electioni, debent ejici ob ſcandalum inde conſurgens. ibid.nu.66

In electionibus peragendis, ſaltem quantum ex decore, debent obſervari conſuetudines immemorabiles, quæ ſunt juri Eccleſiaſtico conformes. ibidem.

Quænam electiones veniant infringendæ? 315.71

Electio quomodo debeat perfici? 316.78

Quid velit electio? 318.2

Ad electionis validitatem quid requiratur? 319.9

Electores, eligentes incapacem, exuuntur ſuo eligendi jure. ibid. nu.11

Ad electionem infirmandam quid poſſit ſufficere? 329.29

Electio hominis quacumque dignitate, & excellentia præditi, ob alterius contemptum, an ex juſtitia revocari debeat? 333.9 & 479.6

Cùm de electione facienda agitur, non cenſuræ, nec alii defectus vocalibus objecti curantur, ex quibus jus ſuffragiorum ferendorum retardatur, nec admittuntur in tali actu; ſed ad aliud tempus hujuſmodi cognitio reſervanda eſt. 333.11

Electio facta poſt appellationem etiam extrajudicialem, an dicatur nulla, & attentata? ibid.num.12 & 480.10

Eligendi jure an quis privari poſſit, juris ordine non ſervato? 336.24

Deletur electio, præſertim ſi in ea contemnatur perſona præfulgens dignitate Cardinalitia. 342.5

Eligendi jus provenit à Papa. 344.15

Electores quando ad electionem procedere poſſint, abſentibus non vocatis tempore belli? 348.31

Ut quis dicatur electus, eligi debet à majori parte Capituli. 350.36 & 360.44

Ubi non datur electio, nec peti, nec dari poteſt electionis confirmatio. 350.36

Electio an deleatur ex quo contemptus proſequitur contemptum? 352.7 & alibi.

Electiones Epiſcoporum ſunt juris publici. 364.20

Qui arceri debeant ab electione? ibidem, & 370.67

Concilium Lateranenſe ſtatuit, electionem celebrandam eſſe præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commode intereſſe. 372.76 & 464.2

Inſuper, quòd omnes Canonici, in ſacris ordinibus conſtituti, ſuffragium ferre debeant in Epiſcopi electione. 374.92

Irritatur electio, uno ſolò ex electoribus contempto, & conquerente. 380.133 & ſeqq.

Si quis conqueritur, & appellat ab actu præambulo electionis, & ſimul à futura electione, ac deinde fiat electio, illa eſt delenda. 381.140 & 141

Electio facta in contemptum Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ, tanquam nulla, & irrita, debet revocari: & quare? 382.144 & 437.3

Canonicus, qui eſt in quaſi-poſſeſſione, debet vocari in electione, alioquin, ipſo contempto conquerente, electio eſt irritanda. 398.123.479.7 & alibi.

Qui non poteſt commodè, & ſine peri-

culo

culo accedere ad electionem, an citandus ſit, ut ſaltem ſuffragium ferat per Procuratorem? 402.154 & ſeqq.& 403.161 & ſeqq.
In materia Electionis, ſi appellatio reperitur interpoſita ex legitima cauſa, attentatum contra appellationem venit retractandum. ibid.n.165
Electio Epiſcopi Cremonenſis, quare ab Innocentio III. nulla declarata fuerit? 408.199
Quando Electio ſit nulla? 427.4
Electio attentata eſt in primis revocanda. ibid.nu.5
Electio non eſt fructus Beneficii, ſed actus illius officii ſpiritualis, cui beneficium eſt adnexum. 432.21
Qui eſt in quaſi-poſſeſſione eligendi, dicitur legitimus Elector. 434.27 475.54 & alibi.
Eo rejecto, an nulla ſit electio facta? 449.71
Electio non facta à majori parte, corruit. 436.35
Electores, quando cadant à jure ſuffragii? ibidem nu. 36
Deletur electio quando ſit aliquo Capitulari voce privato, nullo Juris ordine ſervato. 449.67
In paritate nulla datur electio.462.32
Quando Electores facultatem habeant non reeligendi primum electum?ib. nu.34. & 35
Et quando reeligendi? 495.25
Superior quando poſſit electionem confirmare? 462.35 & 464.1
Deleta electione ob contemptum, an debeat iterum fieri, vocato eo contempto? 463.35
Pontifices non conſueverunt confirmare electionem, quando contemptus proſequitur contemptum, ſine ejuſdem conſenſu. 464.1 & alibi.
Ampliatur. ibid.& ſeqq. & 478.5
Superior ad inſtantiam contempti an poſſit, vel debeat delere electionem? 465.4
Ob periculum Electoris, non poteſt ille excludi ab electione, ſed debet moneri ut mittat Procuratorem ad eligendum. 466.7
Electio facta, contempta æquali parte Capituli, vel non facta à majori parte, an ſit valida? 475.55
Electo non ſit injuria quando deletur electio ob alicujus Electoris contemptum. 479.6
Inhabilitas ad eligendum, ut Elector ex ea poſſit ab actu electionis excludi, quomodo debeat eſſe? ibid. nu.7
Pontificis animus in actu confirmationis electionis non eſt inſtruendus ex opinione, & ſententia aliorum, ſed ex Sacris Canonibus, & regulis juris. 485.23
Major confirmans electionem non ſolet, nec debet remittere injuriam contemptus aliquo Electori à Capitulo illatam, quia faceret injuſtitiam, & præjudicaret contempto. 495.26
Quando electio irritatur ob contemptum, facultas denuò eligendi ad Superiorem non devolvitur.ib.n.27
Electionis devolutio non fit ad Majorem, niſi in caſibus à jure expreſſis. 507.13
Electores in quibus caſibus jure eligendi exuantur? ibidem.
Electio quando dicatur Canonica, & quando non? ibid.
Electis duobus ob controverſiam, an poſſit contemptus agere de contemptu, & deleri debeat electio illius, cui ipſe non conſentit? 513.23
Reſcripta eligibilitatis quare exhibentur in Capitulo? 4.23
Eligibilitas conceſſa à Pontifice generalitèr ad quaſcumque Eccleſias, reſolvitur per unicam electionem. 50.14
Pro eligibilitatis gratia conſervanda ſufficit ſola fides. 78.15
Quinam incurrant in eligibilitatis gratiæ amiſſionem? ibid.

Epi-

Epiſcopus ante conſecrationem non dicitur habere Eccleſiam pleno jure. 33.8

Dato Epiſcopo Coadminiſtratore, ob Epiſcopi minorē ætatem, tota adminiſtratio in ſpiritualibus eſt Coadminiſtratori commiſſa, & ille ſolus Prælatus cenſetur. 35.13

Epiſcopus poſt legitimam ætatem ſolus poteſt exercere quæ juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, & poſt conſecrationem ea quæ ſunt ordinis. ibid.

Electus ad Epiſcopatum, ante conſecrationem non dicitur Epiſcopus. 45.5

Et à die Conſecrationis jura Epiſcopatus conſequitur. ibid. num.6

Quæ ſunt ordinis, ante Conſecrationem non exercentur. ibid. n.7

Ad Epiſcopatum aſſequendum quot anni requirantur? 47.4 & 58.1

Epiſcopatus eſſentia in quo conſiſtat? 48.8

Si temporalium adminiſtratio efficeret Epiſcopos, nunquam talis fuiſſet Petrus, qui argentum, & aurum non habebat. 49.num.eod.

Epiſcopus ex Conſecratione, tanquam forma fit Paſtor, & Epiſcopus. 51.3

Probatur à Goffrido Vindonicienſi, capta ſimilitudine à Baptiſmo. ibid.

Electus ad Epiſcopatum ante Conſecrationem appellatur ſolùm Prælatus, & Electus, non Epiſcopus. 52.4 & 66.7

Electus ad Epiſcopatum, & confirmatus, non verò ſacro Ordine inſignitus, nec conſecratus, poteſt ad ſæculum redire, & etiam uxorem ducere. 52.4

Epiſcopus in altera Eccleſia non poteſt eligi, ſed poſtulari. 58.1

Epiſcopo dicitur commiſſum Eccleſiæ regimen. 60.6

Pro Epiſcopatus dimiſſione quid requiratur? 78.17

Electio Epiſcopi fieri debet intra ambitum Eccleſiæ Viduæ. 90.35. & al.

Electio Epiſcopi non eſt differenda à Capitulo, ut aliquis Canonicus expectetur, quando prompti ſunt alii Canonici, & inſtat terminus electioni præfixus. 95.70

Appellatio Canonici excluſi, qui jus habet ſuffragii, inſtante termino, an ſuſpendat Epiſcopi electionem. ibid.

Sex Epiſcopatus, licèt olim de iis diſceptabatur an fuerint incompatibiles cum alio Epiſcopatu, & an obligaverint ad reſidentiam: tandem fuit ſtatutum, non eſſe incompatibiles, nec actu obligare ad reſidentiam. 106.30

In promotione ad Epiſcopatum quot conjugia contrahantur? 167.13

Electus ad Epiſcopatum habet ſolam temporalium adminiſtrationem: & ante Conſecrationem Eccleſia dicitur vidua, ſaltem quoad ea, quæ ſunt ordinis. 168.nu.eod.

Si quis adhibeat aliquam vim ſæcularem, ut promoveatur ad Epiſcopatum, arcetur ab Eccleſia. 313.56

Epiſtolæ ſupplent præſentiam. 82.36 & alibi.

Epiſtolarum efficacia, & vis. 132.36

Erneſtus-Ferdinādus Bavarus. 50.14

Eugenius IV. 15.5 & alibi.

Quando nec examen, neque interpellatio ulla requiratur? 141.17

Exceptio, debet eſſe de regula, & ſecundùm regulā intelligitur. 37.16

Exceptio tua non intereſt. 110.46

Exceptio de jure Tertii ſemper opponi poteſt ad tuendam poſſeſſionem propriam. 304.20

Exceſſus manifeſtus examinatione non indiget. 176.47

Excommunicati à jure, vel ipſo jure, non denunciati verò, per ſententiam, vel per declarationem hominis, remanent eligibiles, cùm ſunt tolerati. 63.14

Quid de excommunicato excommunicatione minori, ſi ſcienter electus

non

non ſit? ibidem.
Excuſationes tenues, & leves rejiciuntur. 42.27
Exempla quid faciant? 237.21
Exemplum, ſive extractum, quando obtineat vim inſtrumenti publici, & probet? 254.4 & alibi.
Exemplum exempli non facit fidem. 385.19
Limitatur. 386.n.eod.
Exemplum, ſeu copia inſtrumenti fidem non facit, niſi conſtet de Autographo. ibid. nu.23
Extractio mandato Pontificis facta, eſt legitima, & ſolemnis. 285.9
Pro extraneo qui habendus ſit, ut non valeat mittere Procuratorem? 250.21

F

AD factum extrajudiciale probandum quid ſufficiat? 37.18
Factum, quod fieri non debet, non poteſt trahi in exemplum. 71.19 & 91.46
Facultatis uſus quando allegari poſſit? 160.37
In facultativis nulla cadit obſervantia. 447.53
Faet. Vide Cornelius.
Fagnani tempore, Elector Colonienſis cum Archiepiſcopatu Coloniæ, retinebat Epiſcopatus Leodienſem, Monaſterienſem, Paderbornenſem, & Hildeſmenſem. 44.3
Fama publica quid ſuppleat? 313.58
Familiares Papæ recipiunt Beneficiorum ſuorum fructus, quamquam non reſideant. 379.126 & 413.24
Favore divini cultus non præſumitur materia facultativa. 112.7
Favores ſunt ampliandi. 388.48
Federicus Imperator. 49.10
Fictio an prævaleat veritati? 152.15
Fictio non excedit caſum, pro quo adinventa eſt. 388.43
Fides facta lite pendente, & ſine alterius interpellatione, ſuſpicione laborat. 430.16 & 431.17
Ob fidem non ſervatam datur actio de dolo. 471.33
Qui filii ſint legitimi? 260.34 & 288.17
De Firmanis. Vide Georgius.
Foranei nomen, quid denotet? 153.17 & ſeqq. & 174.39 & alibi.
Qui ſint Foranei? 279.7
Forgeur. Vide Joannes.
Eccleſiæ Collegii Foſſenſis Præpoſitura. 433.26 & alibi.
Franciſcus Stanchus, Patronus Romanus. 9 & alibi.
Franciſcus Galliarum Rex. Vide Georgius ab Auſtria.
Franciſcus-Joannes-Erneſtus Baro Junior de Surlet, Canonicus Leodienſis. 332.8 & alibi.
Francotte Notarius Apoſtolicus. 400.139
Fraus an præſumatur in hominibus, quorum non intereſt? Vide dolus.
An præſumatur in Eccleſiaſticis? Vide dolus.
Fraus, & injuſtitia excluditur per maturam deliberationem. 233.5
Priſingenſis Eccleſia. 16.7 & alibi.
Corruente fundamenta corruit omne ſuper extructum. 47.2
Cardinalis de Furſtembergh. 37.17
Canonicus Leodienſis. 86.10 & alibi.
Epiſcopus Argentoratenſis. ibid. n.11
Furtum an præſumatur ubi exuberat bona fides? 66.9
Fuſcus. Vide Petrus.

G

GAbriel Philippuccius, Cauſſidicus Romanus. 341 & alibi.
Galliarum Rex tempore belli, Eccleſiaſticos degentes in Terris Principū fœderatorum non admittit ad exercendas proprias dignitates in Eccleſiis ſub ſua Ditione ſitis: quod eſt ini-

iniquum jus. 109.42 & 138.9
Gaſpar Turchus, Cauſſidicus Romanus. 331. & alibi.
Georgius ab Auſtria, Epiſcopus Leodienſis, juſſu Franciſci Galliarum Regis fuit Lugduni carceribus detentus. 237.21
Georgius de Firmanis, Patronus Romanus. 1 & alibi.
Germaniæ conſuetudo eſt, ut quis plures Epiſcopatus ex Apoſtolico indultu detineat. 44.3
Godefridus Bullionius vendidit Ducatum Bullionii Eccleſiæ Leodienſi in Sacri Belli expeditione. 108.36
129.30 & alibi.
Gratia favorabilis recipit latiſſimam interpretationem. 40.22 & 66.8
Gratia conceſſa motu proprio, latiſſimè eſt interpretanda. 45.8
Gratia ſine cauſa non deſtruitur ab ipſa gratia. 79.20
Gratia non extenditur de uno articulo ad alterum. 101.15
Gratia, ſive facultas de actu futuro, non extenditur ad actum præteritum: & quare? 102.18
Gratia conceſſa ad aliquem defectum ſupplendum, aut ad aliquod obſtaculum removendum, an ſuppleat reliquos defectus, & cætera obſtacula removeat? 116.26
Gratia, & confirmatio, per Signaturam dicitur perfecta. 154.19
Gratiæ ſtrictè interpretandæ ſunt, ſi non motu proprio, ſed ad Partis petitionem obtentæ fuerint. 302.9
Gratia ſemel extincta nunquam reſtituitur. 311.46
Omnes Gratiæ Principum vim, & auctoritatem accipiunt ex illorum mente, quam eludere nunquam licet. 312.48
Gratia Apoſtolica eſt informis ante confectionem litterarum. 505.6
Ampliatur. 506.nu.eod.
Sancti Gregorii Magni Epiſtola ad Anthemium Subdiaconum. 20.1
Gregorius IX. 16.7
Gregorius X. 139.10
Gregorius XIII. 127.25
Guarii. Vide Valdericus.
Guillelmus de Sabaudia, & poſtea Philippus ejus frater, habuerunt Eccleſiæ Valentinæ mandatum. 59.3

H

Dom. Halley, Decanus inſignis Collegiatæ Sanctæ Crucis Leodii, commendatus. 202.2
Cardinalis de Haſſia, Canonicus Leodienſis. 86.10 & alibi.
Epiſcopus Vratiſlavienſis. ibid.n.11
Henricus Dumont, Canonicus Leodienſis, & Cardinalis Bullionii Præpoſiti Cathedralis Leodienſis Vicarius. 494.23 & alibi.
Hieronymus-Joſeph Vrvitigoiti. 159.36
Hieronymus Palma nepos, Advocatus, & Patricius Lucenſis. 183
Princeps de Hildershim Legatus Imperatoris in Civitate Leodienſi. 377.106 & alibi.
Hildeſimenſis Eccleſia. 28.2 & alibi.
Hildeſimenſe Capitulum. 311.45
Hiſpalenſis Eccleſia. 59.3
Honorius III. quare mandaverit Capitulo Pariſienſi, ut obſervaret Eccleſiæ conſtitutiones? 256.14
Et quare declaraverit nulla, & invalida ſtatuta facta à dicto Capitulo? 362.11
Eximit familiares ſuos ab omni lege reſidentiæ, etiam ad fructus lucrandos. 413.34
Hoſtis publicus quomodo poſſit ſe defendere? 141.16
Hoſtem expellere oportet, naturam imitando, quæ contrarium ſuum à ſe expellit. 173.36
Hoſtis publici nemo abſque Principis venia poteſt eſſe Procurator. 229.49 & ali-

& alibi. Vide Procurator.
Cum Hoſtibus publicis Cives nullum commercium habere poſſunt. 275. 25
Idem eſt loqui cum Hoſte,ac ei amicum eſſe,& commerciũ habere, ac eidem litteras mittere, quod eſt jure gentium prohibitum. 511. 15
Limitatur. 512. 17
Hugo Canonicus Cremonenſis. 408. 199
Huyenſis Urbs, eſt Diœceſis Leodienſis. 331.1.& alibi.

I

Jacobus Sardinius, Cauſſidicus Romanus. 318 & alibi.
Jacomettus. Vide Amatus.
De Jandis. Vide Octavius.
Ignorantia facti an excuſet à peccato? 407.197
Ignorantia juris in rebus ſpiritualibus non excuſat à peccato. 311.43
Ignorantia juris an excuſet ab actu nullo? 407.197
Qua in materia non currat illatio? 200.19 & alibi.
Illudere dicitur qui offert,vel promittit id quod exequi prohibetur. 237. 20
Illuſio deteſtanda eſt in perſonis Eccleſiaſticis. 362.3
Unum impedimentum removere non ſufficit ubi plura removenda ſunt. 230.50 & 276.31
Impeditus quis dici nequeat? 115.21
Qui dicatur legitimè impeditus, ut poſſit mittere Procuratorẽ? 249.21
Ad Imperatorem pertinet jus meatuũ, & remeatuum concedẽdorum. 121.9
Imperatores quare amiſerint jus interveniẽdi electionibus? 272.13.& 14
Incidit in ſcyllam cupiens vitare Charybdim. 405. 174
Incompatibilitas Eccleſiarum curatarum quando ceſſet? 38.18
Ad incompatibilitatẽ Eccleſiarum excludendam, unde poſſit prætendi ineligibilitas, an ſufficiat qualibet moleſtia de facto,& extrajudicialis? 60.7
De Incompatibilitate Epiſcopatus cum Cardinalatu, quare olim diſceptabatur? 127.25
Incompatibilitatis Beneficiorum effectus. 321. 21
In Incompatibilitatem quando incurratur? ibid. n.23
Ut inducatur Incompatibilitas quid requiratur? ibid. nu.24
Inconſtantia,& variatio quid oſtendat in judiciis? 481.11
Indultorum virtus non dicitur expirata, donec pendent adhuc conditiones, nec omnino ſunt adimpletæ. 47.3
Ex Indultis Pontificiis ceſſat qualibet difficultas. 53.7
Indulta Pontificia, in quibus non adſunt clauſulæ revocatoriæ, non revocantur,nec confunduntur. 54.10
Una Pars Indulti declarat alteram. ibid. nu.11
In Indultis interpretandis totum operatur obſervantia. 56.15
Indultũ quando fiat ſubreptitiũ? 179.3
Indultum generale retinendi Beneficia incompatibilia non comprehendit Canonicatus, niſi de iis, facta fuerit mentio ſpecialis. 193.14
Indultum qua ex cauſa debeat interpretari? 324.36
Sub colore ineligibilitatis perſonæ, an ſit differenda electio? 7. 6
Inferior ſuperiorem ſolvere nequit, nec ligare. 16.7
Inhabilitatis pœna. Vide pœna inhabilitatis.
Inhabilitas proveniens à lege, vel ſtatuto,verè dicitur inhabilitas. 132. 35
Inhabilitas quando debeat eſſe manifeſta? 474. 48
Volenti non fit injuria. 173.35

Injuria ex quo conſiſtat? 178.53
Qui juribus ſuis inhæret, non delinquit, nec contemnit, nec ullum afficit injuria. 226.36 & 271.11
Injuriam nemini irrogat qui mandato ſui Principis, aut Magiſtratus obtemperat. 238.22
Quando locus non ſit injuriæ? 244.8
Injuriam nemo tenetur remittere, nec ad id poteſt cogi ſine ſatisfactione. 341.4
Injuria idem eſt, ac injuſtitia. 406.188
Privatus jure, quod ſibi competit, quocumque modò id eveniat, injuria affectus cenſetur. ibid.
Innocentius III. 105.27 & alibi.
Innocentius IV. 143. 23 & alibi.
Innocentius XI. 15.6
Innocentius XII. 169. 21 & alibi.
Commendatus. 376.105
Inſtrumentum facit probationem probatam. 9.3
Inſtrumento minus ſolemni propter diſtantiam locorum fides adhiberi ſolet. 224. 27
Interdictus, & excommunicatus non poteſt ſuffragium ferre in electionibus. 154.20
Intereſſentia differt à reſidentia. 158. 32
Interpretare ejus eſt cujus eſt condere. 12.13
Omnis poſſibilis Interpretatio ſumi debet favore electionis jã factæ. 13.19
Interveniente bona fide, capienda eſt ſemper Interpretatio magis benigna, & favorabilior Electo. 30.19
Quæ Interpretatio ſit ſemper ſumenda? 48.7
Vera Interpretatio unde ſumetur? 100. 14
Interpretatio probabilis non ſolùm, ſed etiam neceſſaria, inducitur ex obſervantia. ibid.
Omnis Interpretatio reſtrictiva eſt contra litteralem ſermonem. 15 1. 10
Omnis Interpretatio facienda eſt, ut evitentur abſurda. ibid. n.12
Ut Interpretatio fiat ſecundum obſervantiam, licitum eſt etiam torquere verba diſpoſitionis. 160.37
Quando ſtricta ſit facienda Interpretatio? 184.7
Interpretatio in dubio ſumitur pro Electione jam facta. 190.42
In omnibus legibus, contractibus, diſpoſitionibus, ubi poteſt ambiguitas ſuboriri, ſemper facienda eſt ea Interpretatio, quæ jus commune non lædat. 385.15
In claris nulla datur Interpretatio. 445.42
Intruſus in aliquam Eccleſiam remanet inhabilis ad ordines, & ad omnia alia beneficia acquirenda. 40. 22 & alibi.
Regina Joanna. Vide Statutum.
S. Joannes Chriſoſtomus. 263.53
Joannes VIII. Leonis IV. ſucceſſor. 106 29
Ejus Conſtitutio relata à Joanne Cabaſſutio in notitia Eccleſiaſtica ſeculi 13. ibid.
Joannis Sariſburienſis verba ad Alexandrum III. nomine Prioris, & Capituli Cantauarienſis. 253.31
Joannes Baro de Elderen, Epiſcopus Leodienſis. 312.54 & alibi.
Joannes Forgeur beneficiatus Leodienſis. 430. 16 & alibi.
Joannes-Baptiſta de Curtis, Cauſſidicus Romanus. 417 & alibi.
Joannes-Baptiſta Sanutus Pelliganus, V.J.D. Collegiatus, in Patrio Bononienſi Archigymnaſio Praxis Criminalis publicus Lector, S.Inquiſitionis Promotor Fiſcalis, & in Curia Legationis Pauperum vinculis detentorum Advocatus. 300
Joannes-Erneſtus de Surlet, Archidiaconus Arduennæ. 1.3 & alibi.
Joannes-Henricus, Epiſcopus Hieropolytanus. 32.3 & alibi.
Joannes-Ludovicus, Epiſcopus Leodien-

dienſis. 14. 4
Ad Irregularitatem,in quam poteſt incurri ex contemptu clavium, quid requiratur? 407.195
Ad Judicem confirmatorem ſpectat cognitio rationis incommoditatis, & periculorum Eccleſiæ, quæ impulit Capitulum ad abſentem non vocandum. 132.36
Ad eundem pertinet recognoſcere in veritate facti bonam fidem Capituli non vocantis abſentes. 133.n.eod.
Judex quæ ſuppleat? 227.42
Si Judex ſe reſtringit ad aliquem articulum, ad alium extendi Judicium non poteſt. 293.33
Judex functus officio ſuo, non poteſt ſententiam ſuam amplius retractare. 362.4
Judex ſedens pro Tribunali, debet judicare ſecundum allegata,& probata. 386.24
Judicis ſcientia in Judicio ferendo debet ſemper inniti Inſtrumentis authenticis. ibid.
Apud judices facta non debent ex arbitrio ſcribentium confingi, ſed poſitivis juribus exhibitis probari. 417.2
Interdicitur quibuſcumque Judicibus, etiam S.R.E.Cardinalibus,facultas judicandi juxta ſupplicationes ſignatas ſuper quibuſcumque impetrationibus cum decreto irritanti. 505.6
In judicialibus,ſi abſens negligat mittere Procuratorem quando accedere non poteſt, rectè proceditur. 132.36
Ad Judiciorum ordinem in cauſis ſuper Electionibus, ex novo jure Canonico eſt in pluribus jus antiquum mutatum. 143.24
Caſus in quibus jus antiquum mutatum eſt. ibid.
Quando pro Capituli Decreto judicandum ſit? 273. 16
In Judiciis oportet probare,& non ſufficit dicere. 291.26
Judicium retractatur ex defectu ſolius interpellationis. 365. 28
Incivile eſt,niſi tota lege perſpecta,una aliqua particula ejus propoſita,judicare,vel reſpondere, ait lex 24.ff.de legib. 366.31
In Judicio non creditur referenti, niſi conſtet de relato. 386.23
Vis tota, & auctoritas judicii, ex quibus deſumatur? 396. 109
In quo ſtatu te invenero in eodem te judicabo: Eſt effatum Divinæ Scripturæ. 397.116
Quando diverſitas rationis diverſimodè de uno,ac de altero caſu, ut judicetur efficiat? 420. 7
An contra illum qui in judicio victor eſt ex dolo malo Procuratoris adverſarii, competat actio de dolo malo? 505.5
Julius II. 15.5
Contra eos,qui fines juris, & Privilegii exceſſerunt, quid ſtatuatur? 138.9
Pro juris communis correctione, vel abſurdo vitando, quid faciendum? 155.24
Qui jure publico utitur, non videtur aliquid injuriæ faciendæ cauſa peragere. 178.53
Jus à facto non liberat. 264.60
Contra jus, ſeu juſtitiam non agit qui jus proprium experiri vult.290.24
Quando deceat ordinem juris,& æquitatis ſtrictè obſervari? 317.86
Parum eſt jura condere, niſi ſit qui eadem tueatur,ait Gregorius X. 382.144
An Juriſdictio penes duos eſſe poſſit? Vide Poſſeſſio.
Quid ſit jus-jurandum? 123.15
De jure-jurando non ſervando nullum datur privilegium:& quare? 69. 9
Jus-jurandum præſtitum à Canonico de Capituli ſtatutis obſervandis, an obli-

*obliget ſub pœna perjurii?ibid.n.*11
*Jura-juranda magis ſervanda à conſtitutis in majoribus dignitatibus.*81. 31 & 174.41
Præſervativum à jure-jurando præſtãdo non tollit jam præſtitum. 81. 32
Jus-jurandum licitum ſemper ſervandum eſt. 82.34 & *alibi.*
Ad juris jurandi adimplementum ſunt referendi effectus de jure. 83.38
Jus-jurandum, utpotè promiſſio facta Deo, obligat omnem animam. 94.60
Deus ipſe ſtare vult Juramento. ibid. & 123.16
Juratus in minoribus, aſcendens deindè ad Cardinalatum, an ſit à jure-jurando ſolutus? 94. 61 & *alibi.*
Quanto eminentior eſt dignitas ejus, qui tranſgreditur jus-jurandum, eo graviùs is eſt puniendus. 102.20 & *alibi.*
Jurare, & non adimplere eſt abominabile dedecus. 111.4
Homines per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis eſt juramentum?ait Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos cap.6.nu.16 *ibidem.*
Quod quis priùs verbis juravit, & poſtea factis ratum habuit impugnare non debet. 112.6
Si quis juraverit obſervare ſtatutum, cui à lege fuiſſet derogatum, an ligetur jure-jurando? 220. 18
Quando non fiat diſtinctio inter jus-jurandum in genere, & in ſpecie? ib.
Quale jus-jurandum intelligatur præſtitum ſub conditione? 337. 26
*Jus-jurãdũ de quo intelligatur?*344.18
Quando jus-jurandum obliget plus, & non ad plus? 345.19
Differentia inter jus-jurandum ſpecificum, & generale. 373.90
Nemo contra ſeipſum, & contra ſui ordinis, & Collegii privilegia jurare intelligitur. 374.n.eod.
Quale jus-jurandum ſit vinculum iniquitatis, & non juris? ibid.nu.91
Juſtitia quid ſit? 364.21 & *alibi.*
Omnia Juſtitiæ, & æquitatis dictamina in armorum ſtrepitu, & furore, ſilent. 169.18
Juſtum deduxit per vias rectas, *eſt effatum* Divinæ Sapientiæ. 384. 6

K

Kaiſervert Civitas, à Menſa Archiepiſcopali Colonienſi dependet. 310.37
Canonicus Kal. 49.12

L

Laici Eccleſiaſtica tractare non debent. 289.22
Laicis Poteſtatibus eſt omninò interdictum extendere manum ſuam ad Arcam Domini. 313.56
Lateranenſe Concilium formam in Electionibus Canonicis ſervandam præſcribit. 413. 27
*Dom. de Leedrat, Campiniæ Archidiaconus, Canonicus Leodienſis.*393.89
Legalitas an requiratur pro forma? 223.27
Quando de Legalitate non ambigatur? 236.17
Legatis Principum, præſertim Apoſtolicis, nefas eſt non præſtare fidem. 255.7
Legati Imperatoris, Regis Catholici, Ducis Bavariæ, & Principis Auriaci, tempore Electionis Epiſcopi Leodienſis, Leodii exiſtẽtes. 312.55
Legatus de Latere an poſſit aliquid ſtatuere contra jus? 344.16
Quid ſi Teſtator legaverit alicui fundum, & inſtrumentum fundi, ſive legaverit fundũ inſtructũ? 158.33
Qui aliquid pro legitimo, & valido ſemel confitetur, non poteſt ampliùs redarguere id pro nullo, & invalido. 93.54
Leo IV. 59. 3 & *alibi.*
Leo X. 15.5

S. Leonis Magni reſponſum ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem. 23.8
Leodienſis Epiſcopatus eſt Principatus, & membrum Imperii. 70.18 90.39 & alibi.
Leodienſis Eccleſia regitur ſtatutis antiquiſſimis. 85.1
Civitas Leodienſis in temporalibus ſubjacet omnibus Edictis Imperialibus. 109.41
Leodienſis Eccleſia per annos ſexcentum, & plus, pacificè poſſederat Ducatum Bullionenſem. 304.20
Impeŕator Leopoldus cõmendatus. 466.7. 485.23. & alibi.
Quæ ſemel, aut bis accidunt, contemnunt Legislatores, ait Theophraſtus in l.6.ff.de legib. 394.96
Si lex irroget infamiam illi, qui de furto, & rapina, & injuria, & de dolo damnatus fuerit, is eſt infamis ſi quidquam prędictorum ſecerit. 155.23
Lex nova ab antiqua recipit declarationem, & interpretationem. 156.26
Quæ reddant legem rationabilem? 198.14
Legis caſus. Vide ſtatuti caſus.
Lex, quæ omnia ſcit, ſententiæ favet. 293.34
Fruſtra legis auxilium implorat qui contra legem committit. 311.43
Leges quando melius firmentur? 313.57
Verba legis pœnam indicentis, reſtringenda ſemper ſunt ad ſpecialem caſum, ad quem leguntur appoſita, nec extenduntur ad alium diverſum. 343.10
Et ea capienda eſt interpretatio, quæ eſt excluſiva pœnæ. ibid.
Ubi adeſt caſus legis, ceſſat omnis diſputatio. ibid.n.11
Lex à qua lege recipiat interpretationem limitatam, ac reſtrictionem? ibid.nu.13
In omnibus legibus pœnalibus, quinàm caſus de jure excipiatur? 365.26
Qui committat in legem? ibidem.
Leges, Canones, & Statuta ſemper interpretationem admittere debent ex ſubjecta materia. 368.55
Leges pœnales non extenduntur ex ſola, & pura ſimilitudine rationum ad caſum non expreſſum, & non comprehenſum in lege. 373.82 & 388.48
Articuli legis, & ſtatuti ex Rubrica, & titulo interpretantur. 391.68
Qui ſe legi ſubmittit, cum ipſa contrahere videtur. 392.74
Sæpè durius cum lege, quàm cum homine agitur: & è contra. ibid.
In jure ſemper is, qui contra legem committit, incurrit in malam fidem. 407.197
Neque leges, neque Senatus-conſulta ità condi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint comprehendant, ſed ſufficit ea, quæ plerumque accidunt, continere. 412.20
Lex pœnalis, & rigida, ſtrictè venit ſemper intelligenda, nec de caſu ad caſum, vel de perſona ad perſonam eſt extendenda. 420.6
Libertas agendi eſt propria Germanorum. 174.39
Libertas in quo conſiſtat? 312.53
Libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ quid adverſetur? 329.30.
Quando non attendatur accidentalis diminutio libertatis per loci electionem? 115.21
Dom. Liboy Canonicus Leodienſis. 263.56 & alibi.
De Liboy. Vide Petrus-Ludovicus.
Licentia, ſeu facultas requiſita ob duas res, non ſufficit ſi unam indulgeat, neque ſub ea comprehenditur altera. 98.7. Vide Diſpenſatio.
Licet omnibus in ſecunda, ac tertia inſtantia: non deducta deducam, non probata probabo. 180.7

Digitized by Google

Quod non eſt licitum in lege, fit licitum ob neceſſitatem. 365.26
Litteræ Apoſtolicæ cur expediri debeant? 282.23
Locus hoſtilis, ſive incommodus, & periculis expoſitus, æquiparatur loco remoto. 162.42
Loth filiæ, quare ſe Patri miſcere voluerint? 217.8
Lovanienſis Academia. 186.20 & *ali.*
Quid ei opponat Antonius Vaillant Advocatus Gallus? 415.34. & 35
Ludovicus XI. Rex Galliæ reprobavit Pragmaticam Sanctionem. 15.5

M

Machinationes doloſæ, & injuſtæ fieri ſolent clanculum, non palàm. 234.6
Maguntinenſis Capituli major pars poſtulavit Vormacienſem Epiſcopum, & minor Pars elegit ſibi in Archiepiſcopum Maguntinum Præpoſitum Sancti Petri Maguntinenſis. 140.13
Major Pars quæ dicatur? 6.2
In Electione Epiſcopi attenditur major pars comparativè ad ſolos remãſos in Capitulo, non ad totum Capitulum. 10.7 & 26.14
Ampliatur, quando quis fuerit electus à majori parte, reſpectu eorum etiam, qui receſſant à Capitulo. 10.7
Quidquid agit major Pars, omnes agere videntur. 11.9
Et major pars etiam in dubio ſaniorem Electionem feciſſe cenſetur. ib.
Ampliatur. ibid.n.10
Facta Electione incapacis à majori parte, devolvitur jus eligendi ad minorem. 12.16
Major pars, contradicente unius tantùm ſuffragio, ſufficit ut ſua electio firmetur. 13.17
Minor pars Capituli contradicẽs Electioni factæ à majori parte, non ſufficit ad illam irritandam. 144.26
Mala fides præſumitur in eo, qui contra leges agit. 311.43
Malitia Capituli in non vocãdo æquiparatur malitiæ Canonici in latitando ne vocetur. 290.23
Malitiæ non eſt indulgendum. 361.3
A malo, & à ſpecie mali abſtinendum eſt, ſecundùm Apoſtolum. 229.47
Explicatur. ibid.
Manſus. Vide Aloyſius.
Pœnitens Marcellinus. 16.7
Maſerius. Vide Peregrinus.
Quod in matrimonio carnali procedit de uxorum pluralitate, procedit etiam in conjugio ſpirituali de pluralitate Eccleſiarum. 321.26
Matthias Clerx. 1.3
Princeps Maximilianus-Henricus, Archiepiſc. Colonienſis, ac S. R. I. Elector. 31.2
Maximilianus-Emanuel utriuſque Bavariæ Dux, S.R.I. Princeps Elector. 39.20
Commendatus. 53.8.61.9 & 78.14
Pro-Rex Germaniæ Inferioris. 376.105
Maximilianus-Henricus Bavarus. 50.14
Dom. de Mean, Decanus Capituli Leodienſis. 57.17
Meldenſis Eccleſia. 153.18
Menſura, & menſura abominatio eſt apud Deum. 385.14
De Merode. Vide Arnoldus.
Suſpicio metus quando ceſſet? 8.8
Suffragium metu latum, quando irritet Electionem? 27.17
Ut metus impediat liberam Electionem, quid neceſſe ſit? 136.5
Metus diſtinguitur in realem, & perſonalem. 138.8
Metus ex parte inferentium dicitur juſtus. ibid.nu.9
Metus armorum eſt cadens in virum conſtantem. 313.59

Ille,

*Ille,cui ſemel metus incuſſus eſt, nunquam id,quod factum eſt, poteſt retractare, eodem metu durante. ibidem num.*61

Ad miniſteria Eccleſiaſtica,& præſertim ad Epiſcopalem dignitatem,quis debeat promoveri ſecundùm Canones? 325.7

Minor qui veniam obtinet ad obtinendam Cathedralem,ætate non obſtante,retinere valet incompatibilia,donec ad legitimam ætatem pro conſecratione pervenerit. 65. 6

*Miſſa Spiritus Sancti , an ſit de ſubſtantia Electionis?*7.7.26.16 & 80. 26 *Vide Electio.*

Cur inſtituta fuerit Miſſa Sancti Spiritus ante Electiones? 14.4

Modus , & conditio in quo differant? 409.209

Moguntina Eccleſia. Vide Balduino.

Moneri nemo debet ,ut mittat Procuratorem. 294.37

Dom. du Mont, Canonicus Leodienſis. 518.26

Omnis mora, præſertìm tempore belli, eſt ſuſpecta. 118.1

In moralibus, quando alicui indulgetur remiſſio pænæ? 407.196

Si ſtatutum , vel lex jubeat, ut ſi quis corrumperet mulierem, eam duceret in uxorem , alioquin ſolveret mille ; abſurdum eſt dicere , quòd mille ſolvi debeant , etiam ſi quis mulierem non corrumpat. 510.10

N

E *Piſcopus Namurcenſis.* 399.135

Neceſſitas reddit licitum quod per ſe eſt illicitum. 237.22

Effatum vulgare eſt : Neceſſitas non habet legem. 365.26

*Dicitur modeſta negatio reſponſio anceps,obſcura,& ſub conditione.*229. 50

Negativa quando probetur? 211.51 & 239.30

Ex negativis inventis ad negandum, nulla poteſt ſumi argumentatio affirmativa: & quare? 456. 10

Contra negligentem ſua jura deducere,militat omnis mala præſumptio. 114.17

Ubi ſumma negligentia excuſari non poſſit? 117. 27

Negligens potius contemnit , quàm contemnitur. 234.6

Princeps Neoburgenſis, Ordinis Teutonici ſupremus Magiſter. 156.26

Pax Neomagenſis. 70. 17 *& alibi.*

Nicolaus III. 143. 23

Nicolaus V. 49.10 *& alibi.*

Multa expreſſa nocent quæ tacita non officiunt. 174.39

Non *eſt particula negativa.* 203.7

Notoriæ rei an ſit deferendum? 364 23

*Notorium ſive facti,ſive juris, non excuſat ab onere interpellationis. ibidem,& nu.*25

Quod nullum eſt ſubſiſteri nunquam poteſt, quando factum eſt jure prohibente. 407.199

Tertiæ,quartæ,& aliæ nuptiæ,dicuntur omnes ſecundæ , habito reſpectu ad primas nuptias. 149.6

Nuys Urbs , ab Archiepiſcopatu Colonienſi dependet. 310.37

O

O *Bligatio ex jure-jurando præſtito, longè differt ab obligatione præſtandi juris-jurandi, ac ſervandi ea, quæ in jure-jurando futuro continerentur;& ratio.* 102.19

Obligatio præſtandi juris-jurandi demandatur vi obedientiæ , & juſtitiæ .Obligatio ex jure-jurando præſtito imperatur etiam vi Religionis. ibidem.

Obligatio plurium Principum , ſeu Civitatum ſociarum,quæ ex fœdere ſe tueri, ſervareque tenentur, quali

lis ſit? 137.7
Eccleſiaſtici contrahentes ad ſervanda contenta in ſtatuto laicali, an validè obligentur? 204.13
Obligatio quando procedat à voluntaria conventione? 238.25
Obligatio ſemel extincta non reviviſcit. 311.46
Quæ fiunt jure familiaritatis, Conſuetudinis, aut Urbanitatis, nullam inducunt obligationem. 414.31
Obſervantia appellatur interpretationum Regina. 49.9
Limitatur. ibidem.
Obſervantia ex jure-jurando æquipollet ſtipulationi. 72.3
Obſervantia in ſpecie ſubſecuta, declarat Conſtitutionem, aut privilegium. 74.9
Ex obſervantia declaratur quid comprehenſum ſit in privilegio, ſive in diſpenſatione. 100.14
Obſervantia eſt optima Indultorum, & diſpenſationum interpres. 125.20 & alibi.
Ex obſervantia ſubſecuta declaratur quid fuerit conceſſum. 185.15
Obſervantia ad declarationem Indulti deducitur ex unico actu. ibid.
Obſervantia interpretativa quando locum habeat? 206.27
Ad obſervantiam interpretativam pauci actus ſufficiunt. 258.28
In obſervantiæ interpretativæ materia, probant Teſtes ſingulares. 259.30
Ad obſervantiam, vel uſum probandum, quid opus ſit? 279.8
Obſervantia in una parte arguit obſervantiam in aliis. ibidem.
Obſervantia ut obliget non contrahitur ex actibus voluntariis. 346.23
Obſervantia interpretativa, in quibus non admittatur? 420.10.457.15 & 471.34
Ad obſervantiam præſcriptivam, & conſuetudinem conſtituendam, quid requiratur? 420.& 421.11
Quando adducitur obſervantia, ſeu conſuetudo contra id, quod in ſtatuto clarè eſt diſpoſitum, non poteſt obſervantia interpretativa appellari, ſed eſt legis ſuppletiva. 446.45
Quæ obſervantia hic requiratur? ibidem nu.46
Qualis obſervantia non ſit apta ad veritati præjudicandum? 447.50
Contraria obſervantia pari modo reſultat ex facto, & ex non facto. ibidem nu.54
Obſervantia dividi non poteſt: & quandocumque non eſt uniformis excluditur, quia non eſt apta ad firmandum ſtatum. ibid. nu.55
Obſervantia debet eſſe in ſpecie ſuper caſu, de quo agitur. 471.35
Ad obſervantiam inducendam non ſufficiunt actus æquivoci. ibid.
Obſervantia interpretativa quando operatur? 483.18
Pro legali obſervantia quid requiratur? ibid.n.19
Obſervantia non minùs benè deducitur ex facto, quàm ex non facto. 484. nu.eodem.
Ubi plura ſunt obſtacula omnia debent removeri; alioquin diſpenſatus ab uno non cenſetur diſpenſatus ab altero. 73.5
Quotiès oportet plura obſtacula tolli, ſi unum exprimatur, alterum taceatur, an actus tamquam ſubreptitius vitietur? 99.7
Unius obſtaculi remotio non removet alia. 116.26
Obſtaculum facti non tollitur à jure. 179.3
Pro bonorum Eccleſiæ occupatione quid requiratur? 349.35
Octavius de Jandis Cauſſidicus Romanus. 20. & alibi.
Odia ſunt reſtringenda. 388.48
Non offeramus coram Domino ignem alienum, ne fortè ab illo devoremur,

mur, ait Sacra Scriptura. 416.43
Communis opinio, etiam anceps, aut erronea, an excuſet à dolo, & injuſtitia? 233.4
Opponentis unius ſententia qua caſu prævaleat omnibus aliis? 362.4
Oppoſitor quando interpellandus, quãdo non admittendus, & quando repellendus? 143.23
Ad Ordinariorum *officium quid ſpectet?* 275.26
Si duo contra ſas, & temeritate concertantium fuerint ordinati, nullus ex his futurus eſt Sacerdos Eccleſiæ. 317.86
Ordinis majoritas non attenditur quando non agitur de illo ordine. 114.15
Quæ ſit differentia inter ea, quæ ſunt Juriſdictionis, & ordinis? 309.34
Quando quis debeat promotionem petere ad illum ordinem, quem ætas ſua patitur? 328.24

P

Quænam pactiones, & conventiones in Electionibus reprobentur? 315.71
In omnibus pactionibus, & conventionibus, ſemper ſubintelligitur clauſula, ſalva dignitate. 373.89
Palma nepos. Vide Hieronymus.
Papa ex officio tenetur inquirere de qualitatibus, & impedimentis Electi, etiam nemine opponente, ubi agitur de illius confirmatione. 44.1
Papa poteſt ex officio ſupplere cauſas non deductas. 110.46 & 163.47
Papa ſemper ſolet confirmare electionem, dummodo perſona electa ſit digna. 291.27
Pariſienſe Capitulũ. V. Honorius III.
Parochus cum facultate, ne ad tempus promoveatur, non amittit priora beneficia uſque ad tempus ordinationis. 53.7
Quo in caſu duæ tertiæ partes Canonicorũ, & quo in caſu major, & ſanior pars debeant cõcurrere? 329.33
Paſchali præcepto non ſatisfaciens eſt excommunicatus. 259.28
Per patientiam multa tolerantur, quæ ſi deducta eſſent in judicium, exigente juſtitia, deberent emendari: ait Alexander III. 311.43
Paulus ad Poſnanienſem Epiſcopatum electus. 121.10
Peccare ex contemptu quid ſit? 195. & 196.7 & 245.10
Non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ: ait magnus P.S.Auguſtinus. 195.6 & 245.9
Peregrinus Maſerius Patronus Romanus. 14. & alibi.
Omne periculũ perſonale evitatur per conſtitutionem Procuratoris. 120.9
Periculum à quo æſtimetur? 208.35
Qui ſe periculis exponit, qualis reputetur? 209.42.237.21 & alibi.
Periculum in quo conſiſtat? 210.43
Propter periculum receditur à regulis juris, & permittuntur etiam prohibita. 237.22
Graviſſima pericula ab infimæ conditionis hominibus in momento emerſerunt. 263.52
Pericula conſiſtunt in facto, non in jure. 264.60
Tot perſonæ reputantur quot ſunt munera, & officia: & unaquæque conſideratur ſecundùm actum, quem gerit. 114.15
Peſtis impedimentum eſt impedimentum facti. 181.13
Petrus Fuſcus Advocatus Neapolitanus, ac Reg. Conſiliarius. 31. & ali. *Commendatus.* 389.56
Petrus Cappellanus Caroli VI. Regis Francorum refert originem S.R.E. Cardinalium. 127.24
S. Petri Berchteſgadenſe, Ordinis S. Auguſtini, Præpoſitura. 308.24
Petrus Corradinus Cauſſidicus Romanus. 351. & alibi.

lis ſit? 137. 7
Eccleſiaſtici contrahentes ad ſervanda contenta in ſtatuto laicali, an validè obligentur? 204. 13
Obligatio quando procedat à voluntaria conventione? 238. 25
Obligatio ſemel extincta non reviviſcit. 311. 46
Quæ fiunt jure familiaritatis, Conſuetudinis, aut Urbanitatis, nullam inducunt obligationem. 414. 31
Obſervantia appellatur interpretationum Regina. 49. 9
Limitatur. *ibidem.*
Obſervantia ex jure-jurando æquipollet ſtipulationi. 72. 3
Obſervantia in ſpecie ſubſecuta, declarat Conſtitutionem, aut privilegium. 74. 9
Ex obſervantia declaratur quid comprehenſum ſit in privilegio, ſive in diſpenſatione. 100. 14
Obſervantia eſt optima Indultorum, & diſpenſationum interpres. 125. 20 *& alibi.*
Ex obſervantia ſubſecuta declaratur quid fuerit conceſſum. 185. 15
Obſervantia ad declarationem Indulti deducitur ex unico actu. *ibid.*
Obſervantia interpretativa quando locum habeat? 206. 27
Ad obſervantiam interpretativam pauci actus ſufficiunt. 258. 28
In obſervantiæ interpretativæ materia, probant Teſtes ſingulares. 259. 30
Ad obſervantiam, vel uſum probandum, quid opus ſit? 279. 8
Obſervantia in una parte arguit obſervantiam in aliis. *ibidem.*
Obſervantia ut obliget non contrahitur ex actibus voluntariis. 346. 23
Obſervantia interpretativa, in quibus non admittatur? 420. 10. 457. 15 *&* 471. 34
Ad obſervantiam præſcriptivam, & conſuetudinem conſtituendam, quid requiratur? 420. *&* 421. 11
Quando adducitur obſervantia, ſeu conſuetudo contra id, quod in ſtatuto clarè eſt diſpoſitum, non poteſt obſervantia interpretativa appellari, ſed eſt legis ſuppletiva. 446. 45
Quæ obſervantia hic requiratur? ibidem nu. 46
Qualis obſervantia non ſit apta ad veritati præjudicandum? 447. 50
Contraria obſervantia pari modo reſultat ex facto, & ex non facto. ibidem nu. 54
Obſervantia dividi non poteſt & quãdocumque non eſt uniformis excluditur, quia non eſt apta ad firmandum ſtatum. *ibid.* nu. 55
Obſervantia debet eſſe in ſpecie ſuper caſu, de quo agitur. 471. 35
Ad obſervantiam inducendam non ſufficiunt actus æquivoci. *ibid.*
Obſervantia interpretativa quando operetur? 483. 18
Pro legali obſervantia quid requiratur? *ibid.* n. 19
Obſervantia non minùs benè deducitur ex facto, quàm ex non facto. 484. nu. eodem.
Ubi plura ſunt obſtacula omnia debent removeri; alioquin diſpenſatus ab uno non cenſetur diſpenſatus ab altero. 73. 5
Quotiès oportet plura obſtacula tolli, ſi unum exprimatur, alterum taceatur, an actus tamquam ſubreptitius vitietur? 99. 7
Unius obſtaculi remotio non removet alia. 116. 26
Obſtaculum facti non tollitur à jure. 179. 3
Pro bonorum Eccleſiæ occupatione quid requiratur? 349. 35
Octavius de Jandis Cauſſidicus Romanus. 20. *& alibi.*
Odia ſunt reſtringenda. 388. 48

Non offeramus coram Domino ignem alienum, ne fortè ab illo devoremur,

mur, ait Sacra Scriptura. 416.43
Communis opinio, etiam anceps, aut erronea, an excuſet à dolo, & injuſtitia? 233.4
Opponentis unius ſententia quo caſu prævaleat omnibus aliis? 362.4
Oppoſitor quando interpellandus, quãdo non admittendus, & quando repellendus? 143.23
Ad Ordinariorum officium quid ſpectet? 275.26
Si duo contra fas, & temeritate concertantium fuerint ordinati, nullus ex his futurus eſt Sacerdos Eccleſiæ. 317.86
Ordinis majoritas non attenditur quando non agitur de illo ordine. 114.15
Quæ ſit differentia inter ea, quæ ſunt Juriſdictionis, & ordinis? 309.34
Quando quis debeat promotionem petere ad illum ordinem, quem ætas ſua patitur? 328.24

P

QVænam pactiones, & conventiones in Electionibus reprobentur? 315.71
In omnibus pactionibus, & conventionibus, ſemper ſubintelligitur clauſula, ſalva dignitate. 373.89
Palma nepos. Vide Hieronymus.
Papa ex officio tenetur inquirere de qualitatibus, & impedimentis Electi, etiam nemine opponente, ubi agitur de illius confirmatione. 44.1
Papa poteſt ex officio ſupplere cauſas non deductas. 110.46 & 163.47
Papa ſemper ſolet confirmare electionem, dummodo perſona electa ſit digna. 291.27
Pariſienſe Capitulũ. V. Honorius III.
Parochus cum facultate, ne ad tempus promoveatur, non amittit priora beneficia uſque ad tempus ordinationis. 53.7
Quo in caſu duæ tertiæ partes Canonicorũ, & quo in caſu major, & ſanior pars debeant cõcurrere? 329.33
Paſchali præcepto non ſatisfaciens eſt excommunicatus. 259.28
Per patientiam multa tolerantur, quæ ſi deducta eſſent in judicium, exigente juſtitia, deberent emendari: ait Alexander III. 311.43
Paulus ad Poſnanienſem Epiſcopatum electus. 121.10
Peccare ex contemptu quid ſit? 195. & 196.7 & 245.10
Non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ: ait magnus P.S.Auguſtinus. 195.6 & 245.9
Peregrinus Maſerius Patronus Romanus. 14. & alibi.
Omne periculũ perſonale evitatur per conſtitutionem Procuratoris. 120.9
Periculum à quo æſtimetur? 208.35
Qui ſe periculis exponit, qualis reputetur? 209.42.237.21 & alibi.
Periculum in quo conſiſtat? 210.43
Propter periculum receditur à regulis juris, & permittuntur etiam prohibita. 237.22
Graviſſima pericula ab infimæ conditionis hominibus in momento emerſerunt. 263.52
Pericula conſiſtunt in facto, non in jure. 264.60
Tot perſonæ reputantur quot ſunt munera, & officia: & unaquæque conſideratur ſecundùm actum, quem gerit. 114.15
Peſtis impedimentum eſt impedimentum facti. 181.13
Petrus Fuſcus Advocatus Neapolitanus, ac Reg. Conſiliarius. 31. & alibi. *Commendatus.* 389.56
Petrus Cappellanus Caroli VI. Regis Francorum refert originem S.R.E. Cardinalium. 127.24
S. Petri Berchteſgadenſe, Ordinis S. Auguſtini, Præpoſitura. 308.24
Petrus Corradinus Cauſſidicus Romanus. 351. & alibi.

Petrus-Ludovicus Roſſius de Liboy Canonicus Leodienſis. 329.27
Philippuccius. Vide Gabriel,
Philippus de Sabaudia. Vide Guillel.
Pius II. olim Æneas Sylvius. 15.5 *& alibi.*
Quid reſponderit Carolo Regi Frãcorum, petenti, Cardinalem Conſtantienſem Eccleſiæ Tornacenſi in Epiſcopum præfici? 134.39
Pius IV. 83.37, *& alibi.*
Plato in Eutyphrone *quid dixerit de Dædaleis operibus?* 469.21
Pæna vulgò non contrahitur ſine dolo. 46.10
Nulla eſt pæna ubi nulla eſt negligentia. 53.7
Pæna non ſubintelligitur, niſi ſit expreſſa. 62.12
In pænalibus non admittitur extenſio de caſu ad caſum. ibid.
Pæna inhabilitatis tollitur ex quacumque cauſa colorata. 63.15
Qua pæna puniantur non promoti ad Ordines ſacros, cùm pervenerint ad ætatem ad illos requiſitam? 66.10
Pæna de ſui natura eſt reſtringenda. 171.27
Pæna privationis bonorum quando committatur? 198.14
Quales ſint pænæ, quæ ex contemptu oriuntur? 216.6
Pænarum natura quæ ſit? 218.11
Pæna contemptus quando peti poſſit? ibidem.
Pæna contra nõ reſidẽtes quę ſit? 269.7
Quælibet cauſa excuſat à pæna, 291.25
In materia pænali, tamquam odioſa, ſtrictiſſimè eſt procedendum. 343.10
Pæna non poteſt infligi, niſi à Judice, & niſi per judiciũ. 363.16 *& alibi.*
Cùm de pæna infligenda agitur, titulus legis, Canonis, vel Statuti attendendus eſt. 368.55
In pænalibus, quotieſcumque in Statutis aliqua ambiguitas, aut obſcuritas ineſt, quomodo debeat fieri interpretatio? 370.65
Quale ſit diſcrimen inter ea, quæ pænalitèr inducta ſunt à ſtatuto ſpeciali, & ea, quæ de jure communi requiruntur ad validitatem alicujus actus? 411.10.& 11
Pænæ ſunt potiùs temperandæ, & mitigãdæ, quàm exaſperandæ. 388.48
Pænæ ſunt reſtringendæ. 470.24
Comes de Poitiers Canonicus Leodienſis. 181.10 *& alibi.*
Abbas Collegiatæ Beatæ Mariæ Dionantenſis, & de Cheminon in Diæceſi Cathalaunenſi. 401.151
J. Polain, Capituli Leodienſis à Secretis. 385.18
In materiis Politicis umbræ ſufficiunt. 261.39
Dom. Pollam, Capituli Leodienſis à Secretis, 430.16
Abbas Pompejus de Scarlatis, Electoralis Domus Bavaricæ à Conſiliis Status, & Adminiſter. 142.21
Pontifex, in quo plures perſonæ conſiderantur, una ſcilicet Papæ, & Epiſcopi Eccleſiæ univerſalis, altera Epiſcopi Romani, ſubjacet uti Epiſcopus Urbis Apoſtolicis Conſtitutionibus, aliiſque canonibus, quibus generalitèr alii Diæceſani, ſeu locorum Ordinarii ſubjacent. 103.22
Limitatur. ibidem.
Pontifex quando dicatur circumventus ſub involucro verborũ? 239.29
Summus Pontifex in Orbe Chriſtiano ſupremam in rebus ſpiritualibus auctoritatem exercet, 362.9
Pontificis Deciſioni eſt omnino inhærendum. 377.107
Populi Salus extrema lex eſt. 178.53
Poſſeſſio ut non dicatur pacifica, quid ſufficiat? 37.18
Poſſeſſio pacifica non dicitur ubi adeſt moleſtia etiã extrajudicialis. 56.14
Quaſi-poſſeſſio quãdo admittatur? 74.12
Poſſeſſio manutenibilis quando non detur?

tur? 82.35

Poſſeſſio unius anni non opitulatur aliis. 114.16

Omnis poſſeſſio pendens à qualitate, deficit deficiente qualitate, à qua regitur. 131.34

Poſſeſſio cum qualitate eſt diverſa à poſſeſſione ſine qualitate.ib.& alibi.

Limitatur. ibidem.

Quaſi-poſſeſſio quando non poſſit conſiderari? 176.47

Poſſeſſio cum bona fide ſufficit, ut valeat ſuffragium,& electio. 231.57

Ubi agitur de poſſeſſore dignitatis incompatibilis, quando poſſeſſio non ſit manutenibilis? 232.59

Poſſeſſio non ſolùm eſt facti, ſed etiam juris,& animi. 310.36

Qui in poſſeſſione alicujus rei turbatur, an deſinat eam retinere? ibid.

Quaſi-poſſeſſionem quis habere dicatur? ibid.n.38

Poſſeſſio, quæ eſt ex ſe illicita, magis gravat poſſeſſorem& quare? 311.43

Sicut una poſſeſſio, vel idem dominium penès duos eſſe non poteſt ſaltem ad eumdem effectum, ita nec Juriſdictio. 323.32

Poſſeſſio ſemper reſtringitur ad ea, quæ acta ſunt. 393.82

Poſſeſſio decennalis, quando ſola extat, titulus ex ea promanans, remanet roboratus per ſubſequentem trientalem. 461.30.& 31

Ampliatur. ibidem.

Cùm petitorium nullum eſt poſſeſſio evaneſcit. 212.58

Quando decidi debeat cauſa poſſeſſorii, & petitorii ſimul? 231.58

Allegans poſſibilitatem inſolitam quid probare teneatur? 239.30

Poſtulationis confirmatio tota pendet ex arbitrio,& nutu Summi Pontificis. 311.45

Omnis poteſtas quando remaneat apud præſentes? 199.17 & alibi.

Præfectus Poſtarum Civitatis Huyenſis. 405.178

Prælati, & alii Eccleſiaſtici ſuſpecti fidei, non admittuntur à Principibus ſæcularibus ad dignitates, & officia Eccleſiaſtica exercenda in eorum Dominiis. 162.43

Præpoſitus Capituli Leodienſis non habet jus ſuffragii. 68.6 & alibi.

Præpoſitus majori obligatione tenetur, quàm Canonicus. 69 nu.eod.

Præpoſitura eſt diſtincta à Canonicatu. 81.32.93.57 & alibi.

Præpoſitura Eccleſiæ Leodien.eſt prima dignitas poſt Pontificalem. 98.7

Dum agitur de exuendo Præpoſito, vel Canonico dignitate Præpoſituræ, vel Canonicatus, requiritur interpellatio,& monitio. 108.38

Non requiritur, cùm agitur de privatione exercitii dignitatis. ibid.

Præpoſitus S. Petri Maguntinenſis. Vide Maguntinenſis Capituli.

Quæ ſint Præpoſituræ exemptæ? 277.33

Præpoſituræ de jure communi impoſita eſt reſidentia. 375.99

Præpoſitura in Cathedralibus Germaniæ reputatur prima dignitas poſt Pontificalem. 433.25.& alibi.

Aſſiduam reſidentiam requirit. ibid.

Præſens de jure habendus eſt ille, qui ſcit,& non venit. 243.5

Ex contemptu Præſentantis quando non impediatur inſtitutio Præſentato? 253.30

Præſens in loco non dicitur eſſe qui eſt in Provincia. 274.19

Præſens habet majus jus, ne ejiciatur, quàm abſens ut vocetur. 291.24

Præſentia duplex eſt, Phyſica, & moralis. 379.122.& ſeqq.

Præſumptio ſemper cedit veritati. 193.16

Præſumptio quando non habeat locum? ibidem.

Præſumere non eſt divinare. 209.42 & alibi.

Præſumptio rei inſolitæ quando ceſſet?

ſet? 211.52
Præſumptio tituli quando eliſa remaneat? ibid. n.53
Vna præſumptio deſtruit alteram. 265.68
Præſumptio melioris tituli, & diſpenſationis, quando militet? 461.29
Præſumptio juris, & de jure, non recipit probationem in contrarium. ibid.
Principes non admittunt Epiſcopos ſuſpectos, ad evitandas ſeditiones, & propalationes ſecretorum. 130.31
Princeps ſæcularis nec actu, nec habitu Juriſdictionem habet in Eccleſiaſticos. 162.43
Princeps ſæcularis habet in ſua ditione, & ſtatu poteſtatem Oeconomicam, ibidem.
Princeps quare ſit lex animata? 254.3
Quænam ſit cauſa Principatum temporalem amittendi? 276.30
Solus Princeps poteſt Beneficia ſua interpretari, ſecundùm Plinium, & Symmachum. 363.14
Principis ſæcularis Legati non interſunt Electioni. 476.57
Idem judicatur de principio, quod de iis, quæ ab ipſo principio dependent. 153.15
Principium plerumque per finem corrigitur. 366.31
Privatio non cadit ubi ceſſat cauſa privationis. 53.7
Ad privationis pœnam excludendam, quælibet cauſa, etiam colorata ſufficit. 61.9
An ſufficiat probabilis credulitas? & an ſola dubietas? ibidem.
Quæcumque privatio ipſo jure inducta, vel ipſo facto in decretis Pontificiis, expectat declarationem hominis, ut circumſtantiæ facti veræ appareant. 62.13
Privatio ſuffragii eſt cauſa pœnalis. 343.10
Pœna privationis ſuffragii à quo poſſit imponi? 344.15 & 357.30
Privatio ſuffragii eſt pœna à jure ſtatuta. 363.16
Privare aliquem jure, quod ſibi competere intẽdit, eſt injuſtitia. 364.21
Privatio ſuffragii ob non reſidentiam non inducitur ipſo facto. 454.6
Sed quid in eo ſit neceſſe? ibid.
Unum privilegium declaratur per alterum. 40.23
Omnia privilegia habent eam conditionem, niſi tacitè, vel expreſsè eis renuncietur. 114.14
Privilegio tacitè renũciari poteſt per non uſum, cui expreſsè renunciari non potuiſſet. ibid.
Privilegium per unicum actum contrarium amittitur. 160.37
In privilegiis, & gratiis non permittitur extenſio de caſu ad caſum. 302.9
Nemo poteſt privilegio conceſſo ordini, vel collegio renunciare: & quare? 373.89
Suppoſitum, cui aliquis innititur, ab eo validè probandum eſt per externas demonſtrationes. 47.2
Actore non probante ſuppoſitum, ſive eventum conditionis, reus eſt in tuto, etiam ſi nihil contra deducat. ib.
Quando probatio reddatur incerta, & anceps? 148.2
Probatio quãdo reddatur certa? 223.25
Ulterior probatio quando non requiratur? 313.58
Qui probat, clarè, & apertè debet probare: & ſi non facit, non prodeſt obſcura probatio. 385.15
Quo caſu nulla probatio admittatur? 507.11
An teneatur quis mittere Procuratorem in magna cauſa, quando ipſe ad locum accedere non poteſt? 141.16
Ad Procuratoris uſum concedendum quid requiratur? 162.42
Procurator hoſtis publici nemo abſque venia Principis eſſe poteſt. ib. n.43 & 274.22

Procuratoris judicium electivum debet eſſe uniforme proprio. 182.16
Legitimè impeditus poteſt mittere Procuratorem. 249.21
Paria ſunt non habere uſum Procuratoris ex defectu perſonæ conſtitutæ, & non habere Procuratorem, quando perſona conſtituta exercere non poteſt ob periculum. 265.64
Jus conſtituendi Procuratorem à quo dependeat? 294.37
Procuratoris perſona eſt addicta mandanti. 404. 167
Limitatur. ibid.nu.168
An hoc procedat in negotio Electionis? idid.
An poſſit conſtitui Procurator tempore belli? 406.183
Promiſſa non adimplere grave eſt facinus. 471.33
Cauſa proprietatis quando abſorbeat petitorium? 74.12
Proteſtatio quomodo eſſe debet, ut recedentes à Capitulo poſſint Electionem impedire? 24.12
Ubi habetur prototypum fruſtra quæritur de copia. 246.14
Provinciæ nomen eſt generale, & plures in ſe continet ditiones. 450.73

Q

IN quæſtionibus civilibus quid ſemper obſervandum? 393.83
Quando agitur de duabus qualitatibus omnino diſtinctis, & ſeparatis, de una ad aliam inferri non poteſt. 184.9
Qualitas à quibus inducatur? 287.17
Quando ceſſante qualitate ceſſet poſſeſſio? 292.30

R

VEra judicii ratio à recta legis ratione deſumitur. 165.1
Quæ rationes exprimendæ ſint in genere, & ſub nube? 227.41
Ratio naturalis dictat, priùs ſibi, & ſuis, deindè aliis conſulendum eſſe. 237.22
Rationum præſervatio ſubſtinet ſententiam. 238.26
Quoties una, & eadem ratio militat, decidit omnes caſus non per extenſionem, ſed per comprehenſionem. 347.26
Ratiſbonenſis Eccleſia. 16.7 & alibi.
Ravennatenſis Eccleſiæ Capitulum poſtulavit in Archiepiſcopum Cardinalem Presbyterum tituli S. Praxedis: & ab Innocentio III. fuit poſtulatio repulſa; & quare? 106.30
Rector Eccleſiæ quare quis verè fiat? 327.22
Quando Rector, & pacificus poſſeſſor Eccleſiæ quis habeatur? 328.23
Qui ad Eccleſiæ regimen aſſumitur, debet ad ſacros Ordines promoveri intra annum numerandum à tempore ſibi commiſſi regiminis. 38.19
Tempus poſſeſſionis regiminis explicatur. ibidem.
An tempus annuum currat, ſi dos Eccleſiæ pereat? ibidem.
Regna, & Provinciæ aliquando devolvuntur pro paucis aureis, pro equo, aut falcone non miſſo. 82.34
Regula quòd qui vult conſequens, videatur velle neceſſarium antecedens, *procedit in omni materia, etiam ſtricta.* 40.23
Regula, non deducta deducam, *in judiciis eſt paſſim recepta.* 193. 12
Cui refertur? 396.108. & ſeq.
Regula de triennali poſſeſſione in incompatibilibus an procedat? 201.21 461.28 & alibi.
Cùm duo tituli diſcolorati reperiuntur in regula, ſcilicet collatio per ſimoniam, ac de reſervato reſervatione in corpore juris clauſa: In omnibus aliis caſibus, & reſervationibus non exceptis, firmatur regula in contrarium. ibid.
Regula deſumpta ex cap. cùm Eccleſia

Sutrina De cauſa poſſeſs. & propriet. *quibus caſibus applicetur?* 21 .56 *& ſeqq.*

Regula textus in cap. contingit De fide inſtrumentorum *quando ſervanda?* 254.5

Comes de Rekem. 182.19 *& alibi.*

Relatio fit ad illam diſpoſitionis partem, cui congruunt verba orationis ſubſequentis, non ad partem, cui non cōgruunt, & à qua diſcrepant. 60.5

Relatio fit ad id, cui probabiliùs verba aptantur. ibid.

Relatio quando ad ſuperiora non poteſt fieri commodè, & uniformitèr, tunc referenda ſunt ſingula ſingulis. 152.13

In duobus copulativè requiſitis ſatis eſt deficere in alterutro, ad hoc, ut dicatur non adimpletum. 205. 20 *&* 235.10

Res quando undique certa dicatur? 156.26

Res quando benè geritur non poteſt dici injuſta, & vitiata per omiſſionem ſolemnitatis, & formæ. 197.11

Cùm Canonico reſidere diſpenſatum eſt an cenſeatur diſpenſatum ab acceſſoriis reſidentiæ? 101.17

Reſidentia in Canonicatibus æquiparatur reſidentiæ Parochi. 126. 23

Ampliatur. ibidem.

A reſidētia Epiſcopali non ſunt exempti Epiſcopi Cardinales. 127. 25

In prima, & ſecunda reſidentia Capituli Leodienſis, quid agatur à Canonicis? 149.6

Qui reſidere naturalitèr in utraque ſede non poteſt, virtualitèr, & civilitèr in una reſidendo, cenſetur utrique ſatisfacere. 159.36

Reſidentia in Eccleſia non eſt actus indifferens, ſed imperatur à virtute Religionis, & obedientiæ. 268. 3

Reſidere nolenti adimuntur fructus, ibidem.

Reſidentia quid ſupponat? ibid. num.

Nolans reſidere non admittitur ad beneficium, quod reſidentia exigit. ib.

Quid ſi promittat reſidere, & poſteà recedat? ibid.

Non rēſidens privatur fructibus, ſed non jure præſtandi ſuffragium in Capitulo, & præſertìm in Electionibus. 335.18 *&* 355.18

Diſpenſatus ab Eccleſiæ reſidentia an cenſeatur diſpenſatus ab ejus acceſſoriis? 337. *&* 338.29.432.22 *& al.*

Quæ reſidentia non dicatur præciſa, & obligatoria, ſed tantum cauſativa? 342.8

Circa reſidentiæ obſervantiam an Capitulum poſſit quidquam ſtatuere? 344.14

Statim ac Papa diſpenſat ſuper reſidentia tollit omnes pœnas à ſtatutis, & legibus inflictas contra non reſidentes. 355.20

A reſidentia diſpenſatus eſt diſpenſatus etiam à comparitione in Capitulo. 378.116

Reſidendi neceſſitas à Concilio Tridentino Cardinalibus impoſita, eſt quoad Epiſcopatus limitativè tantùm. 379. 121

Gravius peccat qui fallit fidem datam ad reſidendum, quàm qui ad illam non ſe adſtrinxit, nec fructus percepit. 457.12

Quidquid Reipublicæ ſervandæ cauſa fit, etiam ſi ad contumeliam alicujus pertineat, non parit actionem injuriarum, ſeù contumeliæ, & quare? 178.53

Retentio conceſſa ſub aliqua contemplatione an dicatur expirata quando finis contemplatus non dum eſt ad effectum perductus? 78.14

Reus quando habeatur pro confeſſo? 287.17

Rex dicitur eſſe in toto Regno per ſuam potentiam. 379.124

Rituale antiquum manuſcriptū ſervatur in Bibliotheca Vaticana. 105.28

Ro-

Romanæ Curiæ regeſtum pleniſſimam probationem facit. 223.27
Apud veteres Romanos quare admittebantur adoleſcentes ad Senatum ſine jure ſuffragii? 149.6
Dom. Rond, Canonicus Leodien. 494.23
A rubrica an ſumi poſſit argumentum? Vide à Titulo.
Rubrica debet copulari cum nigro. 470.27
Rubrica eſt quaſi initiũ legis. 500.27
Rubrum explicat nigrum. ibidem.

S

DE Sabaudia. Vide Bonifacius.
De Sabaudia. Vide Guillelmus.
De Sabaudia. Vide Philippus.
Quamobrem quis præcipuè teneatur promoveri ad Sacerdotium? 321.20
Salonitana Eccleſia. 57. 17
Salvi-conductus conceſſio quando fruſtra ſit? 116. 23
Quibus non ſoleat concedi? 121.9
Quando Salvi-conductus conceſſio ſit ſpecies immanitatis? 173.36
Sancti qui ſub Principibus Chriſtianis vel necati, vel ad Inſulas deportati, vel carceribus mancipati fuerint. 237.21
Rev. Sanfelicius, Archiepiſcopus Conſentinus, & Nuncius Apoſtolicus in inferiori Germania. 203.6 & al.
Sanutus Pelliganus. Vide Jo: Baptiſta.
Sardinius. Vide Jacobus.
Dux Saxoniæ, Canonicus Leodienſis. 313.55
Quale debeat eſſe ſcandalum quando ob ſcandali timorem quis non ſit citandus? 349.34
Scandali timor non cenſetur adeſſe quando agitur cum Clerico. ibidem.
Ubi alter eſt altero potentior nũquam poteſt periculum ſcandali timeri ab inferiore, & debiliore. ibidem.
De Scarlatis. Vide Abbas Pompejus.
Dom. Schepers, Capituli Leodienſis à ſecretis. 335.22 & alibi.
Schiſma in Eccleſia tempore Urbani VI. 140.12
Scholaſtici dignitas eſt magna inter Capitulares. 26. 15
Simplex ſcientia non arctat, ſed interpellatio. 451. 77
Scire, & debere ſcire sũt paria. 93.56
Qualis ſit ſcribendi modus non ad cauſæ opportunitatem, ſed ad mentem Judicantis confovendam? 278. 1
Scrutatores. Vide in verbo Electio.
Capitulum habet libertatem deputandi ad libitum Scrutatores ex quibuſcumque eligendis de eodem Capitulo. 11.11 & 26.15
Scrutatore aliquo diſcedente à Capitulo, vel ſcrutinium deſerente, poteſt alter ſubſtitui. 19.17
Ampliatur. ibidem.
Securitatum oblationes temporibus difficilibus ſunt fragiles cautiones. 90.36
Securitates pro acceſſu inter hoſtes manifeſtos, ſeù ſaltem ſuſpectos, petii, & in uſu eſſe ſolent. 129.29
Prima Sedes à nemine judicatur. 16.7
Anno 1676. vacavit Sedes Apoſtolica à die 22. Julii uſque ad 22. Septembris: & anno 1689. vacavit à die 12. Auguſti uſque ad 6. Octobris. 176.45
Sententia declaratoria non requiritur ubi factum eſt manifeſtum. 114.17
Sententia ex falſa cauſa emanata an ſubſtineatur ex vera? 207.31
Sententiam ſuam mutare in præjudicium alterius nemini licet. 371.72
Quamdiu Signatura Pontificia præſumatur interventa? 112.8
Per ſolam Signaturam confirmatio perfecta cenſetur. 219.15
Ampliatur. ibidem.
Nullum ſimile eſt idem, ajunt Philoſophi. 388.43
Solemnitas, & forma extrinſeca non eſt attendenda. 197.13
Solemnitas merè externa non eſt atten-

tendenda. 247.16
Solitum concludit tantùm probabilitèr, non neceſſariò. 239.28
Cardinalis Spada. 399. 136 & alibi.
Qui non ſpernit ut ſpernat? 288.20
Spretus alicujus ad electionem vocandi an vitiet electionem? 333.9
Stanchus. Vide Franciſcus.
Statuta à Capitulo, etiam de pertinentibus ad Epiſcopum, ubi Epiſcopus videt illa obſervari, & non contradicit, ſervanda ſunt. 72.4 & alibi.
Statuta Eccleſiæ Leodienſis ſunt antiquiſſima, condita in actu Viſitationis à Cardinalibus Legatis, & à S. Sede approbata. 85.1. 92.53 & al.
Confirmata an. 1451. à Nicolao V. 122.14
Statuta per ſolum Capitulum abſque Epiſcopo ſunt legitima, & valida. 93.55 & 113.10
Ampliatur. ibid. n. 11. & 12 & alibi.
Statuta à Capitulo quando ſunt jurata ſunt valida: Et jus-jurandum obligat ad obſervantiam activè; & paſſivè Capitulũ, & Canonicos. 93.55
De duobus in Statuta deductis non ſufficit derogari uni, niſi derogetur & alteri: & cùm uni derogatur nõ cenſetur alteri derogatũ. 101.17
Statuta à Capitulo pro debita Eccleſiæ regimine, ac divini cultus obſequio, ſunt firmiter obſervanda. 113.13
Statuta alicujus Capituli quid poſſint determinare de electionibus? 122.13
Statutorum exhibitio quando ſit inanis, & fruſtratoria? 142.19
Statutum novum venit ad declarationem, & ſupplementum veteris, & juxta terminos veteris eſt intelligendum. 156.26
De ſtatutorum viribus non quæritur quando ſunt jure-juranda firmata. 174.41
Statutum quibus non deferatur pro interpretatione? 192.7
Alia Eccleſiæ Leodienſis ſtatuta an. 1560. compilata. 203.6
Quando ſtatuta nullam objectionem pati poſſint? 220.15
Quando ſumant robur à conſuetudine, & uſu? ibidem.
Statutorum confirmatio per jus-jurandum æquiparatur confirmationi per Apoſtolicam Sedem. ibid. n. 18
Permittitur in ſtatutis, arguendo à contraria ſenſu, orationem affirmativam revolvi in negativam. 234.9
Solus actus obſervantiæ ſatis eſt ad ſtatutorum intelligentiam clariorem reddendam. 235.11
Statuti caſus, tãquam caſus legis, omnem quæſtionis umbrã elidit. 236.14
Statutum non poteſt infringere Electionem validam. 241. & 242.2
De validitate ſtatutorum conformium Concilio Tridentino non poteſt ambigi. 256.14
Quæ ſtatuta fieri poſſint à Capitulo? ibidem.
Statuta quare interpretanda ſint? 279.6
Statutum dicitur lex municipalis ſuperans jus commune. ibid. n. 9
Obligat neceſſariò. ibid.
Contra ſtatuta à Sede Apoſtolica approbata, an poſſit Epiſcopus, & Capitulum aliquid ſtatuere? 336.23
Dum de ſtatuto contra jus agitur, confirmatio præſumpta in forma communi an ſufficiat? ibid. nu. 25
Statutum per Capitulum alicujus Eccleſiæ ſuper probanda ſanguinis puritate non afficit Cardinales. 345.20
Statutum per Reginam Joannam, ſanciens, emolumenta promovendorum ad Doctoratum eſſe diſtribuenda tãtùm inter eos, qui præſentes ſunt, non comprehendit Cardinales abſentes. ibidem.
Statutum pœnale non poteſt extendi de caſu ad caſum. 354.14 & 16 429.12 & alibi.

Quod

Quod ſtatutum, utpotè non confirmatum à Papa in forma ſpecifica, non ſubſiſtat? 357.30
Quæ ſtatuta de jure ligent? 362.8
Quæ ſtatui non poſſint à Capitulo ſine conſenſu Epiſcopi? ibid. nu. 11
Statuta ſpecialia non extenduntur ad Cardinales. 378.117. Vide Conſtitutiones Pontificiæ.
In ſtatutis pœnalibus nunquam per conſequentias debet fieri extenſio. 391.68
In ſtatutis pœnalibus eſt ſemper capienda interpretatio pœnæ excluſiva. 429.12
Statuta tantum diſponunt quantum loquuntur; nec extenduntur ad caſus per literas in illis non expreſſos. 454.4
Bartoli diſtinctio. 455.7
Statutum juris correctorium non poteſt extendi de caſu ad caſum, præſertim contrarium. 470.29
In ſtatutis quid dumtaxat ſtrictè attendatur? 481.12
Quod ſtatutum non dicit nec nos dicere poſſumus. 482.15
Ampliatur. ibid. & n. 16
Quando novum ſtatutum inducatur, non antiquum declaretur? 483.18
Cardinalis S. Stephani in Cælio Monte. 128.26
In materia ſtricta an procedat argumentum de majori ad minus? 99.8
Stylus probandus eſt ſpecialiter in caſu de quo agitur. 33.9
Subreptionis vitium quando ceſſet? 357.29
Suffragii jus quando non poſſit exerceri? 212.60
Suffragii jus in electionibus quando quis non habeat? 270.8
Jus ſuffragii ferendi in Electione eſt merè ſpirituale. 372.80
Jus ſuffragium præſtandi in Capitulo ab officio, non à beneficio dependet. 515.7
Simplex ſumptum de ſumpto nihil probat. 488.5
De eo, quod à ſuperiore actum eſt, nemo inferior ſe ingerere poteſt. 12.13
Supplicatio ſignata à Pontifice eſt valida. 256.14
Quod ſupponitur ab habente facultatem concedendi, ſuppoſitio in diſpoſitionem convertitur. 65.5
De Surlet. Vide Franciſcus-Joannes-Erneſtus.
De Surlet. Vide Joannes-Erneſtus.
Baro junior de Surlet. 80.27
Qui fines mandati excedit ſe ſuſpectum reddit. 394.93
Suſpenſus ab officio non cenſetur ſuſpēſus à beneficio: & quare? 157.30
Suſpenſus à beneficio an repellatur ab electione, & à Divinis Officiis? 335.18
Suſpenſi à beneficio, licèt fructus non percipiant, non impediuntur eligere. 432.21
Suſpicio quando ceſſet? 223.25
Synodus Romana I. ſub Symmaco Papa. 23.8

T

DOm. Tabolet, Canonicus Leodienſis. 328.27
Termini cùm ſunt diverſi, impoſſibilis eſt paritas illationis. 238.23
Quales teſtes probēt in ſpecie? 236.16
Teſtes domeſtici reprobantur. 393.87
In quo ſtandum ſit teſtimonio illorum de Collegio? 179.1
Ordinis Teutonici magnus Magiſter. 206.25 & alibi.
Timor in electione quid operetur? 198.14
Titulus præſumptus quando ceſſet? 211.54
A titulo, ſive rubrica, quæ non habet orationem perfectam, nullum argumentum ſumi poteſt. 224.29
Titulus injuſtus, & vitioſus quid operetur? 231.55
Titulus ſaltem coloratus quando de-

beat producti? 232.59
Tituli expreſſi productio tollit præſumptionem alterius taciti. 239.31
Quo in materia detur multiplicatio titulorum? 474.53
Toletana Eccleſia. 59.3
Tornacenſis Eccleſia. 134.39 *Vide Pius II.*
De le Tradt. Vide Arnoldus.
Tranſgreſſus reciproci quando æquo animo tolerandi ſint? 238.24
Trecenſis Eccleſia. 153.18
Turchus. Vide Gaſpar.
Si plures dātur Tutores, aut adjutores tutelæ, nō deſinit unus eſſe verè, & propriè Tutor: & quare? 308.28
Ubi proceditur de facto Tyrannus dicitur factum. 238.24

V

Vaillant. Vide Antonius.
Valentina Eccleſia. Vide Guillelmus de Sabaudia.
De Vanſul. Vide Battoldus.
Quare Vaſſallus privetur feudo? 303.19
Quid in Prælato Vaſſallo? ibid.
Quando à verborum proprietate recedendum ſit? 151.10
Verba an improprientur? 234.9
Quæ verba inducant obligationem, & diſpoſitionem. 270.9
Verba interpretantur juxtà ſubjectam materiam. 279.8
Verba in Epiſtolis exprimi ſolita an attendantur? 294.36
Omnia verba Brevium, & Diſpenſationum Apoſtolicarum ſunt exactè conſideranda. 326.17
Verba geminata oſtendunt magis præciſam, & enixā voluntatem. 343.12
In verbis dubiis recurritur ad obſervantiam interpretativam. 445.41
Verbum commodè *cui referatur?* 188.36 & *alibi.*
Quos reſpiciat? 372.76
Quomodo interpretetur? 400.140
Verba commodè, & ſine periculo *quibus referantur?* 128.27
Verba ſacrorum Canonum de his qui commodè, *vel* ſine periculo *convocari non poſſunt, quomodo accipiendo?* 229.48 & *alibi.*
Verba contemnere, & præſumere, *quid ſignificent, & denotent?* 289.21. & 22
Verbum debebit, *quid indicet?* 465.14 & *alibi.*
Verbum exhibere, *quid in jure ſignificet?* 256.17 & 286.13
Verbū habeatur, *quid denotet?* 354.16
Verba in omnem caſum. 230.50
Verbum præſumpſerit, *quid ſignificet?* 42.26
Verbum præſumpſerunt, *quid denotet?* 216.4
Verbum præſumere, *quid ſupponat?* 272.12
Verba propter alias rationes, *quid indicent?* 194.2
Verba prout moris eſt, *quid velint?* 235.13
Verbum volet *eſt facultativum.* 342.8. 443.30 & *alibi.*
Veritas conſiſtit in paucis. 165.1
Veritas comprehenditur ex circumſtantiis. 234.7
Non poteſt dici de vi, & violentia eorum, quæ in bello, vel ratione belli, geruntur. 138.9
Concilium Viennenſe. Vidē Clemens V.
Comes de Vindiſgratz. 209.40 & *alibi.*
Imperii Vice-Cancellarius. 377.106 & *alibi.*
Violentia, tamquam redolens delictum, requirit concludentiſſimam probationem. 119.4
Ultio privata publicis neceſſitatibus remittitur. 172.30
Si ex duodecim vocalibus quatuor ſint contempti, an Electio facta à quinque ex octo preſētibus valeat? 67.11
Si quæſtio ſit utrum aliquis ſit vocalis, & ideò non eſt admiſſus, vel eſt expulſus à Capitulo, non poteſt is agere

Digitized by Google

agere de contemptu. 70.14
Ut quis vocari debeat in Electionibus quid requiratur? 97.3
Vocandus non eſt qui non habet ſuffragium in Electione. ibid.
Vocatio abſentium in Electionibus nõ eſt de forma, neque de ſubſtantia, ſed de ſola juſtitia. 121.11 & alibi.
*Vocantur ad Electionem qui ſuffragiũ habere noſcũtur, non inhabiles, & qui Vocem non habent.ibid.n.*12
Conſuetudo jurata vocandi abſentes non eſt ſervanda ſi imminet aliquod periculum Eccleſiæ. 128.27
Vocatio abſentium in Electionibus quare aliquando non ſit facienda? 129.28 & alibi.
Vocandus non eſt ad Electionem Canonicus jura, & bona Eccleſiæ occupans: & quare? ibid.n.30
Non ſunt vocandi ad Electionem Canonici degentes extra Provinciam. 130.32 & alibi.
Quando ad Electionem admittendi ſint? 274.19
Examen utrum quis legitimè ſit vocalis ſpectat ad ſacrum Cardinalium Collegium. 130.33
In hoc examine quomodo procedatur? ibidem.
An quis vocari debeat de loco hoſtili? 162.42
Qui ſint vocandi in Electione? 177.49 & ſeq. & 188.32
Vocatio propter bellum facilè fieri nequit. 177.51
Quando quis non ſit vocandus? 187. 26 & 28 & alibi.
Quãdo nõ poſſit tutò vocari? 188.34.35
Non vocantur abſentes, quando timetur de tumultu, & ſeditione. 189. 37.247.17.468.17 & alibi.
An hoc caſu poſſint ſuffragium ferre per Procuratorem? 486.25. & alibi.
Quando vocari, vel expectari debeant abſentes, definitur arbitrio Judicis tamquam boni viri. 189.39
Commoditas in vocandis abſentibus cõſideratur ex parte Eccleſiæ, non illius, qui ſuffragium ferre debet. 193.10.228.46 & alibi.
Limitatur. 467.13
In vocatione abſentis pro Electione qui judicare debet an adfuerit necne periculum Eccleſiæ? 196. 10
Cõſuetudo jurata vocãdi abſentes quando non ſervanda? 198. 14 & 199.15
Quando non ſint vocandi abſentes, ac nequidem monendi ut conſtituant Procuratores? ibid.n.16 & alibi.
Quando ut Procuratores conſtituant? ibid.n.17. 452.88. & alibi.
Vocatio abſentis omiſſa non ſufficit ad Electionem irritandam. 215. 3
Vocatio non eſt de forma, ſed pro ſimplici notitia. 243. 5
Differentia inter vocalis expulſionem, & non vocationem. 245.11
Conſuetudo jurata vocandi abſentes non ſervatur quando imminet aliquod Eccleſiæ periculum. 248. 17
Limitatur. ibid.n.18
Non vocatur hoſtis, & qui ipſo jure eſt beneficio privatus. 253.32
Non vocationis cauſæ quæ ſint? 273. 18 & ſeqq.
An vocetur ſciens vocationem Eccleſiæ, & diẽ indictæ Electionis? 284.7
Solemnitas vocandi abſentes eſt tenuis, & non adeo attendi debet. 292. 27
Non vocare quid ſit? 301. 7
Decretum de ſuffragii privatione contra aliquem ex vocalibus non ſervato ordine juris, an attendatur? 333.11.
Vocandi ſunt ad Electionem quotquot habent jus eligendi. 341.1
Ampliatur. ibidem.
Vocatio abſentium eſt de juſtitia: & ſi non vocantur, eis ſit injuria. ib.n.3.
Omnes Canonici ſunt vocandi, ſive poſſint, ſive nõ poſſint venire. 349.33
Et ſive ſint intra, ſive extra Provinciam. 459.21 & alibi.
Limitatur. 477. 2 & alibi.

Quan-

Quando quis debeat vocari ad Electionem etiamſi abſit à Provincia? 359.41
Qui ſunt in Provincia, ſcilicet in Diœceſi, ſunt vocandi ad Electionem. 450.72
An ſit ad Electionem vocandus qui habet Eccleſiæ Viduæ notitiam, & ſcit præfixum terminum pro Electione facienda? ibid. nu. 75 & ſeqq. 459.22 & 504.2
In vocatione quoad locum attinet ubi ea indicitur, cujuslibet Eccleſiæ præcipua conſuetudo eſt prorſus ſervanda. 477.3
Differentia inter expulſionem Vocalis ne eligat, & inter non vocationem. 497.9
Quid diſponat Clementina ut ii De ætat. & qualitat. & Conc. Trident. in cap. 4. De reform. ſeſs. 22. de ſuffragio dando à Canonicis in Electionibus? 514. & 515. 3. 4. & 5
Vocis, ſeu ſuffragii privatio non poteſt à Capitulo ſtatui. idid. n. 9
Voluntas vel eſt cauſa vitii, vel virtutis. 268.3
Vormacienſis Epiſcopus. Vide Maguntinenſis Capituli.
Vota proximorum numerantur pro uno in judiciis: & quare? 329. 28
Votorum jus in Canonicis eſt annexum Canoniæ. 336.23 & alibi.
Et Capitulum per ſtatutum non poteſt privare Canoniam voce. 344.14
Vox Capitularis competens Canonico in Electionibus non eſt de beneficio. 156.27 & alibi.
Non inhæret dignitati, ſeu præbendæ. ibidem.
Non eſt actus ordinis, ſed pertinet ad aliquod officium Eccleſiaſticum, non jure ſingulari, ſed jure Collegii. ibidem, & alibi.
Faciliùs evellitur. ibidem, & alibi.
Differt à jure præſentandi, quod Patrono competit, vel à jure eligendi, ſive conferendi, quod competit Epiſcopo, vel alicui, uti perſonæ ſingulari. ibidem.
Competit Canonicis ratione aſſiſtentiæ Divinis Officiis diebus ſtatutis. ibid. nu. 28
Hæc vox quare amittatur? ibid.
Vocem, ſeu ſuffragium non habent in Capitulo qui non interſunt Divinis Officiis. 220. 16 & 270.8
Voce carentes non ſunt vocandi. 234.8
Jus dandi vocem in Electione eſt de acceſſoriis reſidentiæ. 298.4
Vox in Capitulo de jure communi à quo dependeat? 344. 14
Vox Capitularis non computatur inter fructus beneficii. 354.18
Vocis privatio decernitur à ſuprema Pontificis poteſtate, & non poteſt ab alio inferiori decerni. 446. & 447. 49
Urbanus VI. electus Pontifex ad clamorem populi Romani. 137.5
Urvitigoiti. Vide Hieronymus-Joſeph.
Uſurpantes bona, Juriſdictiones, fructus, & emolumenta Eccleſiarum, & locorum Piorum, mulctantur pœna excommunicationis. 340.39
Uſus, aut conſuetudo, nititur factis, & exemplis. 392. 82
Ad uſum, ſeu obſervantiam probandam, quid probari oporteat? 394.96
Ut de uſu, ſeu conſuetudine, conſtet, quid explorandum ſit? ibidem.
Ex ſolo uſu non inducitur conſuetudo contra jus commune, licèt conſuetudinis, uſuſque longævi non ſit vilis auctoritas. ibid. nu. 97
Ratione publicæ utilitatis ſolent in Germania Epiſcopatus copulari, & copulatio abſque ulla incompatibilitate concedi. 54. 8
Utilitas publica quando præferatur privatæ? 108.35
Waldericus Guarii, Notarius Leodienſis. 385.18

Z

PRæpoſitus Zeller Adminiſter Epiſcopatus Friſingenſis. 49.12 & al.

FINIS.

REGESTUM.

a. a 2. b. b 2. c. c 2. d. d 2. e. e 2. A. A 2. B. B 2. C. C 2. D. D 2. E. E 2. F. F 2. G. G 2. H. H 2. I. I 2. K. K 2. L. L 2. M. M 2. N. N 2. O. O 2. P. P 2. Q. Q 2. R. R 2. S. S 2. T. T 2. V. V 2. X. X 2. Y. Y 2. Z. Z 2. Aa. Aa 2. Bb. Bb 2. Cc. Cc 2. Dd. Dd 2. Ee. Ee 2. Ff. Ff 2. Gg. Gg 2. Hh. Hh 2. Ii. Ii 2. Kk. Kk 2. Ll. Ll 2. Mm. Mm 2. Nn. Nn 2. Oo. Oo 2. Pp. Pp 2. Qq. Qq 2. Rr. Rr 2. Ss. Ss 2. Tt. Tt 2. Vu. Vu 2. Xx. Xx 2. Yy. Yy 2. Zz. Zz 2. Aaa. Aaa 2. Bbb. Bbb 2. Ccc. Ccc 2. Ddd. Ddd 2. Eee. Eee 2. Fff. Fff 2. Ggg. Ggg 2. Hhh. Hhh 2. Iii. Iii 2. Kkk. Kkk 2. Lll. Lll 2. Mmm. Mmm 2. Nnn. Nnn 2. Ooo. Ooo 2. Ppp. Ppp 2. Qqq. Qqq 2. Rrr. Rrr 2. Sss. Sss 2. Ttt. Ttt 2. Vuu. Vuu 2. Xxx. Xxx 2. Yyy. Yyy 2. Zzz. Zzz 2. Aaaa. Aaaa 2. Aaaa 3. Bbbb.

SIC MIHI VIRTUS

COLONIÆ AGRIPPINÆ, Typis Petri Martelli, cIↄIↄccxII.

Superiorum Permiſſu.

Tom. II. Bbbb

ANT 1:1(6..)

Digitized by Google

Digitized by Google

XV. E. 22.

Digitized by Google